The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/lexiconbiblicum02hage

5642

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

PARS PRIOR

LIBRI INTRODUCTORII

V

LEXICON BIBLICUM

VOLUMEN II

D-L

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

LEXICON BIBLICUM

EDITORE

MARTINO HAGEN S. I.

II

VOLUMEN SECUNDUM D-L

Cum approbatione Superiorum

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1907

Omnia iura vindicabuntur

PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

JUL 13 1970

Cum opus, cui titulus est « *Lexicon biblicum* » editore Martino HAGEN, S. J., aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Luxemburg, die 23 Januarii 1904.

L. S. P. C. SCHAEFFER, S. J.
Prov. Germ. Praepositus.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 16 Septembris 1904.

✠ FRANCISCUS, Card. RICHARD,
Arch. Parisiensis.

TABULAE GEOGRAPHICAE

Columnae.

Regio ad lacum Genesareth 391-5
Regio Jerusalem-Jericho 653-8
Jerusalem antiqua 664-713

TABELLAE ET SCHEMATA

Schema chronologicum dynastiae herodianae 503-9
Domus herodiana 507-8
Vita Jesu Christi chronologice disposita secundum quattuor evangelia. 724-34
Tabella genealogica familiae Jesse 829-30

LEXICON BIBLICUM

D

DABERETH (הַדְּבֹרֶת cum articulo, Δαβιρώθ Ios. 19,12; דָּבְרַת, Δεββά Ios. 21, 28; דָּבְרַת, τὴν Δεβερὶ καὶ τὴν Δαβῶρ ex duplici translatione eiusdem nominis 1 Par. 6,72 [57]), urbs tribus Issachar in confinibus Zabulon sita, filiis Gerson levitici generis tradita (Ios. 19,12; 21,28; 1 Par. 6,72). Apud Flavium Iosephum Δαβάριττα (Bell. iud. II. 21,3; Vita 62) vicus in extremis Galilaeae finibus situs in Campo magno; apud Eusebium et S. Hieronymum (Onom. *ed. Lag.* 250,55; 115,20) Δαβειρά, Dabira in monte Thabor regionis ad Diocaesaream pertinentis. Hodie *Debūriye* ad radices occidentales montis Thabor; ibidem secundum traditionem novem apostoli morabantur, dum Iesus cum Petro, Ioanne, Iacobo Thaborem ascendit.

Cf. *Robinson,* Palaestina III. 451; *Guérin,* Galilée I. 140-142; *J. Fahrngruber,* Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 165. 176; *Neubauer,* Géogr. du Talmud p. 265; *Liévin de Hamme,* Terre Sainte 1897 III. 110; *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1195-96; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 626.

DABIR. 1. Dabir (דְּבִיר, Δαβίν), rex Eglon urbis in campestribus Iuda sitae (Ios. 10,3), qui cum aliis quattuor regibus foederatis a Iosue percussus et suspensus est.

2. Dabir (דְּבִיר, דְּבִיר, דְּבִרָה; Δαβίρ), urbs in montanis Iuda inter undecim urbes meridianas enumerata (Ios. 15,49); fuerat urbs regia Chananaeorum (Ios. 10,39; 12,13) a Iosue expugnata (10,38), ex qua Iosue Enacim exterminavit (11, 21); secundo expugnata est ab Othoniel (15,15-17; Iud. 1,11-12), civitas sacerdotalis (Ios. 21,15; 1 Par. 6,58).

Duplex urbi antiquitus nomen erat : Ios. 14,49 קִרְיַת־סַנָּה i. e. urbs legis(?), urbs palmae (?), urbs Senna herois(?). Vulgata : Cariathsenna, LXX πόλις γραμμάτων et Ios. 15,15; Iud. 1,11 קִרְיַת־סֵפֶר i. e. urbs libri vel forte urbs Sepher herois, ut aliqui minus probabiliter coniiciunt, Vulgata : Cariath Sepher i. e. civitas litterarum, LXX Ios. 15,15 πόλις γραμμάτων, Iud. 1,11 Καριαθσεφέρ, πόλις γραμμάτων. Sed de archivis vel academiis urbis Cariath Sepher ex documentis antiquitatis hucusque nihil innotuit. Magna cum probabilitate censetur esse vicus magnus *el-Ḍahariye* medius fere inter Hebron et Bersabee.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 402. 406 ss.; *Palmer,* Wüstenwanderung 305 ss.; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land p. 279. 280. 670; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 164; *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1197-1200; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 258. 259.

3. Terminus Dabir (גביל לדבר, τὰ ὅρια Δαιβών) commemoratur in describendis terminis tribus Gad Ios. 13,26: a Manaim (Mahanaim) usque ad terminos Dabir. Indicari videtur terminus septemtrionalis montanorum Gad ab occidente orientem versus; attamen nullum vestigium loci Dabir exstat. Fortasse textus hebraeus vertendus est: terminus Lidebir; unde aliqui coniectant Lidebir non differre a Lodabar 2 Reg. 9,4 s. et 17,27; sed huius quoque loci situs ignoratur.

DABRI (דַּבְרִי, Δαβρί), vir de tribu Dan, pater Salumith, quae viro Aegyptio nupserat et cuius filius lapidatus est, quia nomen Domini blasphemaverat (Lev. 24,11).

DADAN, DEDAN (דְּדָן; Δαδάν, Δεδάν, Δαιδάν).

1. Filius Regma filii Chus (Gen. 10,7; 1 Par. 1,9) et frater Saba; vide infra.

2. Filius Iecsan filii Abraham et Ceturae (Gen. 25,3; 1 Par. 1,32) et frater Saba. Filii huius Dadan ll. cc. recensentur Assurim, Latussim, Laomim. Praeterea populus Dedan commemoratur Is. 21,13; Ier. 25,23; 49,8; Ez. 25,13; 27,15. 20; 38,13. Ut ex his locis colligitur, Dedanitae erant vicini Edomitarum, commercium exercentes cum Phoenicibus; per commeatus merces in Syriam et Palaestinam a mari Erythraeo deferebant neque desunt indicia quaedam Dedanitas etiam in litore et insulis sinus Persici habitasse (*Movers,* Phoenizier II. 3 p. 303). Duo igitur populi Dedan videntur distinguendi esse, alter cushiticus a Dedan filio Regma oriundus et in litore insulisque maris Persici habitans, alter populus Arabiae septemtrionalis a Iecsan filio Ceturae oriundus, Idumaeis vicinus et illis Arabibus ceturaeis adnumerandus, qui partem Arabiae spectantem inter septemtrionem et occidentem incolebant; de metropoli huius populi ceturaei notant Eusebius et S. Hieronymus: Δαιδάν, Dedan in regione Idumaea..... 4 mil. pass. a Φανᾶ, a metallo Faeno contra aquilonem (Onom. *ed. Lag.* 251, 86; 116,26); Faeno autem i. e. Phunon Num. 32,41 non multum aberat a Petra septemtrionem versus.

Non desunt auctores, qui putent in omnibus locis biblicis supra citatis unum eundemque populum Dedan intellegendum esse, praesertim cum uterque Dedan dicatur frater Saba seu Sabaeorum. Neque improbabile est, si supponamus Dedanitas cushiticos iuxta sinum Persicum sedes fixisse, postea vero Iecsan vel quendam ex eius filiis matrimonio cum Dedanitis cushiticis iunctum novam tribum eiusdem nominis efformasse scil. Dedanitas ceturaeos; his suppositis facile concipitur amborum fines utpote nomadum institorumque more a sinu Persico ad Idumaeam usque patuisse (cf. *Gesenius,* Thesaurus p. 322).

DAEMONES, DAEMONIA (οἱ δαίμονες, τὰ δαιμόνια) sunt mali spiritus, qui ob rebellionem contra Deum visione beatifica, ad quam destinati erant, privati et in supplicium aeternum deiecti sunt. Etymon vocis δαίμων certo definiri nequit; ex opinione quorundam derivandum est a verbo δάω = docere (δαήμων = doctus, peritus), ex aliorum opinione a verbo δαίω = dividere, distribuere, ita ut daemon, daemonium sit distributor sortium humanarum seu divinitas quaedam. Apud scriptores classicos ea vox deos tum bonos tum malos designat et etiam Act. 17,18 de diis gentilium adhibetur. In libro Tobiae malus ille spiritus Asmodaeus daemonium vocatur et remedia indicantur, quibus daemonium (Vulgata 6,8: omne genus daemoniorum) pellatur (3,8; 6,8 s.; 8,3; 12,3. 14). In Novo Testamento mali spiritus passim daemones, daemonia appellantur.

Speciali nomine Satan (שָׂטָן i. e. adversarius a verbo שָׂטַן = adversari) in Vetere Testamento effertur iste, qui in rebellione contra Deum primas partes egerat (1 Par. 21,1; Iob 1,6. 9. 12; 2,1. 2. 3. 4. 6. 7; Zach. 3,1. 2); in Vulgata omnibus his locis legitur Satan, apud LXX ὁ διάβολος. Aliis quoque locis, ubi שָׂטָן nomen appellativum est et adversarium quendam significat, Vulgata retinet Satan (2 Reg. 19,22; 3 Reg. 5,4), sed 3 Reg. 11,14. 23 recte vertit: adversarium, dum LXX 11,14

Σατάν habent. In Novo Testamento Σατανᾶς, Satanas passim principem daemoniorum designat, sed etiam ad daemones inferiores refertur : si Satanas Satanam eiicit (Matth. 12,26; cf. Marc. 3,23); semel tantum appellativam significationem adversarii induit : recede post me Satana (Matth. 16,23; cf. Marc. 8,33).

Aliud nomen biblicum principis daemoniorum est ὁ διάβολος, diabolus (a verbo διαβάλλω = calumniari, insidiari, falso accusare in iudicio). Apud LXX praeter locos supra citatos solum Sap. 2,24 spiritus malus hac voce designatur, alias autem adversarius quidam. In Novo Testamento ὁ διάβολος plerumque idem est ac Satanas et tribus tantum locis (1 Tim. 3,11; 2 Tim. 3,3; Tit. 2,3) sensum appellativum habet, quem Vulgata exprimit.

Quoad alia nomina daemonum v. ABADDON, ASMODAEUS, BEELZEBUB, BELIAL.

Daemones exsistere et agere iam in Vetere Test. clare et immediate significatur. Id statim ab initio historiae generis humani Gen. 3,1 ss. manifestum est. Serpentem non qua serpentem ad Evam loqui, ex ipso textu facile patet. Etenim s. auctor in ipsa narratione creationis maximum discrimen inter animalia et hominem statuit neque animalia ratione et lingua praedita sibi finxit. Praeterea repetitis vicibus inculcavit omnia creata esse bona, unde malitia ac perversitas, quae ex serpente loquitur, non potest ipsi serpenti adscribi, etsi hic ratione praeditus esse supponeretur. Quare legentes ex ipsa narratione concludere poterant ac debebant serpentem nonnisi instrumentum esse alterius cuiusdam inimici calliditate, perversitate, odio in Deum et homines instructi et armati. Corroboratur haec conclusio aliis locis tum Veteris tum praesertim Novi Testamenti (Sap. 2,24; Ioan. 8,44; Hebr. 2,14; Apoc. 12,9; 20,2). Etiam clades futura diabolo et semini eius i. e. reliquis daemonibus et omnibus diaboli adiutoribus iam Gen. 3,15 annuntiatur (cf. Ioan. 12,31; Rom. 16,20 graece).

In libro Iob (1,6 ss. 2,1 ss.) Satan ipso nomine primum inducitur et accusatorem invidum, inimicum ulciscendi cupidum, adversarium subdolum se prodit. In reliquis libris Veteris Test. Satan bis tantum nominatim commemoratur. Permissione Dei, qui in Israel iratus erat (cf. 2 Reg. 24,1), Satan concitavit Davidem, ut numeraret Israel (1 Par. 21,1). Zacharias propheta (3,1 ss.) in visione contemplatur sacerdotem magnum Iesum (Iosue; cf. Esdr. 3,2) stantem coram Domino vel coram angelo personam Domini ducis ac rectoris populi gerente et Satan adversarium a dextris ipsius sacerdotis magni, ut prohibeat, insidietur, noceat; sed increpatio Domini restrictio potestatis diaboli est (*Albertus Magnus*). — In visione, quam vidit Michaeas, filius Iemla, propheta samaritanus (3 Reg. 22,19 ss. 2 Par. 18,18 ss.) diabolus, licet non nominetur, verissime ut spiritus mendax describitur; tota enim illa visio firmissimam Israelitarum persuasionem supponit esse malos spiritus, qui Deo permittente mores hominum pervertere et mala excitare studeant. Quantopere hominibus nocere cupiant daemones et tamen sine Dei permissione ne corpori quidem hominis quidquam mali inferre possint, declaratur iis, quae liber Tobiae de daemonio Asmodaeo narrat (3,8; 6, 8 s.; 8,3; 12,3. 14 et v. ASMODAEUS).

Praeter locos citatos Veteris Testamenti, qui clare et immediate de daemonibus agunt, sunt nonnulli alii, qui saepius per errorem ad daemones referuntur, quamquam aut nullo modo aut solum positis quibusdam restrictionibus de diabolo vel angelis eius intellegendi sunt. Celebrem quaestionem de Azazel, cui die expiationis caper emissarius mittebatur (Lev. 16,8. 10. 26 hebr.) vide s. v. CAPER EMISSARIUS. Spiritus malus, qui Saulem exagitabat (1 Reg. 16,14 s.; 18,10; 19,9) censetur esse melancholia, quae utique a diabolo tentatore vel provocata vel aucta esse poterat. Maledictio in diabolum Eccli. 21,30 probabilissime est maledictio in adversarium quendam, non in diabolum. Apud Is. 13,21; 34,14; Bar. 4,35 non daemones silvestres et campestres in desertis locis circumvagari dicuntur, sed

species atque umbrae ex opinione populari ibidem habitantes. Militiam caeli in excelso Is. 24,21 nonnulli interpretes daemonia intellegunt, saltem indirecte. Sensu accommodato duo illi loci notissimi Is. 14,12 ss. et Ezech. 28,2 ss. ad superbiam angelorum rebellium a concionatoribus frequenter referuntur; accommodatio aptissima est, sed sensu litterali prior locus ad regem Babylonis, alter ad regem Tyri directe refertur. Compluribus denique locis Vulgatae (et plerumque etiam LXX) diabolus vel daemones nominantur, dum textus hebraicus eorum aut nullam mentionem facit (3 Reg. 21,13; Ps. 90 [91],6; 108 [109],6; Hab. 3,5; 1 Mach. 1,38 graece 36) aut indirectam tantum, quatenus de idolis gentilium agit (Lev. 17,7; Deut. 32,17; 2 Par. 11,15; Ps. 95[96],5; 105 [106].37; Bar. 4,7). Idola enim gentilium in LXX et Vulgata Ps. 95,5 dicuntur daemonia (hebr. vanitates), non quasi in idolis ipsis daemones praesentes fuerint, sed quia sacrificia idolis oblata, revera in daemonum honorem cedebant iisque offerebantur, ut ex 1 Cor. 10,20 elucet.

In libris Novi Test. eadem doctrina, quae in libris Veteris Test. de daemonibus tradita est, pluribus explicatur.

Quid diabolus contra regnum Dei moliatur, per modum compendii ipso nomine continetur, quo simpliciter audit ὁ πονηρός, malus, nequam, nequissimus, malignus (Matth. 13,19. 38; Eph. 6,16; 1 Ioan. 2,13; 5,18). Imprimis adversarium Christi Domini se prodit. Tentator ad eum accedit, quem filium Dei esse suspicatur et a voluntate Dei sequenda avertere studet (Matth. 4,1 ss. Marc. 1,12 ss. Luc. 4,1 ss.); in energumenis Christo obviam factus victorem agnoscit eiusque indignationem ac potentiam deprecatur (v. DAEMONIACI); quem verum filium Dei esse certis testimoniis cognovit (Marc. 1,24. 34; Luc. 4,34. 41), odio Dei impulsus usque ad mortem crucis persequitur, Iudae Iscariotae consilium proditionis suggerit (Ioan. 13,2; cf. 6,71) et in Iudam introivit, ut eum plenius possideret et ad perpetrandum facinus scelestissimum perduceret (Luc. 22,3; Ioan. 13,27; cf. Luc. 22,53). Quid contra Ecclesiam Christi machinetur, declaratur parabolis seminantis et zizaniorum (Matth. 13, 19. 25. 39; Marc. 4,15; Luc. 8,12). Ab initio peccans diabolus peccatum adducere conatur (1 Ioan. 3,8). Sicut ad ipsum Christum tentator accedere ausus est, ita eos, qui Christi sunt, aggreditur (Act. 5,3) idque agit magna cum astutia (1 Cor. 7,5; 2 Cor. 2,11; 1 Thess. 3,5; 1 Tim. 3,6. 7; 6,9; 2 Tim. 2,26), sese quoque transfigurans in angelum lucis (2 Cor. 11,14), promovens errores, doctrinas falsas (1 Tim. 4,1), iterato tentans maiore vehementia, licet antea repulsus sit (Matth. 12,43-45; Luc. 11,24-26). Rabie saevissima illos aggreditur, qui ad salutem animarum procurandam vocati sunt (Luc. 22,31; 2 Cor. 12,7; 1 Thess. 2,18). In ipsa denique hominum corpora ingrediens potestatem adeo extraordinariam exercet, ut homines quasi inhabitet atque possideat (v. DAEMONIACI).

Regno Dei diabolus ex adverso opponitur ut princeps huius mundi (Ioan. 12, 31; 14,30; 16,11), qui se mundi dominum ac deum adorandum gerit (Matth. 4,9; Luc. 4,6) et potestatem suam in tenebris idololatriae manifestat (Act. 26, 18; Col. 1,13). Unde etiam vocatur deus huius saeculi (2 Cor. 4,4), princeps potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae (Eph. 2,2).

Regnum autem Satanae per Christum iam funditus deletum est (Luc. 10,18; Ioan. 12,31; 14,30; 16,11; 1 Ioan. 3,8); per mortem suam Christus destruxit eum, qui habebat mortis imperium i. e. diabolum (Hebr. 2,14) et liberavit eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti (Hebr. 2,15; cf. Col. 2,14.15). Clades igitur Satanae cruce Christi obsignata et sancita est, sed usque ad consummationem huius saeculi nobis cum hoste maligno colluctandum est. Exhortantur nos ad pugnam ipsi principes apostolorum (1 Petr. 5,8. 9, Eph. 6,11. 12), cui exhortationi statim accedit promissio virtutis supernaturalis, qua singuli hostem vincere valent (Eph. 6,16; 2 Cor. 12,7-9; Rom. 16,20 graece; Iac. 4,7; 1 Ioan. 5,18).

Neque tamen diabolus successu quo-

dam caret. Iam tempore Christi non deerant, qui ex patre diabolo essent et opera eius facerent (Ioan. 8,41. 44); eorum exempla secuti sunt in ecclesia primitiva Corinthius ille incestuosus et duo apostatae Hymenaeus et Alexander, qui sententia excommunicationis Satanae traditi i. e. in regnum Satanae eiecti sunt (1 Cor. 5,5; 1 Tim. 1,20). Vicissitudines pugnae inter Satanam et ecclesiam Christi describuntur Apoc. 2,9. 10. 13; 3,9; 9,1-11; 12,3 ss.; 16,13. 14. Clades autem Satanae completa a consummatione huius saeculi initium sumet ac perpetuo durabit (2 Thess. 2,3 ss.; Apoc. 19,20; 20,1 ss.; cf. 1 Cor. 6,3). Atque ita totum genus humanum usque ad diem iudicii in duo regna divisum est, quorum alterum filios lucis, filios Dei, alterum filios tenebrarum, filios diaboli complectitur (Act. 26,18; Eph. 5,8; Col. 1,13; 1 Thess. 5,5; 1 Ioan. 3, 10); nulla enim est participatio inter iustitiam et iniquitatem, inter lucem et tenebras, inter Christum et Belial (2 Cor. 6,14. 15).

Interna quoque regni Satanae constitutio in libris Novi Test. adumbratur. Diabolo, qui ab initio peccat (1 Ioan. 3,8), et angelis eius ignis aeternus paratus est (Matth. 25,41). Angelis peccantibus non pepercit Deus, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservari (2 Petr. 2,4); in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservati sunt (Iudas 6). Usque ad diem iudicii autem colluctatio nobis est adversus principem potestatis aëris (huius), contra spiritualia nequitiae in caelestibus (Eph. 2,2; 6,12); adversarius diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret (1 Petr. 5,8). Sed post diem iudicii omnes daemones in inferno perpetuo conclusi manebunt. Quaerentibus quonam peccato ex Dei gratia exciderint, S. Iudas (v. 6) solum dicit angelos illos non servasse suum principatum (τὴν ἀρχήν), sed dereliquisse suum domicilium; cum praeterea dicatur Eccli. 10, 15 : « initium omnis peccati est superbia » et ex natura spirituali donisque praecellentibus enasci superbiam valde sit probabile, communiter censent angelorum peccatum fuisse superbiam.

Multos angelos peccasse utique patet ex responsione daemonis : Legio mihi nomen est, quia multi sumus (Marc. 5,9; cf. Luc. 8,30). Sed audacius est asserere tertiam partem omnium angelorum cecidisse, cum dicatur Apoc. 12,4 : « et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum caeli et misit eos in terram »; eo enim loco non describitur lapsus angelorum neque opus est assumere imagine illa proelii caelestis inter Michaelem et draconem (Apoc. 12,7 ss.), quae tempus futurum adumbrat, etiam delineari eventum quendam olim transactum vel imaginem eventus futuri deprom i ex re antea gesta. Unde satius est nos de numero malorum spirituum ignorantiam nostram fateri.

Illud vero certo affirmari potest, in angelis quoque peccatoribus aliquem quasi ordinem dignitatis reperiri. Calumnia pharisaeorum Christum ope Beelzebub principis daemoniorum eiicere daemonia (Matth. 12,24; Luc. 11,15) inter ipsos daemones unum velut principem eminere supponit et aliis quoque locis Novi Test. omnino suadetur inter daemones varios esse gradus malitiae ac potestatis (Matth. 12,45; 17,20; 25, 41; 1 Cor. 15,24; Eph. 6,12; Apoc. 12, 7. 9 et etiam Marc. 5,9). Regnum igitur Satanae (Matth. 12,26) ex una parte ordinem quendam membrorum exhibet ob diversitatem virium naturalium et malitiae obduratae in singulis daemonibus, ex altera parte unionem quandam ex communi omnium odio in Deum eiusque regnum et ex mutua oppressione, qua fortiores quique iugum servitutis aliis imponere conantur. Toti autem regno praeest Satanas, ὁ ἰσχυρός, fortis iste (Matth. 12,29) non titulo iuris, sed quia ipse viribus naturalibus, astutia, violentia reliquos daemones superat et in servitutem indignissimam redigit.

DAEMONIA (Is. 34,14) v. DRACO 5.

DAEMONIACI seu a daemonio vexati, daemonia habentes (δαιμονιζόμενοι, δαιμονισθέντες, δαιμόνια ἔχοντες).

Quod S. Iacobus dicit : « Daemones credunt et contremiscunt » (Iac. 2,19), ad oculum cernitur, quotiescunque Christus

daemoniacis obviam factus est. Homines tentare ordinarium est quod daemonibus a Deo conceditur; homines autem possidere, corpora eorum ingredi, membris eorum uti et quae vires humanas superant, efficere, homines possessos variis modis vexare atque torquere, modo quodam extraordinario daemonibus a Deo permittitur ad fines sanctissimos sapientiae ac providentiae divinae idque etiam sine ulla culpa hominis, quem daemon possidet.

Daemones revera quandoque in corpora hominum ingredi et ibi quasi habitare ex Christi eiusque discipulorum verbis ac modo agendi efficitur certissimum. Daemon in hominem ingreditur, ab eo exit, eiicitur. Interdum complures daemones simul unum hominem possident; Maria Magdalena a septem daemoniis liberata est (Marc. 16,9); daemoniacus in regione Gerasenorum tot daemones in se habebat, ut ipsi nomen legionis sibi imponerent (Marc. 5,9; Luc. 8,30). Quantopere hoc domicilium daemonibus arrideat, facile apparet ex illa descriptione apud Matth. 12,43 s. (cf. Luc. 11,24 s.), quae ad possessionem diabolicam alludens obdurationem infidelitatis ob oculos ponit : « Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quaerens requiem et non invenit. Tunc dicit : Revertar in domum meam, unde exivi » etc.

Possessionem varii morbi consequuntur, ut furor et insania (Matth. 8,28; Marc. 5,2-5; Luc. 8,27. 29) vel privatio linguae (Matt. 9,32), caecitas ac privatio linguae (Matth. 12,22; cf. Luc. 11,14), surditas (Matth. 9,24), contractio ac distortio membrorum (Luc. 13,11. 16). Interdum in daemoniacis ea cernuntur fieri, quae epilepsiae peculiaria sunt (Matth. 17,16 s. Marc. 9,13 s. Luc. 9, 37 s. et similia narrantur Marc. 1,23-28; Luc. 4,33-37). Huc etiam spectat, quod daemon lingua daemoniaci utitur, ita ut hic loquatur, acsi ipse daemon esset. Daemones coram Iesu lamentabili voce fatentur se Iesum agnovisse filium Dei Altissimi et timorem iudicii sibi instantis aperte pandunt (Matth. 8,29; Marc. 1,24. 34; 3,11. 12; 5,7; Luc. 4,34. 41; 8,28); simile testimonium Philippis in Macedonia S. Paulo et Silae socio eius dedit puella spiritum pythonem habens (Act. 16,16-18).

Christus daemoniacos sanat daemones eiiciendo; testimonium daemonum, quo eum Messiam et filium Dei profitentur, repudiat (Marc. 1,25. 34; 3,12; Luc. 4,35. 41; cf. Act. 16,14); simul palam declarat se in Spiritu Dei (Matth. 12,28), in digito Dei (Luc. 11,20) eiicere daemonia, quo calumnias Iudaeorum se in Beelzebub principe daemoniorum eiicere daemonia (Matth. 9,34; 12,24. 27; Marc. 3,22; Luc. 11,15. 19) refellat. Exorcismus, quo utitur, est verbum imperans (Matth. 8,16); filiam Syrophoenissae a daemonio liberat matri asseverans illud exiisse (Matth. 15,28; Marc. 7,29. 30). Ex modo, quo daemones in regione Gerasenorum expelluntur (Matth. 8,28 s. Marc. 3,1 s. Luc. 8,26 s.), quam maxime elucet, quaenam sit daemonum malignitas, vilitas, impotentia.

Ex eadem divina sua potestate, qua Christus ipse daemones eiecit, apostolis quoque (Matth. 10,1; Marc. 3,15; 6,7; Luc. 9,1) necnon septuaginta duobus discipulis (Luc. 10,17 s.) potestatem eiiciendi daemonia communicavit eandemque omnibus promisit, qui in ipsum crederent (Marc. 16,17). Apostolos et discipulos hac potestate frequenter usos esse discimus in Act. 5,16; 8,7; 19,12. Attamen eorum exorcismi non infallibiliter cum effectu coniuncti sunt, cuius rei causas ipse Christus assignat, primam : « o generatio incredula..... propter incredulitatem vestram » (Matth. 17, 16. 19; Marc. 9,18. 22; Luc. 9,41), alteram : « hoc genus (daemoniorum) non eiicitur nisi per orationem et ieiunium » (Matth. 17,20; Marc. 9,28).

Tempore Christi erant etiam inter Iudaeos exorcistae, qui daemonia eiiciebant. Cum discipuli Christo indicarent alium quendam, qui non erat discipulus, in nomine Iesu eiicere daemonia, Christus eum non prohibet, sed potius velut fautorem et adiutorem suum commendat (Marc. 9,37 s.; Luc. 9,49. 50). Ex verbis quoque Christi : si ego in Beelzebub eiicio daemonia, filii vestri (i. e. discipuli vestri) in quo eiiciunt? (Matth. 12,27; Luc. 11,19) concludere licet quan-

doque saltem exorcistas Iudaeorum in nomine Dei eiecisse daemonia. Ceterum quam firmiter Iudaei persuasum habuerint esse possessiones vere diabolicas, inde etiam colligitur, quod Ioannis Baptistae severas animadversiones exosas habentes eius vitae rationem ad daemonem auctorem referebant (Matth. 11,18; Luc. 7,33). De circumeuntibus Iudaeis exorcistis, quorum mentio fit Act. 19,13. 14 vide s. v. EXORCISTA.

Eiusmodi possessiones diabolicas tempore Christi fuisse frequentiores sapienti Dei consilio permissum est. Nam frequenti daemonum eiectione eaque facillime verbo nutuque voluntatis facta ad oculum demonstratur Iesum esse illum, qui serpentis caput contriturus sit, et inde cognosci poterat, quod Iesus pharisaeos monet : pervenit in vos regnum Dei (Matth. 12,28; Luc. 11,20). Praeterea dici potest daemones, cum Iesum cernerent causam Dei promoventem, maximos quos potuerunt exercuisse conatus ad ditionem et dominationem suam retinendam. Illud vero ex frequenti daemonum eiectione quam maxime elucet, quantum beneficium nobis Dominus noster et Salvator Iesus Christus contulerit, qui principem huius mundi foras eiecit et iugo servitutis ablato nos libertate filiorum Dei donavit.

Cf. *Dav. Leistle*, Die Besessenheit mit besonderer Berücksichtigung der hl. Väter, Dillingen 1887.

DAGON (דָּגוֹן, Δαγών). Erat idolum Philisthaeorum (Iud. 16,23; 1 Reg. 5,2 ss.; 1 Par. 10,10; 1 Mach. 10,84; 11,4), sicut ait S. Hieronymus (ad Is. 46,1) : Dagon est idolum Ascalonis, Gazae et reliquarum urbium Philisthinorum. Victoriam de Samson Philisthaei attribuerunt Dagon; at Samson concussis columnis moriens tria millia domo ruente interfecit (Iud. 16,23-30) in urbe Gaza. Cum arca Domini a Philisthaeis capta Azotum in templum Dagon esset translata et iuxta Dagon posita, sequenti die idolum repertum est iacens pronum ante arcam. Restituerunt idolum in locum suum. Verum altera die idolum iterum iacuit in terra coram arca mutilatum, nam caput et duae palmae manuum abscissae erant super limen. Propterea ingredientes templum Dagon non calcabant limen (1 Reg. 5,2-5). Caput Saul affixerunt in templo Dagon. Etiam tempore Machabaeorum Azoti erat templum Dagon (1 Mach. 10,84 ; 11, 4; et quod legitur 1 Mach. 10,83 : et intraverunt in Bethdagon idolum suum, explica : in domum seu templum Dagon). De urbe Bethdagon vide s. v., ex quo nomine patet cultum Dagon apud Chananaeos quoque usurpatum esse. Apud Phoenices pariter Dagon in honore fuisse ex fragmentis Philonis Byblii patet (cf. *Müller*, Fragmenta Hist. Gr. III. 2,14. 16. 20 p. 567. 568. 569). Quod aliqui putarunt in inscriptione Eshmunazar Dor et Ioppe vocari terras Dagon, dubium valde est; alii enim malunt legere et interpretari terras frumenti (דגן). Idolum illud apud Assyrios quoque et Babylonios notum erat, apud quos Dakan, Dagan, Beldagan saepius legitur (cf. *Schrader-Whitehouse*).

De significatione nominis Philo Byblius affert : Δαγὼν ὅς ἐστι Σῖτων (l. c.), et Δαγὼν ἐπειδὴ εὗρε σῖτον καὶ ἄροτρον ἐκλήθη Ζεὺς Ἀρότριος. Unde Dagon frumentum et aratrum invenisse dicit. Communis tamen explicatio est a voce דג piscis, ut deus pisciformis significetur. Cui acceptioni imaginibus quoque in nummis suffragium fertur; nam repraesentatur apud Phoenices deus quidam piscem dextera tenens; apud Assyrios haud raro apparet figura in superiore parte usque ad lumbos humana et inde desinens in piscem. Ad quam explicationem recentiores aliqui, uti *Wellhausen*, etiam pertinere dicunt 1 Sam. 5,5 quem textum legendum esse aiunt רק דגו נשאר עליו solum piscis eius remanserat in eo, ubi Vulgata : Dagon solus truncus remanserat (cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in libr. Sam. p. 73). Negat quidem *Schrader* vocem derivari posse a דג piscis, deprehendit potius in Dagan typum accadicum, nihilominus deum pisciformem agnoscendum esse putat.

Cf. *P. Schotz*, Goetzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebräern 1877, p. 238 ss.; *Movers*, Phoenizier I. 143 ss.; *Stark*, Gaza und die philistaeische Küste 1852 p. 248.331 ss.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. 170; *Vigou-*

roux, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 III. 226-229; *M.-J. Lagrange*, Religions sémit. 1903 p. 131.

DALAIA, DALAIAS (דְּלָיָה, דְּלָיָהוּ; Δαλααΐα, Δαλαΐα, Δαλαίας).

1. Sextus filius Elioenai ex posteris Zorobabel (1 Par. 3,24).

2. Princeps vicesimae tertiae classis sacerdotalis tempore Davidis (1 Par. 24, 18; Vulgata : Dalaiau, LXX Ἀδαλλαί).

3. Filii Dalaia cuiusdam, qui cum Zorobabel ex exsilio redierunt, originem suam israeliticam ex genealogiis demonstrare non poterant (Esdr. 2,60; Neh. 7,62).

4. Pater Semaiae tempore Nehemiae (Neh. 6,10).

5. Dalaias filius Semeiae, unus ex principibus, qui regem Ioakim rogarunt, ne volumen oraculorum Ieremiae combureret (Ier. 36,12. 25).

DALAIAU v. DALAIA 2.

DALILA (דְּלִילָה, Δαλιδά), mulier, quae in valle Sorec habitabat et a Samsone amata secretum roboris ei extorsit eumque Philisthaeis pro 5500 siclis argenti tradidit (Iud. 16,4-20). In ipso textu non explicite indicatur, utrum fuerit Hebraea an Philisthaea, utrum uxor Samsonis an meretrix. Quidquid dixeris, non desunt auctores, qui tecum sentiant. Sed vix dubium est, quin fuerit meretrix Philisthaea. « Sane fiducia qua Philisthaeorum reguli eam mulierem adeunt, Philisthaeam prodit, uti et modus despectum et odium redolens, quo eadem v. 19 cum Samson agit. Praeterea..... non tam fidenter principes adiissent uxorem. Non tam facile in uxoris domo iterum atque iterum latuissent Philisthaeorum haud pauci » (*F. de Hummelauer* in h. l.).

DALMANUTHA v. MAGEDAN.

DALMATIA (Δαλματία), regio montana in orientali litore maris Adriatici, quae inde ab anno 9 p. Chr. seu finitis bellis ab Octaviano Augusto et Tiberio ibidem gestis erat pars provinciae romanae, quam Illyricum vocant. Illuc Titus S. Pauli discipulus abierat ad praedicandum Evangelium (2 Tim. 4,10). Ipsum S. Paulum non procul a Dalmatia Evangelium annuntiasse colligitur ex Rom. 15,19.

Cf. *Marquardt*, Roemische Staatsverwaltung *ed.* 2 I. 299 ss.; *H. Cons*, La province romaine de Dalmatie, Paris 1882.

DAMARIS (Δάμαρις) mulier, quae cum Dionysio Areopagita et aliis a S. Paulo Athenis conversa est (Act. 17,34). Nonnulli cum S. Ambrosio (Ep. ad Vercell.) et S. Chrysostomo (De sacerd. 4,7 eam Dionysii Areopagitae uxorem esse opinati sunt; quod ipso textu potius excluditur, quam suadetur. Ecclesia graeca eius festum celebrat die 4. octobris (Acta Sanctorum, Oct. IV. 697 s. 771 s.).

DAMASCUS. 1. *Nomen.* Damascus hebraice plerumque דַּמֶּשֶׂק vocatur, in libris Paralipomenon דַּרְמֶשֶׂק (1 Par. 18,5 s.; 2 Par. 16,2; 24,23; 28,5. 23). uti in lingua syriaca דַּרְמָסוּק (*Payne Smith* Thes. 953; cf. 920); semel in hebr. דּוּמֶשֶׂק occurrit (4 Reg. 16,10), ubi tamen alii libri דַּמֶּשֶׂק legunt (v. *D. Ginsburg* not. in h. l.) et alii ו ex ר superscripto fluxisse putant; sed cf. syr. דּוּמְשָׁתָא *Payne Smith* 841. Graece ut plurimum forma Δαμασκός legitur (Act. 9,2. 8 etc.); pro nomine regionis occurrit ἡ Δαμασκηνή (Iudith 1,12; Vulg. v. 7 Damascus), quae in hebraeo אֲרַם דַּמֶּשֶׂק Syria Damasci (2 Reg. 8,5 s.; 1 Par. 18, 5 s. hebr.), vel simpliciter אֲרָם Syria (3 Reg. 11,25; 15,18 etc.) appellatur. Idem cum hebraico nomen etiam in lingua assyriaca (*Dimashqi*, *Dimashqa*, *Dimmashqa*) et aegyptiaca (*Timasqu*, *Tiramaski*) habetur; regio vero in textibus cuneiformibus plerumque *mat* (*sha-*) *imērishu* audit, quod proprie *terram asinorum eius* significat. Hodie urbs *Dimishq el-Shām* vel simpliciter *el-Shām*, regio vero damascena *Ghūta* s. vallis fertilis vocatur. — De Gen. 15,2 v. Comment. *Fr. de Hummelauer*, *A. Dillmann* etc.

Cf. *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 452-6; *W. Gesenius*, Thes. 345 s.; *Eb. Schrader*, Keilinschr. u. Gesch. 6 s., *id.* Keilinschr. u. A. T. *ed.* 2. 138 s.; *Frd. Delitzsch*, Paradies 280 s.; *P. Haupt* in Ztschr. f. Ass. II. 1887, 321 s.; cf. ib. 452 s.; *A. Löwy* in Proc. Soc. Bibl. Arch. XI. 1889, 237; *W. M. Müller*, Asien u. Europa nach

altaeg. Denkmälern 162. 234 s.; *G. Kampffmeyer* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893, 36 s.

2. *Descriptio.* Urbs Damascus ad radices Antilibani sita est in altitudine 691 metrorum super mare Mediterraneum; eius situs determinatur gradu 33° 30′ latit. bor. et 36° 18′ longit. orient. Circumdatur planitie magna et amoena, quam montes Hermonis et Antilibani versus occidentem et septemtrionem (cf. Cant. 7,4), minor mons *Djebel el-Māniʿa* dictus in parte australi, lacus seu paludes *Bahrāt el-ʿAteibe* in oriente circumscribunt. Pluribus fluviis irrigatur, quorum praecipuus est *Nahr Baradā* (i. e. frigidus) ex Antilibano descendens et variis canalibus divisus planitiem totam percurrens; alter fluvius *Nahr el-Aʿwadj* ex Hermone oriundus per australem planitiei partem ad lacum *Bahr el-Hidjāne* defertur. Probabiliter isti erant « Abana et Pharphar, fluvii Damasci », quos meliores omnibus aquis Israel praedicat Naaman princeps militiae regis Syriae (4 Reg. 5,12), quamvis nomen Pharphar hodie tertio fluvio minori *Nahr Barbar* inhaereat (v. ABANA, PHARPHAR). — Ager aquis illis irriguus fertilitate magna celeber est et quasi paradisus floridus urbem circumdat, quae praesertim ab orientalibus pulchra prae ceteris oppidis totiusque orientis oculus praeclarus praedicatur, ac merito « civitas laudabilis (hebr. civitas gloriae), urbs laetitiae » a propheta dicitur (Ier. 49,25). Hortorum illorum iam Salmanassar II., Assyriae rex, meminit (859-825 a. Chr.), cum se paradisos Damasci in oppugnatione urbis excidisse refert (fragm. Annal. l. 16). — Urbs tota moenibus olim (Act. 9,25; 2 Cor. 11,33) sicut et hodie, circumdata erat. Magnum in ea templum Dei Remmon memoratur (4 Reg. 5,18), cuius fundamenta fortasse etiam nunc in muris templi maximi damasceni supersunt. Tempore S. Pauli « vicus rectus » in urbe exsistebat, in quo domus Iudae ac probabiliter etiam habitationes aliorum Iudaeorum sitae erant (Act. 9, 11); qui etiam hodie urbem fere mediam usque ad portam orientalem (*Bāb el-Sherqi*), iuxta partem civitatis a Iudaeis occupatam, percurrens eodem nomine appellatur (*Derb el-Mustaqīm*). Ostenduntur praeterea domus Ananiae et Iudae, ac vel ipsa domus Naaman Syri, locus etiam, in quo S. Paulus per murum demissus traditur, atque extra moenia in coemeterio locus conversionis eius, aliaeque insuper piae memoriae : quae sane vix omnia satis firmo fundamento historico nituntur. Certe locus conversionis Apostoli secundum antiquiorem traditionem non in coemeterio prope urbem, sed secus viam, quae Damasco in Galilaeam et Ierusalem ducit, probabiliter prope pagum *Kōkāb* quaerendus est, ubi collis vicinus etiam nunc » collis S. Pauli » (*Tell Mār-Būlos*) appellatur atque ruinae ecclesiae antiquae adhuc apparent.

Cf. *U. J. Seetzen*, Reisen *ed. Fr. Kruse* I. 29-34. 133-40. 264-85. 291-312; item aliae itinerum palaest. descript.; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. I. 2,284-9. 317 s.; *C. Ritter*, Erdkunde XVII. 2, 1272-1428; *Kremer*, Topogr. v. Damaskus in Phil.-hist. Denkschr. Wien. Akad., B. V. u. VI. 1854-55; *R. Porter*, Five years in Damascus, 2 voll., London 1855 (*ed.* 2 ib. 1870); *E. Robinson*, Neuere bibl. Forsch. in Palaest. 578-610; *J. G. Wetzstein* in Ztschr. d. D. Morg. Ges. XI. 1857, 475-525; *J. Sepp*, Jerusalem *ed.* 2, II. 358-85; *J. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2, II. 229-37; *H. Sauvaire*, Description de Damas (ex arab.), in Journ. Asiat. Sér. IX. T. 3-7, 1894-96; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina *ed.* 5, 328-56; *A. C. Dickie* in Quart. Stat. 1897, 269-82; *R. Ph. Spiers* ib. 282-301. — De loco conversionis S. Pauli cf. *Antonini* [Anonymi] *Plac.* Itin., c. 46, *ed. P. Geyer* p. 217; *S. Willibaldi*, Hodoeporicon a Sanct. Heydenh. c. 13., *ed. Tobler-Molinier*, Itinera I. 2, 260; *N. C. Radzivill*, Reyse, Meyntz 1603. 42; Neuer Weltbott *ed. J. Stöcklein*, T. II. pars 13, Augspurg und Grätz 1729, n. 307 p. 87; cf. Stimmen aus M. Laach LIII. 1897. II. 215 s.

3. *Historia.* Damascus primum tempore Abrahae in S. Scriptura commemoratur, qui « usque Hoba, quae est ad laevam Damasci » devictos reges orientales persecutus est (Gen. 14,15). Postea David Syros regionis damascenae (Vulgata : Syriam Damasci) Adarezer regi Soba consociatos, praelio percussos sibi subiecisse atque praesidium in urbe

posuisse legitur (2 Reg. 8,5 s.; 1 Par. 18,5 s.). At regnante Salomone libertatem recuperavit per Razon, filium Eliada, qui Damasci a sociis suis rex constitutus in Syria regnavit (3 Reg. 11,23-25). Successerunt ei Hezion, Tabremon, Benadad I., qui foedere cum Baasa, rege Israel, soluto, Asae, regi Iuda, societate coniunctus est (3 Reg. 15,18-20; 2 Par. 16, 2-4). Sequentes etiam reges Benadad II. (3 Reg. 20,1 ss.; 4 Reg. 8,7 ss.), Hazael (3 Reg. 19,15-17; 4 Reg. 8,7 ss.; 10,32 ss.; 12,17 s.; 13,3 s. 24; Am. 1,3 s.), Benadad III. (4 Reg. 13,3. 24 s.) varia fortuna cum regibus Israel et Iuda dimicarunt. Postquam deinde per aliquot annos Damascus a Ieroboam II., rege Israel, iterum capta et subiecta est (4 Reg. 14,28), sub Rasin primum quidem regem Phacee contra Achaz adiuvit (4 Reg. 15,37; 16,5 s.; Is. 7,1 ss.), mox vero per Theglathphalasar, regem Assyriorum, qui precibus Achaz permotus ascendit, capta atque vastata est, iuxta vaticinium Isaiae et Amos; rege Rasin occiso incolisque in exsilium abductis urbs sub dominio regis Assyriorum remansit neque postea proprium regem habuit (4 Reg. 16,7-9; Is. 7, 4-8; 8,4; 10,9; 17,1-3; Am. 1,3-5, cf. 5,27). — Nihilominus etiam postea « latrunculi Syriae » regnum iudaicum vexarunt (4 Reg. 24,2); unde denuo per Ieremiam et Zachariam Damasco divina ultio annuntiatur (Ier. 49,23-27; Zach. 9,1), ac certe ab hostibus sibi succedentibus, toties Syriam vastantibus, etiam civitas damascena multa perpessa est. — Tempore autem pacis incolae, quorum urbs in via directa inter Mesopotamiam et oram maritimam sita erat, commercio cum Samaria (3 Reg. 20,34), Tyro (Ez. 27,18) aliisque urbibus coniungebantur, quibus praesertim *vinum pingue* de Chelbon, etiam regibus babyloniis acceptissimum (v. gr. *Nabuchodonosor,* Cyl. Grotef. col. 1,23 etc.), et lanam pretiosam (Ez. 27,18) ac pannum damascenum דַּמֶּשֶׂק Am. 3,12; cf. *I. Knabenbauer* in h. l.) afferebant. — Etiam postea in libris sacris mentio civitatis damascenae occurrit (Ez. 47, 16 ss.; 48,1; 1 Mach. 11,62; 12,32), ac tempore S. Pauli autonomiam quamdam sub Areta, Nabataeorum rege, adepta est (2 Cor. 11,32; v. ARETAS 2). Plurimi tunc in illa urbe erant Iudaei, ita ut plures ibi haberent synagogas (Act. 9,2. 20; cf. *Flav. Ios.* Bell. iud II. 20,2; VII. 8,7), atque mox etiam ecclesia christiana ibi florebat (Act. 9,2. 10. 13 s. 19. 25 etc.), quae praesertim mirabili S. Pauli Apostoli conversione confortata est.

Plura v. in art. de regibus illis damascenis; cf. *Flav. Ios.*, Ant. I. 6,4; 7,2; VII. 5,2; IX. 4,6; 12,3; XI. 8,3 etc.; *L. Müller,* Ad originem regni damasc. temp. Israelitarum, Lipsiae 1714; *I. C. I. Walch,* Antiquitates damascenae, Iena 1757; *Ch. Addison,* Damascus and Palmyra, 2 voll., London 1838; *Guy le Strange,* Palestine under the Moslems, ib. 1890,224-73; *E. Schürer,* Gesch. d. jüd. Volkes im Zeitalter J. Chr. *ed.* 3, Leipzig 1898, II. 117-20.

L. FONCK.

DAMNA (דַּמְנָה; A Δαμνά, B omitt. nisi forte Σελλά pro Damna haberi potest), urbs tribus Zabulon, levitis de stirpe Merari concessa (Ios. 21,35). Videtur eadem esse quae Remmon Ios. 19,13 seu Remmono 1 Par. 6,77[62]; v. REMMON 2.

DAMULA (melius *dammula*) vocatur a S. Hieronymo bis caprea, hebr. צְבִי dicta (Prov. 6,5; Is. 13,14), quam alias suo nomine appellat; v. CAPREA.

DAN (דָּן, Δάν). **1.** Dan, filius quintus Iacob patriarchae et primus ex Bala ancilla Rachel genitus (Gen. 30,6; 35,25); origo nominis traditur in exclamatione Rachel : Iudicavit mihi (דָּנַנִי *iudicavit me*) Dominus et exaudivit vocem meam dans mihi filium et ideirco appellavit nomen eius Dan (Gen. 30,6) i. e. iudicem vel forte iudicatum a Deo, ut Flavius Ios. (Ant. I. 19,7) explicat : Θεόκριτον ἄν τινες εἴποιεν κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶτταν. Idem lusus verborum habetur in benedictione Iacob : Dan iudicabit populum suum (Gen. 49,16). Dan erat frater Nephthali; praeterea hi duo utpote filii ancillae Rachel maiore quadam ratione cum Ioseph et Beniamin filiis Rachel coniuncti erant. De ipso Dan nihil nobis

traditum est. Unus tantum filius ei attribuitur, qui Gen. 46,23 Husim, Num. 26, 42 Suham nominatur.

2. Dan tribus Israel. Sors tribus Dan circumscribitur Ios. 19,40-46. Territorium tribus Dan erat extensione minimum. Loco citato urbes Dan enumerantur, termini autem non delineantur; sed quia tribui Dan sors ultima assignata est, termini iam alibi sufficienter indicati erant scil. a septemtrione sors Ephraim (Ios. 16,3. 5), ab oriente sors Beniamin (18,4), a meridie sors Iuda (15,9 s.); haec erat pars orientalis, minor et montana. Maior autem pars tribus Dan extendebatur occidentem versus usque ad mare et planitiem occupabat, quae infra Ioppen et Lyddam Sephela, supra Ioppen autem Saron nuncupatur; hanc igitur partem attingunt a meridie Philisthaea, a septemtrione et oriente possessio Ephraim. Urbes Dan, quae maxime orientem spectant, sunt Aialon, Saras (Saraa), Esthaol, Hirsemes (Bethsames); urbes maxime meridianae Accaron et Gethremmon; septemtrionem versus regio circa Ioppen (etsi fortasse non ipsa Ioppe) in finibus Dan comprehendebatur (19,46). Nimium igitur limites Dan extendit Flavius Ios. (Ant. V. 1,22) asserens Danitas totam planitiem occidentalem adeptos esse ab Azoto usque ad Doram sub Carmelo sitam.

Territorium Dan commendatur tum vicinitate tribuum potentissimarum Iuda, Beniamin, Ephraim, tum fertilitate soli; est enim illa regio campestris, qua maior pars Dan constituitur, campus frumentarius et hortus Palaestinae meridionalis (*Stanley,* Sinai and Palestine p. 258).

In historia Israelitarum tribus Dan non multum prominet. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegyptò erat Ahiezer filius Amisaddai (Num. 1, 12). Apud montem Sinai de Dan numerabantur 62 700 viri bello apti (1,38. 39), qui numerus a sola tribu Iuda superatur (1,27), postea in campestribus Moab 64 400 viri bellatores (26,42. 43). De tribu Dan erat Ooliab, qui fuit socius Beseleel in extructione tabernaculi (Ex. 31,6). In castris Danitae cum Aser et Nephthali ab aquilone tabernaculi constituti erant (2,25); iidem in itinere per desertum novissimi gradiebantur (10,25). Oblationes Ahiezer principis Dan in dedicationem altaris Num. 7,66-71 recensentur. Inter duodecim exploratores terrae Chanaan erat de tribu Dan Ammiel filius Gemalli (13,13), inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos Bocci filius Iogli (34,22). Post ingressum in terram promissam Dan cum Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Nephthali maledictionem in monte Hebal pronunciavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,13). Distributione terrae peracta Dan filiis Caath quattuor urbes leviticas tradidit: Eltheco, Gabathon, Aialon, Gethremmon (Ios. 21,23. 24).

Verum planitiem adeo fertilem antiqui habitatores terrae nullo modo Israelitis cedere parati erant. Amorrhaei Danitas e planitie in montem repulerunt i. e. penitus fere ex finibus tribus Dan exclusserunt (Iud. 1,34); immo ne ipsos quidem montes illis integre cesserunt (1,35). Domus quidem Ioseph i. e. Ephraim et Manasse aggravaverunt Amorrhaeos et sibi tributarios fecerunt (1,35), sed ipsam planitiem non recuperarunt; discimus enim ex historia Samsonis Philisthaeos sicuti antea Amorrhaeos istam regionem occupasse, Samsonem ex castris Dan (Mahane Dan) inter Saraa et Esthaol positis in vineas Thamnathae (Thamna, *Tibne*) et in vallem Sorec descendisse atque post certamina illinc in montana ascendisse (Iud. 13,25; 14,1. 5. 19; 16,4. 31). Ex his intelleguntur Iud. 18,1 dicta: usque ad illum diem (tribus Dan) inter ceteras tribus sortem non acceperat. Ex eadem ratione facilius explicatur, cur Danitae monitis Debborae et Barac, ut contra exercitum Sisarae opem ferrent, non obsecundaverint (Iud. 5,17). Finibus igitur angustioribus compressi novas sedes circumspiciebant et in regione Palaestinae maxime septemtrionali civitatem Lais (Lesem) expeditione bellica occuparunt abhinc Dan nuncupatam et celebrem ex notissima illa formula: a Dan usque Bersabee (Iud. 18,1-31); vide DAN 3. Ex 2 Par. 2,14 inferri videtur Danitas istos septemtrionales cum Phoenicibus vicinis matrimonia iniisse. Tempore Davidis adhuc locum suum inter alias tribus occupat Dan (1

Par. 12,35); in enumeratione 1 Par. 27, 22, in qua Aser omittitur, princeps tribus Dan Ezribel commemoratur. Ab hoc tempore nomen Dan non amplius de tribu, sed de sola urbe Lais usurpatur. Omittitur tribus Dan in genealogiis 1 Par. 2-12; ratio fortasse est, quia interierant, praesertim cum magna pars tribus sedes suas reliquerit et novae urbi longe dissitae nomen suum indiderit. Dan etiam omittitur a S. Ioanne in numero signatorum (Apoc. 7,5-8). Praeterea v. symbolicam descriptionem terrae sanctae Ez. 48,1. 2. 32.

Indolem tribus Dan delineat Iacob in prophetia Gen. 49,16-18 : « Dan iudicabit populum suum sicut et alia tribus in Israel (i. e. quamquam ex ancilla progenitus, tamen aliis tribubus nihil cedet in iuribus populi Israel tuendis); fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro (describitur audacia, calliditas, cupido facinorum arduorum, ut manifestatur in expeditione Danitarum contra Lais et in historia Samsonis Danitae praeclarissimi); salutare tuum exspectabo Domine » (tessera bellica Danitarum : solus Deus hisce in proeliis victoriam dabit). Simili modo Moyses Deut. 33,22 effert fortitudinem bellicam Danitarum : « Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan », hebr. prosiliet de Basan i. e. sicut leo ex cavernis montium Basan, ut praedam arripiat.

3. Dan urbs Palaestinae maxime septemtrionalis notissima ex ista formula loquendi : a Dan usque Bersabee (Iud. 20,1; 1 Reg. 3,20; 2. Reg. 3,10; 17,11; 24,2. 15; 3 Reg. 4,25) et viceversa : a Bersabee usque Dan (1 Par. 21,2; 2 Par. 30,5). Nomen urbis primitivum erat Lais (Iud. 18,29) vel Lesem (Ios. 19,47). Eius incolae habitabant securi et quieti iuxta consuetudinem Sidoniorum in regione magnis opibus affluente, cui nomen Rohob, longo tamen itinere a Sidoniis distantes; hanc urbis conditionem diligenter explorati Danitae, cum novas sedes sibi quaererent, urbem repentina incursione captam incendio tradiderunt et rursum exstructam novo nomine Dan appellarunt; in hac urbe Danitae idolum illud, quod in monte Ephraim ex domo Michae vi asportaverant, constituerunt et Ionathan levitam de familia Moysis descendentem, qui ex domo Michae se subducens ipsos secutus fuerat, sibi sacerdotem elegerunt (cf. Iud. 18,1-31). Ab illo igitur Ionathan descendebat familia sacerdotalis a sacerdotio aaronitico distincta. De forma et natura istius idololatriae legi Moysis contrariae nihil certi statui potest. Permanebat autem idolum Michae in Lais-Dan omni tempore quo fuit domus Dei in Silo (18,31), tamdiu scil. quoad Deus repulit tabernaculum Silo (Ps. 77,60), quod factum est arca a Philisthaeis capta; post tempus igitur Samuelis istud idolum non exstitit. De loco difficili 18,30 : « Posuerunt... Ionathan... ac filios eius sacerdotes in tribu Dan usque ad diem captivitatis suae » cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Libros Iudicum et Ruth p. 310-312. Postea Ieroboam I. in Dan vitulum aureum collocavit ac sacerdotes constituit, qui non erant de filiis Levi (3 Reg. 12,29-31; 4 Reg. 10,29; cf. Amos 8,14). Cum aliis urbibus septemtrionalibus Dan a Benadad I. rege Syriae percussa est (3 Reg. 15,20; 2 Par. 16,4); brevi post tamen iterum regno Israel subiecta erat (4 Reg. 10,29; Am. 8,14). Abhinc nulla eius fit mentio.

Sita erat non procul a Libano et minoris Iordanis fontibus (*Flav. Ios.* Ant. V. 3,1), iuxta Paneadem (Onom. *ed. Lag.* 275,36; 136,15). Nunc *Tell el-Qādi* (i. e. collis iudicis) ad fontes *Nahr Leddān,* qui est medius et brevissimus inter tres fluvios, ex quibus Iordanis coalescit.

Ad eandem Lais-Dan a plerisque referuntur Dan Gen. 14,14 et Deut. 34,1 atque Dan silvestria 2 Reg. 24,6. Difficultatem parit duobus locis prioribus usurpatio nominis recentioris Dan, quod nonnisi aetate Iudicum urbi a Danitis impositum esse asseritur. Varia sunt quae ad locos illos recte diiudicandos considerari oportet. Primum quidem concedi potest a iuniore scriptore nomen usitatius Dan substitutum esse antiquiori nomini Lais obsoleto (*Cornely*, Introd. II. 1 p. 91). Alia solutio difficultatis est eorum, qui dubitant, num Dan Gen. 14,14, quousque Abraham persecutus est Chodorlahomor eiusque

socios, sit Lais-Dan; non satis enim explicari videtur, cur Chodorlahomor in Mesopotamiam fugiens per illud oppidum Dan in radicibus montis Hermon ad unum ex Iordanis fontibus situm iter instituerit Damascum versus. Probabilissima denique solutio, quae neque mutationem textus neque aliud oppidum Dan a Lais-Dan diversum statuit, ex 2 Reg. 24,6 petitur. Ioab enim cum censum populi exciperet, ex terra Galaad pervenit in Dan silvestria (דָּנָה יַעַן, Δανιδὰν καὶ Οὐδάν). Iamvero prope urbem Lais Pan deus, quem Phoenices Baal Iaan vel Dan Iaan i. e. dominum vel iudicem Iaan appellabant, celeberrimum possedit fanum, ut colligitur ex nummis Caesareae Philippi, quae prope Lais-Dan sita erat atque in desertae urbis locum successerat (cf. *W. Smith,* The Pentateuch, London 1868 p. 446-454). Minime igitur dubitandum est, quin urbi etiam nomen Dan Iaan fuerit. Unde Danitae cum urbem Lais occupatam hoc altero nomine in memoriam patris sui Dan nominarent, nomen urbis pristinum restituerunt, sed aliam nomini significationem attribuerunt (cf. *Cornely* l. c. et *F. de Hummelauer* ad Gen. 14,14 et ad 2 Reg. 24,6). Quodsi Vulgata 2 Reg. 24,6 vertit : Dan silvestria, ac si legendum esset דָּן יַעַר, hoc nomine apte quidem describitur haec Dan in silvestribus sita, attamen nulla ratio sufficiens cernitur lectionis hebraicae relinquendae neque sufficienter suadetur emendatio דָּן וּבַיְדָן quam *Driver* ad h. l. proponit.

4. Dan (וְדָן) legitur Ez. 27,19 in descriptione commercii Tyriorum cum Arabia; LXX autem nihil de Dan neque de Vedan legerunt. Locus est satis obscurus, cum de genuina lectione non constet. *Movers* (Die Phoenizier II. 3 p. 302) valde probabile censet Vedan urbem commercio celebrem indicari, quae hodie *Aden* vocatur, putat enim secundum Phoenicum pronuntiationem Aden emporium ודן *Uden* vel *Oden* scriptum fuisse pro arabico עדן. *Roediger* (*Gesenius,* Thesaur. Appendix p. 85) nihil quidem probabilius habet quam agi de urbe et emporio Aden, sed apud Ezechielem censet reponendum esse עדן vel ועדן, nisi forte statuas דָּן ortum esse ex עֵדֶן Ayin initiali abiecto. Ceterum animadvertit *Knabenbauer* ad h. l. illud ו in initio non esse coniunctionis particulam et proinde non esse legendum *et Dan,* cum in tota enumeratione a v. 12 nullus versus ab hac particula inchoetur. Alii alia coniiciunt, sed textus mendosus videtur. *Cornill* ad h. l. pro וְדָן וְיָוָן legit וארנבן *et Arnaban* et hoc nomen refert ad sententiam praecedentem, ita ut regio Arnaban ceteroquin ignota indicetur, ex qua Tyrii vinum importaverint; laudatur quidem vinum regionis Arnaban in inscriptione Nabuchodonosor regis, sed emendatio illa utpote audacior et arbitraria admitti nequit.

5. Dan silvestria v. DAN 3. Aliqui putarunt Dan Iaan seu silvestrem fortasse esse locum a Lais-Dan distinctum scil. *Khirbet Danian* ad orientem *Rās el-Nāqūra* seu Scalae Tyriorum (*Schultz, Conder;* cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 152. 174); sed tales coniecturae, quae mera similitudine nominum externa nituntur, nullius momenti sunt.

6. Castra Dan prope Cariathiarim (Iud. 18,12), inter Saraa et Esthaol (Iud. 13,25); vide CARIATHIARIM, SARAA, ESTHAOL.

DANIEL (דָּנִיֵּאל, Δανιήλ). **1.** Filius secundus qui Davidi natus est in Hebron de Abigail Carmelitide (1 Par. 3,1; Δαμνιὴλ, A Δαλουΐα). Idem 2 Reg. 3,3 appellatur Cheleab (v. s. v.).

2. Sacerdos ex familia Ithamar, qui cum Esdra ascendit de Babylone in Ierusalem (Esdr. 8,2). Idem nomen legitur Neh. 10,6 inter signatores foederis.

3. Daniel propheta, cuius laus praeclara iam apud Ezechielem consignata est, cum simul cum Noe et Iob nominetur (Ez. 14,14. 20) et eius sapientia celebretur (28,3); eius pietatem laudat Mathathias moriens (1 Mach. 2,60), eius vaticinium de abominatione desolationis ipse Christus commemorat (Matth. 25,15).

Anno quarto Ioakim regis Iuda post pugnam ad Charcamis factam venit

Nabuchodonosor Ierusalem et abstulit spolia et captivos misit Babylonem. Inter eos erat Daniel. Eum fuisse ex nobiliore familia, iam eo patet quia erat inter pueros qui de semine regio et tyrannorum (Dan. 1,3) eligebantur, ut eruditi sapientia Chaldaeorum tandem munera obirent in palatio regis. Ex genere regio eum fuisse aliqui existimant (*Sanctius, Cornelius a Lapide, Kaulen*); at obstat Dan. 1,6 : fuerunt inter eos de filiis Iuda : Daniel. Insignem legis mosaicae observantiam in aula regia exhibuit, quia et ipse proposuit et tres socios ad idem induxit, ne scil. polluerentur de mensa regis; quare petierunt sibi legumina et aquam. Et cum post decem dies vultus eorum apparerent meliores et corpulentiores prae omnibus pueris qui vescebantur cibo regio, Malasar, qui iis praeerat, facile pio illorum desiderio acquievit. Deus autem his pueris sapientiam, Danieli intellegentiam visionum et somniorum largitus est.

Hanc sapientiam Daniel egregie manifestavit in vindicatione innocentiae Susannae contra calumniam duorum senum, quam narrationem ab initio collocatam habemus secundum Theodotionem. Eo iudicio sapientissime instituto magnus factus est in conspectu populi (Dan. 13,64); mox etiam magnus et illustris factus est in aula regia. Nam quod magi et sapientes praestare nullo modo poterant et quod neminem in terra praestare posse asseruerunt, hoc ipse implorata cum sociis divina protectione praestitit : somnium regi quod habuerat et indicavit et explanavit, somnium illud de statua (Dan. 2). Daniel constitutus est princeps super omnes provincias Babylonis et praefectus magistratuum super omnes sapientes Babylonis (Dan. 2,48). Aliud quoque somnium regis quod ipsius regis conditionem ac per aliquod tempus punitionem spectat, ei exposuit (Dan. 4). Atque regem per aliquod tempus revera insania quadam zoanthropica laborasse et ibidem narratur et eius rei vestigium deprehenditur in fragmento quodam Abydeni de Nabuchodonosor (apud *Eusebium*, Praep. evang. 9,41; *M.* 21,761). Sub Baltassar, filio Nabonidi, quem Nabonidus regiae potestatis participem fecerat, Daniel exponit scripturam quae in pariete apparuerat, cum rex et optimates deos suos laudantes vasa sacra templi Dei profanarent, et regni ruinam praedixit (Dan. 5). Babylon a Persis capta est. Sub Dario Medo (Cyaxare II. filio Astyagis?) Daniel insidiis invidorum impetitus est, qui ei coram rege invidiam creabant eo quod decretum a rege postulabant, quo sancireturne quis per triginta dies quidquam peteret ab ullo deo, nisi a solo rege, ad agnoscendam scil. eius dignitatem. Verum Daniel, qui a rege constitutus erat cum duobus aliis principibus super satrapas centum viginti, non omisit ter in die apertis contra Ierusalem fenestris preces fundere ad Deum. Quare denuntiatus poenam decretam subiit; missus est in lacum leonum; sed incolumis sequenti mane a rege repertus est (Dan. 6).

Etiam apud Cyrum Daniel erat in honore (Dan. 14,1) et uti regibus antecedentibus ostensa est per Danielem Dei veri maiestas et potentia, ita Cyro quoque. Nam Daniel non solum regi ad oculum demonstravit fraudem sacerdotum Bel et draconem quem deum venerabantur impune occidi ostendit, verum etiam, cum postulantibus Babyloniis missus esset in lacum leonum, per sex dies ibi remansit illaesus; unde rex admirans Deo dedit laudem (Dan. 14). Placuit itaque Deo, uti anteactis temporibus per Abraham, Moysen, per iudices et prophetas saepius externis nationibus suam manifestavit potentiam, ita etiam tempore exsilii per Danielem in aula regum suae divinitatis exhibere documenta. Ita scil. omnibus clare innotescere poterat, regnum Iuda esse prostratum non ob Iudaeorum numinis infirmitatem, et cladem illam non esse reputandam victoriam deorum babyloniorum.

Et Nabuchodonosor quidem didicit in magis impotentiam idolorum, in Daniele omniscientiam Dei caelorum, in seipso huius Dei vindictam expertus laudes Dei publice annuntiat; huius Dei omniscientia iterum agnoscitur quasi ab oblivione revocata in aula Balthasar regis; agnoscitur et praedicatur a Dario rege; huius

Dei potentiam Cyrus quoque deprehendit. Tali vero manifestatione Dei Iudaeorum necessario effici debuit, ut et Israelitae eius cultum fidelius amplecterentur et ut apud nationes quoque ipsi conciliaretur existimatio maior et honor. Et cum Daniel magna polleret auctoritate et dignitate in aula regia, consequens profecto erat, ut exsulibus multa commoda obvenirent. Ipse Daniel insuper iis eximium exhibuit pietatis exemplum.

Etiam ampliorem dignitatem merito sibi vindicat Daniel *propheta*. Insignia enim plane sunt eius oracula. Nam cernit quidem regni mundani potentiam et gloriam; at videt mente prophetica omnia illa regna inter se subsequentia quomodo collabantur, dum regnum Dei ex parvis initiis ortum orbem terrarum occupet; edocetur de tempore instaurationis messianae, de populi sorte post exsilium, de magna quadam impii regis infestatione, de ope divina, de angelorum protectione, de resurrectione mortuorum (Dan. 7-12,3).

Cf. *R. Cornely,* Introductio in S. Scr. *ed.* 2 II. 2 p. 466; *I. Knabenbauer,* Comm. in Dan. p. 3 ss.; *Fabre d'Envieu,* Le livre du prophète Daniel 1888 I. p. 1 ss.; *Payne Smith,* Daniel, London 1886; *H. Deane,* Daniel, his life and times, London 1888; *Schoepfer-Pelt,* Histoire de l'Ancien Test. *ed.* 3 II. 334 s. 349-352; *F. Vigouroux,* La Bible et les découv. mod. *ed.* 6 IV. p. 174. 176. 255 ss. 278 ss.; *F. Kaulen,* Einleitung *ed.* 4. n. 386 ss.

DANNA (דַּנָּה, Ῥεννά), urbs in monte Iuda (Ios. 15,49). Recensetur in prima provincia i. e. in parte meridiana montis Iuda; hinc vix poterit esse eadem quae *Idhna* hodierna seu Iedna Eusebii et S. Hieronymi 6 mill. pass. ab Eleutheropoli Hebronem versus sita (Onom. *ed. Lag.* 266,30; 132,22), ut opinatur *Conder* (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 305 et apud *Hastings*, Dict. of the Bible s. v.); *Idhna* potius eadem est quae Esna (vide s. v.). Danna ubi fuerit, nondum liquet.

DAPHCA (דָּפְקָה, Ῥαφακά), statio Israelitarum inter desertum Sin et Alus (Num. 33,12. 13); omissa est in Ex. 17, 1 sicut etiam Alus. Quaerendae sunt stationes Daphca et Alus inter desertum Sin (planitiem *el-Markha*) et Raphidim (*Wādi Feirān*). Coniiciunt nonnulli (*M. Ebers, M. Jullien, F. de Hummelauer, Rendel Harris*) Daphca esse *Mafka,* quo nomine aegyptiaco regio suffossionum Sinai designatur. « *Mafka* erat nomen gemmae, quae malachites vocatur et regio *Mafka* Aegyptiis erat ea Sinaitidis pars, ubi illas gemmas frequentissimas excavabant. Qui locus hodie audit *Wādi Maghāra*, ubi etiamnum Aegyptiorum inscriptiones et cuniculi in rupes acti conspiciuntur » (*F. de Hummelauer*). Complures alias coniecturas de situ stationis Daphca recensent *A. Dillmann* (ad Ex. 17,1) et *Legendre*.

Cf. *M. Ebers,* Durch Gosen zum Sinai 1872 p. 135 ss. 539 ss.; *M. Jullien*, Sinaï et Syrie 1893 p. 75; *F. de Hummelauer*, Comm. in Ex. Lev. p. 179; *Rendel Harris* apud *Hastings,* Dict. of the Bible I. 617; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1291. 1292. — Praeterea de ista regione *Mafka* v. *W. Max Müller,* Asien und Europa 1893 p. 133; *F. Vigouroux*, Mélanges bibliques *ed.* 2 p. 265; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5 p. 218 s.

DAPHNE (Δάφνη i. e. laurus), lucus Appollinis et Artemidis prope Antiochiam Syriae, in quo asylo Onias pontifex officio privatus frustra refugium ab insidiis Menelai pontificis sibi quaesivit (2 Mach. 4,33). Loco citato vocatur Δάφνη ἡ πρὸς Ἀντιόχειαν, sicuti apud Flavium Ios. ἡ πρὸς Ἀντιόχειαν Δάφνη (Bell. iud. I. 12,5; 17,3) vel Δάφνη τῆς Ἀντιοχείας (Ant. XIV. 15,11); e converso Antiochia describitur ἡ ἐπὶ Δάφνῃ τῆς Συρίας (Ant. XVII. 2,1). Daphne lucus laurorum a Seleuco Nicatore, cum Antiochiam Syriae conderet, Appollini dicatus est (*Iustin.* Hist. 15,4). Describitur ab *Ammiano Marc.* 19,12 : amoenum illud et ambitiosum Antiochiae suburbanum. Teste Strabone (XVI. 2,6) octoginta stadia in circuitu habebat, fontibus irrigabatur, in medio luco erat asylum sacrum et templum Apollinis et Artemidis. Templum illud statua Apollinis ornatum anno 362 p. Chr. flammis combustum est (*Ammian. Marc.* 22,13). Uti

Seleucidis ita postea nobilibus Romanis Daphne erat locus quietis et voluptatis (*Flav. Ios.* Bell. iud. I. 12,5; 17,3). — Censetur esse hodiernus vicus *Beit el-Mā* (*domus aquae*) ad ripam sinistram Orontis, quo ab Antiochia urbe separatur.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 10; *Baedeker-Benzinger*, Pal. u. Syrien *ed.* 5 p. 433; *E. Le Camus*, Notre voyage aux pays bibliques 1890 III. 63-66; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1292-1293.

DAPHNIS fons v. AIN 1.

DARA (דָּרָע et in compluribus mss. דרדע, quam lectionem praesupponunt Targum et Peshitta; cf. *I. B. de Rossi*, Variae Lect. Vet. Test. IV. p. 170. — LXX Δαρά), quintus filius Zarae filii Iuda (1 Par. 2,7). Idem 3 Reg. 4,31 hebr. 5,11 scribitur Dorda (דַּרְדַּע, B Δαραλά, A Δαρά) et filiis Mahol accensetur. Unde latiore sensu filius i. e. ex posteris Zare fuisse censetur.

DARCON (דַּרְקוֹן, Δαρκών, Δορκών), unus ex servis Salomonis, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,56 Vulgata : Dercon; Neh. 7, 58).

DARICUS (דַּרְכְּמוֹן Esdr. 2,69; Neh. 7,70 ss.; אַדַרְכֹּן 1 Chron. 29,7; Esdr. 8,27) nummus aureus persicus, δαρεῖκος; nomen generatim derivatur a Dario qui eum nummum excudendum curavit. Pondus eius aestimatur 8,40 gr. i. e. fere sexagesima pars minae babylonicae levioris. In parte anteriore cernitur sagittarius coronatus, manu sinistra arcum tenens, lanceam dextera. Cum eius nummi iam mentio fiat ante aetatem Darii Hystaspis, alii nomen non ad eum, sed ad anteriorem quendam Darium referunt (cogita de Dario Medo, Dan. 5,31; 9,1); et alii nomen illud non ad Darium spectare dicunt, verum derivari a voce persica *darig, dergah* (aula regia); vel vocem significare persice arcum regis, quia rex arcum tenens in nummo cernatur. Quae si consideraveris, non mirum est nummum hunc iam nominari tempore Cyri (Esdr. 2,69). Si autem eius mentio fit 1 Chron. 29,7 tempore Davidis, nullo modo erroris arguendus est auctor, sed usus est nomine ac nummo aequalibus noto, ut quantum collatum esset ad opus domus Dei aestimare possent, quomodo nos quoque nummos veteres et alienos explicare solemus comparatione cum nostris facta. In Vulgata darici non leguntur, sed solidi 1 Par. 29,7; Esdr. 2,69; 8,27 et drachmae Neh. 7,70 (a qua voce etiam fuerunt qui nomen hebr. derivarent). Apud LXX leguntur χρυσοῦ 1 Par. 29,7 et Neh. 7,70; μναῖ Esdr. 2,69; lectio dubia est Esdr. 8,27 [δραχμῶν]. — Vide s. v. PECUNIA.

DARIUS (דָּרְיָוֶשׁ, Δαρεῖος). **1.** Darius Medus. Expugnata urbe Babylone Cyrus Darium Medum regio nomine gubernatorem instituit, uti legitur Dan. 6,1 : et Darius Medus *accepit* regnum natus annos 62; pariter hebr. 9,1 qui constitutus erat rex super regnum Chaldaeorum. Cum in aliis historiae fontibus de Dario Medo altum sit silentium, quaeritur, quisnam eo loco intellegi possit Darius Medus, de quo Dan. 6,1 ss. Iam si narratio Xenophontis inspicitur, quae de Cyaxare II. refert, omnino in Darium Medum congruere videntur; Cyrus enim bellum gerit contra Babylonem quasi dux exercitus Cyaxaris; urbe expugnata Cyaxari munera obtulit, ei significavit Babylone palatium esse paratum, ut ibi quasi domi habitaret (Cyrop. V. 5,1; VI. 1,6; VIII. 5,17). Aetas quoque congruit; dicit Cyaxares (VI. 1,6) se esse Cyro seniorem; Cyrus autem eo tempore erat vir 60 annorum (nam anno 529 a. Chr. diem obiit natus annos 70). Mores Cyaxaris eo modo describit Xenophon, ut optime perspiciatur, qua ratione Dan. cap. 6 Darius totus a primoribus regatur eorumque voluntati cuncta concedat (sententias alias vide apud *Knabenbauer*, Comm. in Dan. p. 172 s.). Recentius statuit *Fl. de Moor* Darium Medum esse eum qui in annalibus Nabonidi legitur *Gubaru* et a Cyro sit institutus gubernator urbis (cf. Revue des questions hist. Juillet 1894). Quae sententia si assumitur, nullo modo iste *Gubaru* idem esse potest cum Gobrya de quo Herodotus narrat. Nam Gobryas Herodoti non est Medus, sed unus ex primoribus Persa-

rum (3,70), unus ex septem coniuratis qui contra Pseudo-Smerdim consurgunt, qui dicit rem non esse ferendam, ut nos Persae a Medo imperio subigamur (3, 73); alia quoque quae contra Gobryam militant vide in Comm. in Dan. p. 175.

Narratur Dan. 6,1 Darium constituisse satrapas centum viginti. Immerito id ut fictum traducitur; contendunt quippe teste Xenophonte Cyrum primum satrapas in provincias subiectas misisse et solum sex et teste Herodoto Darium filium Histaspi primum totum regnum in 20 provincias divisisse. At Xenophon loco allegato VIII. 6,1. 7 nullo modo dicit Cyrum *primum* satrapas instituisse, solum refert satrapas ab eo esse missos sex in Arabiam et Asiam minorem; neque Herodotus narrat 3,89 Darium *primum* regnum in provincias distinxisse. Ceterum regnum maius in provincias dividere iam diu ante Darium in usu erat. Iam Assyrius loquitur apud Isaiam: numquid non principes mei simul reges sunt (Is. 10,9)? idem elucet ex iis quae Iosephus ex Beroso affert (Ant. X. 11, 1; c. Ap. 1,19. 20; cf. *Richter*, Berosi Chaldaeorum historiae quae supersunt p. 64). Dein regnum babylonicum sub Nabuchodonosor esse in varias provincias distributum etiam consequitur ex Dan. 2,48. 49 et 3,2. — Daniel apud Darium magna auctoritate valebat (6,2). Unde odium et invidia aulicorum in eum exarsit, qui ut ei insidias struerent Dario persuadebant, ut decerneret: quicumque intra dies triginta rem aliquam petierit a deo vel homine, nisi a rege, mittetur in lacum leonum (6,4 ss.). Decretum stud non tamquam merum figmentum explosissent rationalistae, si duo considerassent. Prius enim ipsa narratione indicatur id solum excogitatum fuisse ad Danielem perdendum; ad hoc minime opus fuisse ut in toto regno promulgaretur; verum plane suffecisse, ut in aula regia Danieli innotesceret. Potuisse eiusmodi rem Dario persuaderi, ex iis quae Xenophon de moribus Cyaxaris refert (Cyrop. IV. 1,13 s.; 5,8; V. 5,2. 38. 41 s.) facile consequitur. Dein decretum tale non esse a priori reiiciendum quasi quod fieri nequeat, patet ex re plane simili quam tradit *Charlevoix* (Histoire du Japon, Paris 1736 III. p. 401) revera praeceptam esse a Nobunanga, imperatore Japoniae (cf. *Delattre*, Les deux derniers chapitres de Daniel p. 57; *Knabenbauer*, Comment. in Dan. p. 7). Ceterum notum est reges haud raro in numero deorum esse habitos et a Persis quoque reges inter deos coli solere Curtius affirmat (8,5. 11); quare eiusmodi decreto postulabatur, ut rex tamquam aliquod numen agnosceretur et honoraretur. Mitti in lacum leonum omnino redolet mores babylonicos (cf. *Layard*, Discoveries p. 138; Transactions of the Society of Bibl. Arch. II. 1873 p. 362 ss.). Accusatores falsos seu calumniatores simul cum eorum familia puniri, a moribus eius temporis non erat alienum; vide praeter epistulam Artaxerxis Esth. 16, 18 etiam Herodotum 3,119.

2. Darius I. filius Hystaspis nominatur Esdr. 4,5. 24; 5,5; 6,1 etc. Is enim inquisitione facta et decreto Cyri reperto permisit reducibus ab exsilio, ut templum aedificaretur in Ierusalem, ad quod opus in anno secundo Darii regis repetito adhortati sunt Aggaeus (1,1 s.; 2,1; 2,11) et Zacharias (1,1) prophetae. Templum completum est die tertio mensis Adar anni sexti Darii. Darius quoque, uti testibus inscriptionibus reges saepius facere solebant diis variarum gentium (cf. *Brunengo*, L'Impero di Babilonia e di Ninive II. p. 253. 403. 404), Deum Iudaeorum oblationibus factis honoravit (Esdr. 6,8 s.). Regnavit Darius 521-486.

3. Commemoratur descriptionem levitarum et sacerdotum factam esse in regno Darii regis Persarum Neh. 12,22. Uter Darius intellegendus sit, Darius II. scil. Nothus (Ochus, 423-405) an Darius III. Codomannus (335-330), disceptatur. Si de una tantum descriptione sermo est, uti Neh. 12,26 videtur asseri, tum prior Darius intellegi debet, neque Ieddoa in v. 22 pontifex erit, sed nominatur solum ut pronepos Eliasib ea aetate puer fortasse annorum decem. Sin autem de quattuor descriptionibus esset sermo (quae tamen nullibi commemorantur), quae sub quattuor pontificibus essent factae, Darius Codomannus deberet intellegi, cuius scil. aetate Ieddoa erat pontifex (cf. *Flav. Ios.* Ant. XI. 8,4). De

toto loco vide *Cornely*, Introd. II. 1 p. 360-361.

4. Darius III. Codomannus nominatur 1 Mach. 1,1 quem scil. percussit Alexander Philippi Macedo, semel apud Issum anno 333, iterum 331 apud Gaugamela. Nominatur l. c. Darius rex Persarum et Medorum, quo titulo utebantur reges a Cyro et deinceps; cf. Esth. 1,13 etc. Dan. 5,28; 6,16; 8,20.

DATHAN (דָּתָן, Δαθάν), filius Eliab, Rubenita, princeps populi, qui partem habuit in seditione Core (Num. 16,1-27; 26,9; Deut. 11,6; Ps. 105[106],17; Eccli. 45,22). Vide s. v. CORE 2.

DATHEMA 1 Mach. 5,9 : in Datheman munitionem (εἰς Διάθεμα τὸ ὀχύρωμα, A Δάθεμα, ℵ Δάθαιμα; Syrus : Ramtho). In hoc castellum Iudaei confugerunt, ut a gentibus se defenderent, auxilium a Iuda Machabaeo exspectaturi (1 Mach. 5,9); nomine proprio omisso simpliciter munitio (τὸ ὀχύρωμα) vocatur 5,11. 29. 30 et fortasse etiam 2 Mach. 12,17 (vide s. v. CHARACA). Apud Flav. Iosephum (Ant. XII. 8,1 *ed. Niese*) scribitur Διάθημα (Διάθεμα) τὸ φρούριον (*ed. Dindorf* Δάθεμα). Situs ex eo coniici potest, quod Iudas et Ionathas Machabaei in Galaad profecti, cum Bosor (Bostra, hodie *Boṣrā* in *Ḥaurān*) expugnassent et succendissent, itinere nocturno ad castellum a Timotheo oppugnatum properarunt illudque obsidione liberarunt (1 Mach. 5,28-34; cf. *Flav. Ioseph.* l. c. 8,3). A nonnullis censetur esse *ʿAthamān* prope *Derʿāt* (Edrai) aquilonem versus (*Furrer*, *Riess*), ab aliis *el-Remthe* in Via Peregrinantium nec procul a *Derʿāt* inter meridiem et orientem (*Wilson*), cui coniecturae favet lectio syriaca Ramtho. In eadem regione *J. P. van Kasteren* Dathema quaerendum esse indicat scil. vel in *el-Remthe* vel in *el-Ḥoṣn* inter meridiem et orientem ab *el-Remthe*, praesertim cum *el-Ḥoṣn* significet munitionem seu castellum et indubia vestigia antiquitatis ibidem cernantur; quo supposito urbs Bosor 1 Mach. 5,28 non in Bostra (*Boṣrā*) quaerenda erit, sed cum eodem auctore meridiem versus a castello Dathema. Ceterum non constat castellum Dathema a Characa differre.

Cf. *Furrer* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890, p. 200; *Riess*, Bibl. Geogr. 1872, p. 17; *Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible s. v.; *I. P. van Kasteren* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1309. Alias coniecturas v. apud *Schenkel*, Bibellexikon I. 579; *Kitto*, Cyclopaedia of biblical literature I. 631; *Riehm-Baethgen*, Handwb. des bibl. Altert. I. 299.

DAVID (דָּוִיד vel דָּוִד i. e. dilectus; Δαβίδ, Δαυίδ) nobili genere ortus (Ruth 4,18 ss.) et octo Isai filiorum minimus (1 Reg. 16,8; cf. 1 Par. 2,13) tam corporis robore et pulchritudine quam animi prudentia et fortitudine excellebat (1 Reg. 16,12. 18; 17,42; Eccli. 47,3).

1. A Samuele rex loco Saulis a Deo reiecti clam unctus (1 Reg. 16,13), tamen multo post regnum adeptus est.

E vita pastoricia ad aulam regis, quem animi aegrum musica cantuque deleniret, arcessitus et, cum probaretur, armiger regius factus est (ib. 16,14 ss.). Bello igitur Philisthaeorum exorto in castra profectus Goliath immanis magnitudinis hominem singulari certamine prostravit clademque hostibus intulit ingentem (1 Reg. 17). Quare sicut vulgi favorem sibi conciliavit, ita ex epinicio mulierum inepto in regis suspiciosi invidiam venit. Ut ab oculis auferretur, cohorti militum praefectus bellorumque casibus oblatus est; sed omnibus rebus tribunus militum feliciter gestis in conspectu populi egressus et ingressus gratiam non modo retinuit, verum etiam acquisivit; a Michole enim filia regia amari coeptus est. Hanc rex adversario, ut perniciem moliretur, condicionem uxoriam detulit ea lege, ut loco sponsalium centum praeputia Philisthinorum adferret. David autem fortuna secunda usus periculum adiit reque praestita Micholem in matrimonium duxit (1 Reg. 18). Neque tamen socerum placavit, sed prosperis rerum proventibus adeo irritavit, ut voluntatem parricidalem suis aperiret. Quam ob rem ipse a Ionathan sibi familiarissimo omnia edoctus aliquamdiu ab aula abstinuit, amici autem opera in gratiam regis restitutus est. Sed novam laudem bellicam adeptus regis odium inflammavit hastaque, qua cithara canens confodiendus erat, motu corporis declinata in

domum suam aufugit; unde a satellitibus ad supplicium quaesitus, arte vero coniugis servatus ad Samuelem Ramatham venit. Ab insidiis lictorum ipsiusque regis ope divina cavit (1 Reg. 19) Gabaamque reversus epulis neomeniae caruit, ut per Ionathan animum patris exploraret. Odium regis implacabile esse cognito fuga sibi salutem petendam esse existimavit (1 Reg. 20).

Nobe, ubi ab Achimelech sacerdote cibo gladioque Goliath subornabatur, parumper commoratus ad urbem Geth contendere maturavit. Periculosissimus autem Philisthaeorum hostis cognitus et ad regem Achis ductus mentis insania, quae hominem antiquitus reddebat inviolabilem, sollerter simulata vitam servavit (1 Reg. 21). Cum in spelunca Odollam versaretur, quadringentos homines sive in angustiis constitutos sive condicionem domesticam indignatos collegit, quorum princeps parentibus apud regem Moab in tuto collocatis Gad prophela, ut videtur, et Abiathar sacerdote comitatus confinium Iudaeae perlustrabat. Hos quadringentos ut compesceret, dexteritate opus erat et prudentia atque virtute; qua re ad futurum regnandi munus optime instruebatur. Cives suos non videtur vexasse, sed ab iniuriis finitimorum strenue defendit (1 Reg. 22), sicut Ceilam oppidum obsidione Philisthiim liberavit. Inde cum vagus erraret, a Ziphaeis proditus invasione Philisthaeocum inopinato facta e manu regis persequentis ereptus est (1 Reg. 23). Ipse vero cum in Engaddi solitudine delitesceret, vitae inimicissimi sui sociis invitis generosus pepercit (1 Reg. 24). Crebris nomadum incursionibus, ut suos armis exercitaret, usus est. Quibus gladio usui erat, ut ii sibi cibaria praeberent, aequum erat; quare Nabalem hominem gregibus ditissimum cum pueros ad victum petendum missos ignominiose reppulisset, nisi Abigail, uxor prudentiae plena, pacem deprecata esset, incastigatum non dimisisset. Eandem morte Nabalis paulo post viduatam in matrimonium duxit (1 Reg. 25). Ab insidiis regis, quamquam cum eo reconciliatus erat, tutus non erat; servata iterum vita eius odium restinxisse videbatur, nihilominus inconstantiam veritus e patria discessit (1 Reg. 26). — A rege Geth tum benigne receptus cum sexcentorum satellitum familiis oppidum Siceleg incoluit, Iudaeos autem, a quibus eum Achis in perpetuum disiungere studuit, expeditionibus adoriri fraude interposita omisit; simulatis enim in patriam incursionibus fines Amalecitarum et nationum finitimarum petebat captivisque omnibus, ne fallacia patefieret, trucidatis praedam, cuius rex particeps erat, agebat opimam. Hac ratione tam lubrica animum regis amplius annum fefellit (1 Reg. 26. 27). — Tum vero Philisthaeis bellum adversus Israelitas redintegrantibus cum cohorte sua in castra proficisci iussus capitisque custos a rege factus in eam necessitatem incidit, ut aut cum civibus suis confligeret aut domino benefico deesset. Res autem prospere cessit; nam cum ceteri reguli ei diffiderent, cum suis domum rediit. Oppidum autem se absente ab Amelecitis succensum mulieresque captas esse vidit; cuius rei ipse, qui hostes crebris irruptionibus lacessivisset, auctor denotatus mortem aegre fugit. Oraculo autem consulto persecutus praedatores inopinato oppressit omniaque sua recuperavit. Ita suis reconciliatus animos quoque seniorum Iudae, apud quos commoratus erat, parte praedae distributa sibi devinxit (1 Reg. 29-30).

2. Cladem magnam in Gelboe monte Israelitas accepisse audito affectus ingenti maerore mortem Saulis regis et Ionathae amicissimi carmine praeclarissimo deploravit. Homine autem Amalecita, qui regem a se interfectum esse gloriabatur, perempto (2 Reg. 1) egressus exsilio Hebronem transmigravit. Quo seniores Iudae, quorum animos ad suas partes iam duxerat, convenerunt, ut eum venerantes regem consalutarent, cum ceterae tribus, quoad a Philisthaeis oppressae non erant, Isboseth, filio Saulis, adhaererent. Septem annorum concertatio fuit inter haec regna. David compluribus coniugiis initis potentiam augere studuit, copiis optime exercitatis plurimum valuit. Quare regnum eius maiora in dies capere incrementa Abneris neque virtute neque nece insidiosa prohiberi potuit. Tribus septemtrionales, quae

ad Davidis causam iam se acclinabant, facinore Ioabis impunito sine dubio deterritae sunt, tamen paulo post Isboseth exstincto et innocentia regis patefacta ad Iudam se applicaverunt (ib. 2-4).

3. David igitur Hebrone, dum dies festus per triduum agitur (1 Par. 12,39), rex totius Israel constitutus est. Inde sedem Hierosolyma Iebusaeis erepta transtulit, quae urbs et propter firmitatem et propter situm caput regni erat aptissimum (2 Reg. 5,1-10).

His de rebus solliciti Philisthaei omnibus copiis coactis invaserunt, sed in Baalpharasim (ib. 5,17-21; cf. 1 Par. 14,8-12) et iterum prope Gabaam (ib. 5,22-25; cf. 1 Par. 14,13-17) devicti sunt. His cladibus dominatio eorum, quamquam bellum renovabant (ib. 21,18-22; cf. 1 Par. 20,4-7), in perpetuum fracta est; vel provinciam Geth cesserunt (1 Par. 8,1). — Item Moabitarum duae partes trucidatae, tertia vectigalis facta est (2 Reg. 8,2. 12; cf. 1 Par. 18,2. 4). — Gravius fuit bellum Ammonitarum. Hi legatos Hebraeorum, qui Hanoni regnum adepto gratulatum venerant, ignominia affecerant poenamque veriti cum Syrorum regulis foedus inierant. Dum Ammonitae ex Rabba egressi aciem instruunt, Syri obsidione Medabae relicta hostem a tergo aggressuri erant. Hos autem cum Ioab lecta manu fugasset, illi praelio declinato intra moenia urbis se receperunt. Tum Israelitae propter anni tempestatem videntur redisse. Anno autem insequenti ab Adarezer egregiam victoriam prope Helam adepti singulis civitatibus devictis totam fere Syriam subegerunt. Item Idumaeos, qui in regionem australem irruperant, ad internecionem fere redegerunt. Tertio denique anno urbs Ammonitarum capta est hominesque in servitutem redacti. His bellis confectis quamquam minores seditiones postea factae sunt, tamen regnum externo periculo vacuum erat latissimeque tum a fluvio Aegypti usque ad Euphratem, a sinu Arabico usque ad Libanum patebat. Thou autem rex Emath et Hiram Tyriorum tyrannus amicitiam Davidis petierunt (2 Reg. 8; 10-11; 12,26-31; 3 Reg. 11,15 s.; 1 Par. 14,1; 18, 1-13).

Rex arcem Sion, quam ipse obtinuit atque Civitatem David vocavit, operibus munivit et ab Hiram adiutus urbem, ut dignum regno caput esset, aedificiis exornavit (2 Reg. 5,9-11; 1 Par. 11,8). Splendorem aulae more principum orientalium grege pelicum aucto exaggerare studuit (2 Reg. 5,13). Sedem etiam rerum sacrarum illam urbem esse decebat; quare arcam ex Gabaa magno cum populi concursu transportavit et in novo tabernaculo collocavit (2 Reg. 6); templum autem aedificare Dei interventu vetitus est (2 Reg. 7; cf. 1 Par. 17). — Universum porro Dei cultum constituit. Duos voluit esse summos sacerdotes: Sadoc Gabaae, Abiathar Hierosolymis munere sacro fungebatur (1 Par. 16,39 ss.). His aderant sex familiae levitarum; de quibus filii Gerson moderante Asaph Hierosolymis, filii Caath et Merari dirigentibus Heman et Idithun Gabaae cantores et musicos agebant (1 Par. 6,18 ss.; 15,5 ss.; 16,5. 41 ss.). Ad exitum vitae sacerdotes in 24 classes distribuit, quarum sedecim erant e genere Eleazar, octo e genere Ithamar, singulasque praefecto subdidit. Singulis quoque mille levitas ad sacra peragenda tribuit. Quattuor milia levitarum in 24 classes divisorum cultum religiosum musica cantuque illustrabant, quattuor milia ianitores erant, sex milia populum docuerunt et iudicaverunt (1 Par. 23; 24; 26). Neque dubium est, quin rex ipse psalmorum magnum numerum cantoribus subministraverit. — Nova regni forma duabus potissimum rebus a prisca discrepat; una est, quod omnes maioris momenti res, quae antea a senioribus vel legatis Dei extraordinariis movebantur, ab ipso rege administrantur. Altera est, quod senioribus, qui singulis locis officia iudicum exsequebantur, levitae legis mosaicae studiosi adsunt. Rex autem ipse hortatore extraordinario utebatur propheta, ministris communibus cancellario, scriba, vectigaliario (2 Reg. 8,16 ss.; 20,23 ss.; 1 Par. 18,15 ss.; 27,32 ss.). — Israelitas, qui arma ferre poterant, in duodecim partes distribuit, quarum singulae quotannis per mensem in armis erant (1 Par. 27,1 ss.). Totius exercitus robur erat illa cohors sexcentorum gibborim, quam solio patrio extorris iam alueral. Porro

Cerethaeos et Phlethaeeos videtur habuisse custodes corporis.

Ut quondam de Amalecita isto, qui unctum Domini a se interemptum esse simulaverat, et de percussoribus Isboseth aemuli sui supplicium sumpsit (2 Reg. 1 et 4), ita memor iurisiurandi, quo se posteros Saulis et Ionathae servaturum esse promiserat (1 Reg. 20,15; 24,22), Miphiboseth Ionathae filium ad aulam accersitum summo honore tractavit (2 Reg. 9,3 ss.); postea vero a Siba deceptus eum dimidia parte rei familiaris privavit (ib. 16,1 ss.; 19,24 ss.). Item de stirpe Saulis filios Merobis quinque et Resphae duos ad famem depellendam Gabaonitis trucidandos tradidit (2 Reg. 21).

E rebus domesticis David mala percepit maxima. Multas enim uxores, quamquam vetitae erant (Deut. 17,17), duxerat; hac autem ratione pullulare coeperat luxuria (2 Reg. 19,35) peccandique periculum. Cui periculo rex succubuit. Bello enim Ammonitarum exeunte cum Bethsabee Uriae centurionis uxore adulterium commisit maritumque, ut suae famae et saluti adulterae consuleret, in acie perimendum curavit. Quo facto complicem duxit uxorem, quam potissimum amabat. Anno fere post Nathan proposita de ove pauperis parabola peccatum regi exprobravit poenaque duplici morte liberorum et coniugum vitiatione denuntiata paenitentiam iniecit. Utraque poena luenda erat; infans enim ex Bethsabee natus brevi mortuus est (2 Reg. 11-12). Porro Amnonem, filium regis maximum, qui Thamar sororem ex eodem patre genitam stupraverat, Absalom iniuriam ulturus in convivio cecidit (2 Reg. 13). Idem cum aliquot annos exsulavisset, populo, quem regni iam piguisse videtur, concitato rebellionem fecit urbeque occupata dominationis sanciendae causa cum pelicibus regiis palam concubuit. Rex sui studiosis stipatus, ab alienis (v. SEMEI) contumelia affectus trans Iordanem fugit, quo plurimi, ubi resipuerunt, confluebant (2 Reg. 14-16). Tripartito aggressus turmas seditiosas in saltu Ephraim fudit, ob caedem autem filii a Ioab contra mandatum suum factam in magnum luctum incidit (2 Reg. 16-18). Auctore tumultus sublato septemtrionales tribus priores ad sanitatem redierunt, Iudaei autem, in quorum animis altius ira videtur haesisse, rogati demum obsequium praestiterunt. Hi vero praeoccupaverunt eum triumphantemque reduxerunt. Qui quod regem quasi furati essent, aegre ferentes tribus septemtrionales graviterque offensae ad Sebam Beniaminitam defecerunt. Hos ut domaret, Amasam venia oblata rex copiis praefecit. Sed aemulo interfecto Ioab seditionem sedavit (2 Reg. 19-20).

Duabus calamitatibus terra vexata est: fame trium annorum, quae morte posterorum Saul depulsa est, et pestilentia trium dierum propter recensionem populi vanam immissa (2 Reg. 21 et 24). Anno vitae postremo senex, qui foveri non iam poterat, coniuratione Adoniae filii afflictus est; hic enim regnum, quod Salomoni delaturus erat, Ioab et Abiathar sociis appetivit. Sed opera Nathanis et Bethsabee Salomonem statim regem renuntiandum curavit. Postquam eidem Ioab et Semei supplicium commendavit, annos 40 (1055-1015) regio munere functus e vita decessit et in civitate sua sepultus est (3 Reg. 1-2,11; 1 Par. 28.29).

4. David sine dubio omnium regum Israel excellentissimus fuit. Quamquam ab incontinentia, crudelitate, nimia in suos indulgentia — quae vitia condicionibus principis orientalis et moribus illius aetatis minuuntur — remotus non erat, tamen maioribus praestabat virtutibus. Optime de populo suo meritus est; a vexationibus enim finitimorum eum liberavit et ad summum gradum potentiae adduxit. Porro et profanas et sacras res sapienter constituit regiamque auctoritatem primus stabilivit. Denique illud effecit, quod Hebraeis promissum erat fore, ut essent regnum sacerdotale, haberent auctoritatem et sacerdotalem et regiam ab ipso Deo institutam. Ob haec praeclare gesta ab Ecclesiastico (47,2 ss.), summis laudibus effertur et in sacris litteris regibus, qui succedebant, exemplar proponitur. — Cf. *H. Weiss,* David und seine Zeit, Münster 1880; *M. Meignan,* David roi, psalmiste, prophète, Paris 1889.

H. WIESMANN.

DEBBASETH (דַּבֶּשֶׁת, Βαιθάραβα, A Δαβάσθαι), urbs in termino tribus Zabulon (Ios. 19,11). De situ coniecturae sunt variae. *C. R. Conder* proposuit *Khirbet Dabshe* ruinas in ripa sinistra *Wādi Qarn* sitas. Sed hic locus, medius fere inter Ptolemaida et Gischala, potius ad tribum Aser pertinet neque ordini enumerationis Ios. 19,11 ss. correspondet. Maiore cum probabilitate *R. Riess* proponit *Djebata* inter meridiem et occidentem a Nazareth. Ad eundem locum *V. Guérin* refert verba S. Hieronymi : « est... et alia villa Gabatha in finibus Diocaesareae iuxta grandem campum Legionis » (Onom. *ed. Lag.* 128,17; sed cf. textum graecum Eusebii paulo diversum). *F. de Hummelauer* (ad Ios. 19, 11), emendandum esse coniicit ידבשת = ידבעל, nomen montis seu rupis, quae ea forma in altum emineret, ut appellaretur manus Baal, monumentum Baal, res sane aptissima ad terminum definiendum.

Cf. *C. R. Conder* in *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1883 p. 134-138 et apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 543; *R. Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 10; *V. Guérin*, Galilée I. 386.

DEBBORA v. DEBORA 2 et 3.

DEBELAIM (דִּבְלַיִם, Δεβηλαίμ), pater Gomer mulieris, quam Osee propheta uxorem accepit (Os. 1,3).

DEBERA (דְּבֵרָה i. e. דֹּבֶר cum He locali), urbs in confinibus Iuda et Beniamin prope vallem Achor (Ios. 15,7). LXX vertunt : et tendit terminus usque ad quartam partem vallis Achor (ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς φάραγγος Ἀχώρ) pro דְּבֵרָה מֵעֵמֶק legentes רְבִעִית עֵמֶק; hunc esse sensum genuinum loci vix credibile est. *Dillmann* ad h. l. libentius verteret דְּבֵרָה *retrorsum* i. e. occidentem versus, si hic usus vocis geographicus aliunde confirmari posset. Aliam emendationem suggerit *F. de Hummelauer :* terminus septemtrionalis finium Iuda ascendit de rupe Boen מדברה עמק עכור ad desertum vallis Achor. Vestigium nominis Debera, si nomen urbis supponitur, aliqui deprehendere sibi videntur in *Thoghret el-Debr* prope *Qal'at el-Dām* (Adommim) in via Ierusalem-Iericho vel etiam in *Wādi Daber;* cf. *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1328.

DEBITOR vide s. v. CREDITOR.

DEBLATHA (דִּבְלָה et cum He locali דִּבְלָתָה; Δεβλαθά) legitur Ez. 6,14 : et faciam terram desolatam et destitutam a deserto Deblatha (hebr. a deserto usque ad Dibla). Indicantur termini extremi Palaestinae. Desertum, ut alias frequenter, terminum meridionalem designat. Dibla autem est ignota. Unde iam S. Hieronymus (ad h. l.) coniectavit pro *Dibla* legendum esse *Ribla*. Idem sentiunt *Pradus, Pintus, Maldonatus, Sa, Mariana, Cornelius a Lapide* etc. et recentiores *Michaelis, Gesenius, Davidson* etc. Rebla seu Reblatha in terra Emath ad Orontem sita ad terminum septemtrionalem Palaestinae vago modo indicandum omnino apta est, etsi ipsa iam extra fines terrae promissae sita erat (v. REBLA 2).

DEBLATHAIM (בֵּית דִּבְלָתַיִם, Βαιθλαθαίμ, A Δεβλαθαίμ, Vulgata : domus Deblathaim), urbs Moab (Ier. 48,22; LXX 31,22). Eadem est quae Num. 33,46. 47 appellatur Helmondeblathaim (עַלְמֹן־דִּבְלָתָיְמָה, Γελμὼν Δεβλαθαίμ), statio Israelitarum inter Dibongad et montes Abarim. Quaerenda igitur est inter Dibon (*Dibān*) et montem Nebo, quibuscum Ier. 48,22 una nominatur. In inscriptione lapidis moabitici Mesa rex Moab dicit Beth Diblathain a se aedificatam esse (lin. 30). *Conder* (Heth and Moab p. 269) suggerit *Khirbet Deleyat* inter *Wādi Mōdjib* (Arnonem) et *Wādi Zerqā Ma'in* tum propter nominis aliqualem similitudinem tum propter situm locis citatis congruentem.

DEBORA, DEBBORA (דְּבוֹרָה i. e. apis).

1. Debora (Δεβόρρα) nutrix Rebeccae. Rebeccam ad Isaac maritum suum proficiscentem comitata est, ut cum iis maneret (Gen. 24,59). Eadem nuntium illum, de quo Rebecca Gen. 27,45 loqui

tur, ad Iacob in Mesopotamia exsulem detulisse et cum eo in terram Chanaan revertisse putatur ab aliquibus rabbinis; sed vide *F. de Hummelauer,* Comment. in Gen. p. 514. Mortua est, postquam Iacob ex Mesopotamia redux in Bethel advenit et sepulta est prope Bethel subter quercum; unde nomen loci illius : Quercus fletus (Gen. 35,8). Fortasse haec quercus Deborae eadem est ac palma Debborae prophetissae (Iud. 4,5). Derelinquenda autem est opinio eandem quoque esse quercum Thabor 1 Reg. 10,3 commemoratam; haec enim erat inter sepulcrum Rachel et Gabaam (Saulis) i. e. e parte meridionali Gabaae, dum Bethel est e parte septemtrionali Gabaae.

2. Debbora (Δεββῶρα) prophetis, uxor Lapidoth viri alias ignoti, veri nominis iudex post Aod et Samgar. In poenam idololatriae tribus septemtrionales oppressae sunt a Iabin rege Chananaeorum septemtrionalium, qui regnavit in Asor a parte occidentali lacus *Ḥūle* (v. ASOR 1 et IABIN 2). Gravior erat haec oppressio prioribus propter graviora peccata. Servitutem octo annorum Israelitis imposuerat Chusan Rasathaim, abstulerat Othoniel iudex; servitutem duodeviginti annorum imposuerat Eglon rex Moab, abstulerat Aod iudex; servitutem viginti annorum eamque gravissimam imposuit Iabin rex Asor, ad quam auferendam a Deo excitata est Debbora prophetis. Haec filios Israel iudicabat in monte Ephraim sub palma, quae nomine illius vocabatur palma Debborae, inter Rama Beniamin (hodie *el-Rām*) et Bethel. Instinctu prophetico adacta Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali advocavit eique imperavit, ut cum decem millibus pugnatorum peditum de tribubus Nephthali et Zabulon, quae ab Asoritis plus quam ceterae tribus opprimebantur, montem Thabor occuparet; aptissimus copiis colligendis Thabor visus est, utpote in extrema tribu Zabulon ad austrum situs nec procul a confinibus Issachar distans. Monitis Debborae et Barac obsecundantes Nephthalitis et Zabulonitis opem praestiterunt Ephraim, Beniamin, Issachar et Manassaei cisiordanici; e contra Ruben, Gad, Dan, Aser, Manassaei transiordanici sua privata commoda sectantes opem ferre neglexerunt; nulla mentio fit tribuum Iuda et Simeon, quae fortasse pugnis cum Philisthaeis nimium distinebantur et generatim magis in se conclusae et a reliquis separatae erant; cf. s. v. IUDA 2. Asoritarum exercitus, qui nongentos currus falcatos (hebr. ferreos) numerabat, duce Sisara magistro militiae regis Asor in planitiem torrentis Cison progressus est. Barac impetu nocturno de monte descendens castra Asoritarum adortus in fugam praecipitem vertit; ipse Deus hostilem exercitum ingenti turbine venti perterrefecit, quem Israelitae a tergo flantem, Asoritae ex adverso habuerunt. Ingens clades secuta, Asoritarum potestas penitus exstincta est. Ipse Sisara fugiens a Iahel, uxore Haber Cinaei, hospitio exceptus, sed inter somnum clavo per tempora infixo peremptus est. Huius victoriae laudes Debbora et Barac celebrarunt cantico, quod tota antiquitate appellatum est Canticum Debborae, cuius carminis auctor Debbora, concentor Barac merito dicuntur (Iud. 4 et 5).

3. Debbora (Δεββωρά), mater Tobiel patris Tobiae (Tob. 1,8 graece).

DECAPOLIS (ἡ Δεκάπολις) erat tempore Christi (Matth. 4,25; Marc. 5,20; 7,31) confoederatio politica decem urbium hellenisticarum, quae sicut aliae urbes hellenisticae ab ethnicis quoad maximam partem incolebantur, suis legibus res publicas administrabant, sed provinciae Syriae attributae legato Syriae parebant. Originem suam Decapolis probabilius aetate romana habuit; pleraeque enim urbes Decapoleos sunt urbes hellenisticae, quas Alexander Iannaeus subegerat, Pompeius autem Iudaeis ereptas libertate donaverat et provinciae Syriae attribuerat (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7). Illo igitur tempore decem urbes hellenisticae, ut coniicere fas est, confoederationem quandam inierunt, quae Decapolis vocabatur. Singulas urbes enumerat Plinius (V. 18, 74) : « Decapolitana regio a numero oppidorum, in quo non omnes eadem observant, plurimum ta-

men Damascum..... Philadelphiam, Rhaphanam, Scythopolim..... Gadara..... Hippon, Dion, Pellam..... Galasam (lege : Gerasam), Canatham ». Decapolis nomen suum etiam retinuit, postquam numerus urbium, quae foederi se iungebant, auctus est. Ptolemaeus (V. 15,22. 23) urbes Decapoleos recensens omnes a Plinio nominatas enumerat excepta Raphana, sed novem alias addit, quarum pleraeque in septemtrionali parte terrae transiordanicae et in vicinia Damasci sitae erant; sed notandum est in editione *Müller-Fischer* (Parisiis, Firmin-Didot 1883-1901) apud Ptolemaeum V. 14,18 legi Κοίλης Συρίας καὶ Δεκαπόλεως πόλεις αἵδε, dum in editione *Nobbe* (Lipsiae 1843) illud καὶ deest. — Urbibus a Plinio supra nominatis addendae sunt Abila 12 mil. pass. a Gadara orientem versus (*Euseb.* Onom. *ed. Lag.* 225, 7; Corp. Inscript. Graec. n. 4501) et etiam Kanata (hodie *Kerak*), nisi forte haec ad fines Kanatha (hodie *Qanawāt* in *Ḥaurān*) pertinet neque urbs distincta dici debet (v. CANATH). Omnes urbes Decapoleos erant transiordanicae, excepta Scythopoli (Bethsan). Cf. *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes etc. *ed.* 3 II. p. 116 ss.

DECIMAE. Mos dandi decimas est antiquissimus. Ita iam Abram dedit decimas ex omnibus Melchisedech regi Salem et sacerdoti victoria de regibus reportata (Gen. 14,20); « intuemini quantus sit hic cui et decimas dedit de praecipuis Abraham patriarcha » (Hebr. 7,4). Iacob quoque profecturus in Mesopotamiam vovet Domino, si res prospere cessura sit : cunctorum quae dederis mihi decimas offeram tibi. Lege mosaica iste mos confirmatur; quod Ex. 22,29 generatim praecipitur : decimas tuas non tardabis reddere, accuratius determinatur Lev. 27,30-33 esse scil. decimas de frugibus, de pomis arborum, de armentis et gregibus Domino sanctificandas; decimas frugum et pomorum posse redimi addita quinta parte pretii. Quomodo autem decimae Domino sanctificentur, explicatur Num. 18,20 ss. : filiis Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo foederis.... praecipe levitis atque denuntia : cum acceperitis a filiis Israel decimas quas dedi vobis... decimam partem decimae... offerte Domino et date Aaron sacerdoti, i. e. levitae ex decimis quas a populo accipiebant dabant decimas sacerdotibus.

Quae vero Deut. 14 praecipiuntur, alia sunt ab iis quae Lev. 27 et Num. 18 traduntur. Nam ibi legitur : decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis qui nascuntur in terra per annos singulos et comedes in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, decimam frumenti tui et vini et olei et primogenita de armentis et ovibus tuis (14,22. 23). Quodsi quis longius abest a sanctuario, poterit decimas has vendere et pretium afferre ad sanctuarium et ex hac pecunia emere ad epulas instituendas (14,24-26), et commendatur, ne levitae neglegantur. Quae ut cum antecedentibus conciliarentur, Iudaei posteriores et multi interpretes statuerunt hisce praescribi decimas secundas, quae praeter decimam primam (Lev. 27; Num. 28) quotannis essent solvendae et ex quibus primo et secundo cuiusque triennii anno haberentur convivia apud sanctuarium et tertio quoque anno ditarentur egentes (Deut. 14,28. 29). Huius acceptionis et explicationis documentum habetur Tob. 1,6-8; et ita rem concipit quoque Flavius Iosephus (Ant. IV. 8, 22). Hanc decimam secundam etiam deprehendunt Deut. 12,11. 17.

Verum praecipua difficultas contra hanc decimam secundam oritur ex Deut. 26,12, quo loco ex genuina lectione LXX decima secunda ea vocatur, quae non quotannis solvenda est, sed semel tantum, tertio scil. anno a tempore quo familia quaeque sua possessione potita est. Unde decima illa (Deut. 12. 14) non potest esse altera seu secunda, quia tandem 26,12 de secunda mentio infertur.

Ad rem enodandam leges has ad alia et alia spectare tempora dicendum erit. Et *F. de Hummelauer* quidem tempore iudicum ob hostium incursus et populi pauperiem legem de decimis solvendis ita usu esse attemperatam censet, uti Deut. 12. 14 legitur — ipsa rerum con-

ditione mutata mutari leges (cf. Comment. in Deut. p. 332 ss.). Aliis placuit rem invertere, scil. legem Deut. esse priorem et antiquiorem, legem Lev. Num. de decimis esse posteriorem.

In instauratione tempore Nehemiae promittunt reduces ex exsilio se daturos decimas levitis et levitae iubentur decimam partem decimae suae offerre (Neh. 10,37. 38), et sicut de tempore Ezechiae regis refertur oblatas esse decimas omnium quae gignit humus (2 Par. 31,5. 6), ita sub Nehemia quoque omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini et olei (13,12). Ad decimas persolvendas Sapiens hortatur : in omni dato hilarem fac vultum tuum et in exsultatione sanctifica decimas tuas (Eccli. 35,11). Quam sedulo pharisaei fuerint in decimis persolvendis, constat ex evangeliis. Dabant enim decimas eorum quoque quae lege non comprehendebantur : qui decimatis mentham et anethum et cyminum et reliquistis quae graviora sunt legis (Matth. 23,23; Luc. 11,42), et : decimas do omnium quae possideo (Luc. 28,12). Atque rabbini legem decimarum extendentes ita statuunt : regula generalis traditur de decimis : quidquid in escam cedit et custoditur et incrementum habet e terra, ad decimas solvendas tenetur. Porro alia etiam traditur regula : quidquid ab initio et in fine etiam esui idoneum est, quantumvis servari solet ut esca incrementum capiat, illud tenetur et dum parvum est et cum grande evasit; quod autem ab initio edule non est, tandem vero in escam cedit, id non tenetur donec esui idoneum fiat (tract. de decimis cap. 1; *Surenhusius,* Mishna I. p. 245). Praeterea vide *F. de Hummelauer,* Comment. in Deut. p. 328-331.

DECLA (דְּקֵלָה, Δεκλά) recenseturseptimus inter tredecim filios Iectan (Gen. 10,27; 1 Par. 1,21). Significatur itaque tribus quaedam Iectanidarum, qui Arabiam meridionalem incolebant (v. IECTAN). Ipsum nomen, quod Chaldaeis et Syris (דְּקַלָּא) palmam vel palmetum sonat, regionem prae ceteris palmiferam innuit. Quare *Bochartus* intellegit regionem Minaeorum palmarum proventu maxime feracem (*Strabo* XVI. 4,18; *Plin.* VI. 28,161). *Knobel* innuit accolas *Wādi Nedjrān* in septemtrionali parte *Yemen,* qui palmam velut sacram coluisse feruntur, vel tribum *Khozaa,* quae a *Qakhtan* descendens primitus in *Yemen,* postea circa Mekkam habitabat et palmam *Ozza* divinis honoribus prosequebatur. Regionem *Nedjrān* cum Decla etiam *F. Lenormant* convenire censet. Sed nihil certi constat.

Cf. *Bochart,* Phaleg 2,22; *A. Knobel,* Völkertafel der Genesis 1850 p. 196; *F. Lenormant,* Histoire ancienne de l'Orient 1881 I. p. 284.

DEDAN v. DADAN.

DEDICATIO. 1. Est dedicatio sacra quaedam caerimonia, qua res usui profano subtractae Deo consecrantur et ad obsequium sacrum destinantur. Ita cum tabernaculum omniaque vasa eius et cuncta supellex essent confecta, Moyses mandatum Domini accipit, ut omnia oleo unctionis ungat et consecret, ut sanctificentur (Ex. 40,9-11); quod cum fecisset, operuit nubes tabernaculum testimonii et gloria Domini implevit illud, quo signo Deus illam dedicationem comprobavit (Ex. 40,32). Cum ritu unctionis altaris coniuncta erat oblatio sacrificiorum (Ex. 40,25. 27; Lev. 8,10. 11. 28), in qua altaris dedicatione principes tribuum singuli sua offerebant dona (Num. 7,10-88). Sollemni modo templum Salomonis est dedicatum. Celebrabatur, sicut prior illa consecratio (Lev. 8,33), per septem dies oblatione plurimorum sacrificiorum cum ingenti populi concursu; prima die arca foederis in sanctum sanctorum inferebatur et Salomon oratione longiore publice expansis manibus fusa Dei gratiam et misericordiam efflagitabat. Etiam ea occasione gloria Domini implevit domum Dei (3 Reg. 8,1 ss.; 2 Par. 5,1-7,7). Et cum post exsilium templum iterum esset exstructum et completum sexto anno Darii regis die tertio mensis Adar, fecerunt dedicationem domus Dei in gaudio oblatis sacrificiis multis (Esdr. 6,15-17) et cum demum civitas sancta moenibus esset munita, ipsi muri, quo Deus civitati civibusque largiorem suam praeberet pro-

tectionem, levitis undique accersitis dedicabantur in actione gratiarum et cantico et in cymbalis, psalteriis et citharis et oblatis sacrificiis (Neh. 12, 27-42).

2. Festum dedicationis templi seu encaeniorum. Templum et altare, quod Antiochus Epiphanes cultu idololatrico profanaverat (1 Mach. 1,57), Iudas Machabaeus devictis Gorgia et Lysia denuo ad veri Dei cultum dedicavit oblatis sacrificiis secundum legem; quae dedicatio maxima omnium laetitia diebus octo celebrata est (1 Mach. 4,53-58; 2 Mach. 2,20; 10,1-8); ut eius beneficii ac gaudii perennis maneret memoria et actio gratiarum, « statuit Iudas et fratres eius et universa ecclesia Israel, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo a quinta et vigesima die mensis Casleu cum laetitia et gaudio » (1 Mach. 4,59). Ad hanc festivitatem annuam seu ad scenopegiam mensis Casleu celebrandam Iudaei palaestinenses invitant Iudaeos alexandrinos duabus illis epistulis, quae 2 Mach. 1,1-9 et 1, 10-2,19 (graece 2,18) leguntur. Haec celebritas annua commemoratur quoque Ioan. 10,22 : « facta sunt encaenia in Ierusalem et hiems erat ». Est scil. mensis Casleu tempus Decembris. Eo festo Iesus docebat in porticu Salomonis; Iudaei eum volebant lapidare quia adeo clare suam asseruerat divinitatem. Iesus autem inde abiit trans Iordanem (Ioan. 10,22-40). Celebrabantur encaenia per octo dies domibus festivo modo illuminatis. Flavius Iosephus, postquam dedicationem templi a Iuda factam commemoravit, pergit : et ex eo tempore in hodiernum usque diem celebramus id sollemne quod dicitur Lumina (Φῶτα), hac, ut opinor, appellatione festivitati indita, quod illa nobis ex insperato affulserit agendi potestas (Ant. XII. 7,7). De ratione et modo lucernas accendendi et de numero quem Iudaei posteriores observare solebant refertur apud *Ugolini,* Thes. IV. p. 380 et 1057 ss. — Quae historiam institutionis encaeniorum spectant, vide s. v. IUDAS 1.

DELEAN (דְּלֵעָן, Δαλάδ), urbs tribus Iuda, in secunda provincia Sephelae enumerata (Ios. 15,38). De situ nonnisi coniecturae exstant.

DELPHON (דַּלְפוֹן, Δελφών, in quibusdam mss. καὶ ἀδελφῶν et τὸν Δελφών), secundus ex decem filiis Aman (Esth. 9,7).

DELUBRUM ponitur in Vulgata non solum iis in locis ubi in textu originali de templis vel sacrariis idolorum sermo est, uti Ier. 43,12. 13; Os. 8,14; Ioel 3, 5 et de locis diis sacris 2 Mach. 10,2 et 11,3 (τεμένη), verum etiam pro hebr. חַמָּנִים qua voce designantur columnae ad aras Baal appositae quae dei erant symbola et soli sacra; ita Is. 17,8; 27,9; Ez. 6,6; 2 Par. 34,7; legitur quoque Is. 65,4 pro hebr. נְצוּרִים (LXX ἐν τοῖς σπηλαίοις); videntur intellegi specus, loca abdita; item Is. 13,22 : in delubris (i. e. in palatiis) voluptatis.

DELUS (Δῆλος) insula in mari Aegaeo minima inter Cyclades recensetur 1 Mach. 15,23 inter illas regiones, quibus Romani anno 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur. Erat sedes praecipua cultus Apollinis; in hac insula Apollo eiusque soror Artemis (Diana) nati esse credebantur. Ibidem Antiochus IV. Epiphanes altare (Apollinis) statuis circumdedit (*Polyb.* XXVI. 10,12). Ineunte saeculo 2. a. Chr. mercatores Tyrii in Delo insula coloniam condidisse traduntur (Corp. Inscript. Graec. 2271). Iudaeorum in Delo mentio fit apud Flav. Iosephum (Ant. XIV. 10,8. 14). Unde recte supponitur Iudaeos iam circa a. 139 a. Chr., de quo 1 Mach. 15,23 agitur, in Delo fuisse, etsi non quoad singulas minores urbes et insulas l. c. nominatas directa testimonia afferri possunt. Sufficit sane quod de tempore Sullae (c. 85 a. Chr.) Strabo testatur apud Flav. Iosephum (Ant. XIV. 7,2) orbem terrarum a gente Iudaeorum repleri et haud facile locum in toto orbe inveniri, quin hoc genus hominum sedibus exceperit et ab eo teneatur.

DEMAS (Δῆμας) adiutor S. Pauli (Col. 4,14; Philem. 24); non erat Iudaeus, siquidem una cum S. Luca op-

ponitur iis qui ex circumcisione erant. De eodem S. Paulus in captivitate romana altera scribit 2 Tim. 4,9 : « Demas me reliquit diligens hoc saeculum et abiit Thessalonicam », quae verba alii (*S. Epiph.* Haer. 51,6) de apostasia explicant, alii de vita peccatis dedita, alii denique mitius de fuga laborum apostolicorum et amore quietis in urbe patria (Thessalonica?) consequendae.

DEMETRIUS (Δημήτριος). **1**. Demetrius I. Soter, decimus rex Syriae (162-150 a. Chr.; aer. Seleuc. 151-162), filius Seleuci IV. Philopatoris, successor Antiochi V. Eupatoris (164-162 a. Chr.). A Seleuco IV. (187-175 a. Chr.) obses Romam missus erat. Mortuo Seleuco Antiochus IV. Epiphanes frater Seleuci regnum occupavit, quod Demetrio debebatur. Post mortem Antiochi IV. (164 a. Chr.) Demetrius Roma aufugiens ad Tripolim Phoeniciae urbem appulit (2 Mach. 14,1; *Euseb.* Chron. I. 40,15 apud *Migne* 19,261 vel *ed. Schoene* I. 254). Antiochus V. et Lysias tutor eius ab exercitu suo traditi et iussu Demetrii occisi sunt (1 Mach. 7,1-4; 2 Mach. 14,1. 2). Demetrius novitati suae otium periculosum ratus finitimorum bellis opes augere statuit (*Iustin.* 35,1). Bacchidem in Iudaeam misit, ut vi armisque Alcimum pontificem Iudaeis obtruderet (1 Mach. 7,5-20). Cum Alcimus propter scelera sua a Iuda Machabaeo in angustias coniectus esset, Demetrius Nicanorem misit, is vero duobus proeliis superatus ipse interemptus est (1 Mach. 7,21-50; 2 Mach. 14,3 ss.). Sed eodem anno 161 a. Chr. brevi post hanc cladem Bacchides a Demetrio I. rursum in Iudaeam missus Iudam Machabaeum apud Laisam devicit (1 Mach. 9,1-18). Iudae, qui in ipso proelio occubuerat, successit Ionathas frater eius. Anno 158 a. Chr. Demetrius I. iterum Bacchidem contra Iudaeos misit; qui cum nihil contra Ionathan valeret, pace composita in Syriam rediit. Demetrius I. igitur per quinque annos insequentes (158-153 a. Chr.) rebus Iudaeorum se non immiscuit (9,57-73). Verum cum a. 153 a. Chr. Alexander Balas thronum Syriae appeteret, Demetrius I. promissionibus multis Ionathan sibi devincire studuit; at frustra. A Ionatha derelictus est et anno 150 a. Chr. ab Alexandro victus in proelio occubuit (1 Mach. 10,1-50).

Cf. *F. de Saulcy,* Histoire des Machabées 1880 p. 201-233; *E. Schürer,* Geschichte des jüd. Volkes etc. *ed.* 3 I. p. 170 s. 216 ss.

2. Demetrius II. Nicator, rex Syriae 145-138 a. Chr. (aer. Seleuc. 167-174) et iterum 128-125 vel 124 a. Chr. (aer. Seleuc. 184-188), filius Demetrii I. Anno 147 a. Chr. Demetrius II. cum Alexandro Bala, qui Demetrium I. regno et vita privaverat, de throno Syriae contendere coepit. Ope Ptolemaei VI. Philometoris, qui Alexandrum generum suum prope Antiochiam devicit, Demetrius II. regnum obtinuit (1 Mach. 10,67 ss.; 11, 1-19). Quamquam Ionathas Machabaeus pro Alexandro Bala contra Apollonium ducem Demetrii prospere pugnaverat (1 Mach. 10,69 ss.), tamen Demetrius II. Ionathan pontificem et principem agnovit eique litteras immunitatis a tributis misit (1 Mach. 11,20-37). In seditione Antiochensium rex auxilio Iudaeorum victor evasit (11,38. 41-52), sed promissis Ionathae factis non stetit (11,53). Interim vero Tryphone duce Antiochus VI. filiolus Alexandri Balae ex Arabia reversus Demetrium II. Antiochia expulit (11,39. 40. 54-56) et cum Ionatha foedus iniit (11,57-59). Iudaei ducibus Ionatha et Simone contra Demetrium II. felicia bella gesserunt (11,60-74; 12,24-34), donec perfidia Tryphonis Ionathas dolose captus et occisus est (12,39-54; 13,23). Brevi post Tryphon in Syriam reversus Antiochum VI. dolo interfecit, ut ipse cum Demetrio II. de throno concertaret (13,31. 32). Ex hoc tempore Iudaei duce Simone causam Demetrii II. sequebantur; is vero Iudaeis non solum tributa retro debita indulsit, sed etiam plenam ac perpetuam immunitatem a tributis concessit. Hoc igitur anno 170 aer. Seleuc. (143/142 a. Chr.) ablatum est iugum gentium ab Israel (13,33-41). Post diuturna cum Tryphone certamina Demetrius II. in Mediam progressus a Mithridate I. (Arsace VI.) Parthorum rege captus est (14,1-3). Decem annis, quibus

in captivitate retentus est (138-128 a. Chr.), Antiochus VII. Sidetes Tryphone victo et interempto regnavit (v. ANTIOCHUS 6). Dum Antiochus VII. Parthis bellum inferens in proelio occiditur, Demetrius II. e captivitate Parthorum dimissus regnum denuo occupavit (*Iustin.* 38,10; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 8,4; *Euseb.* Chron. I. 40,20 apud *Migne* 19, 263 vel *ed. Schoene* I. 257). Regno potitus statim eo usque superbiae ac levitatis progressus est, ut Ptolemaeo VII. Physconi bellum inferret; is vero iuvenem quendam Aegyptium in Syriam misit, qui thronum armis peteret, composita fabula, quasi per adoptionem Antiochi VII. in familiam regiam esset receptus; iuveni nomen Alexandri imponitur; a Syris cognomen Zabinae nactus est, quippe qui emptus (ἀγοραστός) a Ptolemaeo putaretur. A Zabina Demetrius apud Damascum victus primum Ptolemaida, dein navi Tyrum aufugit et ibidem navi egrediens interfectus est a. 125 vel 124 a. Chr. (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 9,3; *Iustin.* 39,1; *Euseb.* Chron. I. 40, 20 quo loco Zabinam Alexandri Balae filium dictitatum esse legimus).

Cf. *F. de Saulcy,* Histoire des Machabées 1880 p. 233-278; *E. Schürer,* Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 I. p. 172 s. 232 ss.

3. Demetrius, faber argentarius, faciens aedes argenteas Dianae, qui seditionem Ephesi in S. Paulum excitavit (Act. 19,23-40).

4. Demetrius, christianus fidelis (3 Ioan. 12).

DEMOPHON (Δημοφών), unus ex praefectis regionum, qui in Iudaeos saevire pergebant (2 Mach. 12,2), postquam Lysias, tutor Antiochi V. Eupatoris, pace cum Iuda Machabaeo composita in Syriam rediit (12,1; cf. 11,1-15).

DENABA (דִּנְהָבָה, Δενναβά), urbs regia Bela (Bale) regis Edomitarum, filii Beor (Gen. 36,32; 1 Par. 1,43). Eius nominis urbs in Edom assignari hucusque nequit. Est autem nomen, quod alibi frequentius invenitur. Erat Δάναβα in Syria palmyrena (*Ptol.* V. 15,24) [*ed. Muller-Fischer* 14,19]), Δανάβη in Babylonia (*Zosimus,* Hist. 3,27). Teste S. Hieronymo erat villa Dannaia (Δαννεά apud Eusebium) 8 mil. pass. ab Areopoli seu Ar Moab pergentibus Arnonem et altera Dannaba super montem Phogor 7 mil. pass. ab Esbus seu Hesebon (Onom. *ed. Lag.* 114,32; cf. 249,36 mutilatum textum Eusebii), sed neutra ad terram Edom referri potest.

DENARIUS (δηνάριον) nummus argenteus romanus, aequivalens drachmam, constans decem assibus, ab anno 217 a. Chr. sedecim assibus. Denario merces diurna constituebatur (Matth. 20,2); simili modo Tacitus scribit de militibus, denis in diem assibus animam et corpus aestimari, ut singulos denarios mererent postulare milites (Annal. 1,17); stipendium militare annuum pro legionariis tempore reipublicae romanae constituebatur denariis 120, a Caesare augebatur ad 225, à Domitiano ad 300 (cf. *Marquardt,* Handbuch der röm. Alt. III. 2 p. 76. 77). Centum denarii unam faciunt minam i. e. sexagesimam partem talenti; unde intellegitur durities servi cui remissa erant decem millia talentorum et qui tamen conservo noluit remittere centum denarios (Matth. 18,24. 28). Summa ducentorum denariorum ut minima effertur Marc. 6,37, qua opus esset ut ex quinque millibus virorum unusquisque aliquid panis acciperet. Libram unguenti pretiosi quo Maria Dominum unxit in Bethania potuisse venumdari plus quam trecentis denariis existimat Iudas Iscariotes (Marc. 14, 5; Ioan. 12,5). Olim insigniti erant denarii imagine deae Romae, postea imagine Caesaris (Matth. 22,20; Marc. 12, 16; Luc. 20,24). — De valore denarii vide s. v. PECUNIA.

DERBE (Δέρβη), urbs Lycaoniae ad quam Paulus apostolus in primo suo itinere apostolico pervenit (Act. 14,6. 19); ibidem cum Barnaba praedicavit et multos docuit. Inde reversi sunt Lystram et Iconium et Antiochiam. Derbe erat patria Gaii, unius ex sociis qui comitati sunt Paulum revertentem ex Graecia et per Macedoniam proficiscentem Troadem (Act. 20,4). Ex Act. 15,36; 16,1 elucet apostolum etiam post concilium apostolorum iterum invisisse coetum

fidelium in Derbe constitutum. Perperam aliqui ex Act. 20,4 collegerunt Timotheum fuisse Derbeum, cum tamen ex Act. 16,1 pateat eum fuisse ex Lystra oriundum.

DERCON v. DARCON.

DESERTUM in usu loquendi biblico est terra plus minusve inculta. Indolem regionum desertarum indicant variae voces, quibus in textu primigenio eae regiones designantur.

מִדְבָּר (ἔρημος, Vulgata : desertum, interdum : solitudo, rarius : eremus) est regio inculta gregibus pascendis apta (a rad. דבר pascere, sicut germanice *Trift* a *treiben*). Hac voce in Vet. Test. designatur praecipue magnus ille terrae tractus, qui a Sinai septemtrionem versus extenditur, orientem versus a sinu Aelanitico et montibus Seir includitur, in qua regione Israelitae duce Moyse per 40 annos peregrinabantur. Itineris illius pericula describuntur Deut. 8,15 : ductor tuus fuit (Dominus) in solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens et scorpio et dipsas et nullae omnino aquae, qui eduxit rivos de petra durissima. Quare apud prophetam Deus laudat populi fidelitatem, qua vocantem Dominum secutus sit in desertum (Ier. 2,2 hebr.), quamvis in ipso deserto haud semel tempore migrationis vario modo in Dominum peccaverint et ultionem divinam sint experti (cf. Ex. 16,2; 17,2; Num. 14,2; 16,2; 21,5; 25,1; Deut. 1,26; Ez. 20,8; Am. 5,25. 26). Huius magni deserti partes nominantur desertum Etham, Sur, Sin, Sinai, Pharan, Cades, Sin; desertum denique Bersabee terminat illas terras incultas et iam regiones cultas meridionales terrae promissae attingit.

Eodem nomine מִדְבָּר designantur desertum Iuda eiusque partes Maon, Ziph, Engaddi, Thecue, Ieruel, deinde in tribu Beniamin solitudo Bethaven, desertum (in) Gabaon, ad orientem Palaestinae desertum Idumaeae (4 Reg. 3,8), desertum Moab (Deut. 2,8), desertum Ier. 25,24 scil. arabicum et syro-arabicum, solitudo Cademoth, desertum Deblatha (sed vide s. v.), solitudo Gen. 36,24 scil. circa Callirrhoe, solitudo Gen. 37,22 prope Dothain; accedit desertum (ἔρημος) Bosor (1 Mach. 5,28).

עֲרָבָה (ἔρημος, etiam ἕλος, γῆ διψῶσα, Vulgata : desertum, solitudo, terra inhabitabilis, arens, deserta) est regio arida, sterilis eodem fere sensu, quo מִדְבָּר (cf. Is. 33,9; 35,1. 6; 40,3; 41,19; 51,3; Ier. 2,6; 50,12; 51,43 et hebr. etiam 5,6), unde saepius locis citatis in membris parallelis ponuntur מדבר et ערבה. Cum articulo haec vox designat vallem depressiorem *el-ʿAraba* et in forma plurali campestria Moab et Iericho (v. ARABA).

חָרְבָּה, plur. חָרְבוֹת (ἔρημος, ἐρήμωσις, αἱ ἠρημωμέναι, ὀνειδισμός, ἀφανισμός, οἰκοπέδον, Vulgata : ruinae, ruinosa, desertum, solitudo, desolatio et Ps. 101[102],7 domicilium) designat siccitatem, loca sicca, vastationem, loca vastata; cf. Is. 5,17; 44,26; 48,21; 49,19; 52,9; 58,12; 61,4; Ier. 7,34; 22,5; 25,9. 11. 18; 44, 22; Ez. 5,14; 13,4; 33,24. 27; 36,10. 33.

יְשִׁימוֹן (ἔρημος, γῆ ἄνυδρος, Vulgata : vasta solitudo, desertum, inaquosum, invium) significat vastitatem, desertum (Deut. 32,10; Ps. 67[68], 8; 77[78], 40; 105[106], 14; 106[107],4; Is. 43,19. 20) et cum articulo speciatim partem deserti Iuda prope Ziph (1 Reg. 23,19. 24 ὁ Ἰεσσαιμός, 26,1. 3 ὁ Ἰεσσεμός, Vulgata 23,24 Iesimon) et parvam planitiem circa Bethiesimoth prope mare Mortuum inter septemtrionem et orientem (Num. 21, 20; 23,28).

In Novo Test. memorantur desertum Iudaeae (Matth. 3,1; cf. Marc. 1,4; Luc. 3,2), desertum in quo Iesus tentatus est a diabolo (Matth. 4,1; Marc. 1,12; Luc. 4,1) ad radices montis Quarantania (*Djebel Qarantal*) ut antiqua traditio fert, desertum iuxta Ephrem (Ioan. 11,54) seu desertum Bethaven, si Ephrem agnoscitur *el-Ṭaiybe* prope *Beitīn*, deserta loca in vicinia lacus Tiberiadis (Marc. 1, 35. 45), desertum in quo prior multiplicatio panum facta est (Matth. 14,13; Marc. 6,35; Luc. 8,12) seu planities prope Bethsaidam Iuliada, desertum in quo altera multiplicatio panum facta est (Matth. 15,33; Marc. 8,4) ad orientem lacus Tiberiadis.

Extra Palaestinam nominantur desertum superioris Aegypti (Tob. 8,3) et Arabia (Gal. 1,17), ubi S. Paulus in solitudine ad munus apostolicum institutus est.

Desertum in S. Scriptura exhibetur velut imago mortis, desolationis, vastationis (cf. Ier. 46,19; 49,13; 50,23; Ez. 29,9; Ioel 3,19; Soph. 4,2) et domicilium daemonum (Tob. 8,3; Matth. 12,43; Luc. 11,24; Apoc. 18,2).

DESPONSATIO. Uti ex variis narrationibus colligitur, parentes providere solebant sponsam filio; cf. Gen. 24,3 ss.; 34,4; 38,6; Ex. 21,9; Iud. 14, 2; exemplo Esau discimus quandoque filios etiam invitis parentibus sponsas elegisse (Gen. 27,46). Patri sponsae certum quoddam pretium solvendum erat (Gen. 34,12; 1 Reg. 18,23) vel alia erant obsequia praestanda; ita Iacob serviebat pro duabus uxoribus suis eorum fratri Laban per annos quattuordecim (Gen. 29,18. 20. 27) et Caleb promisit se daturum Axam filiam uxorem ei qui percusserit Cariath Sepher (Ios. 15,16), Saul filiam ei promisit qui percusserit Goliath (1 Reg. 17,25) et David ait : redde mihi uxorem meam Michol quam despondi mihi centum praeputiis Philisthiim (2 Reg. 3,14; cf. 1 Reg. 18,25). Quando agebatur de desponsatione, etiam fratres sponsae consulebantur; ita Iacob noluit agere cum Hemor absentibus filiis, sed siluit donec redirent (Gen. 34,5). Ex Deut. 22,23. 24.25 consequitur ipsa iam desponsatione sponso et sponsae conferri iura matrimonii. Nam qui puellam desponsatam violaverit, dicitur humiliasse uxorem proximi sui et punitur ut adulter, et ipsa quoque desponsata, si alium admiserit, punitur morte ut adultera. Cum itaque desponsatione iam acquirantur iura coniugalia, in mysterio Incarnationis Angelus mittitur ad Virginem desponsatam viro; ita enim eius consulitur honori antequam tempus esset prodendi mysterium (Luc. 1,27). Ex desponsatione eo modo accepta etiam consequitur, recte loqui prophetam de *virgine* quae lugeat de *viro* pubertatis suae (Ioel 1,8). Si quis puellam nondum deponsatam violaverit, dabit patri eius 50 siclos argenti et habebit eam uxorem neque unquam poterit eam dimittere (Deut. 22,28. 29). Certum pretium etiam nominatur Os. 3,2 : fodi eam mihi quindecim argenteis et coro hordei et dimidio coro hordei.

Cum Messias tamquam sponsus, Ecclesia ut sponsa consideretur (Os. 1,19; Ps. 44; Is. 61,10; Ioan. 3,29), scribit apostolus : despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (2 Cor. 11,2). Quae consideratio eo maiore iure infertur, quia iam vetus foedus simili modo tamquam desponsatio quaedam sacra proponitur (cf. Ier. 2,2; Ez. 16,8).

DESSAU (Δεσσαού) castellum, κώμη (2 Mach. 14,16), ubi Iudaei audito adventu Nicanoris et ope divina implorata cum hostibus congressi sunt (συμμίσγουσιν αὐτοῖς). Ceterum pagus hic ignotus est; neque iuvamur eo quod ex syriaco דשי vox explicatur tritura, vel potius ita explicari posse coniectatur.

DEUS. Natura Dei sublimi modo declaratur : ego sum qui sum, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν (Ex. 3,14) i. e. plenitudo τοῦ esse Dei est illamque habet a se solo; qua declaratione iam continetur infinita Dei perfectio, aeternitas, immensitas, immutabilitas, potentia illa qua omnia quae esse possunt ac sunt ab eo habeant τὸ esse acceptum eique plenissime subdantur. Quae singula multoties varioque modo in s. litteris de Deo praedicantur. Ita cuncta quae exsistant ab ipso esse creata eiusque potentia sustineri, vide Gen. 1,1 ss.; Deut. 32,6; Ps. 32,9; 148,5; Sap. 1,14; 11,18; Eccli. 18,1; Is. 40,28; 42,5; 45,18 etc.; omnia quoque ab eo administrantur, reguntur, eius providentiae subsunt; cf. Iob 12,13-25; 23, 13; 28,23-28; Ps. 45,2; 46,9; Sap. 8,1; 12,13; Eccli. 1,8 ss.; Is. 28,26; 40,22-31; 44,24-26; 45,7; Am. 5,8; 9,5. 6. 8 etc.; ipse appellatur et est Deus fortis, misericors, sanctus, magnus, propitius, clemens, salvator, protector, adiutor, excelsus, mirabilis, terribilis, in misericordia disponens omnia, fidelis, sempiternus, aeternus, primus et novissimus, scrutans corda et renes, iustus, revelans mysteria, laudabilis, gloriosus,

Deus zelotes, aemulator, qui gloriam suam alteri non det, cum ipse sit Deus solus (cf. Ex. 20,5; 34,6. 14; Deut. 7,9. 21; 1 Reg. 2,3; 2 Par. 30,9; Neh. 9,17; Esth. 16,4. 16; Iob 36,26; Ps. 7,10. 12; 30,3; 45,2; 67,36; 77,35; Sap. 15,1; Is. 44,6; 45,21; Dan. 2,28; 3,52; 9,14; 13, 42; 2 Mach. 1,24 etc.). Quo cognitio Dei modo etiam rudioribus apto tradatur, eius potentia, scientia aliaque attributa describuntur imaginibus ex ordine communi depromptis : oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi et hominum corda intuentes in absconditas partes (Eccli. 23,28); si habes brachium sicut Deus et voce simili tonas (Iob 40,4); ita sermo fit de brachio Dei excelso, de brachio extento et manu forti, de magnitudine brachii eius (Ex. 6,6; 15,16; Deut. 5,15; 7,19 etc.); pariter : et erunt oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus (3 Reg. 9,3); scapulis suis obumbrabit tibi et sub pennis eius sperabis (Ps. 90,4); cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam (Ps. 36,24); ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel (Ps. 120,4); Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir proeliator suscitabit zelum, vociferabitur et clamabit, super inimicos suos confortabitur (Is. 42,13) etc. Ut eiusmodi apta sunt ad cognitionem Dei ingerendam, ita sine ullo periculo proponi poterant quia Deum esse spiritum sine ulla corporis admixtione iam antiquitus clare docebatur: Moyses enim ulla imagine Deum repraesentari prohibuit (Ex. 20,4; Lev. 26,1 ; Deut. 5,8) et de Dei manifestatione populum admonuit : vocem verborum eius audistis et formam penitus non vidistis (Deut. 4,12). Ex operibus Dei concluditur et explicatur eius magnitudo: cf. Iob 28,24 s.; 38,5-41, 25; Ps. 18,1-7; Eccli. 43,1-37; Is. 40,26; eius sublimitas declaratur comparationibus : quis mensus est pugillo aquas et caelos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae? ecce gentes quasi stilla situlae et quasi momentum staterae, et insulae quasi pulvis exiguus; omnes gentes quasi non sint et quasi nihil et inane coram eo (Is. 40,12-17), qui extendit velut nihilum caelos et expandit eos sicut tabernaculum, extendens caelos solus, stabiliens terram et nullus mecum (Is. 40,22; 44,24).

In Vetere Testamento peculiari ratione sibi elegit populum Israel, quae electio iam praeparatur Gen. 9,26, dum Iahwe Deus Sem vocatur et quae in vocatione Abraham et in promissionibus ei datis primum nanciscitur effectum. Haec electio porro significatur foedere cum Abraham inito (Gen. 17), vi cuius foederis Deus se vocat Deum Abraham, Isaac et Iacob et posteros patriarcharum duce Moyse educit ex Aegypto et eos sollemni modo in Sinai assumit in peculium de cunctis populis, in regnum sacerdotale, in gentem sanctam (Ex. 19, 5.6; cf. Ier. 2,3; Ez. 16,8). Ideo Israel vocat filium suum primogenitum (Ex. 4,22) et populo singulari ratione leges praescribit ad omnem vitae rationem, domesticam, civilem, religiosam ordinandam, ita quidem, ut ipse esse velit peculiari modo eius populi rex (cf. Num. 23,21) et reges Iuda sedeant in throno regni Iahwe super Israel (1 Par. 28,5). Praeterea populum dirigit continua missione prophetarum et in rebus difficilioribus per Urim et Thummim interrogantibus respondet. Populo legem observanti adest protector ac remunerator benignissimus; recedenti a via Domini exsistit ultor; revertenti et veniam flagitanti praesto est adiutor.

Dum ratione plane singulari populi Israel curam gerit, simul tamen se manifestat moderatorem ac dominum omnium populorum. Etiam reliquos populos tamquam suos agnoscit filios (Ier. 3, 19); iis utitur ad sua consilia exsequenda, uti in vaticiniis prophetarum de nationibus externis pluribus proponitur. Iis quippe oraculis Deus modo sollemni declaratur gubernator ac moderator omnium, a cuius nutu ac voluntate omnia regna pendeant et qui ad sua consilia exsequenda cuncta dirigat et qui contra idola gentium suam manifestet maiestatem ac potentiam. Uti nationibus usus est ad populum suum praevaricatorem puniendum et demum in exsilium abducendum, ita Cyrum aliosque reges excitat ad populum re-

ducendum et sanctuarium iterum erigendum.

Nomen Dei antiquissimum et maxime commune videtur esse El, apud Assyrios Ilu. De etymologica notione variae propositae sunt sententiae. Ita *de Lagarde* recurrens ad praepositionem אֶל ad, versus, El ait eum dicere ad quem omnes homines tendant, qui sit finis ac terminus desiderii omnium. Alii ex vocibus et phrasibus cognatis potius concludunt subesse radici notionem potentiae (cf. nomina hebr. pro quercu, terebintho et phrasin יש לאל ידי est in potentia manus meae, ego possum); verum reiecta radice אול ob el (ilu) potius assumitur אלה esse validum. Inde autem derivari quoque censent Elohim, esse scil. formam pluralem vocis prioris. Ad El saepius additur Shaddai (Gen. 17,1; 28,3; Ex. 6,3) et vocatur Deus etiam Shaddai (Ioel 1,15; Ruth 1,20. 21; saepius in libro Iob); LXX παντοκράτωρ, etiam ὁ τὰ πάντα ποιήσας, ὁ ἱκανός, Vulgata communiter Omnipotens. Vocatur Deus quoque Altissimus, Excelsus (El elion, Gen. 14, 22), Sanctus, Sanctus Israel (saepe apud Isaiam). Verum nomina frequentissima sunt Elohim, Iahwe. Discrimen inter nomina haec multis in locis adverti potest hoc : Elohim nomen Dei est quatenus creator mundi est et gubernator nationum.

Forma pluralis declarat excellentiam (pluralis excellentiae, uti grammatici loquuntur). Nomen hoc etiam quandoque attribuitur aliis praeter Deum; ita iis qui munere suo quasi personam Dei gerunt; Ex. 21,6 : offeret eum dominus diis; 22,8. 28 (cf. Deut. 19,18 : stabunt ambo quorum causa est ante Dominum in conspectu sacerdotum et iudicum); sed nota posse verba hebr. melius ita intellegi, ut qui disceptant iubeantur adduci ad Deum i. e. ad sanctuarium. Sed Ps. 81,1. 6 iudices appellari deos non poterit negari (sed Ps. 46,10 Vulgata : quoniam dii fortes terrae vehementer elevati sunt, LXX ὅτι τοῦ θεοῦ οἱ κραταιοί; hebr. Dei sunt scuta terrae; valde exaltatus est) et apud LXX Elohim quandoque de angelis exponitur Ps. 8, 6; 96,7. Etiam idola gentium eo nomine designantur haud raro (Gen. 31,30; 35, 2; Ex. 12,12; 18,11; 20,3. 23 etc.).

Iahwe יהוה (LXX κύριος, Vulgata : Dominus) nomen est Deo uni proprium, nomen incommunicabile, quod declaratur Ex. 3,14. Uti usu huius nominis Gen. 2,4 ss. et 9,26 (Iahwe Deus Sem) iam indicatur, Iahwe praeprimis Deus dicitur quatenus peculiari foedere vel pacto se hominibus manifestat, est quasi nomen proprium Dei foederis. Quare in foedere cum Abraham ineundo apparet Iahwe (Gen. 17,1) et in promissionibus foederis adimplendi, in promissionibus messianis (in te benedicentur omnes gentes) Iahwe loqui perhibetur (cf. Gen. 22,16; 26,2 ss.; 28,13). Inde quoque fit, ut cum promissiones illae de terra danda essent exsecutioni mandandae, Deus periodo impletionis nomen illud sollemne praefigat, quo significet se qui sit ὁ ὤν foedus illud revera exsequi, se pro sua natura foederis constantiam, immutabilitatem testari et sublimitatem et ultimum foederis illius terminum quo homines perducat esse visionem et fruitionem ipsius essentiae divinae. Et quia Deus hoc nomine impletionem promissionum spondet, frequens est ut promissis vel etiam minis addatur dictio : et scietis quod ego sum Iahwe; ita iam Ex. 6,7; postquam enim dixit : educam vos de ergastulo Aegyptiorum et eruam de servitute ac redimam in brachio excelso et assumam mihi vos in populum, adiungit : et scietis quia ego sum Iahwe Deus vester. Ita simul clare explicatur quo sensu dictum sit v. 3 : secundum nomen meum Iahwe non scitus sum eis (Abraham, Isaac, Iacob) i. e. illi impletionem promissionum non viderunt, me non experti sunt ut Iahwe, qui scil. rem promissam in opus iam deduceret. Ea sermonum Domini clausula frequentissime legitur apud Ezechiel.

In nominibus compositis nomen Dei Iahwe apparet in forma iahu, ia, i; porro apud Babylonios iau nomen erat signi i quo Deus exprimitur. Unde *Schrader* cum aliqua haesitatione, *F. Delitzsch* vero sine ulla haesitatione affirmarunt iau esse idem ac hebr. iahu et nomen Dei derivari a Babyloniis; et addit *Delitzsch* iahu fuisse semper nomen

Dei populare apud Israelitas, qui Iahwe non uti soliti essent; verum iahu, quia ex lingua hebraea intellegi non posset, esse ab eruditis sacerdotibus et prophetis mutatum in Iahwe; porro deum iau, iahu etiam ab aliis esse cultum, uti nomina quaedam propria apud Phoenices, Philisthaeos, Hethaeos, Hamathenses, Ammonitas demonstrent (cf. *Delitzsch*, Paradies p. 159-164; *Schrader*, Keilinschriften und A. T. ad Gen. 2,4). — Quae tamen sententia nequaquam aliis viris doctis probatur; eam oppugnabant *Tiele*, *Philippi*, *Driver* (cf. Studia biblica, Oxford 1885 p. 4 ss.). Et merito quidem. Nam nullo modo ostendi potest iahu, non autem Iahwe, fuisse nominis formam usitatam; ubique enim legitur et scribitur Iahwe, immo in antiqua illa inscriptione quae a Mesa rege Moab nomen habet Deus Israelitarum scribitur יהיה; proinde Moabitae ipsi sciebant nomen Dei apud Israelitas populare et commune. Porro nomen hoc in verbis compositis fuisse apocopatum in iahu, ex indole linguae facile consequi *Driver* significat, dum e contra affirmat, non posse satis explicari quomodo ex babylonico iau oriri potuisset iahu; ex analogia enim et norma legum phoneticarum debuisse ex iau fieri iô, quae tamen forma nunquam in fine verborum compositorum deprehendatur; si autem iô in initio nominum propriorum legatur, id nullatenus ei opinioni favere, cum ex regulis linguae hebraeae eiusmodi contractio explicetur. Insuper contendit nondum esse sufficienter probatum i apud Assyrios nomen fuisse deitatis.

Alii aliunde nomen Dei Iahwe repetunt. Et *Sayce* quidem qui omnino negat nomen quoddam Iahwe in mythologia babylonica reperiri, potius ab Hethaeis eius originem quaeri posse autumat; *King* ultimam eius nominis radicem in accadico an, anu deprehendi coniectat; *Stade*, *Tiele* nomen per Moysen fortasse a Kenitis esse acceptum censent probabile (cf. *Driver* l. c.); alii etiam originem esse ex Aegypto quaerendam imaginati sunt (de ea coniectura vide *Smith-Fuller*, Dictionary of the Bible s. v. Iehovah).

Ab ea nominis explicatione quae Ex. 3,14 traditur, haud pauci recedere malunt et formam Iahwe tamquam formam hiphilicam accipiunt. Iis iam praeibat *Clericus* ad Ex. 6,3 explicans : יהוה faciet ut sit; « uno verbo graece non ineleganter dixeris γενεσιουργόν exsistentiae effectorem »; atque simili modo *Gesenius*, *Lagarde*, *Kuenen*, *Schrader*, *Baudissin*, *Nestle*, *Schultz H.*, *Tiele* etc. Verum bene advertit *Driver* vix in ulla lingua semitica adhiberi formam causativam verbi היה; neque ullam esse rationem ad eam recurrendi formam apud Hebraeos plane inauditam, vide quoque in Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XXXIX. 1885 p. 566 ss.; et *Delitzsch* quoque ait sine ulla ratione contradici derivationi Ex. 3,14 propositae (l. c. p. 161), immo formam hiphilicam neque in usu biblico neque postea reperiri, unde illam explicationem plane fieri nullatenus posse. Immo aliqui ad arabicum הוי recurrerunt nomen illud explicantes de eo qui facit cadere scil. pluviam, fulgura; ita *Robertson Smith;* mitto alia explicationis portenta, uti quod *Luzzatto* proposuit nomen esse compositum ex duabus interiectionibus, יה qua designetur poena et יהו qua gaudium exprimatur, inde vocari Deum auctorem boni et mali.

Varia quoque proposita sunt de quaestione, quomodo יהוה pronuntiari debeat. Non esse pronuntiandum Iehova (de quo nomine et enuntiandi modo magnopere iam indignatus est *Genebrardus*) certum est et ipsa quoque nominis explicatione Ex. 3,14 demonstratur. Ea enim patefit nomen derivari a היה (היה) et esse similem formationem, sicut Isaac, Iacob a verbis צחק, עקב formantur; unde plane fieri nequit, ut Iehova exoriatur. Insuper notum est in textu mas. voci adscripta esse puncta vocalia, quibus Adonai legerent, cum יהוה fuerit nomen ineffabile saltem temporibus posterioribus. Si spectatur illud אהיה Ex. 3,14, forma יהוה Iahwe omnino erit praeferenda. Pro a in prima syllaba etiam testantur formae יה, יהו et quod Theodoretus et Epiphanius referunt de nomine Ἰαβέ. Quare minus probabiles sunt formae Iehewe, Iehwe, Iihwe, quae etiam propositae sunt; alii malunt

lahwa, lahawa; quod etiam propositum fuit lahwo (cf. I A Ω Gnosticorum), recedit omnino ab analogia verborum in ה״ל. Merito hodie communiter lahwe pronuntiatur.

Mysterium SS. Trinitatis, seu in Deo esse plures personas, quod aliqui haud bene in forma plurali Elohim innui existimabant, melius dici poterit aliquo modo obscuro significari, cum Deus loquatur : faciamus hominem (Gen. 1,26; cf. 3,22; 11,7), quis ibit nobis (Is. 6,8). Dein sapientia Dei ita describitur, ut nihil deesse videatur ad illam in propria persona constituendam (cf. Prov. 8,12 ss.; Sap. 7,22 ss.; Eccli. 24,5 ss.). Verum revelatio huius mysterii omnino pertinet ad Novum Testamentum. (v. TRINITAS).

Pariter proprium est doctrinae a Christo nobis allatae, ut Deus a nobis adorandus sit et invocandus sub nomine patris. Quod nomen Deo quidem in Vetere quoque Testamento inditur Deut. 32,6, ubi pater populi Israel dicitur, similiter Is. 63,16 et 64,8 (Iob 34,36 legitur in Vulgata pater mi, sed versiones veteres longe aliud praebent); at Christo tamen docente hoc nomen suavissimum ac consolatione plenum libera fiducia a nobis usurpari potest, cum et orare nos iubeat : Pater noster etc. et toties de patre nostro caelesti sermonem inferat (cf. Matth. 6,1. 4. 6. 18; 7,11; 10,29; 18,14; 23,9 etc. etc.). Quam indolem paternam S. Ioannes optime delineat scribens : Deus caritas est (1 Ioan. 4,8). Uti in Vetere Testamento Dei cura et dilectio in omnes describitur : diligis omnia quae sunt et nihil odisti eorum quae fecisti (Sap. 11,25), ita pariter in Novo legimus : sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam aeternam (Ioan. 3,16) et : Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (1 Tim. 2,4). Neque minus a Christo discimus quanta cura et providentia Deus singula disponat et quam provide hominibus prospiciat (cf. Matth. 6,26-32). Hominibus malis Deus non subtrahit beneficia sua, quo exemplo Christus ad dilectionem inimicorum nos instituit (Matth. 5,44 ss.). Dei in peccatores resipiscentes misericordiam depingit in parabola filii prodigi (Luc. 15,20); sed ad coercendas malas quibus in peccatum propelluntur homines concupiscentias et ad vincendum inanem terrorem hominum etiam Deum flammis gehennae peccata ulciscentem nobis depingit (cf. Matth. 5,29. 30; 10,28; 18,8); Dei in peccatores ultionem apostoli quoque verbis gravissimis describunt (Rom. 1,18; 2 Petr. 2,4; Apoc. 21,8).

I. KNABENBAUER.

DEUTERONOMIUM. Ea voce redditur Deut. 17,18 et Ios. 8,32 hebr. מִשְׁנֵה; dicitur quippe in lege regis : postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis huius (LXX τὸ δευτερονόμιον τοῦτο) in volumine, et Ios. 8,32 : et scripsit super lapides deuteronomium legis Moysi (LXX τὸ δ., νόμον Μωυσῆ), quod ille digesserat coram filiis Israel. Unde vox significare videtur exemplar (transcriptum), vel ut alii explicant : duplum, vel iterationem, repetitionem. Sed prior notio de exemplari praeferenda videtur; etiam in Targum chald. פתשגן exemplar transsumptum, transcriptum explicatur (Abschrift, cf. *Paul de Lagarde,* Mittheilungen IV. p. 190).

In editionibus graecis et latinis eo nomine designatur liber quintus Moysis (hebr. elle haddebarim); nomen aliqui explicant, quia, uti in synopsi Ps.-Athanasii dicitur, « post acceptam in tabulis scriptam legem Moysis veluti secundam legem (δεύτερον νόμον) sermones huius libri ex divino praecepto Israelitis promulgavit » (apud *Migne* 28,308); potius est legis explanatio quaedam, exhortatio ad legis observationem inducens et efficax. — Quaestiones Introductionis biblicae tractare non est huius loci.

DEXTRALE sc. ornamentum; quae vox significat brachiale, armillam. Ponitur in Vulgata Ex. 35,22 pro hebr. כּוּמָז (quam vocem Vulgata Num. 31,50 reddit muraenulas); eam vocem explicant de globulis aureis ex quibus ornamenta, brachialia, armillae, catellae conficiebantur; LXX περιδέξια. Num. 31,50

in Vulgata eadem voce exprimitur hebr. עָגִיל annulus (eam vocem Vulgata Ez. 16,12 reddit circulum, LXX τροχίσκον). Eo ornamenti genere etiam Iudith usa est (10,3).

DIABOLUS v. **DAEMONES.**

DIACONUS (διάκονος). Praeter notionem generalem de famulis, ministris, qua διάκονος haud raro in textu graeco adhibetur, diaconi simul cum episcopis nominantur Phil. 1,1 et 1 Tim. 3,8, quo loco simul praescribitur quales esse debeant : diaconos similiter pudicos σεμνούς (ita se gerant, ut aliorum reverentiam mereantur), non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura; et hi autem probentur primum et sic ministrent nullum crimen habentes; diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene praesint et suis domibus. Communiter censent Act. 6,3 institui diaconos, qui curam gerant pauperum. Ad eiusmodi ministrationem, qua subsidia a fidelibus collecta indigentibus distribuuntur, etiam accommodantur monita apostoli, quibus diaconi docentur, ut cum gravitate ac dignitate se gerant, ne alia apud alios dicant (aliter loquantur superioribus, inferioribus aliter), ne dum subsidia divitum colligunt bibacitati indulgeant, ne suum ex eleemosynis lucrum quaerant, ut pura mente pauperibus ut ipsi Christo ministrent etc. Praecipit porro apostolus, ut bonus habeatur delectus eorum qui ad tale ministerium assumuntur; opus esse ut bona suae domus administratione probaverint se esse huic administrationi aptos. Erant taque diaconi adiutores episcoporum; verum eorum munus non sola cura pauperum fuisse circumscriptum, iam ostendit S. Stephanus Act. 6,8, ostendit Philippus Act. 8,5, qui praeterea officio praedicandi sedulo incumbebant. Unde concluseris diaconos iam ab initio etiam in ministerio verbi adiutores fuisse episcoporum; eos enim ad sacrum quoddam ministerium fuisse electos etiam eo suadetur, quod oratione et impositione manuum ab apostolis consecrabantur ad munus illud obeundum (Act. 6,6).

Ad curam pauperum habendam etiam mulieres pro mulieribus esse electas, ostenditur Rom. 16,1, ubi Phoebe nominatur διάκονος ecclesiae quae est in Cenchris. Neque tamen de eiusmodi feminis diaconis sermo erit 1 Tim. 5,9 : vidua eligatur non minus sexaginta annorum etc.; nam quae sunt ita aetate provectae, potius ipsae indigent ministratione aliarum; sed hae accensendae erunt iis de quibus apostolus loquitur l. c. v. 16, scil. quibus ut vere viduis ecclesia providere debeat, quia antea se ministerio pro aliis impenderint; proin eas videtur describere quae antea fuerint διάκονοι et quae nunc recipiantur in numerum eorum quae beneficio sustentationis e fidelium oblationibus fruantur.

DIADEMA (διάδημα) ornamentum capitis regium; vox ponitur in Vulgata pro נֵזֶר 2 Reg. 1,10; 4 Reg. 11,12; 2 Par. 23,11; etiam pro עֲטָרָה corona 2 Reg. 12,30; Cant. 3,11; bis quoque pro צָנִיף tiara, fascia capiti circumvoluta Iob 29, 14 et Is. 62,3; in libro Esth. (1,11; 2,17; 6,8) ponitur pro כֶּתֶר (κίταρις, κίδαρις) : cidarim Persae regium capitis vocabant insigne; hoc caerulea fascia albo distincta circuibat (cf. *Curtius* 3,5). Frequentius legitur διάδημα 1 Mach. 1,9; 6, 15; 8,14 etc. de fascia candida quae tiaram circuibat.

DIANA (Ἄρτεμις), magna Diana Ephesiorum, ab Artemide Graecorum, sorore Apollinis, distinguenda Ephesi praecipue colebatur (Act. 19, 24. 27. 28. 34. 35). Eius nomen primitivum erat Ὤπις seu Οὖπις (*Macrob.* Saturn. V. 22). Templum celeberrimum habebat Ephesi (vide s. v.), quod artifices imitatione expresserunt confectis parvulis aediculis argenteis, quae tamquam sacra pignora, amuleta et phylacteria, a cultoribus Dianae avide emebantur ac gestari solebant.

Cf. *I. T. Wood,* On the antiquities of Ephesus having relation to Christianity in Trans. of the Soc. of Bibl. Arch. VI. 1878 p. 328; *F. Vigouroux*, Le Nouveau Test. et

les découv. archéol. mod. *ed.* 2 p. 282-287; *Pauly-Wissowa,* Real-Encycl. der klass. Altert. II. 1372. 1373.

DIBON (דִּיבֹן; LXX Δαιβών ut plurimum). 1. Urbs transiordanica primum a Moabitis, deinde ab Amorrhaeis occupata (Num. 21,30 cf. v. 29), sita in regione, quam Rubenitae et Gaditae ad pastum gregum suorum uberrimam a Moyse expostularunt et portionem acceperunt (Num. 32,3; Ios. 13,9), a filiis Gad reaedificata (Num. 32,34), sed tribui Ruben assignata (Ios. 13,17); notare iuvabit terminos inter fines Gaditarum et Rubenitarum utpote pastorum vix accurate servari potuisse. Eadem recensetur statio Israelitarum Dibongad דִּיבֹן־גָּד, Δαιβὼν Γάδ) inter Ieabarim et Helmondeblathaim (Num. 33, 45. 46); additum *Gad* haud dubie eo explicandum est, quod Gaditae urbem reaedificarunt. Tempore Isaiae et Ieremiae a Moabitis recuperata erat; nam saepius in oraculis propheticis contra Moab editis commemoratur (Is. 15,2; Ier. 48,18. 22) neque alia urbs quam Dibon intellegatur oportet Is. 15,9 (דִּימוֹן, Δειμών, Vulgata : Dibon), ut iam S. Hieronymus ad h. l. monet et plerique propter allusionem ad דָּם (sanguis) a propheta intentam censent. Dibon ut urbs regia moabitica etiam confirmatur in inscriptione Mesa regis, qui se vocat Dibonitam (lin. 1; cf. lin. 21. 28). In eadem inscriptione (lin. 3) legitur : feci hoc excelsum pro Chamos in Qorcha; explicant autem Qorcha ex arabico calvitiem, locum excelsum et glabrum illudque sumunt pro antiquo nomine vel saltem pro parte urbis Dibon, unde prope Dibon vel in ipsa urbe sanctuarium Chamos in colle positum fuisse infertur, ut etiam Is. 15,2 aperte innuitur; cf. *S. Hieron.* ad h. l. Describitur ab Eusebio et S. Hieronymo villa pergrandis iuxta Arnonem (Onom. *ed. Lag.* 249,43; 115,8). Hodie *Dibān* hora et dimidia ab Arnone aquilonem versus distans, prope Aroer et iuxta viam, qua ab Ar Moab Hesebonem itur. In ruinis *Dibān* celeberrima illa inscriptio Mesa regis Moab reperta est (v. MESA).

Cf. *Tristram,* Land of Moab p. 132 ss. (sed cf. p. 105); *J. Fahrngruber,* Nach Jerusalem *ed.* 2 II. p. 132; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. II. 1879 p. 8 ss.; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 101. 102; *F. Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 268; *Bliss,* Expedition to Moab and Gilead in *Pal. Expl. Fund,* Quart. Stat. July 1895 p. 227-228. *J. P. van Kasteren* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1409-11.

2. Dibon (Neh. 11,25) v. DIMONA.

DIBONGAD v. DIBON 1.

DIDRACHMA (δίδραχμον) est nummus argenteus, duas continens drachmas atticas, et aequans dimidium siclum. Erat tributum quotannis ab Israelitis templo Domini solvendum; de quo vide *Knabenbauer* ad Matth. 17,23. In Vulgata de didrachmis quoque mentio est 2 Mach. 4,19; 10,20; verum graece scribuntur ibi δραχμαί. — De valore vide s. v. PECUNIA.

DIDYMUS cognominatur S. Thomas apostolus (Io. 11,16; 20,24; 21,2); v. THOMAS.

DIES (יְמִימָה, Ἡμέρα), nomen primae filiae Iob, quae ei post sanationem a morbo nata fuit (Iob 42,14). Appellari poterat Dies i. e. clara, lucida, pulchra ut dies; probabilius autem appellabatur Columba (arab. *Yamām*); v. COLUMBA 3.

DIES. Dies dupliciter intellegitur. Modo designat diem solis luce clarum, modo comprehendit et diem et noctem. Utrumque habetur Gen. 1,14 : « Fiant luminaria in firmamento caeli et dividant diem (הַיּוֹם) ac noctem et sint in signa et tempora et dies (יָמִים) et annos »; quo loco dies opponitur tum nocti tum anno. Alterum autem exprimitur voce νυχθήμερον 2 Cor. 11,25.

Quando dies inceperit tempore patriarcharum, certo sciri nequit. Sola creationis narratio aliquid indicat notissimis illis verbis, quae finitis singulis operibus adduntur : « et factum est vespere et mane (וַיְהִי עֶרֶב וַיְהִי בֹּקֶר) dies unus » vel « secundus » etc. Ex quo dicendi modo effici videtur, primo mane unum diem absolutum esse, alterum incepisse, neque quidquam refert ad nostram rem, utrum vox diei (יוֹם) proprio an translato sensu intellegatur.

Moysis tempore diem vespere incepisse in Lege clare enuntiatum est; de paschatis sollemnitate haec praecipiuntur: Primo mense, quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam (Ex. 12,18) et de die festo expiationum: A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra (Lev. 23, 32). Samsonis sodales, quibus propositum problema intra septem dies convivii solvendum erat, dicuntur id septimo die ante solis occubitum solvisse et sponsionem vicisse (Iud. 14,18). Verba Ps. 54,18: « Vespere et mane et meridie narrabo et enuntiabo » eandem numerandi rationem exhibent.

Quo autem vespertini temporis momento, utrum solis occasu an prima nocte, novus dies inceperit, ex litteris divinis certo cognosci nequit. Ex locis Ex. 12,6; Lev. 23,5; Num. 9,3 apparet Iudaeos Phase Domini, quando immolandus esset agnus, celebrasse בֵּין הָעַרְבַּיִם i. e. inter duas vesperas. Tempus illud accuratius definitur Deut. 16,6: « Immolabis Phase vespere ad solis occasum » (בָּעֶרֶב כְּבוֹא הַשֶּׁמֶשׁ) Ex his locis colligit *Corn. a Lapide* (in Ex. 4,21) primam vesperam esse, cum iam sol declinat ad occasum, secundam esse ipsum solis occasum. Alii proferunt secundam vesperam usque ad finem crepusculi vespertini: donec egrediantur astra (cf. Neh. 4,21). Crespusculum autem produci solet, quoad sol ad sextum gradum vel sextum cum dimidio directe infra horizontem lapsus est, quod spatium Hierosolymis tempore paschatis erat fere semihora.

Ceterum illa temporis determinatio: *inter duas vesperas* a variis sectis Iudaeorum vario modo accipiebatur. Samaritani et Karaitae verbis Deut. 16,6 innixi primam vesperam vocari censebant occasum solis, alteram crepusculum; cf. *Aben Esra* in Ex. 12,6. Pharisaei vero et Rabbanitae, quorum sententiam *Rabbi Iarchi* in Ex. 12,6 exhibet, primam vesperam intellegebant tempus, quo sol declinare incipit (arab. vesperulam, ubi vesperascere coepit, graece δείλη πρωΐα), alteram vesperam solis occasum (graece δείλη ὀψία). Ex iis, quae Flav. Iosephus habet (Bell. iud. VI. 9,3 et Ant. XIV. 4, 3), Pharisaeis tempus inter duas vesperas interiectum erat ab hora nona diei usque ad undecimam i. e. ab hora tertia pomeridiana usque ad quintam. De sacrificio iugi vespertino, quod etiam inter duas vesperas offerendum erat (Ex. 29,39. 41; Num. 28,4. 8) docet *Mishna*, Pesachim 5,1: « Sacrificium iuge mactabatur hora octava et media et offerebatur nona et media, at vespera sabbati mactabatur septima et media ac offerebatur octava et media tam die profesto quam die sabbati ». Ad quem locum notat *Maimonides*: « Initium temporis sacrificii iugis vespertini est a media hora septima usque ad finem diei; estque tempus quo umbra se dilatare incipit et unicuique ostendit longitudinem suam » et *Bartenora*: « Tempus mactationis sacrificii iugis est, quando se inclinant umbrae vespertinae, quod est ab hora sexta et media ac deinceps, quando sol inclinat versus occidentem; nam media sexta et media septima consistit in medio caeli et umbra non inclinat se, sed umbra hominis tota sub illo est. Dilatabant ergo tempus mactationis duas horas, propter vota et sacrificia spontanea, quae offerri non poterant post sacrificium iuge vespertinum » (apud *Surenhusium*, Mishna II. p. 150). Sed in hac quaestione notatu dignissima sunt, quae *D. Chwolson* (Das letzte Passamahl Christi u. der Tag seines Todes, St. Petersburg 1892, p. 37 ss.) ex discussione variorum textuum rabbinicorum erui posse existimat scil. tempus *inter duas vesperas* fuisse crepusculum ab occasu solis (ineunte) usque ad apparitionem trium stellarum mediae magnitudinis (quibus tamen Venus non accensebatur) et huic crepusculo Iudaeos in Palaestina assignasse $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ horas.

Praeterea in S. Scriptura varia diei tempora designari solent ex iis, quae ordine naturae per decursum diei fiunt; ita Gen. 19,15 hebr. cum ascenderet aurora; 32,24 usque ad ortum aurorae; 19,23 sol egressus est super terram et Lot ingressus est Segor; 32,31 ortusque est ei (Iacob) statim sol, postquam transgressus est Phanuel; Marc. 16,2 orto

iam sole; Gen. 18,1 in ipso fervore diei; 1 Reg. 11,11 ingressus est Saul media castra in vigilia matutina et percussit Ammon usque dum incalesceret dies (hebr. usque ad fervorem diei, uti Gen. 18,1); Prov. 4,18 dies perfectus, hebr. נְכוֹן הַיּוֹם, stabile diei, meridies scil. quo sol videtur stare immotus, vel ut alii explicant, erectum, ut scil. distinguatur a tempore diei ascendente ad meridiem et descendente ad vesperam; Iud. 19,8 donec increscat dies; 19,9 dies ad occasum declivior est et propinquat ad vesperum; Gen. 24,63 inclinata iam die, hebr. appropinquante vespera; Gen. 15,12 hebr. sol erat prope occasum (וַיְהִי הַשֶּׁמֶשׁ לָבוֹא); 15,17 sol occubuit etc.

Dies alicuius saepius dicitur de mortis die; cf. 1 Reg. 26,10; Iob. 18,20; Ez. 21, 29. Apud prophetas dies Domini appellatur tempus, quo Deus iudicium est exerciturus; cf. Is. 2,12 dies Domini exercituum super omnem superbum; 13,9 ecce dies Domini veniet; Lament. 2,1. 22 in die furoris Domini; Soph. 1,7 dies Domini, 1,14 dies Domini magnus, 1,15 dies irae dies illa etc. Similiter in Novo Testamento dies Domini dicitur de altero adventu Christi ad iudicium et de iudicio universali; cf. 1 Cor. 3,13; 5,5; 2 Cor. 1, 14; Phil. 1,6 (usque in diem Christi Iesu; item 1,10; 2,16); 1 Thess. 5,2; 2 Thess. 2,2; vel etiam solummodo dies Hebr. 10,25 : tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Sed Apoc. 1,10: fui in spiritu in dominica die, ἐν τῇ κυριακῇ ἡμέρᾳ explicandum est de die primo hebdomadis, qui illud nomen sortitus est ob resurrectionem Christi. Primum enim diem hebdomadis celebrem ac sacrum esse habitum a primordiis rei christianae, iam patet Act. 20,7 et 1 Cor. 16,2; in epistula quoque Barnabae legitur cap. 15 : « agimus diem octavum in laetitia, in quo Iesus e mortuis surrexit »; et cf. *Dionys. Corint.* apud *Euseb.* Hist. eccl. 4,23.

I. G. HAGEN.

DIEVI (aram. דְּהוָא, LXX Δαυαῖοι) sunt gens Persarum subiecta imperio Esd. 4,9 commemorata. Asenaphar eos in Samariam colonos deduxerat ex propriis sedibus. Hi Iudaeis ab exsilio in patriam reversis et moenia Hierosolymorum aedificantibus etiam litteris ad Artaxerxen regem datis simul cum aliis populis obstiterunt. Quod inter Susanechaeos et Aelamitas recensentur, tribus susiana vel aelamitica putantur. Sintne Dievi iidem ac Δάοι sive Δάαι ab Herodoto (1,125) et Strabone (VII. 3,12), vel *Dahae* a Livio (35,48) et Curtio (8,3) memorati trahatque ab iis suum nomen provincia *Dahistan*, magis incerto coniicere quam probabiliter ostendere videntur.

F. ZORELL.

DILUVIUM (hebr. מַבּוּל forte a rad. assyr. נבל *destruere;* LXX κατακλυσμός a κατακλύζω = inundo) appellatur ingens illa inundatio, qua, quemadmodum refert liber Genesis, aetate Noë, ulciscendorum humani generis scelerum gratia terra contecta est universa omnesque homines exstincti sospitibus Noë eiusque familia; unde alibi nuncupatur « aquae Noë » (Is. 54,9), « tempus iracundiae » (Eccli. 44,17). De eo in libris divinis agitur hisce locis : fuse narratur Gen. 6,1-9,19; obiter de eo aliquid perstringitur Sap. 10,4; 14,6. 7; Eccli. 16, 8; 44,17-19; Is. 54,9; Matth. 24,37-39; Luc. 17,26. 27; Hebr. 11,7; 1 Pet. 3,20. 21; 2 Pet. 2,5. — Iam primum ea tractabimus quae immediate diluvium praecesserunt, dein de ipso diluvio dicemus, denique subiungemus ea quae statim post finitum diluvium acta sunt.

I. Ante diluvium (Gen. 6,1-7,9). Praecessit tempus scelerum corruptionisque plenum (Gen. 6,1 ss.). Haec enim Deo fuit ratio tanta poena terram afficiendi, quia viderat « quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore »; quo versu dilucide improbitas hominum describitur ut intensive et extensive magna (« multa »), interna (« cogitatio cordis »), totalis (« cuncta »), radicalis (רַק רַע nonnisi mala), perpetua et habitualis (« omni tempore »), unde non mirum quod paenitebat Deum fecisse hominem in terra,

non utique eo modo quo homines paenitet, decrevitque hoc genus peccaminosum ex terra delere. Peccata autem quibus numen irritaverant fuere haec : peccata carnis per scelesta atque libidinosa connubia, violentia et iniustitia (חָמָס), superbia ac contumacia (Sap. 14,6; Eccli. 16,8), frivola propriae salutis neglegentia cum « praeconem iustitiae » Noë contempserunt, « increduli fuerunt », « exspectabant (verliessen sich auf, se reposaient sur) Dei patientiam », « edebant et bibebant : uxores ducebant, et dabantur ad nuptias usque in diem qua intravit Noë in arcam, et venit diluvium et perdidit omnes ». Solus Noë, vir iustus et perfectus fideique plenus, invenit gratiam coram Deo et a communi exitio cum suis domesticis cumque animalibus necessariis praeservabatur. Instrumento uti ad perdendos impios Deus voluit aquarum inundatione, ad iustos eruendos arca, i. e. navigio quodam permagno ligneo, quod a Noë construi iussit, indicatis accurate materie, forma, dimensionibus (cf. art. ARCA NOE).

Maxima hic ea quaestio est qui fuerint « filii Dei » (בְּנֵי הָאֱלֹהִים) et « filiae hominum » (בְּנוֹת הָאָדָם), e quorum connubiis generatio tam prava orta esse perhibetur. *Angelos* esse filios Dei quidam censuerunt, quod hi alibi eo nomine cohonestentur et hoc loco propter oppositionem ad natas hominibus filias aptissime intellegi videantur. Tamen cum fieri prorsus nequeat, ut purus spiritus matrimonium ineat (לָקַח לְאִשָּׁה), et hic solorum hominum referantur peccata et soli homines puniti esse dicantur, interpretes catholici nunc vix non omnes « filios Dei » interpretantur *Sethitas*, secuti Ephraem Syrum, Chrysostomum, Theodoretum, Augustinum, Procopium, Rupertum, alios, et בְּנוֹת הָאָדָם filias *ceterorum* hominum scil. qui non a Seth originem traxerunt : quam sententiam eo confirmant quod Luc. 3,38 generatio Christi per Seth et Adam ad ipsum Deum reducitur, sicut Gen. 5,1. 3 Seth ad imaginem Adae, Adam ad imaginem Dei factus esse perhibetur, quae Sethitis sufficiens ratio esse poterat sibi imponendi nomen filiorum Dei, et quod ita planior est ratio conexus inter Gen. 4-6; maxime vero si Gen. 4,26 referri dicas natam tempore Enos filiorum Dei appellationem (v. *F. de Hummelauer* in h. l.), plana erit sententia 6,2, nec opus erit ut cum *Franz Delitzsch* mediam opinionem excogites dicasque filios Dei seu deorum fuisse homines ab angelis (utique malis) *obsessos*, praeternaturalibus viribus praeditos a daemonibusque adactos ut daemoniacis artibus ac praestigiis mulieres effascinarent sibique copularent. Ex his igitur Sethitarum ad id tempus proborum cum stirpe iam depravata matrimoniis natum est genus moribus corruptis ac mente perversa Deoque ipsi infensa. Utrum ad hos solos ex mixtis ut ita dicam matrimoniis ortos filios nomen gigantum (נְפִילִים) referatur an ad maiorem partem vel etiam totum genus hominum, quod tum in terra erat, minus constat. Nomen (forte a rad. assyr. כּוּל = potentem, robustum esse) certo significat « gigantes », homines statura ac robore aliis potiores (Num. 13,34), ad quales progignendos matrimonia coniugum diversarum prorsus stirpium idonea esse nonnunquam observatum est.

Hi igitur « superbi gigantes » cum replessent terram sua iniquitate, Deum taedere quodammodo suorum operum coepit et iterato, ut videtur (Gen. 6,3. 7. 13), cum Noë sua consilia communicavit. Prima quidem sententia (6,3) mitior fuit, sive dicis hic Deum tantum diuturnam eousque hominum vitam ad mensuram annorum 120 redegisse, sive interpretaris eum statuisse genus humanum abolere quidem, sed spatium 120 annorum, quo resipiscere poenamque avertere possent, dedisse. Secunda sententia (6,7) iam est clarior atque universalior. Tertio (6,13) Deus Noë pro eius pietate eo remuneratur, quod eum ad se suosque servandos arcam aedificare iubet. Cum homines scelesti Noë ne fidem quidem praestarent, nedum converterentur, cumque tempus longanimitatis effluxisset, Deus tandem exsequi quae praedixerat instituit, praece-

pilque patriarchae, ut cum coniuge, tribus filiis filiorumque uxoribus arcam ingrederetur. Ingressa sunt simul animalia numero definito, portam arcae ipse claudere dignatus est Deus incepitque post 7 dies diluvium.

II. **Ipsum diluvium** (Gen. 7,10-8,14). Anno vitae Noë 600., mense 2., die 17. incepit diluvium, initio anni computato ab autumno an a vere, inter doctores non convenit. Tum rupti sunt omnes fontes maris magni (hanc enim significationem תְּהוֹם, ut vox assyr. *tihamtu,* fere habere solet : aliquo igitur modo aqua maris super continentem irruisse censenda est; Vulgata : abyssi magnae) et cataractae caeli apertae sunt, i. e. nubes atmosphaerae terrestris effundi coeptae sunt (cf. Is. 24,18; 4 Reg. 7,2; Mal. 3,10) et pluvia cecidit 40 diebus totidemque noctibus. Quo factum est ut in dies inundatio crescerel; « multiplicatae sunt aquae » immanemque arcae molem « elevaverunt in sublime a terra » (Gen. 7,17), tandem « omnia repleverunt in superficie terrae... operiique sunt omnes montes excelsi sub universo caelo, 15 cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat » (ib. 7,18-20), mensura sumpta probabiliter ab arca undis immersa. Quo effecit Deus id quod voluit : omnia enim animalia, quae extra arcam relicta erant, nempe praeter aquatica, universique homines exceptis iis qui in arca Dei manu gubernata (Sap. 14,6) erant, interempti sunt.

Ea aquarum altitudo demum inde ab 150. post inceptum diluvium die paulatim minuebatur. Tum enim Deus, recordatus Noë, adduxit ventum calidum vehementem super terram, quo sensim aquarum copia evanescebat, nec dubium quin simul etiam aliis modis aqua diffusa ac remota sit, ita ut iam 17. die mensis septimi arca in montibus Ararat (Vulgata : super montes Armeniae) subsisteret ac primo die decimi mensis montium conspecta sint cacumina. Post 40 inde dies Noë per fenestram corvum emisit ad explorandum rerum statum, qui in ipsam arcam amplius non rediit; deinde ter, septenis interiectis diebus columbam misit, quae primum, cum residere nusquam potuisset, reversa est, tum ramulum olivae florentem ore rettulit, denique cum tertium evolasset, reversa iam non est. Unde iure Noë animo coniecit, iam extra arcam in terra rursum vitam agi posse. Ac reapse sequentis suae vitae anni (601.) primo die Noë ipse, sublato paulum tecto, vidit terram esse siccam; secundi dein mensis die 27. omnino arefacta erat, ut iam incoli iterum posset; quare iussu Dei ex arca egressi sunt. De hoc diluvio iam quaestiones ponemus et quidem 1. de narratione biblica, 2. de ipsa re narrata seu de ipso diluvio.

1. *Narratio,* inquirunt, 1) *sitne una unius auctoris* an e duabus diversis ab aliquo « redactore » composita vel conflata in unum; haec enim posterior sententia Criticis modernis arrisit. Unam esse relationem probari certo potest. Neque enim solum tota illa methodus s. textum discerpendi et variis auctoribus adscribendi est tam arbitraria, subtilis, ac fundamento destituta, ut merito reprobetur; sed hic speciatim nullas solidas rationes afferunt, quibus sua placita sustentent. Duas quidem relationes non prodit nomen divinum positum hic Iahwe, illic Elohim : nam neque quod quoque loco nomen primitus scriptum fuerit, liquido dicere possumus, neque deest nobis ratio ac via, cur modo unum modo alterum adhibitum videamus, apte explicandi (v. *Cornely,* Introd. *ed.* 2 II. 1 p. 105; *Hummelauer,* Comm. in Gen., Introductio).

At enim omnia aiunt bis referri : ergo duas haberi narrationes. Nihilominus si accuratius exempla ab iis allata inspiciantur, deprehendimus modo non idem dici (v. g. 6, 22 = Noë arcam aedificavit, 7,5 = proxime imminente diluvio animalia collegit ingressumque in arcam praeparavit), modo posteriore loco aliquid novi addi (7,6 et 7,11 e. g.), modo eadem repeti eo modo qui et narratori seni et testi oculato eventus tam grandis atque horrendi fuerit admodum congruus. Deprehendimus utramque illam narrationem, elohisticam et iahwisticam, fore separatim valde mancam et mutilatam (cf. *Cornely,* Introd. *ed.* 2

II. 1 p. 115). Quin etiam adversarios deprehendimus admirantes hanc narrationem, quae, quamvis sit ex frustis consuta, sit « exemplum simplicitatis cum maiestate copulatae grandisque pulchritudinis sine adminiculis artis »; « tautologiis relationis depingi terribilem immensi aequoris vastitatem tutoque supernatans, terroribus mortis circumdatum, arcae asylum » (*Franz Delitzsch,* Neuer Commentar). Habent igitur, quo explicent, etiamsi unum auctorem supponant, repetitiones.

Contradictiones quoque sibi repperisse visi sunt, quae duos diversos auctores proderent. Verum quod 7,4 tantum pluvia praedicitur, sed 7,11 aliae insuper causae agunt, haec et talia non inter se pugnare facile patet, neque quod primum de omnibus animalium generibus bina, postea accuratius de animalibus mundis ac de volucribus septena [paria] in arcam Noë inferre iubetur. Imbrem 40 dierum et augmentum inundationis usque ad 150. diem non discrepare evidens est.

Ceterum unam esse et continuam mosaicam relationem unicuique certo persuadebitur inspecta narratione illius tabulae cuneiformis, qua, si ab additamentis poeticis et polytheisticis abstrahas, prorsus eadem eodemque ordine referuntur quae Gen. 6-9, quo elucet iam ante Moysen has narrationis partes hoc ordine in traditione fuisse conexas, elohisticas et iahwisticas (v. tabellam in *Vigouroux,* La Bible et les découvertes mod. *ed.* 6 I. p. 310 ss.; Zeitschrift für kath. Theol., Innsbruck 1885 p. 635). Altera quoque nuper a *V. Scheil* inventa tabula babylonica vetustissima particulas « elohisticas » et « iahwisticas » continet.

2) *Ex quo fonte Genesis auctor diluvii narrationem hauserit,* si quis interroget, optime ei et probabilissime respondetur, hanc depromptam esse ex traditione inde a filiis Noë ad posteros transeunte, initio forte tantum verbis ab una generatione ad alteram conservata, postmodum etiam litteris mandata; narrationem Babyloniorum ex eadem traditione ortam paulatim erroribus esse depravatam. Sic enim et similitudo et discrepantia ambarum facillime explicari potest.

2. *De ipsa re, quae narratur,* quaerere possumus, 1) *sitne diluvium factum historicum.* In qua re quid sentiendum sit, credentibus narrationem biblicam esse partem libri inspirati scientibusque rem s. libris ac maxime verbis Salvatoris proponi ut vere actam neque unquam aliter a quoquam catholico esse explicatam vel intellectam, dubium esse non potest. Accedit hic gravissima eiusdem traditionis per multos populos a religione revelata alienos confirmatio. Etenim inveniuntur tum in litteris nationum excultarum (ut Romanorum, Graecorum, Babyloniorum, Indorum) tum in mythis barbarorum traditiones de quadam inundatione terrae immensa, remotissimis temporibus facta, magis minusve similes relationi biblicae. Enumerat *von Schwarz* (Sintfluth und Völkerwanderungen p. 8-18) 63 tales mythos a narratione biblica suo iudicio independentes, indicatis in unoquoque casu populis qui tradiderint et libris quibus contineantur, atque adumbratis brevissime fabularum argumentis; *R. Andrée* (die Flutsagen) vero inter 88 gentium fabulas diluviales quas excutit, censet 62 esse a narratione Hebraeorum et Chaldaeorum independentes : qui numerus nescio an augeri possit; ubi primum enim in aliqua fabula quidpiam est relationi biblicae valde simile, statim suspicatur, etiamsi aliunde minus sit probabile, influxum historiae biblicae. Sunt hi mythi (excepta, ut multi dicunt, forte Africa, quae tamen adhuc minus nota est, quam ut de ea certum iudicium ferre possimus, immo secundum alios certo habet tales mythos vel mythorum reliquias) per omnes partes terrae dispersi : et quamvis variis velut coloribus picti ac quamvis ridiculis erroribus depravati sint, tamen mirum quantum multi in id fere consentiunt, replesse aliquando aquam totam terram, paucissimis hominibus exceptis reliquos undis interiisse, numen inundationem hominibus vel immisisse vel praedixisse, rate servatos esse superstites, cui animalia quoque et plantae impositae quaeque in monte constiterit,

homines illos servatos exstitisse novi generis humani auctores. Ac licet nonnullas ex his fabulis ad inundationes quasdam locales unius gentis revocari posse concedamus, manet nihilominus tantus in hanc rem tot tamque variarum ac dissitarum et a mari vel magnis fluviis remotarum nationum consensus, quantus casu explicari non potest, sed sola veritate rei ita traditae : ut *Lenormant* rectissime hanc traditionem appellaverit « traditionem universalem κατ' ἐξοχήν inter eas quae ad historiam primitivam humani generis referuntur » et *Franz Delitzsch* animadvertat sententiam eorum qui diluvium nihil velint esse nisi fabulam quandam popularem de Oceano caelesti orbi terrarum impluente esse aeque videlicet probabilem ac si quis asserat, quae de Alexandri Magni in Orientem expeditione narrentur, esse formam quandam mythi de sole tenebras nebulasque matutinas vincente. — Maximi inter omnes momenti est traditio Chaldaeorum tam illa quae iamdiu nota erat Berosi quam ea quae in tabulis cuneiformibus nuper inventa est, quam docti anno fere 700 a. Chr. ex tabula circiter anno 2000 a. Chr. confecta transscriptam esse dicunt (immo illam tabellam eandem narrationem continentem, quam *V. Scheil* postea invenit, ipse putat scriptam esse anno fere 2140 a. Chr. n.).

2) Ad alteram iam maxime agitatam quaestionem accedimus, *quī et quatenus diluvium fuerit universale.* Aliquam enim universalitatem verbis s. textus doceri neminem fugit legentem. Tres vero universalitatis modos vel gradus distinguere possumus, primam *absolutam* seu *geographicam*, nempe si dicas totum globum terrestrem fuisse aquis circumdatum usque ad verticem summi montis et 15 cubitis ultra; — alteram, *mixtam* seu *anthropologicam*, inundatam quidem fuisse totam terram ab hominibus tunc inhabitatam omnesque omnino extra arcam homines exstinctos, ceterum regiones reliquas aquis obrutas, saltem omnes, non esse; — tertiam, *relativam*, inundatam fuisse terram omnem familiae Noë cognitam totumque hos intra limites genus humanum exterminatum, remotas vero aliquas patriarchaeque ignotas regiones seu nationes forte ab hoc flagello divino fuisse praeservatas. Duabus quaestionibus hanc de universalitate diluvii disputationem absolvemus, nihil ipsi definientes, sed simpliciter potissimas quibus cuiusque sententiae patroni nituntur rationes proponentes.

Quaestio prior : Fuitne diluvium geographice universale annon?

Universalitas absoluta sine ulla fere exceptione asserebatur per complura annorum milia, donec saec. 17. a strenuis adversariis oppugnari coepta est; littera s. textus maxime ei primo aspectu favere videtur et persuasio totius antiquitatis. Quae res notissima est nec fusius exponenda. Propterea etiamnum a quibusdam docetur, et *Kaulen* e. g. eam iudicat fide divina esse credendam utpote a Deo nobis revelatam (Kirchenlexikon *ed.* 2 XI. 357). Nihilominus proximorum duorum saeculorum inquisitione scientifica et theologica paulatim factum est, ut a longe plurimis theologis qui ex professo de diluvio tractant, iam sine haesitatione universalitas diluvii geographica dicatur negari posse atque esse neganda. Rationes eorum sunt fere hae :

a) *S. textus admittit restrictionem geographicam;* nam vocibus הָאָרֶץ et הָאֲדָמָה aeque inest significatio terrae particularis seu regionis (*pays*, *Land*), quo sensu substituto etiam aliae quaedam expressiones universales proportionaliter arctius circumscribuntur; insuper inesse passim in S. Scriptura expressiones hyperbolicas sensu restrictiore quam sonant intellegendas conceditur, praecipue ubi agitur de vindicta aliqua divina intimanda vel describenda, qualis fuit diluvium (cf. Soph. 1,2-4; Gen. 41,54. 57; Ex. 8,17. 31; 10,4-6. 12-15. 19; Deut. 2,25; 2 Par. 20,29; Act. 2,5).

b) *S. textus etiam innuit restrictionem geographicam.* Narratio enim ex mente narratoris explicanda est : narratores ergo diluvii, Noë eiusve filii, dum sua ipsorum fata narrant, censendi sunt loqui de iis quae ipsi noverunt ac viderunt, de terra, caelo, montibus, anima-

libus ipsis notis, non de re quam non viderunt : non autem viderunt ex arca totum orbem terrarum inundatum nec omnes terrarum montes obtectos, nec dicunt sibi id esse caelitus revelatum. Praeterea intra paucissimos aliquos dies aqua a summa altitudine eousque decrevit ut arca in montibus Armeniae consederit, quorum altissimus est fere 3700 metris humilior quam summus Indiarum mons; ergo non de montibus Indiarum locutus esse censendus est. Item columba propterea dicitur in arcam revertisse quia « aquae erant super universam terram » scil. quatenus illa volaverat; aperto quoque tecto Noë vidit exsiccatam superficiem terrae. Ex his omnibus apparet patriarcham, cum diceret « terram », non totum orbem terrarum in mente habuisse. Loci vero extra librum Genesis, cum ad Genesin referantur nec novam revelationem communicare velle censendi sint, non ampliore sensu quam ipsa genesis explicandi sunt.

c) *Non obest huic restrictioni traditio catholica.* Operae quidem pretium is facturus est qui adhuc accuratius ac profundius scrutabitur, ecquae conditiones et proprietates consensum Patrum et generatim traditionem ecclesiasticam in re cum fide aliquatenus connexa constituant talem, ut evadat certum criterium veritatis catholicae. Tamen quamvis magnus in nostra causa fuerit veterum consensus, eum non fuisse talem qui nos ad credendum obliget, ex ipso facto concludendum est, quod iam passim eorum sententia est relicta.

d) *Traditio populorum, licet constaret omnes item totam terram dicere inundatam, non obesset :* sunt enim omnes demum, ubicunque nunc sunt, posteri Noë arca servati, unde plus nos docere quam Noë nequeunt.

e) *Ex scientiis variis naturalibus depromuntur rationes quae diluvium absolute universale non admittere videntur.* Nam tandem omnia, spretis legibus naturalibus, per miracula acta esse quis, nisi reveletur, crediderit? Primum arca ad omnes animalium orbis species capiendas censetur fuisse prorsus insufficiens; nam optimis qui nunc sunt libris zoologicis solarum v. g. avium plus 10000 specierum exhibentur : porro quantum spatii occupatum esset nutrimento annuo huius animalium exercitus? (ceterum cf. art. ARCA NOE) qui animalia calidissimorum et frigidissimorum climatum contra naturam ad arcam commigrassent? porro ex arca dimissae multae species interissent partim a feris statim devoratae partim inopia nutrimenti apti consumptae; quantus etiam labor illis 8 hominibus in arca incubuisset! Omissis difficultatibus botanicis alia addimus. Nisi illa aetate vel saltem illo anno superficiem telluris alius prorsus formae fuisse supponis, non habebis in « fontibus abyssi » et « cataractis caeli », quales intelleguntur communiter, satis aquae ad montes 9 chiliometra altos aqua contegendos. Sunt quoque qui asserant inventos esse colliculos cineris vulcanicos inde a periodo quam tertiariam vocant certe nulla aquarum vi disiectos.

His igitur similibusque rationibus consideratis et pro certis habitis, cum etiam vestigia geologica diluvii, quae esse dicebantur, non pro talibus habenda esse in comperto sit, iam plurimi exegetae et theologi iudicant tuto posse a docenda universalitate diluvii absoluta cessari, et hoc iudicio supposito tota eorum disputatio est de quaestione altera.

Quaestio altera. Fuitne diluvium anthropologice universale annon?

Rationibus quas diximus si cui persuasum est universalitatem absolutam negandam, iam sic concludet legitime : « ergo si eo tempore, quo diluvium accidit, genus humanum limitibus illius territorii quod aquis tegebatur continebatur, fuit diluvium anthropologice universale; sin tum etiam extra hos fines homines vivebant, non fuit nisi relative universale ». Quoniam vero quo praecise tempore et ubi haec acciderint et ubi terrarum tum homines habitaverint, nos latet, *directe* ultra hanc disiunctionem progredi non possumus. Alia igitur ad propositam quaestionem procedunt resolvendam, quae ad hanc alteram reduci potest : « fueruntne, quo tempore diluvium accidit, extra terras aquis inunda-

tas homines »? Qui enim *universalitatem diluvii anthropologicam* defendunt, ostendunt S. Scriptura et traditione catholica negari homines, exceptis octo illis, ullos mansisse superstites : ergo decisam esse quaestionem nec licere catholico hanc universalitatem anthropologicam negare. Ad suam sententiam S. Scriptura fulciendam urgent expressiones generales quae ad homines referuntur : « homo, universa caro, universi homines, hominem quem creavi » ; « solum Noë », « paucas, i. e. octo animas salvatas » ; « originali mundo » Deum non pepercisse ; 2 Pet. 3,5 aiunt aperte doceri, ut olim mundus aqua interierit, sic fine saeculorum igne consumptum iri, sine dubio totum. Addunt Deum elegisse signum sui cum Noë posterisque foederis arcum caelestem qui ab omnibus videatur ; si autem cum parte hominum tantum foedus initum esset, eligendum fuisse signum aliquod Noachitis proprium. Gen. 9,19 porro Vulgata legit a filiis Noë disseminatum esse « omne genus hominum super universam terram ». Diluvium aiunt a Deo missum esse ad puniendos peccatores ; eos autem qui peccassent, fuisse « omnem carnem » i. e. omnes homines : ergo catenus saltem terram fuisse inundandam, ut omnes omnino perirent. Porro quid tandem Deus promisit Gen. 9,11. 15? Namque inundationes geographice et anthropologice non-universales etiam postea factas esse scimus : ergo ne Deus videatur fidem fefellisse, videtur supponendum diluvium fuisse saltem quoad homines universale. Denique universalis, inquiunt, constansque in ecclesia catholica traditio universalitatem anthropologicam diluvii proponit velut elementum essentiale alicuius typi ab omnibus agniti et eo ipso ut veritatem cum fide catholica connexam ; etenim non potest arca esse typus Ecclesiae extra quam nulla salus est, si extra arcam quidam incolumes evaserunt.

Hae rationes, si non omnes, at aliquae, a multis tam graves ac solidae esse existimantur, ut censeant prorsus tenendam esse universalitatem anthropologicam et ulterius recedi ab universalitate diluvii non posse. Ac prorsus ita indicamus, cum solum posse tuto iudicare : « anthropologica universalitas potest salva fide negari », cui perspectum sit omnes modo citatas aliasque quae afferuntur rationes esse falsas et inanes ; item, cum solum posse insuper iudicare : « diluvium non fuit anthropologice universale », qui solidis ac certis probat argumentis, fuisse tempore diluvii homines extra territorium inundationis, vel alia affert certa facta, quae, nisi hoc supposito, aliter rationabiliter explicari non possunt. Talia facta vel argumenta certa adhuc allata sunt nulla.

Sed utique quaedam ex scientiis variis difficultates nascuntur subobscurae, quae tamen omnino facilem solutionem haberent, si diluvium non fuisse anthropologice universale dicere liceret. V. g. enorme discrimen quod inter Nigritas et populos Indo-Europaeos intercedit multo facilius explicaretur, si ad illud efficiendum totum illud tempus quod ab Adamo creato effluxit praesto esset ; nam illud intervallum quod inter diluvium et antiquissima Aegypti monumenta, in quibus iam Nigritae prorsus tales depinguntur quales nunc sunt ad hoc vix sufficere posse videtur. Ad eandem suspicionem alii eo adducuntur, quod in multis libris legitur apud veteres Aegyptios et apud omnes tribus nigras mythum diluvialem nullum inveniri : id quod utique esset per se evidens, si hos diluvium non attigisset. Item secundum glossologos linguae eorum populorum qui certo a Noë originem habent quorumque idiomata Babylone confudit Deus, omnino aliter evolutae esse videntur quam e. g. Mongolicorum. Praeterea quidam populi item certo noachitici, cum suas historicas sedes occuparent, leguntur alias iam ibi nationes, quarum originem ignoramus, invenisse, e. g. in India Arii Dravidas, Medi « Protomedicos », Semitae et Cushitae in Chaldaea Accadios. Insuper Gen. 10, ubi populi a Noë oriundi, sane non omnes, enumerantur, maxime ii ipsi (Mongolii, Nigritae) omissi sunt quos etiam physiologice et philologice a Noachitis multum discrepare constat. Denique dicuntur esse vel fuisse apud quosdam populos traditiones, ut apud Sinenses et Aegyptios, a diluvio illos populos esse praeservatos.

Ob tales igitur rationes sunt qui suspicentur, diluvium fortasse non fuisse anthropologice universale, et solvere conantur aliquas difficultates contrarias: in eadem narratione, aiunt, expressiones « omnis terra, omnia animalia » accipere sensu restricto, « omnis homo » contra sensu prorsus absoluto esse duplici pondere et mensura uti; in tota diluvii narratione ubique mente esse supplendum « in terra quatenus Noë innotuerat » et sic omnes expressiones quantumvis universales restringi; sic etiam esse accipiendum « mundum originalem », nempe Noë notum; S. Petrum (2 Pet. 3, 5) non comparare et premere universalitatem destructionis sed certitudinem: « tam certo quam quondam mundus aqua periit, olim caeli et terra igne comburentur »; quoniam reapse « intra limites terrae diluvio mersae » nulli extra arcam Noë salus fuisset, manere etiam sic arcam typum Ecclesiae extra quam nulla salus, non minus quam domus Rahab meretricis vel serpens aheneus idem praefigurarunt, licet ea tantum pro certa aliqua multitudine medium necessarium salutis essent; quaedam interdum elementa alicuius typi magis peti ex modo quo ii in s. litteris exhibeantur quam ex rerum veritate: sic regem Melchisedech patre quidem et matre et genealogia non caruisse ac certe natum mortuumque esse, sed his in V. T. silentio pressis factum esse ut ille a S. Paulo diceretur « sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem habens », eoque « assimilatus filio Dei » (Hebr. 7,3). Arcum caelestem, pignus illud universale diluvii non iterum futuri dicere forte possint ideo a Deo electum esse quia reapse hoc promittere voluerit omnibus hominibus, etiam iis quos tum diluvium non exterminasset. Verum cum id cum ingentibus quae postea quoque acciderunt, e. g. in Asia orientali, eluvionibus vix ullo modo conciliari posse videatur, ultimum huius sententiae patronis id remansit effugium, ut illud Dei promissum negarent ad alios pertinere populos quam eos qui a Noë originem traxissent. — Ceterum considerandum illis est, an illae difficultates non possint aliter expediri. Etenim nonne e. c. si diluvio tempus multo prius ac remotius assignes, illa exceptio a differentiis specierum humanarum (*différences des races, Rassenverschiedenheiten*) et item linguarum petita evanuerit, et reliquae fortasse simul? Nam hoc solum dicunt se vix intellegere, qui ad tantas differentias in corporibus humanis et idiomatis efficiendas sufficerit spatium temporis tam breve, quantum ab aetate diluvii secundum usitatam chronologiam computata effluxit: concedunt ergo tolli hanc difficultatem, si hoc tempus fuerit longius, i. e. si diluvium acciderit prius. Iam vero quominus hoc supponamus, nempe diluvium factum esse tempore priore, quam communiter censetur, non prohibemur. Neque enim credere debemus, e. g. seriem patriarcharum, qualis in Vet. Test. exhibetur, esse continuam aut nullum in media forte serie omissum, aut in numeris transscribendis nullum unquam errorem accidisse: et quae in monumentis hieroglyphicis cuneiformibusque litteris scripta sunt, iis fere cogimur, ut longiora temporum spatia esse elapsa supponamus. Porro quo quid est magis praeteritum atque antiquum, eo facilius e memoria excidit tantoque minus mirandum est, si qui populi hebetissimo ingenio mythum diluvialem amiserunt. Sed eo quoque absentia fabularum diluvialium apud Aegyptios et Nigritas, si probata esset, apte explicaretur, quod in continente torrida africana ac maxime in Aegypto inundationes potius beneficii loco haberi assueverant, non calamitatis. Minus tamen certum est quam quidam existimant, apud illas gentes memoriam esse nullam diluvii. De ipsis enim Aegyptiis antiquis dubitant; etiam apud quosdam Nigritas repertus est mythus diluvialis a christiana doctrina independens (*Franz Delitzsch*, Neuer Commentar, suo loco); et si aliae tribus dicunt, suos primos parentes e fenestra vel ianua ad terram descendisse, vel simul cum animalibus ex quadam caverna ad terram devenisse, vel propter inundationem ex alia regione huc immigrasse etc. (v. *Lüken*, Die Traditionen etc. p. 237 ss.), nonne hae sunt reliquiae huius de diluvio traditionis? — Quamdiu igitur certa facta, quae ad negandam universalitatem

diluvii anthropologicam cogant, nulla probantur, standum omnino est in ea.

3) *Quando diluvium terram inundarit,* quaeres. Certum est consensu omnium textuum, annum illum fuisse 600. vitae Noë. A creato primo homine vero erat annus secundum textum massorethicum 1656., secundum Samaritanum 1307., secundum LXX 2242., secundum Flav. Josephum 2256.; ante Christum natum vero secundum *Klaproth* (Tableaux historiques de l'Asie p. 11) ex textu hebr. 2350, secundum *Lüken* ex textu hebr. 2253, ex Sam. 2903, ex LXX 3134. Circa computationes temporum antiquorum adhuc multas esse quaestiones minus exploratas, et pro certo atque indubio vix quidquam haberi posse notum est. Mirum tamen est, ut traditiones quoque populares, si quid de ipso tempore diluvii dixerint, in eandem fere aetatem assignandam conspirarint: nam *Lüken* (Traditionen p. 267 ss.) ostendit Armenos turrim babylonicam aedificatam attribuisse circiter anno a. Chr. 2200, Assyrios vero diluvium circiter anno 2234 vel 2316, Graecos 2300, Aegyptios 2600, Phoenices 2700, Mexicanos fere 2900, Indos 3100. Sinenses vero historiae de terribili inundatione (fluvii Hoang-ho) anno 2297 a. Chr. facta referunt. Sed ut iam innuimus, testimoniis monumentorum aegyptiacorum et babyloniorum satis probabile, ne dicam certum, factum est, initia horum populorum et consequenter initia recentis generis humani a Noë orti ipsumque diluvium attribuendum esse aetati antiquiori.

4) *Ubi fuerit diluvium* (suppositum ut geographice partiale), S. Scriptura non dicit. Id solum refert « super montes Ararat » seu « Armeniae » constitisse arcam. Ergo fere certe aliqua pars Asiae talis inundata fuit, ex qua ipso undarum vel ventorum impetu versus Armeniam arca ferebatur. Babylonii diluvium accidisse dicunt in inferiore valle Euphratis ac Tigridis. Haec vero quaestio intime cohaeret cum sequenti.

5) *Quomodo seu quibus causis factum sit diluvium,* S. Scriptura non amplius exsequitur, nisi quod Deo auctori illud tribuit et « ruptos fontes abyssi magnae », « apertas cataractas caeli », cadentesque pluvias per 40 dies commemorat; quae iam supra explicavimus. Non adversatur s. libro is qui asserit, aliqua omnino naturali causa (a Deo ad hoc praevisa ac praeordinata) sine immediata actione Dei hanc inundationem ortam esse, et quo melius ea quae quisque affert, tempori, loco, narrationi biblicis congruunt, eo erit hypothesis probabilior. Ab assignanda causa explicandoque eventu diluvii abstinuere plerique. Generatim ii qui de ea re tractant, allegant causas vel cosmicas (ut axin terrae cum cometa collisae subito mutatam) vel vulcanicas vel orogeneticas (i. e. terras ex Oceano emergentes aliis mersis) vel sismicas (terrae motus). Unus inter alios *Ed. Suess* (Das Antlitz der Erde, 1883) repetitis circa sinum Persicum terraemotibus, et turbonibus, irruentibus in vallem Euphratis fluctibus marinis, profluentibusque ex rupta terra aquis subterraneis diluvium biblicum seu potius narrationem chaldaicam explicabat. Sed satis immerito ei a nonnullis est applausum (ut ostenditur Stimmen aus M. Laach XXVII. p. 1 ss.) : nam ipsa expositio nec est verisimilis nec cum s. textu congruit; facit enim diluvium valde breve, arcam in valle Euphratis deponit, territorium diluvii tam arctis circumscribit limitibus, ut forsitan ne in Noë quidem mente « tota terra » inundata sit ac vix intellegi possit, quomodo haec inundatio animis populorum omnium tam alte inhaeserit. — Magis in his satisfacere primo aspectu alicui videri potest *Fr. von Schwarz* (Sintflut und Völkerwanderungen — liber secus in multis falsissimus atque in Sacram Scripturam blasphemus), qui diluvium explicare conatur effuso, cum dirupti terraemotu essent montes ab occidente adiacentes, ingenti mari interno Mongolico in planitiem Aralo-Caspiam quam dicunt. Fuisse illud mare dicit Mediterraneo extensione fere aequale, profundum in genere (*Durchschnittstiefe, profondeur moyenne*) circiter 1350 metra, summis circumdatum montibus, in tantaque altitudine situm, ut eius superficies 6000 ped. angl., i. e. amplius 1800 m. supra Oceani aequor et 5000

ped. supra planitiem ab occidente vicinam emineret. Orta est igitur, in tractu montium, quibus in parte occidentali hoc mare continebatur, quodam loco partim, ut opinatur, terraemotu partim prorumpente aquâ fissura ingens usque ad radices montium, i. e. alta ad 5000 pedes = 1500 metra, lata 20-30 chiliometra, per quam maxima pars aquarum maris (plus 3.000.000 km cub.) cum ingenti impetu prorupit et totam late terram a septemtrione Persiae, Armeniae, Caucasi undis mersit, donec paulatim per Pontum Euxinum et mare Mediterraneum, certe vastatis litoribus atque insulis, in Oceanum Atlanticum et per planities in maria borealia diffluxit. Supra diximus istam hypothesin primo aspectu alicui videri posse magis satisfacere. Etenim reapse habes hic « ruptos fontes maris magni », habes ingentem vastae regionis per complures menses inundationem, in dies ex « fontibus abyssi » crescentem, habes vere horribile spectaculum, certe eorum qui ei superstites erant animis alte infixum, habes arcam naturali aquarum motu versus occidentem trans lacum Oxianum et mare Caspium delatam ac fortasse, cum maior pars aquae Caucasum a borea circumflueret, versus « montes Armeniae » portatam. Adverti quoque potest, etiam Persiam antiquis temporibus simili mari alte sito videri tectam fuisse quod similiter potuit v. g. versus Tigrin effundi. Verum ex altera parte hypothesis Schwarziana et a quibusdam viris scientiarum naturalium peritis pro improbabili habetur et, quod ad Sacram Scripturam attinet, illa eo excludi videtur, quod eâ nequaquam explicatur, quomodo (ut narratur Gen. 8,4. 5), postquam inde a die 17. (27.) mensis septimi arca consedit, usque ad Kalendas decimi mensis nulla conspecta sint montium (tam videlicet vicinorum tamque altorum) cacumina; immo Genesis videtur supponere arcam constitisse in loco altiore quam illa cacumina. — Aliis hypothesibus excogitatis hic proponendis supersedemus.

6) *Typus fuit diluvium* et umbra futurorum. Ex una quidem parte peccatores perdidit, ex altera idem arcam sustentavit eosque qui inerant servavit ac mundo novum genus hominum iustorum reddidit. Itaque diluvium et divinae vindictae signum et pignus, et aquae baptismalis qua salvantur, purgantur, renascuntur homines, typus evasit (2 Pet. 3,5; 1 Pet. 3,20. 21.)

III. **Post diluvium** (Gen. 8,15-9,17). Terra exsiccata, exspectato acceptoque Dei mandato octo homines servati *arca excedunt;* emittuntur simul animalia, quaecunque in arca fuerant. Ac primum gratus Deo Noë altare aedificavit et *sacrificium obtulit.* Quod fuit Deo tam acceptum, ut statim ad misericordiam flexus erga fragile genus mortalium se non iterum tantam peccatoribus poenam inflicturum pollicitus sit (8,15-22).

Tum *Deus benedictionem* ab initio Adamo datam renovato generi humano *redintegravit*, aptasque generi conservando leges tulit, ut a) fecundis matrimoniis propagarentur, b) in creaturas omnes dominarentur, c) cibis vescerentur etiam animalibus (ante diluvium id non licuisse quidam inde inferunt, at ut videtur, non magis recte quam si quis ex vetito tunc expressis verbis homicidio demonstraret hoc antea licitum fuisse), ne tamen carnem comederent cum ipso sanguine eoque crudeliores evaderent, d) hominum vitam sacrosanctam haberent, exceptis auctoritate divina homicidis qui (a legitimis superioribus) secundum talionis legem puniri possent (9,1-7).

Denique *pactum Deus cum Noë iniit* ac iureiurando (Is. 54,9) datoque pignore confirmavit : etenim id quod iam post ipsum primum sacrificium statuit ac promisit (8,11), iam sollemni foedere paciscitur, clarius annuntiat et arcum caelestem pignus datae fidei designat : qui ab eo tempore toto orbe misericordiam ac fidelitatem Dei praedicat (9,8-17). Cf. articulos NOE et ARCA NOE.

Litteratura. Vide libros citatos apud *F. de Hummelauer* in Gen., *Reusch*, *Lüken*, *Vigouroux*, *alios*. Commentarios in Genesin enumerat *Cornely*, Introd. *ed.* 2 II. 1 p. 161 s. Praeterea v. *Schäfer*, Das Diluvium in der Bibel; *de Regnon*, Le déluge biblique et les races antédiluviennes; *Reusch*, Bibel und Natur *ed.* 4 Bonn 1876;

Schöpfer, Gesch. des A. T., *ed.* 3, Brixen 1902; *Schöpfer-Pelt*, Histoire de l'Ancien Testament *ed.* 3; *Cetta*, Il Diluvio, Torino 1886; *A. Scholz*, Die Keilschrift-Urkunden und die Genesis; *Güttler*, Naturforschung und Bibel, Freiburg i. B. 1877; *Lenormant*, Origines de l'histoire, Paris 1880-84; *Thomas*, Les temps primitifs et les origines religieuses; *Vigouroux*, Manuel biblique, A. T., Paris.

De narratione biblica speciatim v. Zeitschrift für kath. Theologie 1877 p. 128 ss. (*Bickell*); ib. 1885 p. 595 ss. (*Flunk*); *Halévy*, Recherches bibliques p. 115 ss.; *Loisy*, Les mythes chaldéens de la création et du déluge p. 82 ss.; *Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes *ed.* 6. I. p. 333 ss.; Les livres saints et la critique rationaliste *ed.* 4 IV. p. 241 ss.

De mytho babylonico v. *Euseb.* Chronicon l. 1 c. 3; *Kaulèn*, Assyrien und Babylonien *ed.* 4 p. 169 s.; *E. Schrader*, Die Keilinschriften und das A. T. *ed.* 2; *G. Smith*, Assyrian discoveries p. 184 ss.; Chaldean account of Genesis p. 263 ss.

De traditionibus populorum v. *Lüken*, Die Traditionen des Menschengeschlechts, Münster 1869 p. 189, ubi plures alii libri recensentur; *Lambert*, Le Déluge Mosaïque; *R. Andrée*, Die Flutsagen, ethnographisch betrachtet, Braunschweig 1891; *F. von Schwarz*, Sintfluth und Völkerwanderungen, Stuttgart 1894 p. 8-18; *de Girard*, Le Déluge devant la critique historique; *Lenormant*, Histoire ancienne de l'Orient jusqu'aux guerres médiques *ed.* 9 I. p. 55.

De universalitate v. *d'Avino*, Enciclopedia dell' Ecclesiastico *ed.* 3 I. p. 850; *Moigno*, Les splendeurs de la foi III. p. 1118; *Ubaldi*, Introd. in S. Script. *ed.* 2 I. p. 753; *Bosizio*, Die Geologie und die Sündfluth, Mainz 1977; *Westermayer*, Das A. T. und seine Bedeutung, Schaffhausen 1861, I. p. 393 ss.; *Kaulen* in Kirchenlexikon *ed.* 2 XI. p. 337; Stimmen aus M. Laach, XVI. p. 31. 161. 395 (*Hummelauer* : cf. eiusdem Comment. in Gen.); Zeitschr. f. kath. Theologie 1887 p. 630 ss. (*Breitung*); Revue des questions scientifiques 1886-88 (*Brucker*, *Robert*, *Motais*); La Controverse 1883-84 (*Lamy*, *Motais*, *Jaugey*, *de Harlez*), 1888; La Science catholique I. II.; The Tablet 1884 passim; *Brucker*, L'universalité du déluge, Bruxelles 1886; *Motais*, Le déluge biblique; *Pianciani* in Civiltà cattolica V. 4 (1862) p. 35 ss.

De explicatione physica v. *Klee*, Déluge p. 83-123. 205-332; *de Léonhard*, Géologie II. p. 722; *Hugh Miller*, Testimony of the rocks p. 344-48; *Girard*, La théorie sismique du déluge p. 23; *E. Suess*, Das Antlitz der Erde, Prag 1883; *Gonzalez-Arintero*, El diluvio universal de la biblia y de la tradicion, Vergara 1892; *Fr. v. Schwarz*, Sintfluth unde Völkerwanderungen p. 423 ss.; Stimmen aus M. Laach XV. 71. 173. 265. XXVII 1.

F. ZORELL.

DIMONA (דִּימוֹנָה, Ἐγμά, Διμωνά), urbs in meridiana plaga tribus Iuda (Ios. 15,22). Onom. solum nomen commemorat. Probabilius eadem est quae Dibon (דִּיבֹן, LXX omitt.) a filiis Iuda post exsilium denuo habitata (Neh. 11,25). *Keil* et *Dillmann* in Ios. 15,22 probabilem opinionem admittunt Dimona = Dibon esse *Tell el-Dhīb* prope *Tell'Arād* inter orientem et septentrionem. Quoad mutationem Dimona in Dibon cf. Is. 15,9 hebr., ubi Dibon altera transiordanica vocatur Dimon, de qua S. Hieronymus ad Is. 15,9 monet : « usque hodie indifferenter et Dimon et Dibon hoc oppidulum dicitur ». Verum *F. de Hummelauer* (ad Ios. 15,22) existimat Dibon Neh. 11,25 esse Dabir Ios. 15,49.

DINA (דִּינָה, Δεῖνα) filia Iacob ex Lia. Cum Iacob moraretur (reversus a Laban) prope Sichem, Dina egressa est ut videret mulieres regionis illius. Ea occasione vi oppressa est a filio Hemor, principis Hevaeorum, nomine Sichem, qui eam uxorem accipere desiderabat. Quare Hemor, pater eius, precibus filii acquiescens, adiit Iacob eique et filiis Iacob proposuit, ut et Dina daretur filio in uxorem et Hevaei et ipsi inirent foedus et societatem. Ipse Sichem quoque suas adiunxit preces et promisit se facturum et praestiturum quidquid postulassent. Filii vero Iacob irati propter ignominiam sorori illatam fraudulenter conditionem ponunt, ut si velint Hevaei ius connubii, circumcisionem assumant. Consentiunt Hemor et Sichem et etiam popularibus suis persuadent, ut circumcisionem adoptent. Sed tertio die post, quo vulnus ex circumcisione acceptum gravissimum est, Simeon et Levi urbem ingressi viros trucidant, et reliqui filii Iacob in ultionem stupri praedam agunt. Facinus hoc reprehendit Iacob (Gen. 34,1-31) et Simeonis et

Levi furorem etiam in vaticinio ante mortem edito denuo reprobat (Gen. 49,5. 6); nam etsi iuste essent indignati de vi sorori illata, tamen nullo pacto iuste egerunt, immo iniustissime viros illos quos fraude deceperant trucidando. Quare mirum est aliquos reperisse contradictionem inter Gen. 34,7. 13. 31 et Gen. 49,5. 6. Verbis autem Iacob non licet opponere encomium Iudith 9,2, quae non potest demonstrari Deo inspirante esse locuta, ut animadvertit *F. de Hummelauer*, Comment. in Gen. p. 512.

DINAEI (דִּינָיֵא, Δειναῖοι) enumerantur Esdr. 4,9 inter eas gentes, quas Asenaphar (vide s. v.) de Babylonia in Samariam transtulit; erant Iudaeis infensi et cum aliis Samaritanis apud Artaxerxem institerunt, ut Iudaei urbem Ierusalem aedificare prohiberentur. De Dinaeis nihil certi constat. *Ewald* coniicit eos nomen gessisse a civitate quadam Medorum, quae posterioribus quoque temporibus sub nomine *Deinaver* memoratur. *Franz Delitzsch* confert urbem *Din-sharru* (h. e. Din regis) Susae vicinam et idem refutat opinionem, quam *Schrader* proposuerat, Dinaeos esse *Da-ja-e-ni* sive *Da-ja-a-ni* in inscriptionibus Theglathphalasar I. aliorumque regum commemoratos scil. gentem Armeniae occidentalis, quam inter gentes orientales Esd. 4,9 recensitas non exspectaveris. Alii denique suspicantur nomen non esse gentilicium, sed appellativum, ita ut Dinaei punctis mutatis potius sint דַּיָּנַיָּא i. e. iudices; pari ratione Apharsathachaeos qui cum Dinaeis immediate iunguntur, coniiciunt esse legatos seu commissarios (*G. Hoffmann*).

Cf. *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 III. p. 727; *Franz Delitzsch* apud *S. Baer*, Libri Dan. Ezrae et Nehem. Lipsiae 1882, Praefatio p. x.; *G. Hoffmann* in Zeitschr. für Assyriologie II. 1887 p. 55.

DIONYSIUS (Διονύσιος), atheniensis, Areopagita i. e. iudicii in Areopago habiti assessor, qui cum Paulus in Areopago praedicasset ei adhaesit et credidit (Act. 17,34). Vide s. v. AREOPAGUS.

DIORYX (διώρυξ) canalis Eccli. 24,41 (30 al. 28) : « ego quasi fluvii dioryx » ; dicit s. auctor ex plenitudine sapientiae, quasi ex flumine magno, se aliquid hausisse; vel si verba haec ab ipsa sapientia dicuntur (uti ex Vulgata consequi videtur et ab aliis quoque explicatur), sapientia se dicit immensae sapientiae partem quae hominibus contingat; cf. v. 40 : ego sapientia effudi flumina.

DIOSCORUS nomen mensis, uti necessario colligendum est ex 2 Mach. 11,21; epistula enim Lysiae ad Iudaeos ita concluditur : bene valete. Anno 148, mensis Dioscori die 24, Διοσκορινθίου εἰκοστῇ τετάρτῃ. Sed cum talis mensis Διοσκορινθίου ceteroquin sit plane incognitus, variae prolatae sunt coniecturae. Probabilissima ea videtur esse qua statuitur intellegendum esse nomen mensis macedonici Δῖος, Dius, uti in subsequentibus epistulis v. 33. 38 etiam nomen macedonicum mensis Xanthicus reperitur. Interpres syrus etiam eum exprimit mensem qui macedonico Dio respondet. Dioscorus, Διόσκορος, Διοσκοῦρος, nomen mensis erat apud Cretenses usitatum; unde versio latina sensu non caret, quo caret textus graecus. Alii nomen mensis macedonici Dystrus substituere malunt qui mensi Adar respondet.

DIOTREPHES (Διοτρεφής) 3 Ioan. 9.10 : scripsissem forsitan ecclesiae; sed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes non recipit nos; propter hoc si venero commonebo eius opera quae facit verbis malignis garriens in nos et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres et eos qui suscipiunt prohibet et de ecclesia eiicit. — Secundum lectionem codicum meliorum ἔγραψά τι, cui accedit S. Hieronymus (in Tit. 1,9) : scripsi etiam ecclesiae, Diotrephes epistulam Ioannis ad ecclesiam scriptam ecclesiae non communicavit, neque fratres quos Ioannes commendaverat suscepit. Erat φιλοπρωτεύων, homo superbus et primatum gerere affectans. Fortasse coetus christiani in eius domo agebantur; ita enim facile intellegitur, quomodo aliquos ex ecclesia, ex coetu, eiicere potuerit. Ceterum de illo nihil notum est.

DIPONDIUS, dupondius, nummus est qui aequat duos asses, Luc. 12,6 : nonne quinque passeres vaenenunt dipondio (ἀσσαρίων δύο). Denarius prius decem, postea sedecim assibus constabat. Assarium deminutivum est; apud rabbinos quoque nummus איסר assarium notus est, qui tamen nummulus solum vigesimam quartam partem denarii constituere dicitur; cf. *Knabenbauer*, Comment. in Matth. *ed.* 2 l. p. 417. De valore vide s. v. PECUNIA.

DIPSAS v. SERPENS.

DISAN (דִּישָׁן), ultimus filius Seir Horraei, pater Hus et Aram seu Aran, princeps tribus Disan (Gen. 36,21. 28. 30 LXX Ῥισών; 1 Par. 1,38. 42 LXX Δισάν).

DISCRETIO SPIRITUUM vide s. v. CHARISMATA.

DISCIPULUS. Eo nomine vocantur in evangeliis ii qui proxime Christum sequebantur tamquam eius comites et socii. Stricto sensu ita appellantur duodecim apostoli, dein alii septuaginta (Luc. 10,1) et sensu generali nominatur discipulus quicumque in Christum credit eiusque doctrinam sequi et amplecti vult (cf. Luc. 14,26. 27). Quare in Act. nomine discipulorum designantur ii qui edocti ab apostolis et evangelistis fidem Christi susceperunt. — Eodem modo qui Ioanni Baptistae se addixerunt eiusque austerum vitae genus imitabantur, vocantur discipuli Ioannis (cf. Matth. 9,14; 11,2), ex quibus fuerunt Andreas et Ioannes (Ioan. 1,37 ss.), ita ut Christus primos suos discipulos a Ioanne praecursore accipere voluerit. Ipse Ioannes suos discipulos Iesu adiungere desiderabat (cf. Ioan. 3,27 ss.; Matth. 11,2).

DISCUS (δίσκος) est orbis lapideus vel ex metallo factus, quo iaculando Graeci se exercere et inter se certare solebant. Conqueritur s. auctor 2 Mach. 4,14, quod sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contemplo templo et sacrificiis neglectis festinarent ad palaestram μετὰ τὴν τοῦ δίσκου πρόκλησιν (πρόσκλησιν) adhortatione ad discoboliam facta. Fortasse ludi illi athletici incipiebant a discobolia, vel haec nominatur instar aliorum exempli gratia.

Discus quoque vocatur lanx, catinus; cf. Matth. 14,8 : da mihi hic in disco caput Ioannis Baptistae (cf. Marc. 6,25 s.).

DISON (דִּשָׁן, דִּשּׁוֹן, דִּישָׁן, דִּישׁוֹן; Δησών). **1.** Quintus filius Seir, dux Horraeorum in Idumaea (Gen. 36,21. 26. 30; 1 Par. 1,38. 41; LXX 1 Par. 1,41 Δαισών). Legitur quidem Gen. 36,26 דִּישָׁן; sed hoc mendum esse pro Dison suadent Vulgata, LXX, Peshitta et postulat locus parallelus 1 Par. 1,41.

2. Filius Ana filii Seir (Gen. 36,25; 1 Par. 1,40 hebr. 41; LXX 1 Par. 1,41 Δαισών).

DISPERSIO (διασπορά) praeprimis dicitur de Israelitis inter alias gentes habitantibus, qui scil. dissipatione regni eiecti sint e patria et dissipati (cf. Iudith 5,23); unde precantur : congrega dispersionem nostram (2 Mach. 1,27) et Iudaei dicunt de Christo : numquid in dispersionem gentium iturus est (Ioan. 7,35)? i. e. ad Iudaeos qui dispersi sunt inter Graecos (εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων). Inde, cum Christiani sint veri filii Abraham et Israel Dei (Gal. 3,29; 6,16), idem nomen transfertur ad Christianos inter gentiles dispersos; ita Iac. 1,1; 1 Petr. 1,1.

DIVERSORIUM. Ea voce vertitur מָלוֹן Gen. 42,27 et 43,21 et Ex. 4,24 et Ier. 2,9, i. e. locus quo viatores pernoctant, sive quietem nocturnam capiunt sub tentorio vel in aliquo hospitio. Ceterum hospitia in oriente non praebebant viatoribus nisi locum quendam tectum; pro cibo ipsi curam suscipere debebant. Eiusmodi diversoria tamen puteo vel fonte instructa esse solebant. Uti ex Ier. 41,17 (hebr.) colligitur, quandoque a viro quodam in publicam utilitatem diversorium erigebatur et ab eius nomine vocabatur. Liberius vertit S. Hieronymus diversorium Iud. 18,3 et 3 Reg. 18,27. Eodem sensu Luc. 2,7 κατάλυμα, publicum hospitium; sed Luc. 22,11 diversorium intellegitur coenaculum, conclave in domo ad celebrandam coenam paschalem. Tempore quippe pas-

The Institute of Mediaeval Studies LIBRARY

chatis cives hierosolymitani eiusmodi conclavia vel coenacula instruere et elocare solebant.

DIVINATIO. Israelitis omnia genera divinationis, auguriorum ceterarumque artium, quibus res futurae vel absconditae divinari posse apud antiquos Orientis populos passim credebantur, severe interdicta erant : Non augurabimini nec observabitis somnia (Lev. 19,26); non declinetis ad magos nec ab ariolis aliquid sciscitemini (19,31; cf. 20,6); non est augurium in Iacob nec divinatio in Israel (Num. 23,23). Varia genera divinationis recensentur in lege de prophetis Deut. 18,10 ss. : « nec inveniatur in te..... qui ariolos sciscitetur (קֹסֵם קְסָמִים) et observet somnia atque auguria (מְעוֹנֵן וּמְנַחֵשׁ) nec sit maleficus (וּמְכַשֵּׁף) nec incantator (וְחֹבֵר חָבֶר) nec qui pythones consulat (וְשֹׁאֵל אוֹב) nec divinos (וְיִדְּעֹנִי) aut quaerat a mortuis veritatem; omnia enim haec abominatur Dominus..... Gentes istae, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt; tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es ». Scilicet ut Deus homines ad eiusmodi artes pronos et ad secreta ac dubia exquirenda maxime propensos efficaciter a divinatione retraheret, munus instituit propheticum, ut a prophetis exquirerent voluntatem Dei in rebus dubiis et ab iis quoque edocerentur; quo munere prophetas quoque functos esse exemplis constat (cf. 1 Reg. 9, 6; 23,2 ss.; 3 Reg. 14,2; 22,7; 4 Reg. 1,2 ss. etc.).

Iamvero quodnam genus divinationis singulis vocibus significetur, non semper certo statui potest.

קֶסֶם vel מִקְסָם sensu generali dici videtur divinatio, sortilegium, μαντεία et קוֹסֵם ariolus, augur, divinus, incantator, μαντίς. Adhibetur ea vox de Balaam (Ios. 13,22), de Philisthaeorum divinis (1 Sam. 6,2), de prophetis babylonicis (Is. 44, 25), de pythonissa in Endor (1 Sam. 28, 8), generatim de falsis prophetis. Eiusmodi divinationis genus describit Ezechiel 21,21 [26] : « Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quaerens, commiscens sagittas, interrogavit idola (Theraphim), exta consuluit (inspexit iecur) ». Ad quem locum notat S. Hieronymus : « Stabit rex in ipso compito et ritu gentis suae oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram et commisceat eas inscriptas sive signatas nominibus singulorum, ut videat cuius sagitta exeat et quam prius civitatem debeat oppugnare; hanc autem Graeci βελομαντίαν sive ῥαβδομαντίαν nominant ». De Theraphim vide s. v. Praeterea inspiciebatur iecur victimae, ut ex eo augurium de rei eventu caperetur, qui divinandi modus apud Graecos ἡπατοσκοπία, apud Romanos extispicium audiebat.

נַחַשׁ plerique veteres interpretes referunt ad auguria ex avibus capta (οἰωνισμός, augurium, omen); sed divinatio ex avium observatione, etsi apud Graecos Romanosque usitata (*Xenoph.* Mem. 1,13; *Ovid.* Metam. 5,549 etc.), in S. Scriptura commemorari non videtur neque apud Orientales in usu erat nisi forte apud Iudaeos graecissantes aetatis posterioris. Alii נחשׁ interpretantur omen ex serpentibus (נָחָשׁ) petitum, alii cum *Gesenio* (Thes. p. 875 a) generatim omen a carmine magico dictum, quod levi *susurro* proferri solebat. Cf. Gen. 30,27; Lev. 19,26; Num. 23,1 s. 15. 23; 24,1; Deut. 18,10; 4 Reg. 17,17; 21,6; 2 Par. 33,6. Etiam notione ominis boni eadem vox adhibetur 3 Reg. 20,33.

Eadem vox נחשׁ adhibetur Gen. 44,5. 15, ad quem locum notat *F. de Hummelauer,* Comm. in Gen. p. 561 : « Augurari e scypho pertinet ad hydromantiam. Aliquos accipe modos, quo id apud antiquos fiebat (*P. Scholz*, Götzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebräern, Regensburg 1877, p. 71) : vase aqua repleto apparebant in aqua formae quaedam futura praesagientes; coniectae in aquam gemmae, aurum et argentum varias ibidem formas describebant. Ut patet, hoc Iosephi *augurium* interpretes torsit..... Sed notanda *Grotii* solutio, agi posse de praesagiis divinitus immissis. Reapse si in Vet. Test. pontifex potuit ope Urim et Thummim oracula edere, quod nunc non sine superstitione possit

quis imitari, non video equidem, cur non potuerint esse in religione primitiva ritus aliqui futurorum praesciendorum a certis quibusdam viris legitime adhibendi Deoque tum probati, qui non nunc solum, sed vel lege mosaica abrogati sint neque inde a Moyse sine inanis superstitionis nota potuerint adhiberi ».

עָנַן quid proprie significet, incertum est; LXX plerumque interpretantur κληδονισμός, κληδών, Vulgata : augurari, augures, divinationes. Aliqui vocem explicant augurium capere ex nubibus (עָנָן), alii cum Talmudistis fascinare per aspectum malignum (עַיִן). Designari videtur modus quidam occulta inquirendi cum idololatria coniunctus. Eiusmodi divinatio deprehendilur apud Chananaeos (Deut. 18,14) et Philisthaeos (Is. 2,6). Tempore Abimelech erat prope Sichem אֵלוֹן מְעוֹנְנִים seu quercus augurum, quae nomen ab artibus augurum chananaeorum accepisse merito putatur. Israelitas de hoc genere divinationis, quod Lev. 19,26 et Deut. 18,10 severe interdictum erat, Isaias propheta arguit (2,6; 57,3) et eiusdem etiam reus erat Manasses rex impius Iuda (4 Reg. 21,6; 2 Par. 33,6). In nova theocratia temporis messiani ea quoque divinatio auferetur (Mich. 5,11).

אוֹב est spiritus defuncti, quem necromantius ex inferis evocat atque de rebus futuris consulit Lev. 19,31; 20,6. 27; Deut. 18,11; 1 Sam. 28,3. 7 s.; Is. 8,19; 19,3; 29,4; 1 Par. 10,13; 2 Par. 33,6. Spiritus pythonicus vel divinationis erat in viro sive muliere necromantiam exercente Lev. 20,27; mulier in Endor erat בַּעֲלַת־אוֹב = magistra pythonis, pythonem habens. Secundario tantum ea vox adhibetur de arte necromantiae vel de iis, qui necromantiam exercent (1 Sam. 18,3; 4 Reg. 21,6; 23,24). LXX pythonem interpretari solent ἐγγαστρίμυθον, unde explicari videtur arte ventriloquorum homines ab astutis illis incantatoribus esse deceptos et eo modo necromantiam esse exercitam plerumque; verum iis in rebus diabolum etiam suas quandoque egisse partes ex Act. 16, 16 ss. de puella spiritum pythonem habente apertum est.

כָּשֵׁף probabilius est incantatio magorum, qui formulis magicis maleficia patrare studebant (LXX φαρμακός, Vulgata : maleficus). Cf. Ex. 7,11; 22,17; Deut. 18,10; 4 Reg. 9,22; Is. 47,9. 12; Ier. 27,9; Dan. 2,2; Mich. 5,11; Nah. 3,4; Mal. 3,5. Vide s. v. MAGIA.

חָבַר חָבֶר est fascinare fascinationem, incantare incantationem; vide s. v. MAGIA.

יִדְּעֹנִי (LXX ἐπαοιδός, γνώστης, Vulgata plerumque ariolus) designat spiritum divinationis, qui in S. Scriptura cum spiritu pythonico seu necromantia consociari solet. Cf. Lev. 19,31; 20,6. 27; Deut. 18,11; 1 Reg. 28,3. 9; 4 Reg. 21, 6; 23,24; 2 Par. 33,6; Is. 8,19; 19,3 etc.

Apud Babylonios Dan. 2,2 recensentur quattuor ordines sapientum : arioli (חַרְטֻמִּים) et magi (אַשָּׁפִים) et malefici (מְכַשְּׁפִים) et Chaldaei (כַּשְׂדִּים), quibus additur 2,27; 4,4; 5,7. 11 quintus ordo : aruspices (גַּזְרִין). « Sed quid singulis speciali modo attribui oporteat difficile dixeris. Censent חרטמים incantatores fuisse ad malos genios coercendos et eorum maleficia avertenda, אשפים vates qui carmina in deorum laudem componerent, oracula interpretarentur et consilia deorum manifestarent, מכשפים qui formulas mussitarent magicas ad mira efficienda, כשדים qui ex astris vaticinarentur, demum 2,27 etc. גזרין qui ex variis signis naturalibus eventibusque coniecturas et auguria caperent » (*Knabenbauer* ad Dan. 2,2). Adverte חרטמים etiam apud Aegyptios in aula Pharaonis commemorari Gen. 41,8 (Vulgata : coniectores, LXX ἐξηγητάς, Aquila κρυφιαστάς), ubi evidenter designatur tribus sapientum, qui somnia interpretabantur. Ex somniis frequenter res futurae coniiciebantur, cuius superstitionis se reos reddebant pseudoprophetae (Deut. 13,1; Ier. 23,25. 27; 29,8).

DIVITIAE. Ex norma veteris legis promittitur observantibus praecepta Domini felicitas, securitas, abundantia bonorum et fertilitas terrae (cf. Deut. 28,

3 s.; Agg. 2,20). Quare divitiae quoque considerantur tamquam merces quam Deus servis suis fidelibus tribuit. Ita divites nobis exhibentur patriarchae, Abraham, Isaac, Iacob; divitiae autem in eorum vita pastoricia potissimum consistebant gregibus, sicut quoque Iob dives multitudine pecorum describitur. Posteriore tempore etiam auro, argento, lapidibus pretiosis divites erant David, Salomon. Et Salomoni qui sapientiam a Deo postulavit, Deus dicitur etiam dedisse, quae non postulaverat, divitias et gloriam (3 Reg. 3,13), ita ut magnificatus sit super omnes reges terrae divitiis et sapientia (3 Reg. 10,23). Etiam Iosaphat, regi pio, factae sunt infinitae divitiae et multa gloria (2 Par. 17,5) et de Ezechia rege quoque, qui placuit Domino, legimus : fuit autem dives et inclytus valde et thesauros sibi plurimos congregavit argenti et auri et lapidis pretiosi et aromatum et armorum universi generis et vasorum magni pretii, apothecas quoque frumenti, vini et olei et praesepia omnium iumentorum caulasque pecorum (2 Par. 32,27). Atque divitias tribui tamquam mercedem saepius enuntiatur : spera in Domino et fac bonitatem et inhabita terram et pasceris in divitiis eius Ps. 36,3 vel : beatus vir qui timet Dominum... gloria et divitiae in domo eius Ps. 111,1-3; et de sapientia eiusque donis dicitur : longitudo dierum in dextera eius et in sinistra illius divitiae et gloria Prov. 3,16, et : mecum sunt divitiae Prov. 8,18 et corona sapientium divitiae eorum 14,24 et : finis modestiae timor Domini, divitiae et gloria et vita 22,4; neque aliter Sap. 8,5 : et si divitiae appetuntur in vita, quid sapientia locupletius? Sed divites monentur, ut pauperibus ferant opem : oculos tuos ne transvertas a paupere; rogationem tribulati ne abiicias et non avertas faciem tuam ab egeno Eccli. 4,1 s.; cf. Prov. 14, 21; 19,17; 22,9; 28,27 etc.

Verum in divitiis etiam varia latere pericula non tacetur. Id iam apparet ipsa illa laude : beatus dives qui inventus est sine macula et qui post aurum non abiit nec speravit in pecunia et thesauris; quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua Eccli. 31,8. 9. Divitias esse vanas, incertas, fugaces Sapiens monet (cf. Eccl. 5,9; Eccli. 18,25); quare iis non est gloriandum Ier. 9,23; neque enim divitiae proderunt, sed sola iustitia liberabit a morte Prov. 11,4; Eccli. 5,10. Serio quoque s. litterae docent ne quis confidat divitiis : divitiae si affluant nolite cor apponere Ps. 61,11; cf. Ps. 48, 7; 51,9; 75,6 et Prov. 11,28 : qui confidit in divitiis suis corruet. Porro divitias saepe esse incitamenta et fomenta vitiorum iam eo elucet quod tot reperiuntur contra impios divites reprehensiones; nam qui festinat ditari non erit innocens Prov. 28,20; unde melior est pauper ambulans in simplicitate sua quam dives in pravis itineribus Prov. 28,6; cf. 19,1; et quae sint haec itinera prava, pluribus describit Isaias propheta 5,8-23 et Ezechiel 16,16 s.; unde iam Isaias et Amos (6,1 vae qui opulenti estis in Sion) divitibus illud ingeminant vae quod postea Christus quoque in eos pronuntiavit. Haec divitiarum pericula Sapiens ob oculos habet dum precatur : mendicitatem et divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria Prov. 30,8. Cum in lege vetere observationi mandatorum Dei promitteretur prosperitas, facile evenire poterat, ut divitiae et felicitas impiorum essent offensioni et admirationi, id quod praeclare describitur Ps. 72,2; sed : existimabam ut cognoscerem hoc; labor est ante me, donec intrem in sanctuarium et intellegam in novissimis eorum etc., et : dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis Ps. 75,6; cf. 51,9; 48,17.

In novi quoque foederis libris serio monemur de periculis divitiarum; vide s. v. AVARITIA. Christus eas comparat spinis quibus semen bonum suffocetur; fallacia divitiarum earumque deceptione suffocatur verbum et sine fructu efficitur (Matth. 13,22; Marc. 4,19). Christus dicit vae divitibus, iis scil. qui in iis suam habent consolationem (Luc. 6,24); divitiis earumque amore iuvenis ille retinetur quominus perfecte Christum sequatur; unde Christus docet quam difficile sit ut dives intret in regnum

caelorum (Matth. 19,23) idque illustrat parabola divitis et Lazari (Luc. 16,19 ss.) et quam periculosum sit sibi thesaurizare neque esse divitem in Deum, alia docet parabola (Luc. 12,16). Quare monet ne quis sibi thesaurizet thesauros in terra, quos aerugo et tinea demolitur et fures furantur, sed ut thesauros colligat in caelo (Matth. 6,20); monet neminem posse Deo servire et mammonae (Matth. 6,24). Sed simul declaratur pecunias illis solum esse obstaculo qui in iis confidunt (Marc. 10,24), posse quemvis eleemosynis sibi facere amicos de mammona iniquitatis (Luc. 16,9) qui eum recipiant in aeterna tabernacula. Atque recti usus pecuniarum exempla proponuntur in piis mulieribus quae facultatibus suis ministraverunt Domino et discipulis, in Zachaeo (Luc. 19,8), in Nicodemo et Ioseph ab Arimathaea divitibus (Matth. 27,57; Ioan. 19,39). Quis sit rectus earum usus, eodem modo docent Paulus (2 Cor. 9,6) et Iacobus (2,15. 16), qui quam fluxae sint opes pluribus prosequitur (5,1-6).

Sublimiore sensu divitiae dicuntur de bonis spiritualibus (Hebr. 11,26); Christus propter nos egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus (2 Cor. 8,9) et apostolus vult, ut omnes evadant divites in omni verbo et in omni scientia, in fide et caritate, in bonis operibus (1 Cor. 1,5; 2 Cor. 8,7; 1 Tim. 6,18). Demum divitiae quoque dicuntur de Deo, qui est dives in omnes, qui invocant illum (Rom. 10,12), cuius divitiae bonitatis, divitiae gloriae, sapientiae et scientiae, divitiae gratiae celebrantur Rom. 2,4; 9,23; 11,33; Eph. 1,7; 2,7; et apostolus gloriatur quod ei data sit gratia haec in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi (Eph. 3,8; cf. Col. 1,27).

I. KNABENBAUER.

DIZAHAB (דִּי זָהָב, Καταχρύσεα, Vulgata: ubi auri est plurimum) recenseturDeut. 1,1 post Pharan, Thophel, Laban, Haseroth, quibus nominibus regio migrationis Israelitarum a Sinai usque ad Iordanem delineatur. Onom. Eusebii et S. Hieronymi cum LXX nomen effert κατὰ τὰ χρύσεα (*ed. Lag.* 269,19)... Cata Chrysea, id est ad aurea, sunt autem montes auri fertiles in deserto procul undecim mansionibus a Choreb (109,4). Ob nominis similitudinem aliqui (*I. L. Burckhardt, Robinson*) comparant portum *Dhahab* (*Mersā Dhahab, Minā Dhahab*) ad orientem montis Sinai situm in lingula sinus Aelanitici, alii (*L. de Laborde*) obiiciunt *Dhahab* nimis meridiem versus abesse ab itinere Israelitarum, alii (*Raumer, Hummelauer*) coniiciunt Dizahab fuisse nomen nativum loci, qui Num. 11,34 ab eventu appellatus est Sepulcra concupiscentiae.

Cf. *I. L. Burckhardt,* Reisen in Syrien, Palaestina, *ed. Gesenius* II. 848; *Robinson,* Palaestina III. 160; *L. de Laborde,* Commentaire géogr. sur l'Exode et les Nombres 1841 p. 8; *C. v. Raumer,* Palaestina *ed.* 4 p. 481; *F. de Hummelauer* ad Deut. 1,1.

DOCH (Δώκ), arx seu munitiuncula (ὀχυρωμάτιον) exstructa a Ptolemaeo, qui erat filius Abobi, gener Simonis Machabaei, dux in campo Iericho a Simone constitutus et qui in arce Doch Simonem eiusque filios Mathathiam et Iudam vi ac dolo interfecit (1 Mach. 16,14-16). Brevi post Ptolemaeus in eadem arce a Ioanne Hyrcano, tertio Simonis filio, oppugnatus est, ut Flav. Iosephus narrat, qui arcis nomen scribit Δαγών eamque supra (ὑπὲρ) Iericho sitam esse dicit (Ant. XIII. 8,1; Bell. iud. I. 2,3). Antiquum nomen merito agnoscitur in *'Ain el-Dūk,* qui fons ad radices septemtrionales montis Quarantania (*Djebel Qarantal*) scaturit, 6 km a Iericho inter septemtrionem et occidentem, prope viam romanam, quae Ierichunte in Samariam ducit. Sed de situ ipsius arcis determinando variae sunt opiniones. *I. P. van Kasteren* eam componit cum ruinis castelli, quae in summo monte Quarantania inveniuntur et hodie dicuntur *Ṭāḥūnet el-Hawā* i. e. molae venti; idem auctor testimonia adducit, quibus mons Quarantania et ante et post occupationem arabicam nomine *Dūq* (non *Dūk*) insignitus fuisse evincitur. Cf. *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1454-6 et Revue biblique VI. 1897 p. 99-104.

DOCTOR. Hac voce quandoque explicatur שֹׁטֵר; ita Deut. 29,10; 31,28 et

2 Par. 26,11; sed vox hebr. potius magistratum quendam, praefectum, exactorem significat; etiam מֵבִין 1 Par. 25, 7 eo modo exprimitur, uti נָבוֹן Eccl. 9, 11, ita ut intellegens, sapiens tamquam doctor habeatur. In libris novi foederis dicuntur legis doctores iidem qui alias scribae nominantur i. e. interpretes et doctores legis mosaicae, qui a Iosepho (Ant. XVII. 6,2; cf. XVIII. 3,5) πατρίων ἐξηγηταὶ νόμων appellantur et magna pollebant auctoritate. Tempore Christi iam titulo rabbi (domine mi, dominus) honorabantur. Ceterum vide s. v. SCRIBA. Inter Christianos vocantur doctores qui in coetibus religiosis doctrinam Christi proponebant, quam studio et meditatione didicerant. Distinguuntur a prophetis qui immediato impulsu et inspiratione Spiritus S. loquebantur. Ceterum vide s. v. CHARISMATA. — Notione quadam eximia Paulus dicitur doctor gentium (1 Tim. 2,7; 2 Tim. 1,11).

DOCTRINA. In praedicatione apostolica Paulus distinguit doctrinam vel sermonem inchoationis ab altiore quadam sapientia, uti elucet ex 1 Cor. 2,6; 3,1 s. et Hebr. 6,1. Doctrinam communem describit Hebr. 6,1-3 eamque exponit quoque 1 Cor. 2,2 esse scil. Iesum Christum et hunc crucifixum, sed etiam doctrinam de eucharistia etc., uti ex epistula colligitur. Altiori autem doctrinae adscribit id quod de sacerdotio melchisedechiano exponit (Hebr. 5,11 s.; 7,1 s.). Gravissime invehitur in eos qui aliquam diversitatem doctrinae inducere conantur; cf. Rom. 16,17; 1 Cor. 15,12; 2 Cor. 11,13-15; Gal. 1,6-9; 5,12; Phil. 3,2; Col. 2,20 s.; 1 Tim. 1,19. 20; 4,1; 2 Tim. 2,17; 4,3; Tit. 1,11; 1 Ioan. 4,1; 2 Ioan. 10. 11.

DOCTRINA et **VERITAS** v. URIM et THUMMIM.

DODANIM (דֹּדָנִים) populus a Iavan i. e. a Graecis oriundus (Gen. 10,4). Praeter lectionem hanc quam tuentur Vulgata, paraphrasis chaldaica, Syrus, Arabs, invenitur altera Rodanim, quae apparet apud LXX Ῥόδιοι et Samaritanum et etiam hebr. legitur 1 Chron. 1,7 (quamvis hoc loco codices 35 etiam Dodanim praebeant). Qui alteram hanc sequuntur, cum LXX vocem explicant de Rhodiis; qui priorem, de Dardanis plerumque. De Dodona, Epiri urbe, non erit cogitandum, quia in ea enumeratione populi recensentur.

DODAU (דוֹדָוָהוּ, Δωδία), pater Eliezer prophetae (2 Par. 20,37), qui Eliezer reprehendit Iosaphat regem propter foedus cum Ochozia.

DODO. **1**. Pater ELCHANAN 2.
2. Pater ELEAZAR 3.
3. Pater THOLA 2.

DOEG (דֹּאֵג, Δοήγ), Idumaeus, qui praeerat pastoribus Saul regis. Cum David veniret in Nobe ad sacerdotem Achimelech et ab eo acciperet panes et gladium Goliath, Doeg ibi aderat testis horum (1 Reg. 21,7) et postea Sauli indicavit et iussu Saulis, qui de ope Davidi praestita iratus erat valde, irruit in Achimelech et sacerdotes et trucidavit octoginta quinque viros vestitos ephod lineo (1 Reg. 22,9. 10. 18). Inscribitur psalmus 51[52] : cum venit Doeg Idumaeus et nuntiavit Sauli : venit David in domum Achimelech.

DOMINICA DIES Apoc. 1,10 est primus hebdomadis dies. Cum eo die Christus gloriose e sepulcro surrexisset, ille dies merito dies eius i. e. gloriae eius et victoriae appellatur. Atque eum diem statim ab exordio rei christianae esse sanctum habitum et celebratum, elucet 1 Cor. 16,2 et innuitur quoque Act. 20,7. Vide s. v. DIES in fine.

DOMMIM v. PHESDOMIM.

DOMUS vide s. v. ARTES.

DOR v. HAMMOTH DOR.

DOR (דּוֹר, דֹּאר; Δώρ), urbs antiqua reguli chananaei a Iosue expugnata (Ios. 11,2; 12,23), Manassitis occidentalibus in territorio Aser concessa (Ios. 17,11; 1 Par. 7,29), ex qua filii Manasse Chananaeos non exterminarunt (Iud. 1,27; cf. Ios. 17,12. 13), sedes principalis praefecturae salomonicae a Benabinadab administratae (3 Reg. 4,11). Eadem est quae 1 Mach. 15,11. 13. 25 vocatur Dora (Δωρᾶ), in qua Tryphon ab Antiocho VII.

Sidete inclusus et oppugnatus est ingenti exercitu 120000 peditum et 8000 equitum atque navibus a mari Mediterraneo urbem cingentibus. — Legitur Ios. 11,2 נְפוֹת דּוֹר (Vulgata : regiones Dor, LXX Φενεδδώρ), Ios. 12,23 נָפַת דּוֹר (Vulgata : provincia Dor, LXX Φεννεαλδώρ), 3 Reg. 4,11 נָפַת דֹּאר (Vulgata : Nephath Dor, LXX Νεφθαδώρ) i. e. excelsa Dor, clivi seu colles Dor; colles Dor merito agnoscuntur colles inter Carmelum et Caesaream, immo 3 Reg. 4,11 probabilius etiam planities Saron in Nephath Dor comprehenditur; cf. etiam s. v. NOPHETH.

Sita erat Dor 9 mil. pass. a Caesarea aquilonem versus (Onom. *ed. Lag.* 283, 3; 142,13 et 250,56; 115,22); hodierna *Ṭanṭūra* (etiam *Ṭarṭūra*) a ruinis antiqui situs nonnihil meridiem versus abest. Stephanus Byz. (s. v. Δῶρος) eam narrat a Phoenicibus esse conditam, qui ob plurima conchilia ibi reperta urbem ac portum exstruxerint. In Tabula Peutinger. habetur *Thora* 8 mil. pass. a Caesarea, 20 mil. pass. a Ptolemaide quorum numerorum prior a vero haud aberrat, alter iusto minor est. S. Paula in Peregrinatione sua est « mirata ruinas Dor urbis quondam potentissimae ». Nomina sex episcoporum Dorensium nobis inde ab anno 518 p. Chr. innotescunt (*Le Quien*). Assyriace *Duru*.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 738-741; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 154; *Ritter*, Erdkunde XVI. 607 ss.; *Guérin*, Samarie II. 305-315; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 7-11; *Le Quien*, Oriens christianus III. 574 ss.; *S. Paulae* Peregrinatio 5 apud *Tobler et Molinier*, Itinera hieros. I. p. 31; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 156; *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 II. 108-110; *Baedeker-Benzinger*, Pal. und Syrien *ed.* 5 p. 261. 265.

Quoad nummos cf. *Noris*, Annus et epochae Syromacedonum IV. 5,5 (Lips. 1696 p. 453-458); *Eckhel*, Doct. Num. III. 362 ss.; *F. de Saulcy*, Numismatique de la Terre Sainte p. 142-148. 405, pl. VI. n. 6-12.

DORA v. artic. praeced.

DORCAS (Δορκάς); ita graece recte vertitur Act. 9,36. 39 nomen cuiusdam discipulae Tabitha (Ταβιθά), quae insigni in pauperes beneficentia eminebat in urbe Ioppe et defuncta a S. Petro vitae restituta est (Act. 9,36-42). Nomen Tabitha scribitur aramaice טביתא, hebr. צְבִיָּה i. e. δορκάς, dorcas, antilope. Gaudebant olim mulieres nominibus, quae a placidis animalibus petebantur (*Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb. p. 848. 849); eodem quoque nomine vocabatur mater Ioas regis : צִבְיָה, Vulgata : Sebia (vide s. v.). Idem nomen muliebre etiam apud Graecos quandoque usurpabatur (cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. IV. 3,5).

DORDA v. DARA.

DORMIRE dicitur notione translata de incuria, neglegentia, tepore; cf. 1 Thess. 5,6 : igitur non dormiamus, sed vigilemus et sobrii simus, et similiter Rom. 13,11 : hora est iam nos de somno surgere. Alia translatione usurpatur de morte; ita saepe dormire cum patribus i. e. mortis quasi somnum dormire et coniungi in morte cum patribus 2 Reg. 7,12; 3 Reg. 2,10; 11,21. 43; 14, 20. 31; 15,8. 24; 16,6. 28 etc. etc.; metaphora de dormitione mortis, de somno mortis etiam ideo apta est quia notionem resurrectionis ad vitam suppeditat. Eo modo Christus quoque dicit puellam mortuam dormire, Lazarum mortuum dormire (Matth. 9,24; Ioan. 11,11) et Christus vocatur primitiae dormientium (1 Cor. 15,20). In libris novi foederis Paulus frequenter ea utitur metaphora; cf. 1 Cor. 7,39; 11,30; 15,6. 18; 1 Thess. 4,12 ss.; 1 Thess. 5,10 : sive vigilemus, sive dormiamus i. e. sive in adventu Christi inter vivos erimus sive inter mortuos; 2 Petr. 3,4 : ex quo enim patres dormierunt etc.

DORYMINUS (Δορυμένης), pater Ptolemaei ducis 1 Mach. 3,38 et 2 Mach. 4, 45 graece. Opinantur aliqui eum esse eundem Dorymenem, qui contra Antiochum Magnum pugnavit, cum is invaderet Coelen Syriam (cf. *Polyb.* V. 61,9).

DOS vide s. v. MATRIMONIUM.

DOSITHAEUS (Δοσίθεος), qui se sacerdotem et levitici generis ferebat, et Ptolemaeus filius eius anno quarto re-

gnantibus Ptolemaeo et Cleopatra attulerunt in Aegyptum versionem graecam libri Esther. Putant esse eundem Dositheum, de quo *Flav. Iosephus* c. Ap. 2,5; si hoc verum est, Ptolemaeus Philometor tum erat rex et versio graeca libri Esther iam exstitit c. an. 177 a. Chr.; cf. Esth. 11,1 et subscript. textus graeci in fine cap. 10; vide *Cornely*, Introd. II. 1 p. 419.

DOSITHEUS (Δωσίθεος). **1.** Dux militum, qui sub Iuda Machabaeo pugnabat, et contra Timotheum felici successu arma gessit (2 Mach. 12,19-25).

2. Eques, vir fortis, qui erat de militibus Bacenoris et Gorgiam, Syrorum ducem, pallio eius arrepto ducebat, ut eum vivum caperet; verum eques quidam de Thracibus brachium Dosithei amputavit et Gorgiam ex periculo eripuit (2 Mach. 12,35).

DOTHAIN Gen. 37,17 vel **DOTHAN** 4 Reg. 6,13 (דֹתָן et Gen. 37,17 etiam דֹתָינָה cum He locali; Δωθαείμ Gen. 37, 17; Δωθαΐμ 4 Reg. 6,13), urbs Samariae, septemtrionem versus a Sichem sita, ubi Ioseph fratres suos pecora pascentes invenit (Gen. 37,17); neque procul a Samaria urbe aberat, ut ex historia Elisei elucet (4 Reg. 6,13). Praeterea legitur Dothain in Vulgata Iudith 4,5; 7,3 et in LXX Iudith 3,9 (τῆς Δωταΐας); 4,6; 7,3. 18; 8,3 (Δωθαΐμ); ex quibus locis efficitur Dothain in faucibus positam fuisse, quae ex planitie Esdrelon aditum in montana Ephraim praebebant. Tempore Eusebii et S. Hieronymi ostendebatur Dothaim 12 mil. pass. a Sebaste (Samaria) aquilonem versus (Onom. *ed. Lag.* 249,38; 115,3). Hodie Dothain agnoscitur esse *Tell Dōthān* inter *Sebastiye* (Samaria) et *Djenīn* (Engannim), circa 18 km a *Sebastiye*, circa 8 km a *Djenīn*.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 158; *Van de Velde*, Memoir p. 308 et Narrative I. p. 364 s.; *Guérin*, Samarie II. p. 219-222; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 169. 215; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 9; *Legendre*, Carte de la Palestine; *J. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 161; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 579 s.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 III. 71; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1497-1501; *J. K. Zenner*, Zeitschr. für kath. Theol. XII. 1888 p. 740. 741.

DRACHMA, nummus argenteus eiusdem cum denario ponderis (2 Mach. 12,43; Luc. 15,8. 9). Denarius autem tempore Christi merces erat pro labore diurno (Matth. 20,10. 13). Drachma atheniensis centesima pars minae erat; drachma phoenicea paulo minoris ponderis erat. Ceterum drachmae antiquiores maius pondus habebant quam quae posteriore tempore cudebantur. Aetate Christi duae drachmae aequabant siclum hebraeum dimidium (cf. Matth. 17,24. 27). — Neh. 7,70. 71. 72 nummus persicus daricus (דַּרְכְּמוֹן) in Vulgata vertitur drachma. Daricus, nummus aureus, aequabat duas drachmas aureas vel 20 drachmas argenteas atticas. — De valore vide s. v. PECUNIA.

DRACO in Vulgata imprimis, conformiter usui veterum Graecorum et Romanorum, non animal aliquod fabulosum, sed generatim serpentem significat (cf. Ex. 7,9. 12. 15). Praeterea vero varias alias bestias designat, quae in hebraeo pluribus nominibus appellantur. Breviter singula recenseamus.

1. תַּנִּין vel etiam תַּנִּים (Ez. 29,3; 32, 2), plur. תַּנִּינִים (תַּנִּנִים) explicatur in Vulgata *draco* (i. e. serpens) Ex. 7,12. 15, ubi vv. 9. 10 *coluber* dicitur; similiter Deut. 32,33 « fel draconum » est venenum serpentum, sicut Sap. 16,10 δρακόντων « draconum venenatorum dentes » de serpentibus dicitur. Etiam in Ps. 90[91],13 « conculcabis leonem et draconem » apte serpens intellegitur, sicut in verbis Siracidae « commorari leoni et draconi » (δράκοντι) (Eccli. 25,23 gr. 16). Draco quoque magnus, quem Babylonii colebant, quemque Daniel absque gladio et fuste interfecit (14,22. 25 s. 27), serpens erat, quem etiam picturae in antiquissimis hypogaeis christianorum cum Daniele repraesentant; atque serpenti divinos honores a Babyloniis tributos esse, frustra negarunt plures auctores; nam et scriptores veteres relationem intimam inter cultum Bel et serpentis testantur et inscriptiones cuneiformes illum cultum apud Babylo-

nios floruisse confirmant (cf. H. *Rawlinson* 19, 13 s.; *E. Schrader* in *Riehm-Baethgen,* Handwb. *ed.* 2 I. 328 s.).

Serpentem magnum etiam propheta intellegit, cum Nabuchodonosor, regem Babylonis, draconi assimilat habitationem Sion devoranti (Ier. 51,34), et pari similitudine « duo dracones magni » inter se pugnantes in libro Esther (10,7; 11,6) describuntur. Simili draconis i. e. serpentis specie vates in Apocalypsi diabolum, mulieri ac filio ejus insidiantem, vidit adorari ab universa terra, « serpentem illum antiquum », cuius invidia inde ab initio mors intravit in orbem terrarum (Apoc. 12,3 ss.; 13,2 ss; 16,3; 20,2; cf. Gen. 3,1 et Sap. 2,24). V. SERPENS.

A serpente aliquo magno etiam *fons draconis* (עַיִן הַתַּנִּין) prope portam urbis Ierusalem nomen accepit (Neh. 2,13). Vide artic. seq. — Alio sensu idem nomen hebraicum תַּנִּין pro belua marina adhibetur, atque ita in Vulgata *draco* loco ceti ponitur Ps. 148,7; alibi S. Hieronymus bene *cete* vel *cetum* interpretatur (Gen. 1,21; Iob 7,12; Is. 27,1). V. CETUS. — Denique eodem nomine appellatur crocodilus niloticus, qui in sermone prophetico figura est Aegypti; etiam hoc sensu *draco* occurrit in Vulgata Ps. 73[74],13; Is. 51,9; Ez. 29,3; 32,2.

2. Eadem hac ultima significatione hebr. לִוְיָתָן, quod alibi a S. Hieronymo retinetur (Iob 3,8; 40,20; Is. 27,1), in Psalmis 73[74],14 et 103[104],26 *draco* redditur. V. LEVIATHAN.

3. Ex magna cum nomine תַּנִּין similitudine etiam תַּן (plur. תַּנִּים et Lam. 4,3 *Kethib* תנין) in Vulgata, sicut a LXX interpretibus plerumque *draco* explicatur, quod potius de cane aureo (*Schakal*) exponendum est. V. CANIS AUREUS.

4. Praeterea etiam אֹהִים a S. Hieronymo *dracones* dicuntur (Is. 15,21). Nomen hoc semel tantum in S. Scriptura occurrit et animal ululans, velut bubonem aliamve noctuae speciem, vel etiam canem aureum vel lupum vel aliam feram deserta habitantem videtur denotare, quamquam *Bocharto* ferarum *ululatum* tantum significat (Hieroz. I. 865-7, *ed. Ros.* II. 212-4).

5. Denique alii desertorum incolae צִיִּים semel in Vulgata *dracones* appellantur (Ier. 50,39). Aliis in locis explicantur *Aethiopes* (Ps. 71[72],9, ubi ex contextu fortasse צָרִים *inimici* cum *Olshausen* aliisque legendum erit), *bestiae* (Is. 13, 21), *captivitas* (Is. 23,13), *daemonia* (Is. 34,14). *Bocharto* (l. c. 861-5, *ed. Ros.* II. 206-11) sunt feles ferae, Arabibus *ḍajwan* dictae, atque haec explicatio etiam recentioribus non videtur spernenda. Duae felis ferae species in Palaestina communiores sunt, *Felis maniculata* Rüppell et *F. Chaus* Güldenstädt, quae inter incolas locorum desertorum bene numerantur. Fortasse tamen etiam alia animalia in desertis degentia nomine צִיִּים designantur, quae difficile erit accuratius determinare. *Fr. Hommel* potissimum animal *Felis caracal* Güldenstädt (= *Lynx caracal* Schreber) vocatum significari censet.

De ultimis cf. *Lennis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 183. 186; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8. p. 66 s.; *id.* Fauna and Flora of Palest. 18 s.; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugethiere 299 nota 2. 322 s. — De draconibus veterum cf. *Bochart*, Hieroz. II. 428-40, *ed. Rosenm.* III. 222-39, cf. 775-84; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 4,35-48; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech u. Römer 432-74; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 240 s.; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 VII. 223.

L. FONCK.

DRACONIS FONS, (עַיִן הַתַּנִּין, πηγὴ τῶν συκῶν) Neh. 1,23 commemoratur, ubi Nehemias refert se a porta vallis ante fontem draconis ad portam stercoris transiisse. Ex situ harum portarum fons iste in superiore parte vallis Hinnom fuisse supponendus est, quam etiam Iosephus nomine vallis fontis (τὴν τῆς πηγῆς φάραγγα Bell. V. 12,2, *ed. Niese* 505) videtur designare (v. IERUSALEM II. 2). Idem scriptor ex eadem parte occidentali urbis piscinam serpentum (τῇ τῶν ὄφεων ἐπικαλουμένῃ κολυμβήθρᾳ Bell. ind. V. 3,2, *Niese* 108) commemorat (v. IERUSALEM III. 5).

Cf. *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1899 p. 57 The Dragon Well by *Ph. Baldensperger* et p. 57,58 Note on the Dragon Well by *J. Thomas*.

L. FONCK.

DROMEDARIUS v. CAMELUS.

DRUSILLA (Δρουσίλλα), filia Agrippae I., soror Agrippae II., qui eam Azizo Emesorum regi cum circumcidi annuisset in matrimonium collocavit. Quod tamen connubium dissolutum est huiusmodi de causa, ut Flav. Iosephus narrat: « Felix quo tempore procurator erat Iudaeae, cum forte Drusillam conspexisset (namque omnes pulchritudine excellebat) mulieris desiderio tenebatur, et ex amicis suis Iudaeum, nomine Simonem, genere Cyprium qui se magum esse simulabat, ad eam mittens suadere nitebatur, ut relicto marito ei nuberet beatam facturum esse pollicens, si ipsum non fastidiret. Atque illa haud recte faciens volensque effugere sororis Berenices invidiam (nam propter pulchritudinem suam non leviter ab ea laesa erat), ut contra patria instituta ageret et Felici nuberet, se persuaderi sinit, cumque ex eo peperisset filium, Agrippam nomine vocavit. Sed quemadmodum is iuvenis cum muliere ista perierit, cum inflammaretur mons Vesuvius tempore Titi Caesaris postea declarabo » (Ant. XX. 7,2). Antequam Drusilla Azizo daretur coniux, desponsata erat Epiphani, Antiochi Commagenorum regis filio, qui tamen eius nuptias recusaverat ut qui Iudaeorum religionem sua relicta amplecti noluerit, licet ita se facturum esse puellae patri olim promiserat (cf. Ant. XIX. 9,1 et XX. 7,1). Felix vocatur a Suetonio (Claud. 18) maritus trium reginarum. Cum Drusillam ad adulterium induxisset, intellegitur, quomodo disputante Paulo de iustitia, castitate, iudicio futuro tremefactus noluerit ultra audire orationem; cf. Act. 24,24. 25.

DUDIA (דֹּדִי, Δωδία), praefectus secundae turmae exercitus Davidis 1 Par. 27,4; sed si confertur 11,12 et 2 Sam. 23,9, excidisse videndur verba : *Eleazar filius* Dodo (Dudia), Ahohites i. e. ex posteris Ahoe (1 Par. 8,4). In Vulgata 1 Par. 11,12 et 2 Sam. 23,9 דודו et דודי vertitur appellative : patrui eius. Vide ELEAZAR 3.

DUEL (דְּעוּאֵל, Num. 2,14 רְעוּאֵל; Ῥαγουήλ ubique), pater Eliasaph principis tribus Gad (Num. 1,14; 2,14; 7,42. 47; 10,20).

DUMA. 1. Duma (דּוּמָה, Δουμά) recensetur Gen. 25,14 et 1 Par. 1,30 inter posteros Ismael; cf. Dumatha (*Steph. Byz.*), Domata (*Plin.* VI. 28,157), Dumaitha (*Ptol.* V. 19,7 [*ed. Müller-Fischer* V. 18]; VIII. 22,3). Nomen itaque tribum et regionem significat in Arabia spectante inter septemtrionem et occidentem, quae regio hodie Duma saxea (*Duma el-djandal*) appellatur. Controversia est significetne Duma Is. 21,11 idem; plerumque, cum dicatur : clamat ex Seir, intellegitur ibi Edom vel Idumaea, uti iam LXX habent. Fortasse propheta eam regionis appellationem prae communi elegit, ut ipse vocis notione appellativa *silentium, locum silentii* (de orco Ps. 94, 17; 115,17) innueret, ad quam conditionem gens et regio Edom apud Deum iam esset redacta.

2. Duma urbs montis Iuda (Ios. 15,52 hebr.) in Vulgata Ruma dicitur (v. RUMA).

DURA (דּוּרָא, Δεειρά), campus provinciae Babylonis, in quo Nabuchodonosor rex statuam auream erexit, quam adorari voluit (Dan. 3,1). Ex inscriptionibus cuneiformibus tres regiones *Duru* in Babylonia innotescunt. Nomen *Duru* ab assyriologis explicatur vallum, castellum, arx et usque ad hodiernum tempus frequenter usurpatur ad designandos colles. Ipsum locum, in quo statua illa erecta fuerit, a se repertum esse censet *J. Oppert;* inveniuntur enim *Nahr Dura* i. e. fluvius *Dura* et *Tolul Dura* i. e. colles *Dura* circiter 8 km a Babylone inter meridiem et orientem; ibidem cernitur collis *el-Mokhattat* (*la colline alignée*), qui 6 m in altum elevatur supra basim quadratam 14 m et substructionem illius statuae aureae efformasse ab eodem auctore coniicitur.

Cf. *Fr. Delitzsch,* Paradies p. 216; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 127. 128; *J. Oppert,* Expédition en Mésopotamie I. 238 ss.; *Brunengo,* L'Impero di Babilonia e di Ninive II. p. 329; *J. Menant,* Babylone et la Chaldée, 1875, p. 244 et tabulam geogr. p. 261; *F. Vigouroux,* La Bible et les découv. mod. *ed.* 6 III. p. 303. 304.

E

EBAL. 1. Ebal (עוֹבָל, Εβάλ) recensetur inter filios Iectan Gen. 10,28; idem 1 Par. 1,22 scribitur Hebal (עֵיבָל, Γεμιάν). Significatur itaque stirps quaedam Iectanidarum, quos Arabiam meridionalem incoluisse constat (v. IECTAN). Etiam hodie nomine *Abil* et regio et varii pagi in *Yemen* designantur (*Halévy*, Mélanges critiques p. 86; *Dillmann*, *F. de Hummelauer* ad Gen. 10,28).

2. Ebal (עֵיבָל, Γαιβήλ, Ταιβήλ), ex filiis seu posteris Sobal filii Seir Horraei (Gen. 36,23; 1 Par. 1,40).

3. Ebal mons in Vulgata scribitur Hebal.

EBENINUS v. HEBENINUS.

EBRIETAS. Isaias propheta vehementer reprehendit principes Iuda ob ebrietatem 5,11. 22; pariter sacerdotes et pseudoprophetas 28,7; cf. 28,1. 3. Ebrietatem carpit Osee 4, 11 : vinum et ebrietas auferunt cor. Ebrietatis perversitatem pluribus prosequuntur libri sapientiales; Prov. 20,1 : luxuriosa res vinum et tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur non erit sapiens; 31,4 nullum secretum est ubi regnat ebrietas; cf. 21,17; 23,30-35 describitur ebrietas et quae ab ea afferantur mala; item Eccli. 31,38 : vinum multum potatum irritationem et iram et ruinas multas facit etc. et 19,1 operarius ebriosus non locupletabitur et 26,11 mulier ebriosa ira magna, et contumelia et turpitudo eius non tegetur; cf. 19,2; 31,30. Quare apostolus quoque ebrietatem inter opera carnis recenset (Gal. 5, 21) et ebriosi christiani consuetudinem iubet vitari et ebriosos regnum Dei minime esse possessuros affirmat (1 Cor. 5,11; 6,10) et Christus monet : attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et superveniat in vos repentina dies illa (Luc. 21,34; cf. Matth. 24,49). Quandoque ebrius, inebriatus is quoque dicitur qui hausto vino hilarior effectus est; cf. Ioan. 2,10. — Sensu translato dicitur ebrietas de stupore illo quo homines consilii inopes in maxima quadam adversitate corripiuntur; cf. Is. 29,9; Ier. 13,3; Ez. 23, 33; Iob 12,25 etc.

EBUR tempore Salomonis afferebatur navibus Salomonis et Tyriorum ex regione Ophir (cf. 3 Reg. 10,22; neque obstat quod ibi hebr. dicuntur naves Tharsis; nam uti 22,49 hebr. elucet, naves Tharsis appellantur quoque naves quae navigabant in Ophir). Ebur adhibebatur ad domos et palatia ornanda; unde dicuntur domus eburneae (3 Reg. 22,39; Ps. 44,11; Am. 3,15). Salomon habuit thronum ebore obductum (3 Reg. 10,18); Amos propheta invehitur in luxuriosos qui dormiunt in lectis eburneis 6,4; cf. Cant. 7,4; Ez. 27,6. 15. Ceterum v. ELEPHANTUS n. 3.

ECBATANA (אחמתא, ἐν πόλει, A ἐν Ἀμαθὰ ἐν πόλει Esdr. 6,2; Εκβάτανα Tob. 3,7; 6,6. 18; 14,12. 14 graece; Iudith 1,1 ss.; 1,14 graece; 2 Mach. 9,3), urbs et caput Mediae, distans ab Oronte monte (hodie *Elvend*) stadia duodecim (*Diodor. Sic.* II. 13), eo fere loco quo hodie *Hamadan*. Ibi tempore aestatis reges persici et parthici degere solebant (*Strabo* XI. 13,1; *Xenoph.* Anab. III. 5, 15). Apud Herodotum (1,98) scribitur Ἀγβάτανα. — Sunt etiam scriptores v. g.

E. Beurlier), qui solummodo Esdr. 6,2 et 2 Mach. 9,3 ad Ecbatana-*Hamadan* in Media magna referant, reliquos autem textus Tob. 3,7 etc. Iudith 1,1 etc. potius ad Ecbatana in Media septemtrionali seu Atropatene (Ecbatana secunda apud *Mosen Chorens*. Hist. Arm. II. 84), ubi hodie *Takti Soleiman* (*Rawlinson*).

De Tob. 5,8 (Vulgata : Rages civitas Medorum, quae posita est in monte Ecbatanis) v. s. v. RAGES.

Cf. *Ritter,* Erdkunde IX. 98-128; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. II. p. 67; *Delitzsch,* Paradies p. 248; *Brugsch*, Reise nach Persien I. 363 ss.; *E. Beurlier* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1528-1532; *H. Rawlinson* in Journal of the Geogr. Society X. 1841 p. 46-53.

ECCETAN (הַקָּטָן, Ἀκατάν), pater Iohanan de filiis Azgad (Esdr. 8,12).

ECCLESIA. Ea voce (cf. ἐκκαλεῖν) generatim significatur multitudo hominum convocata et congregata. In veteris foederis libris communiter dicitur, ut קָהָל, de coetu populi Dei, de coetu Israelitarum, quae etiam ecclesia Domini vocatur (Num. 20,4) vel ecclesia populi Dei (Iud. 20,2) vel ecclesia Israel (3 Reg. 8,14) et plerumque coetus intellegitur religiosus, ad cultum Dei collectus. Sed etiam notione generali de aliqua concione adhibetur; cf. Eccli. 23,34; 33,19; 38,37 et Ps. 25,5 sermo est de ecclesia malignantium. In libris novi foederis plerumque dicitur de coetu fidelium Christi vel in universum (Matth. 16,18; 1 Cor. 12,28; Eph. 1,22; 3,10; 5,23 s.; Phil. 3,6; Col. 1,18. 24 etc.) vel de coetu fidelium in aliqua urbe vel regione; unde de ecclesiis Galatiae (Gal. 1,2) etc. mentio fit et de ecclesiis gentium (Rom. 16, 4). Eodem nomine designantur coetus fidelium qui celebrantur ad cultum divinum exercendum, ad eucharistiam conficiendam, ad exhortationes et doctrinam tradendam (1 Cor. 14,34). Dicitur domestica ecclesia alicuius ecclesia seu fideles qui in domo alicuius sunt vel ibi congregantur (cf. Rom. 16,5; 1 Cor. 16,19; Col. 4,15). Notione profana de multitudine hominum casu collecta et tumultuante dicitur Act. 19,32 s. : erat enim ecclesia confusa.

Ecclesia Christi, ut ex locis citatis colligitur, est societas religiosa, cui finem proximum appetendum Christus proposuit sanctificationem hominum, finem ultimum clarificationem Dei per debitum cultum. Hanc societatem Christus dicit regnum suum, quod comparat cum grege in unum ovile collecto; ipse pastor gregis vicarios pastores Petrum et sub eo reliquos apostolos instituit. Nomen autem, quod societati supernaturali a se fundatae proprium esset, Christus elegit illud ecclesiae. Est igitur ecclesia Christi coetus hominum, qui eiusdem fidei professione et eorundem sacramentorum communione sub apostolicis pastoribus eorumque primate regnum Christi in terris constituunt. Cf. *Ch. Pesch,* Praelect. dogm. *ed.* 3 I. n. 305-310.

ECCLESIASTES (Ἐκκλησιαστής), titulus Salomonis (Eccl. 1,1. 2. 12; 7,28; 12,8. 9). Si vim vocis graecae spectaveris, explicabis dici de eo qui ad audiendum agendumve in concionem venit vel qui concionem convocavit. Quam notionem S. Gregorius Nyssenus (hom. 1 in Eccl.) et Olympiodorus exprimunt (initio comment. in Eccl.) et quam S. Hieronymus quoque tradit addita ulteriore applicatione : « Ecclesiastes graeco sermone appellatur qui coetum i. e. ecclesiam congreget, quem nos nuncupare possumus concionatorem, quod loquatur ad populum et sermo eius non specialiter ad unum, sed ad universos generaliter dirigatur » (in Eccl. 1,1). Si indolem libri consideraveris qui inscribitur : verba Ecclesiastae, certe dicendum erit, ecclesiasten intellegi de *oratore* concionante vel de scriptore *oratoria* dictione utente (cf. *Gietmann,* Comment. in Eccl. p. 59). Quae sit vocis hebr. קֹהֶלֶת vis ac notio disceptatur; explicant collectorem proverbiorum, alii communissime concionatorem (קהל convocare et in coetum cogere? sed de tali coetu in ipso libro nulla est mentio); alii statuunt notionem קהל primariam esse *clamare, vocare;* unde *Gietmann* censet etiam in voce illa interpretanda non esse neglegendam exclamandi notionem :

« Ecclesiastes qui *exclamans* lamentatur rerum omnium vanitatem quasi praeconio fungitur, cum volentibus nolentibus denuntiat atque inculcat rem longe gravissimam. Emphasis enim quaedam iis locis quibus id nomen positum est, manifesto sentitur, evidentius quidem 1,2; 7,28; 12,8; sed etiam 1,1. 12 et 12, 9, tum quia appellatio huiusmodi non sine consilio profecto gravique ratione assumpta totiesque repetita est, tum quia, si exclamandi notionem subieceris, fit mirum in modum argumento libri consentanea. Atque hoc quodammodo pro firma demonstratione habeo, vocem קֹהֶלֶת aliquo modo ad declamatoriam contentionem vocis referendam esse » (l. c. p. 61). Alias explicationes vide l. c. p. 63 et *Cornely,* Introd. *ed.* 2 II. 2 p. 155.

ECHAIA (אֲחַיָּה, Ἀΐα), princeps populi, signator foederis (Neh. 10,26 hebr. 27).

ECHI enumeratur Gen. 46,21 inter filios Beniamin; vide s. v. AHIRAM.

ECREBEL (Ἐκρεβήλ), oppidum inter meridiem et orientem Bethuliae, haud procul ab altero oppido Chus seu Chusi iuxta torrentem Mochmur sito (Iudith 7,18 LXX; Vulgata omittit nomina Chus, Ecrebel, Mochmur; Itala scribit Chus, Etrebel, Machur). Nomen Ecrebel aliquibus interpretibus conservatum esse videtur in *ʿAqrabe,* de qua urbe s. v. ACRABATHANE diximus. Cf. etiam *Survey of West. Pal.* Mem. II. 389.

EDDO (אִדּוֹ; LXX omitt.), primus in pago Chasphia haud longe ab Ahava fluvio (Esdr. 8,17). Ad eum misit Esdras, ut pro sua auctoritate levitas et Nathinaeos ad iter in Ierusalem cum Esdra instituendum induceret; neque frustra; nam levitae quadraginta et Nathinaei ducenti viginti ex ea regione iter cum Esdra susceperunt (cf. 8,18-20). Ipse Eddo fortasse erat levita, neque obstat quod Nathinaei fratres eius vocantur; cum enim et levitae et Nathinaei ministeria sacra obirent, poterant vocari fratres eodem modo quo v. g. Sadoc summus sacerdos et sacerdotes fratres appellantur 1 Par. 16,39.

EDEMA (אֲדָמָה, Ἀρμαίθ), urbs Nephthali inter Cenereth et Arama enumerata (Ios. 19,39). Hodie vel vicus *el-Damiye* inter Tiberiadem et montem Thabor (*Survey of West. Pal.* Mem. I. 365. 384; *Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 635) vel *Khirbet Adma* ad dexteram ripam Iordanis paulo infra lacum Tiberiadis (*Legendre,* Carte de la Palestine).

EDEN (עֵדֶן, Ἐδέμ). **1.** Eden Gen. 4, 16 vide s. v. PARADISUS.

2. Filii Eden qui erant in Thalassar (4 Reg. 19,12; Is. 37,12) sunt iidem, qui apud Assyrios in inscriptionibus appellantur *Bît ʿAdini,* domus *ʿAdini* et qui habitabant in parte quam maxime occidentali Mesopotamiae ad utramque Euphratis ripam ea fere in regione, ubi hodie sitae sunt urbes *Aintāb* et *Urfa* (cf. *Delitzsch,* Paradies p. 4. 263 s.; *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. II. 11). Atque eadem regio Eden Ez. 27,23 enumeratur, ubi sermo est de commercio Tyriorum cum Mesopotamia.

3. Beth Eden (Am. 1,5; Vulgata : domus voluptatis, LXX ἄνδρες Χαρράν), ut ex contextu patet, est regio quaedam Syriae. Videtur eadem esse ac Παράδεισος apud Ptol. V. 15,20 [14,16], urbs Laodicenes, hodie vicus *Ehden* itinere unius diei distans a *Baʿalbek* nec procul a *Bsherre,* ubi cedri abundant (*Ritter, C. Th. Fischer*). Aliis autem Beth Eden videtur esse *Djūsie el-Kadīme* haud longe a *Ribla* in septemtrionali termino Coelesyriae sita, quam cum Παραδείσῳ Ptolemaei componunt, aliis vicus *Beit el-Djanne* (domus paradisi) ad radices orientales montis Hermon, aliis *Bît ʿAdini* seu Eden Mesopotamiae.

Cf. *Ritter,* Erdkunde XVII. p. 650 ss.; *C. Müller-C. Th. Fischer,* Claudii Ptol. Geogr. 1883-1901 I. p. 977.

4. Levita de filiis Gersom tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12); idem videtur nominari 2 Par. 31,15 (LXX Ἰδουμ).

EDER. 1. Eder (עֵדֶר, Ἐδέρ), levita ex posteris Merari tempore Davidis, filius Musi (1 Par. 23,23; 24,30).

2. Eder (עֵדֶר, A Ἐδραίν, B omitt.), urbs in meridie (Negeb) Iuda iuxta terminos Edom (Ios. 15,21). Situs ignoratur. Aliqui eam agnoscunt in *Khirbet el-ʿAdar* ad meridiem Gazae (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 236), alii in *Khirbet Umm ʿAdre* in *Wādi el-Sheria* (cf. *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 185), alii denique suspicabantur eam non differre ab Arad et mera transpositione litterarum ר et ד exortam esse.

EDISSA (הֲדַסָּה i. e. myrtus), nomen hebraicum, quo Esther appellabatur (Esth. 2,7; omittitur in LXX). Puellis haud raro nomina florum, plantarum indebantur; cf. Susanna (lilium).

EDNA (עַדְנָא). 1. Unus ex filiis Phahath Moab, qui cum Esdra Babylone redierunt et uxores alienigenas duxerunt (Esdr. 10,30; Ἐδνέ).

2. Princeps familiae sacerdotalis de stirpe Haram, tempore Ioacim pontificis, filii Iosue pontificis (Neh. 12,15; Μαννάς).

EDNAS. 1. Ednas (עַדְנַח, Ἐδνά), princeps millium ex tribu Manasse, qui cum aliis Davidi se adiunxit, cum ab Aphec in Siceleg rediret (1 Par. 12,20). In Vulgata nomen Ednas h. l. bis ponitur per errorem.

2. Ednas (עַדְנָה, Ἔδνας), princeps exercitus in Iuda sub Iosaphat rege (2 Par. 17,14); praeerat trecentis millibus virorum robustissimorum.

EDOM (אֱדוֹם, Ἐδώμ) cognomen est Esau, quod sortitus est quia lassus ab agro redux cum vidisset pulmentum a fratre Iacob coctum, exclamavit: da mihi ut deglutiam (devorem) rufum hoc הָאֹדֹם (vel ut alii censent scribendum הָאֲדֹם; cf. *Dillmann* ad Gen. 25,30). Ceterum de Esau vide s. v.

Dicitur Edom de posteris Esau, de Edomitis. Regionem Seir prius incolebant Horraei (Gen. 36,20 ss.); verum filii Esau eam occupabant deletis Horraeis (Deut. 2,22). Diu antequam Israelitae haberent regem, Edomitae iam regia dominatione gubernabantur. Eorum reges sat multi recensentur Gen. 36,31-39; reges non iure nativitatis sed electione facta inter se successisse satis apparet ex modo enumerationis. Ex Cades misit Moyses nuntios ad regem Edom, ut permitteret fratri Israel transire per terram Edom; verum is superbe et dure recusavit (Num. 20,14-21; Iud. 11,17. 18); unde coacti sunt ex latere circuire illam terram; neque enim fratri Edom bellum inferre Deus tum temporis permisit. Sed quo animo hostili esset Edom contra Israel, satis iam tum declarabatur. Ex tempore Iosue et Iudicum nihil de Edomitis refertur. Verum Edomitas saltem ultimo Iudicum tempore sese inimicos praebuisse patet ex eo quia Saul confirmato regno super Israel pugnabat per circuitum adversus omnes inimicos eius, contra Moab et filios Ammon et Edom et reges Soba et Philisthaeos et quocumque se verterat superabat (1 Reg. 14,47). David quoque Edomitas tenuit subiectos, non sine caede multorum (Ioab enim sex mensibus in ea regione moratus est et omnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumaea, 3 Reg. 11,15. 16). David autem posuit in Idumaea custodes statuitque praesidium et facta est universa Idumaea serviens David 2 Reg. 8,14. Verum ex caede illa principum servatus est Adad aliique de servis patris eius; isti fugerunt in Aegyptum. Benigne suscepti sunt a Pharaone et cum Adad adolevisset, Pharao ei dedit uxorem, sororem uxoris suae germanam. Mortuo David Adad reversus est in Edom et cum Salomon a via Domini declinasset, suscitavit ei Dominus adversarium ipsum Adad (3 Reg. 11,14). Atque ex eo tempore Edomitae sese dominio Iudaeorum subtrahere conabantur, et LXX addunt 3 Reg. 11,25 Israeli ab Adad (Ader) molestiam esse creatam ipsumque in terra Edom regnasse. Cum contra Iosaphat regem Moabitae et Ammonitae bellum moverent, etiam Edomitae egressi sunt ut pugnarent contra Iudam; sed percussi sunt (2 Par. 20,22); alias rex Edom simul cum Iosaphat rege et Ioram rege Israel egreditur ad bellicam expeditionem contra Moabitas (4 Reg. 3,9); unde vel subiectione vel foedere iunctus erat cum rege Iuda. Sed cum sub Ioram filio Iosaphat Edom recederet ne esset sub Iuda (4 Reg. 8,20; 2 Par. 21,

8), Edomitae regi Iosaphat subiecti fuisse videntur. Feliciter contra eos iterum pugnavit Amasias; ipse percussit Edom in valle salinarum decem millia et cepit urbem praecipuam Petram (סֶלַע, Sela) vocavitque nomen eius Iectehel (4 Reg. 14,7) et Azarias, filius eius et successor regni etiam Aelath, regno iudaico restituit Edomitis inde expulsis (4 Reg. 14, 22). Verum Edomitae mox viribus resumptis regnum iudaicum denuo aggressi sunt; nam sub Achaz rege venerunt Idumaei et percusserunt multos ex Iuda et ceperunt praedam magnam (2 Par. 28,17). Atque ex eo tempore Edomitae immunes fuisse videntur a dominatione regis Iuda et cum Sedecias reges vicinos ad foedus contra Chaldaeos ineundum evocaret, etiam nuntii regis Edom ad eiusmodi foedus ineundum in urbe Ierusalem aderant. At ut alii, ita Edomitae quoque resistere Chaldaeis non poterant (cf. Ier. 27,2 s.).

Quantum gesserint Edomitae odium in Iudaeos, testes quoque sunt comminationes prophetarum contra eos. Iam Ioel propheta Idumaeam fore in desertum perditionis praedixit pro eo quod inique egerint in filios Iuda (3,19). Et Amos : super tribus sceleribus Edom et super quattuor non convertam eum; eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum et violaverit misericordiam eius et tenuerit ultra furorem suum et indignationem suam servaverit usque in finem, mittam ignem in Theman et devorabit aedes Bosrae (1,11. 12). Imprimis gravis est visio Abdiae contra Edom : propter interfectionem et propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob operiet te confusio et peribis in aeternum. Quae ab istis prophetis obiiciuntur Edomitis, Edomitae patrarunt in calamitate illa iudaica, de qua 2 Par. 21,16 vel 25,23. 24 et 4 Reg. 14,13. Pariter cum Ierusalem a Chaldaeis expugnaretur, Edomitae tripudio et exsultationi indulgebant odium vetus in Iudaeos explentes (cf. Ps. 136, 7; Lament. 4,21), quare iterato ab Ezechiele propheta iis vindicta iussu Dei annuntiatur (25,12 ss.), praesertim cum terram palaestinensem populo Dei in exsilium abducto occupare vellent (Ez. 35,2 ss.; 36,5). Et vastitas illa atque destructio, quam praeter alios Ieremias quoque terrae Edomitarum vaticinatus erat (49,7-22), confirmatur ab ultimo prophetarum; nam dum Israel ex exsilio redux iterum gratiam Dei expertus est, Edom appellatur populus cui iratus est Dominus usque in aeternum (Mal. 1,3 s.).

Etiam tempore Machabaeorum odium illud inveteratum in Iudaeos manifestabant. Nam Edomitae quoque inter eos erant de quibus narratur : « ut audierunt gentes in circuitu quia aedificatum est altare et sanctuarium sicut prius, iratae sunt valde et cogitabant tollere genus Iacob, qui erant inter eos, et coeperunt occidere de populo et persequi; et debellabat Iudas filios Esau in Idumaea et eos qui erant in Acrabathane quia circumsedebant Israelitas et percussit eos plaga magna » (1 Mach. 5,1-3). Occuparant Edomitae Chebron quoque; at ibi pariter a Iuda expugnati sunt (1 Mach. 5,65). Et, uti 2 Mach. 10,5 graece refertur, simul cum Gorgia vexarunt Iudaeos; cf. 2 Mach. 12,32. Demum Idumaei ab Ioanne Hyrcano subiecti et, si vellent in patria manere, coacti sunt circumcisionem subire et legibus iudaicis uti ; « illi vero patriae suae amore tum circumcisionem admiserunt tum vitam in ceteris similiter ac Iudaei agere sustinuerunt » (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 9,1; XV. 7,9); at irrisionis causa quandoque semi-Iudaei vocabantur (cf. l. c. XIV. 15,2). Tandem Antipater, Idumaeus, a Caesare totius Iudaeae procurator factus est (Ant. XIV. 8,5) et eius filius, Herodes, rex evasit Iudaeorum et post ipsum Archelaus (cf. Matth. 2,22).

Cum Edomitae continuo inimici essent populi Dei, Edom ponitur quoque tamquam typus omnium eorum qui regnum Dei oppugnant (cf. Is. 34,6; 63,1) et cum ex altera parte Edom quoque novo regno messiano dicatur inserendus esse (Is. 11,15; Am. 9,12), significantur eius regni messiani arma victricia quibus hostes quoque devicti evadant, quae Dei est clementia, participes bonorum Messiae.

EDOM, IDUMAEA. Termini terrae Edom in Vetere Testamento non indi-

cantur, sed ex obiter dictis aliquatenus definiri possunt. Nomina Edom et mons Seir fere convertuntur. Primitus quidem mons Seir illam solam regionem montanam designasse videtur, quae valli *el-ʿAraba* inter mare Mortuum et sinum Aelaniticum extensae ab occidente adiacet et contermina est deserto Pharan meridiem et occidentem versus, deserto Zin septemtrionem versus (Gen. 14,6; Deut. 33,2; Iud. 5,4). Postmodum vero tota regio montana ab occidente et ab oriente eidem valli *el-ʿAraba* adiacens appellata est terra Seir, mons Seir (cf. Deut. 2,1 s.; Ez. 25,8; 35,15 et forte etiam Gen. 32,3). Seiungebatur itaque terra Edom Veteris Testamenti a terra Moab per *Wādi el-Ḥasā*, a Negeb (tractu australi) Iuda per desertum Zin et extendebatur usque ad sinum Aelaniticum et desertum Pharan. Cf. etiam s. v. GEBAL. Sine dubio regio ad orientem vallis *el-ʿAraba* protensa erat praestantior; in ea enim inveniuntur complures urbes, quae in Vetere Testamento terrae Edom adscribuntur; celeberrima urbs Petra seu Sela, quam Amasias rex Iuda cepit et Iectehel appellavit (4 Reg. 14,7 et v. IECTEHEL), Phunon (Num. 33,42), Bosra (de qua diximus s. v. BOSRA 1), Thophel (Deut. 1,1); iuxta sinum Aelaniticum erant duae urbes edomiticae Aelath et Asiongaber (Deut. 2,8; 3 Reg. 9,26).

Aetate Graecorum et Romanorum Edom appellatur Idumaea, cuius fines multo latius extenduntur quam Edom Veteris Testamenti. Ipsa Hebron in ditione Idumaeorum erat, donec a Iuda Machabaeo recuperata est (1 Mach. 5,65); Bethsura aquilonem versus a Hebron sita praecipuum erat munimentum Iudaeorum contra Idumaeos Iudaeam infestantes (1 Mach. 4,15. 29. 61; cf. textum graecum 4,29 et v. BETHSUR). A Flavio Iosepho in Idumaea etiam Amalecitis comprehenditur (Ant. II. 1,2) et tribui Simeon assignatur Idumaeae pars Aegypto et Arabiae contermina (V. 1,22). Ex aliis quoque locis (Ant. XII. 8,6; XIII. 9,1; Bell. iud. IV. 9,7) colligitur ditioni Idumaeorum subiectas fuisse urbes Hebron, Ador, Maresa, Azotum. Videtur itaque terminus septemtrionalis Idumaeae assignari posse linea, quae ab Azoto per Eleutheropolin (*Beit Djibrīn*) Hebronem ducit.

Cf. *Reland*, Palaestina I. p. 66-73; *F. Buhl*, Geschichte der Edomiter 1893; *E. Hull*, Mount Seir 1889 p. 85 ss.

EDRAI (אֶדְרֶעִי). 1. Edrai (LXX Ἐδράειν, Ἐδράειμ, Ἐδραίμ), urbs Og regis Basan, saepius cum Astaroth urbe principali regni Basan commemorata (Deut. 1, 4; Ios. 12,4; 13,12. 31), prope quam Og ab Israelitis devictus et interfectus est (Num. 21,33; Deut. 3,1). Erat in territorio dimidiae tribui Manasse transiordanicae attributo (cf. Num. 32,33). Recensetur Deut. 3,10 cum Selcha seu Salecha in extremis finibus Basan; sunt qui h. l. alteram Edrai statuant ab urbe regia Og diversam (*Knobel*, *Keil* ad Num. 21,33 s. et Deut. 3,10), sed sine ratione cogente, neque probabile est praeter urbem saepe commemoratam et notissimam hoc uno loco alteram designari.

In Onomastico Edrai dicitur Adra, insignis Arabiae civitas 24 mil. pass. a Bostra (*ed. Lag.* 253,30; 118, 3) et s. v. Astaroth (213,35; 86,32): Adraa 25 mil. pass. a Bostra et 6 mil. pass. ab Astaroth. In Tabula Peutingeriana Adraha ponitur 24 mil. pass. a Bostra. Hodie nominatur *Edreʿāt*, brevius *Derʿāt* vel *Derāʿā*, urbs 5000 fere incolarum in planitie montana, quam ab oriente et septemtrione Hieromax (*Yarmūk*) circumfluit, a meridie autem mons calcarius *el-Zumle* superat. Cavernas subterraneas urbis commemorat Guillelmus Tyr. (XVI. 10; apud *Migne* 201,650), qui praeter antiquum nomen Adratum etiam vulgarem tunc temporis appellationem: *civitas Bernardi de Stampis* tradit. Ruinas late extensas et cavernas subterraneas descripserunt *Wetzstein* et *Schumacher*. Aliqui denique agnoscunt Edrai etiam in *Otaraa* inscriptionum aegyptiacarum (*Buhl*, *M. Müller*).

Cf. *Ritter*, Erdkunde XV 838 ss.; *Wetzstein*, Reisebericht über Hauran und die Trachonen p. 47 ss.; *Schumacher*, Across the Jordan p. 121-147; *F. de Saulcy*, Numismatique de la Terre Sainte 1874 p. 373-377; *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1890 p. 188-189; *W. M. Müller*, Asien und Europa

nach altaeg. Denkmälern 1893 p. 159; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 251; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1589 ss.

2. Edrai (LXX Ἀσσαρί), urbs tribus Nephthali (Ios. 19,37). Censetur esse vicus *Yater* medius fere inter Tyrum et lacum *Hūle* (*Survey of West. Pal.* Mem. I. 205; *Legendre*, Carte de la Palestine; *Zunecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 716). Sed ex opinione *F. de Hummelauer*, qui Ios. 19,35-38 non urbium Nephthali, sed arcium Tyriorum elenchum esse existimat, notissima illa Edrai transiordanica 19,37 agnoscenda est.

EDUCATIO. Quae curae infanti nato adhiberentur, indicavit Ez. 16,4; praecidebatur umbilicus, lavabatur, sale saliebatur ad firmanda membra et cutem et pannis involvebatur. Fere semper mater ipsa infantem nutriebat; cf. Gen. 21,7 ita Sara, 1 Reg. 1,23 Anna; 3 Reg. 3,21; Cant. 8,1; et satis diu lactabatur infans, nam 2 Mach. 7,27 dicit mater: lac triennio dedi et alui; in die ablactationis Abraham fecit grande convivium Gen. 21,8 et Anna obtulit sacrificium 1 Reg. 1,24; unde coniicere licet eum diem sollemnem esse habitum. Puer circumcidebatur octavo die post nativitatem, qua caerimonia populo Dei adnumerabantur et quasi vere coram Deo vivere incipiebant; unde tum iis demum nomen imponebatur. Spatio 40 dierum elapso (vel 80 dierum si puella nata erat) mulier sacrificium offerebat ad emundationem (Lev. 12,1-8); puer autem primogenitus sistendus erat Domino et quinque siclis redimendus; cf. Num. 18,15. 16. Etiam mentio fit nutricis; Debora vocabatur nutrix Rebeccae Gen. 35,8; cf. 24,59; Ex. 2,9; 4 Reg. 11,2.

Cura educandi et erudiendi liberos incumbit parentibus. Quandoque paedagogos quoque ad officium tale esse assumptos, ex ipso nomine אֹמֵן concludimus; cf. Num. 11,2 et 4 Reg. 10,1. 5 et Is. 49,23; Nathan propheta curam Salomonis pueruli sibi commendatam accepit 2 Reg. 12,25. Quod sit praecipuum parentum munus in filiis educandis, Deus enuntiat in laude illa quam dedit Abraham: scio quod praecepturus sit filiis suis et domui suae post se, ut custodiant viam Domini et faciant iudicium et iustitiam Gen. 18,19. Cum enim hoc sit omnis homo: time Deum et mandata eius observa (Eccl. 12,13), ad id praecipua cura educationis dirigatur oportet. Unde parentibus dicitur: ne obliviscaris verborum quae viderunt oculi tui et ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitae tuae, docebisque ea filios ac nepotes tuos, et: erunt verba haec quae ego praecipio tibi in corde tuo et narrabis ea filiis tuis, et: docete filios vestros, ut illa meditentur (Deut. 4,9; 6,7; 11,19). Ideoque iubentur explicare filiis quid significent caerimoniae illae coenae paschalis et quibus beneficiis olim populus a Deo sit donatus Ex. 12,26; 13,8; Ios. 4,6. 21; idque a patribus factum esse psalmista testatur: patres nostri narraverunt nobis, non sunt occultata a filiis eorum Ps. 77,3. 4. Similiter David voluit ut filii Iuda discerent carmen planctus de Saul et Ionathan 2 Reg. 1,18. Inculcatur filiis, ut honorent parentes Ex. 20, 12; 21,17; Prov. 20,20; 23,22; 28,24; Eccli. 3,6 ss.; 7,29; 23,18 etc. et ut senibus reverentiam exhibeant Lev. 19,32; Eccli. 8,11 s. Parentes vero monentur, ut severa increpatione vitia filiorum coerceant ac puniant: virga in dorso eius qui indiget corde; livor vulneris absterget mala; stultitia colligata est in corde pueri et virga disciplinae fugabit eam; qui parcit virgae odit filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit; virga atque correptio tribuit sapientiam, puer autem qui dimittitur voluntati suae confundit matrem suam (Prov. 10,13; 13,24; 20,30; 22,15; 23,13; 29, 15) et: filii tibi sunt? erudi illos et curva illos a pueritia illorum: filiae tibi sunt? serva corpus illarum et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas; qui diligit filium suum assiduat illi flagella; qui docet filium suum laudabitur in illo; super filiam luxuriosam confirma custodiam etc. (Eccli. 7,25. 26; 30,1. 2; 49,9-11; cf. 26,13 s.). Atque virgines sese plerumque domi tenuisse etiam 2 Mach. 3,19 edicitur; eas quoque doctrina legis esse imbutas, exemplo docemur Susannae; nam parentes eius cum essent iusti erudierunt filiam suam secundum legem Moysi (Dan. 13,2).

De scholis quidem tempore antiquo non fit mentio. At nihilominus artem legendi et scribendi non fuisse incognitam licet concludere ex Iud. 8,14, ubi narratur (in textu hebr. et graeco) puerum (נַעַר vel iuvenem) ex Soccoth a Gedeone interrogatum ei scripsisse nomina principum et seniorum Soccoth, septuaginta septem viros. In Gemara (Baba bathra f. 21,1) narratur filium Gamalielis Iesum induxisse morem instituendi scholas puerorum in urbibus et Flav. Iosephus narrat Herodem puerum in ludum litterarium commeasse (εἰς διδασκάλου φοιτῶντα, Ant. XV. 10,5); se vero dicit natum annos quattuordecim ab litterarum amore laudem omnium reportasse, ita ut summi sacerdotes et primores urbis ad se ventitarent certius aliquid cognoscendi causa de legum sensu (Vita 2). — Tempore Antiochi Epiphanis ludi gymnastici Graecorum ab aliquibus qui moribus gentium plus aequo favebant inducti sunt, contra quos tamen s. auctor invehitur 1 Mach. 1,12-16; 2 Mach. 4,9-15. — Contra filios contumaces graves statuuntur poenae : maledictus qui non honorat patrem suum et matrem, et qui percusserit patrem suum aut matrem moriatur, item qui illis maledixerit (Deut. 27,16; Ex. 21,15. 17; Lev. 20,9; Prov. 20,20) et si quis coercitus obedire contempserit, apprehendent eum et ducent ad seniores civitatis et ad portam iudicii, et eius vitiis declaratis lapidibus eum obruet populus (Deut. 21,18-21).

EFFEMINATUS. Ea voce plerumque redditur in Vulgata קָדֵשׁ scortum masculum, cinaedus; ita 3 Reg. 14,24, ubi de tempore Roboam refertur eiusmodi fuisse in terra; 15,12 eos ab Asa rege pio esse ablatos et pariter eiectos a Iosaphat 22,47 et a Iosia rege 4 Reg. 23,7. Verum Is. 3,4 : et effeminati dominabuntur eis, hebr. תִּנְעֻלִים pueruli (ita communiter). Quod autem Prov. 18, 8 in Vulgata legitur, in textu massorethico non reperitur. Scorta eiusmodi in cultu deae Syriae (v. ATARGATIS) nefanda sua scelera patrabant.

EGENUS, EGESTAS vide s. v. PAUPER, PAUPERTAS.

EGEUS (הֵגֵא, הֵגַי, Γαΐ), eunuchus qui erat in civitate regia praepositus et custos mulierum regiarum, et cuius curae simul cum aliis virginibus Esther quoque tradita est, quae invenit gratiam in conspectu eius (Esth. 2,3. 8. 15). LXX nomen omittunt 2,3. 15; insuper legunt Γαΐ 2,14 loco Suzagazi. Uti Ctesias refert (Pers. 24) Ephesius quidam nomine Ἡγίας cum Xerxe rege versabatur.

EGLA (עֶגְלָה, Αἰγάλ), uxor David quae ei dum in Hebron moraretur peperit Iethraam (2 Reg. 3,5; 1 Par. 3,3). Cum l. c. dicatur uxor David, qui titulus quinque aliis uxoribus non tribuatur, aliqui putarunt eam fuisse uxorem primariam, fuisse, ut rabbini volebant, Michol; sed animadvertit *F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 3,5 uxoris titulum Eglae ultimo adiici, ut affirmetur omnes illas uxores fuisse, non concubinas.

EGLON (עֶגְלוֹן, Ἐγλώμ). **1.** Rex Moab, qui Israelitas per duodeviginti annos oppressit regione Ierichuntina occupata, sed ab Aod iudice in aestivo coenaculo occisus est (Iud. 3,12-25 et v. AOD).

2. Urbs antiqua Chananaeorum (Ios. 12,12; LXX Αἰλάμ), in campestribus Iuda, in secunda provincia Sephelae enumerata (Ios. 15,39; LXX B omitt., A Ἐγλώμ); eius rex Dabir cum regibus urbium Ierusalem, Hebron, Ierimoth, Lachis foedere iunctus urbem Gabaon oppugnavit, sed ipse a Iosue interfectus et Eglon in ore gladii percussa est; de situ urbis docemur, quia Iosue de Lachis in Eglon progressus est et de Eglon in Hebron ascendit (Ios. 10,3. 5. 23. 34. 36. 37; LXX Ὀδολλάμ). Correspondere videtur in Onom. (*ed. Lag.* 234,92; 103, 22 s. v. Bethagla) vicus Agla 10 mil. pass. ab Eleutheropoli Gazam versus; alibi autem Eusebius et S. Hieronymus (l. c. 253,45; 118,21) Eglon cum Odollam confundunt, cui confusioni lectio LXX Ios. 10,3 s. ansam praebuit. Nomen antiquum conservatum cernitur in *Khirbet ʿAdjlān* quattuor horis ab Eleutheropoli occidentem versus.

Cf. *Robinson*, Pal. II. 657; *Guérin*, Iudée II. 297. 298; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 261. 278; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *F.*

Buhl, Alt. Pal. 1896 p. 192; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 285; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 174; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 53.

ELA (אֵלָה et 3 Reg. 4,18 אֵלָא; Ἠλάς, Ἠλά et 1 Par. 4,15 Ἀδά, 9,8 Ἠλώ).

1. Dux Edom (Gen. 36,41; 1 Par. 1,52; cf. dicta s. v. AELATH).

2. Pater Semei, unius ex duodecim praefectis Salomonis (3 Reg. 4,18).

3. Filius Baasa, rex Israel in Thersa per duos fere annos; contra eum rebellavit Zambri dux equitum, regem in convivio temulentum occidit omnemque domum Baasa delevit (3 Reg. 16,6 et 16, 8-14). Uti Baasa, ita Ela rex erat impius et idololatra.

4. Pater Osee ultimi regis Israel (4 Reg. 15,30; 17,1; 18,1. 9).

5. Unus e filiis Caleb filii Iephone (1 Par. 4,15).

6. Beniaminita quidam, filius Ozi (1 Par. 9,8).

ELAD (אֶלְעָד Ἐλεάδ), unus ex filiis Ephraim, quos occiderunt viri Geth et quos luxit Ephraim pater multis diebus (1 Par. 7,21. 22). Cum adeo explicite dicatur : Luxit Ephraim pater eorum multis diebus etc. (7,22), assumendum videtur eo loco narrari aliquid, quod evenerit superstite Ephraim (de quo v. 20), ergo coloniam Hebraeorum in Palaestina fuisse multo ante Exodum tempore, dum maior populi pars degeret in Aegypto, ut pluribus ostendere conatur *Fl. de Moor* (cf. Revue bibl I. 1892 p. 407. 408; Science catholique 1894 p. 713); sed v. EPHRAIM 1.

ELADA (אֶלְעָדָה, Ἐλαδά), filius Suthalae filii Ephraim (1 Par. 7,20).

ELAI (Ἐλαία?), Simeonita ex maioribus Iudith (Iudith 8,1).

ELAM v. AELAM.

ELASA (אֶלְעָשָׂה; Ἐλεασά, Ἐλασά, Ἠλασά, Ἐλεασάν). **1.** Unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda, filius Helles et pater Sisamoi; enumeratur nonus inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan descendunt, quae Ieraa Aegyptio, servo Sesan, nupserat (1 Par. 2,39. 40 et cf. 2,31).

2. Filius Rapha seu Raphaia et pater Asel ex posteris Saul (1 Par. 8,37; 9,43).

3. Sacerdos de filiis Pheshur tempore Esdrae (Esdr. 10,22).

4. Filius Saphan (Ier. 29,3) et probabilius etiam frater Ahicam, amici Ieremiae (cf. Ier. 26,24); Elasa et Gamarias a Sedecia rege legati ad Nabuchodonosor missi sunt, per quos eadem occasione Ieremias epistulam ad exsules misit.

ELATH v. AELATH.

ELCANA (אֶלְקָנָה, Ἐλκανά). **1.** Filius secundus Core de stirpe Caath (Ex. 6, 24); eius fratres nominantur Aser (Asir) et Abiasaph. Ad eundem Elcana videntur referenda esse 1 Par. 6,23. 25. 36 (hebr. 6,8. 10. 21). Cf. tabulam XVIII. in Concord. Lat. huius Cursus p. 11 et *P. de Broglie*, Les généalogies bibliques in Congrès scientifique international des Catholiques I. 1888 p. 143.

2. Unus ex posteris Core (1 Par. 6,26. 35; hebr. 6,11. 20).

3. Pater Samuelis prophetae et filius Ieroham (1 Reg. 1,1; 1 Par. 6,27. 34; hebr. 6,12. 19). Incolebat urbem Ramathaim Sophim in monte Ephraim, unde Ephrataeus i. e. incola tribus Ephraim appellatur, quamquam origine erat levita ex genere Caath et familia Core. Vivebat aetate Heli pontificis; quotannis vir pius ascendebat in Silo, ut adoraret et immolaret; Annam uxorem, quamvis esset sterilis, singulari amore prosequebatur prae Phenenna altera uxore, quae ei filios filiasque pepererat. Precibus Annae Samuel a Domino donatus est et a parentibus Domino oblatus, praeter quem Anna tres alios filios et duas filias Elcanae donavit. Cf. 1 Reg. 1,1 ss.; 2, 11. 20. 21.

4. Unus ex maioribus Barachiae levitae in Netopha (1 Par. 9,16).

5. Vir ex posteris Core et socius David in Siceleg fugitivi (1 Par. 12,6).

6. Levita, unus ex duobus ianitoribus, qui praecedebant arcam, cum ex domo Obededom Hierosolyma transferretur (1 Par. 15,23); utrum sit idem atque Elcana 4, non constat.

7. Elcana secundus a rege Achaz i. e.

cius minister primarius, qui a Zechri, viro forti ephraimitico in pugna, qua Phacee rex Israel de Iuda victoriam reportavit, occisus est (2 Par. 28,7).

ELCESAEUS (הָאֶלְקֹשִׁי, ὁ Ἐλκεσαῖος) designatur Nahum propheta (Nah. 1,1) i. e. vir ex vico Elcesi (vel Elqosh) in Galilaea, ut iure exponit S. Hieronymus : « Quidam putant Elcesaeum patrem esse Naum..... cum Elcesi usque hodie in Galilaea viculus sit, parvus quidem et vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Iudaeis et mihi quoque a circumducente monstratus » (in Prol. ad comment.). Neque hoc testimonium S. Hieronymi repudiari potest eo, quod iste « circumducens » temere *responderit* de vico, ne forte ignorantiae accusaretur, uti vult *Gesenius*, Thesaurus p. 1211 ; etenim non interrogatur, sed sua sponte S. Hieronymum de illo vico edocuit. Unde plerisque Elqosh est vicus hodiernus *el-Kauze* prope *el-Rūme* (Rama, Vulgata : Arama) in Nephthali (*Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible II. 1647).

Verum aliae quoque opiniones de situ Elcesi mentione dignae sunt. Primum quidem traditio quaedam saeculo 16. exorta fert Nahum in Assyria in vico *Alqush,* qui duorum dierum itinere a Mossul ad ripam orientalem Tigridis fere septemtrionem versus a Khorsabad situs est, natum esse vel vixisse; quae traditio quam infirmis argumentis nitatur, ostendit *Knabenbauer,* Comm. in Proph. Minores II. p. 1.2. Alii (*Hitzig, Knobel*) vicum Nahum (*Kefar Naḥūm*) i. e. Capharnaum, urbem ex Novo Testamento celeberrimam, prophetae Nahum patriam esse opinati sunt; sed obstat primo, quod in Vetere Test. nulla unquam eius vici fit mentio et secundo, quod Naum, elementum alterum vocis Capharnaum, non certo ad nomen Nahum prophetae referri potest. Alii denique suspicantur Elcesi esse vicum *Qessiye* (omisso articulo arabico) prope Eleutheropolim (*Beit Djibrīn*, Bethogabra) inter meridiem et orientem, provocantes ad Pseudo-Epiphanium, De vitis prophetarum (*Migne* 43,409. 417) et ad Paulum episcopum Tellensem, qui annis 617 et 618 Veteris Testamentum ex textu graeco transtulit in linguam syriacam. Et apud Ps.-Epiphanium quidem in textu quem edidit *Tischendorf* (Anecdota sacra et profana, Lipsiae 1861, p. 111) legitur : Ἐλκεσὲμ πέραν τοῦ Βηταβαρὴμ φυλῆς Συμεών. Iamvero pro Betabarem alii codices praebent Βήγαβαρ et Paulus Tellensis Bet-Gabre. Sed Bet-Gabre est Betogabra, hodie *Beit Djibrīn* (v. ELEUTHEROPOLIS). Plura de textibus allatis exponit *E. Nestle* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. I. 1878 p. 222-225.

ELCHANAN (אֶלְחָנָן, Ἐλεανάν).

1. Filius Iair, in Vulgata Adeodatus (vide s. v.), qui in bello contra Philisthaeos percussit Lachmi fratrem Goliath Gethaei (2 Reg. 21,19; 1 Par. 20,5).

2. Filius Dodo (דּוֹדוֹ, Δουδί, Δωδωέ; Vulgata : patrui eius) ex Bethlehem, unus ex viris fortissimis in exercitu David (2 Reg. 23,24; 1 Par. 11,26); scribitur Elchanan in Vulgata 2 Reg. 23,24.

ELDAA (אֶלְדָּעָה, Ἐλδαγά, Ἐλδαδά), unus ex filiis Madian (Gen. 25,4; 1 Par. 1,33). Tribus eius nominis hucusque non innotuit. Sed in inscriptionibus himyariticis simile nomen Yediail pro personis usurpatum invenitur; cf. Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XXVII. 1873, p. 648; *Delitzsch*, Genesis 1887 p. 348.

ELDAD (אֶלְדָּד, Ἐλδάδ), unus ex 70 illis, qui spiritu prophetico donati sunt, ut Moysen in populo gubernando adiuvarent. Cum Moyses illos ante tabernaculum stare fecisset, ut de spiritu, qui in ipso Moyse erat, acciperent, duo ex illis remanserant in castris scil. Eldad et Medad. Qui cum nihilominus prophetarent, Iosue eos prohibendos esse censuit, quod non mediante Moyse spiritum acceperint. Sed Moyses : Quid, inquit, aemularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet et det eis Dominus spiritum suum? (Num. 11,26-29).

ELEALE (אֶלְעָלֵה, Ἐλεαλή), urbs tribus Ruben in regione uberrima ad pastum animalium (Num. 32,3), a Rubenitis reaedificata (32,37). Iam saeculo 8. ante Christum a Moabitis occupata est et saepius in propheticis oraculis con-

tra Moab editis commemoratur (Is. 15, 4; 16,9; Ier. 48,34). Tempore Eusebii et S. Hieronymi ostendebatur villa grandis in primo ab Esbus (Hesebon) miliario (Onom. *ed. Lag.* 253,33; 118,6). Hodie cernuntur ruinae *el-ʿAl* (i. e. elevata) septentrionem versus ab *Hesbān* (Hesebon) in colle, qui latum aspectum praebet supra meridianam partem regionis *Belqā*.

Cf. *Burckhardt*, Reisen in Syrien, *ed. Gesenius* p. 623; *Tristram*, Land of Moab p. 339 s.; *Duc de Luynes*, Voyage I. 146; *Survey of East. Pal.* Mem. I. 16-19; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 266.

ELEAZAR (אֶלְעָזָר, Ἐλεάζαρ).

1. Tertius filius Aaron (Ex. 6,23; Num. 3,2; 1 Par. 6,3; 24,1), matrimonio iunctus cum una de filiabus Phutiel (Ex. 6,25). Ipse cum patre Aaron et fratribus ad sacerdotium assumptus est (Ex. 28,1) unaque cum illis consecratus. Appellatur princeps principum levitarum et erat super excubitores custodiae sanctuarii (Num. 3,32; 4,16). Post mortem violentam fratrum suorum Nadab et Abiu (Lev. 10,1 ss.) ipse erat filius maior natu Aaronis pontificis. Cum illi, qui in rebellione Core tentaverant incensum offerre Domino, igne absumpti essent, Eleazar iussus est thuribula colligere eaque in laminas producta affigere altari (Num. 16,37 ss.; Deut. 10,6); idem ritum parandi aquam lustralem peragere debebat (Num. 19,1 ss.). Mortuo Aaron ipse summus sacerdos est institutus (Num. 20,26 ss.) et ut talis in variis negotiis adstitit Moysi (Num. 26,1 s.; 27,2 s.; 31,6 s.; 32,2 s.) eiusque successori Iosue (Num. 34,17; Ios. 14,1; 17,4; 19,51; 21,1). Mors eius refertur Ios. 24,33 (v. Gabaath Phinees s. v. GABAA 10). In summo sacerdotio ei successit Phinees filius (Num. 25,11-13). De pontificibus ex familia Eleazar vide s. v. PONTIFEX.

2. Filius Abinadab in Cariathiarim, sanctificatus ad arcam Domini custodiendam, quae tum in domo patris eius asservabatur (1 Reg. 7,1).

3. Unus ex heroibus David, filius Dodo (דּוֹדוֹ, Δωδαί, Vulgata : patrui eius), Aholites, fortiter contra Philisthaeos pugnans in Phesdomim (1 Par. 11,12. 13[a]); loco parallelo 2 Reg. 23,9 habetur *Kethib* בֶּן־דֹּדִי, Vulgata : filius patrui eius, LXX Ἐλεανὰν υἱὸς πατραδέλφου αὐτοῦ υἱὸς Δουδί. Idem videtur esse praefectus secundae turmae in exercitu David (1 Par. 27,4); v. DUDIA.

4. Filius Moholi et frater Cis, levita tempore Davidis (1 Par. 23,21. 22; 24, 28); v. CIS 3.

5. Filius Phinees, sacerdos tempore Esdrae (Esdr. 8,33); etsi non explicite sacerdos dicitur, tamen sacerdotibus est adnumerandus, quia adeo arcte coniungitur cum Meremoth sacerdote et ab his duobus duo levitae distinguuntur, quibus universis officium obtigit appendendi argentum, aurum, vasa sacra ex Babylonia in Ierusalem allata.

6. Unus de filiis Pharos, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,25); in Vulgata scribitur Eliezer.

7. Levita, qui in dedicatione muri Ierusalem Nehemiae adstitit (Neh. 12,41 [42]).

8. Quartus filius Mathathiae, cognominatus Abaron (vide s. v.), qui in pugna ad Bethzacharam (vide s. v.) nobilem mortem occubuit (1 Mach. 2,5; 6,43-46). Idem in pugna anteriore apud Emmaus commissa ex libris sacris ante praeliandum legit, ut animos inflammaret; eiusque nomen : Adiutorium Dei i. e. Eleazar milites tamquam signum secuti sunt (2 Mach. 8,23; Vulgata : Esdras, LXX Ἐλεάζαρος); cf. 1 Mach. 4,3.

9. Pater Iasonis legati Romam missi a Iuda Mach. (1 Mach. 8,17); hunc Eleazarum esse filium Mathathiae, Abaron cognominatum, certo affirmari nequit.

10. Unus de primoribus scribarum, nonagenarius, qui carnem porcinam ad imperium Antiochi IV. Epiphanis manducare fortiter recusavit et duram sustinuit mortem pro fide ac pietate (2 Mach. 6,18-31), probabilius in urbe Antiochia Syriae, ubi etiam septem illi fratres Machabaei (2 Mach. 7,1 ss.) mortem perpessi sunt.

11. Filius Eliud, pater Mathan inter proavos Ioseph sponsi B. V. Mariae (Matth. 1,15).

12. Nomen Lazarus abbreviatum est ex Eleazar (v. LAZARUS). Eodem modo in Talmude hieros. habetur לעזר abbreviatum ex אלעזר (cf. *Lightfoot,* Horae hebr. II. p. 646-647; *Levy,* Neuhebr. und chald. Wörterbuch II. 515 b).

ELECTA. Altera S. Ioannis epistula inscribitur ἐκλεκτῇ κυρίᾳ Electae dominae. Quae sit Electa controvertitur; aliqui eam matronam nobilem fuisse putant, quod tamen valde improbabile est. Soror eius iterum vocatur Electa : salutant te filii sororis tuae Electae v. 13; scribit apostolus se gaudere quoniam *de filiis tuis* ambulantes in veritate invenerit; item numerus pluralis in v. 8. 10. 12 etc. aliaque suadent probabilissimam esse sententiam Clementis Alexandrini, Hieronymi, Oecumenii et multorum recentiorum intellegi eo nomine ecclesiam quandam particularem; nam etiam a S. Petro ecclesia romana vocatur ἡ ἐν Βαβυλῶνι συνεκλεκτή (1 Petr. 5,13) et cum in s. litteris habitudo inter Christum et Ecclesiam tamquam sponsi et sponsae describatur, non potest videri mirum cum Christus vocetur dominus, Ecclesiam appellari dominam (cf. *Cornely,* Introd. *ed.* 2 III. p. 682 s:).

ELECTRUM vocatur in prophetia Ezechielis (1,4.27; 8,2) metallum pretiosum hebraice חַשְׁמַל dictum. Cum nomine hebraeo comparant aegyptiacum *asem,* quod pariter electrum designat, et *ḥsmn,* quod fortasse nomen erat aeris vel aurichalci; pariter in comparationem adducunt assyriacum *eshmarū,* quod metallum aliquod pretiosum videtur denotare. Cl. *Bochartus* docta dissertatione finali in opere suo de animalibus biblicis multis ostendere conatur, חַשְׁמַל Ezechielis esse aurichalcum. Sed non videtur probare, discedendum esse a significatione quam LXX et Vulgata indicarunt, quamque praeferendam censemus. Est autem electrum, gr. ὁ ἤλεκτρος, metallum ex auro et argento compositum; plerumque cum duabus partibus auri tres partes argenti coniunctae apparent, sed etiam aliis variis modis unita reperiuntur, cum aurum in statu naturali fere semper argentum vario gradu admixtum habeat. Cum duobus illis metallis pretiosissimis constaret, electrum maximi aestimabatur pulchrumque aspectum praebebat, ideoque verbis Ezechielis bene convenit. — Electrum hoc metallicum non est confundendum cum electro resinoso, quod *sucinum* (*Bernstein, Ambre jaune*) vocant (gr. τὸ ἤλεκτρον), de quo in S. Scriptura non videtur esse sermo. — Cf. METALLA.

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. II. 871-88 *ed. Rosenm.* III. 876-900; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 1,59 s.; *M. Scheins,* De electro veterum metallico, Berolini 1871; *R. Lepsius* in Philol. u. Hist. Abh. d. Berl. Akad. 1871, 43-49. 122 s. 129-43; *A. Erman,* Aegypten 611; *id.* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXX. 1892, 31-5; *Frd. Delitzsch,* Assyr. Handwb. 146 a (*eshmarū*).

L. FONCK.

ELEHANAN scribitur in Vulgata 2 Reg. 23,24 pro Elchanan (v. ELCHANAN 2).

ELEEMOSYNA. Beneficentia et misericordia in egenos multum commendatur in s. litteris; Prov. 3,27 : si vales benefacere, benefac; et 22,9 : qui pronus est ad misericordiam benedicetur, et 28,27 : qui dat pauperi non indigebit; qui despicit deprecantem sustinebit penuriam. Laudes eleemosynae singulari modo celebrantur in libro Tobiae : ex tua substantia fac eleemosynam et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini... eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat et non patietur animam ire in tenebras etc. 4,7 s. et : bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere, quoniam eleemosyna a morte liberat et ipsa est quae purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam aeternam 12,8. 9; cf. 14,11. Daniel quoque admonet Nabuchodonosor, ut iniquitates suas redimat misericordiis pauperum 4,24; atque eadem est doctrina Christi, si iubet parari amicos de mammona iniquitatis Luc. 16,9 et si dicit : verumtamen date eleemosynam et ecce omnia munda sunt vobis Luc. 11,41. Pariter monet Sapiens : pauperi porrige manum

tuam, ut perficiatur propitiatio et benedictio tua, et : non est bene eleemosynas non danti Eccli. 7,36; 12,3 s. cf. 18,12 s. et : ignem ardentem exstinguit aqua et eleemosyna resistit peccatis; eleemosynam pauperis ne defraudes etc. Eccli. 3, 33; 4,1 s.; 7,10; 17,18; 29,15; 31,11. Et quanti haec misericordia habita sit, inde quoque elucet quod ipsa vox *iustitia* צדקה passim in notionem transiit benignitatis et misericordiae et liberalitatis et beneficentiae. Ita v. g. *Gesenius* Thes. p. 1151 eam notionem assignat pro Ps. 11,4; 24,5; Prov. 10,2; Mich. 6, 5; Dan. 4,24; dein iam apud LXX ea vox saepe redditur ἐλεημοσύνη; ita Deut. 6, 25; 24,13; Ps. 23,5; 32,5; Is. 1,27 etc. et in dialecto aramaica צדקא vox est pro eleemosyna.

Uti Christus vituperat superbam ostentationem in eleemosyna danda, ita eleemosynam commendat et laudat Matth. 6, 2-4; eam commendat in parabola de Samaritano (Luc. 10,33 s.) et : vendite quae possidetis et date eleemosynam, facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in caelis (Luc. 12,33) et in ultimo iudicio misericordiam in egenos et opem iis praestitam constituit tamquam causam beatitatis, duritiem tamquam causam damnationis (cf. Matth. 25,35-46). Atque primi Christiani hanc Christi doctrinam in opus statim deducebant: divites opes suas cum egenis communicabant ita ut iam nemo egens inter illos esset (Act. 4,32. 34). Eleemosynis multis Cornelius centurio Deo erat acceptus (Act. 10,2. 4. 31), Tabitha laudatur plena operibus bonis et eleemosynis quas faciebat (Act. 9,36). Barnabas et Saulus ab Antiochenis eleemosynas detulerunt egentibus in Iudaea (Act. 11,29. 30); Paulus apostolus multum commendat, ut collectae fiant (cf. Rom. 15,25; 1 Cor. 16,1 s.; 2 Cor. 8,1-9,15) et ipse postea coram Felice praeside dicit se eleemosynas facturum in gentem suam Ierusalem venisse. Ad opera misericordiae graviter adhortatur Iacobus (1,27; 2,13-16) et quanti eiusmodi opera habita sint ab initio rei christianae, demonstratur electione et institutione diaconorum (Act. 6,1-6), demonstratur quod cura egentium inter charismata recensetur (1 Cor. 12,28 opitulationes, ἀντιλήμψεις) et quod tanta sollicitudine describit apostolus quales esse debeant viduae quae ad ministerium pauperum admittantur 1 Tim. 5,9. 10.

ELEPH (הָאֵלֶף; B omitt., A Σηλαλέφ qua voce in unum confunduntur Sela et Eleph), urbs tribus Beniamin inter quattuordecim urbes occidentales huius tribus enumerata (Ios. 18,28). Situs est ignotus. Censet *F. de Hummelauer* ad h. l. Sela ha-Eleph unicum nomen efficere.

ELEPHANTUS. 1. *Nomen.* Elephas (ἐλέφας) quo nomine in hebraeo appellatus sit, non constat; ipsum enim animal non commemoratur in S. Scriptura nisi in libris Machabaeorum graece scriptis. In lingua chaldaea et hebraea iuniore פִּיל nominatur, sicut in assyriaco *pīru*; unde simile fuisse nomen antiquum hebraeum aliqui supposuerunt. Alii ex nomine eboris שֶׁנְהַבִּים (3 Reg. 10,22; 2 Par. 9,21), quod ex שֵׁן dens et הַבִּים ortum explicant (cf. assyr. *shinni-pīri*), hoc ultimum הַבִּים esse nomen hebraicum elephanti concluserunt, comparando nomen elephanti aegyptiacum *eb* et indicum *ibha* (ex lingua Tamil), et graecum el-*ephas*. — Ebur praeterquam nomine memorato, etiam simplici appellatione שֵׁן, *dens* designatur; semel dentes eburnei ob externam quamdam similitudinem *cornua dentis* appellantur (Ez. 27,15 קַרְנוֹת־שֵׁן, Vulgata : dentes eburnei).

Cf. *Pictet*, Journ. Asiat. 1843, Sept.-Oct., 133-66; *Chr. Lassen*, Handb. d. ind. Alterth. I. *ed.* 2, Leipzig 1867, 363-7; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugethiere 324-7; *C. R. Conder* in Quart. Stat. 1896, 168 s.

2. *Textus S. Scripturae.* Elephantus in solis libris Machabaeorum occurrit. Reges enim Syrorum, quibuscum Machabaeis pugnandum erat, ad bellum magno elephantorum numero utebantur (1 Mach. 1,18; 3,34; 6,30 ss.; 8,6; 2 Mach. 11,4; 13,2). Quae bestiae speciali arte ex India accepta (1 Mach. 6,37 « Indus, magister bestiae ») ad praelium edocebantur (ib. 6,30 εἰδότες πόλεμον et

turri lignea firma protectos aliquos milites praeliantes portabant (ib. 6,37, ubi per errorem scribae numerus militum 32, fortasse ex numero 32 elephantorum, videtur in textum irrepsisse). In exercitu ita distribuebantur, ut hinc inde mille pedites et quingenti equites unamquamque bestiam circumdarent (ib. 6,35), atque dux specialis, nomine ἐλεφαντάρχης curam eorum habebat (2 Mach. 14,12; cf. 3 Mach. 5,4). Ad pugnam autem incitabantur potu vini generosi (cf. 3 Mach. 5,2) vel ostenso saltem « sanguine uvae et mori » (1 Mach. 6,34), fortasse ut excitata per subtractionem potus desiderati ira eo magis « acuerentur in praelium ». In bello vero propter ingentem suam molem saepe magnam cladem inferebant, sed audacia et fortitudine interdum occidebantur, uti Eleazari exemplum ostendit (ib. 6,43-46).

3. *Dentes* elephantorum inde ab aetate Salomonis frequenter in S. Scriptura commemorantur; Salomon enim primus sibi ebur comparasse ac praesertim solium eburneum sibi fecisse legitur (3 Reg. 10,18. 22; 2 Par. 9,17. 21). Etiam domus regia et turris ebore ornabatur (Ps. 44[45],9; Cant. 7,4), ac splendore huius operis eburnei Sponsus et Sponsa in Cantico assimilantur (Cant. 5,14; 7, 4). Successores Salomonis atque ditiores de populo mox variam supellectilem eburneam sibi comparabant (3 Reg. 22, 39; Am. 3,15; 6,4; cf. Apoc. 18,12), ac Tyrii tantos sumptus in naves suas impendebant, ut lignis cupressinis ebore decoratis illas ornarent (Ez. 27,6). In palatio quoque Assueri funes byssini atque purpurei « eburneis circulis inserti » dicuntur in Vulgata (Esth. 1,6, omitt. hebr. et LXX). Optimum autem ebur aestimabatur indicum (Ez. 27,6), quod filii Dedan per Arabiam Tyrum usque deferebant (ib. v. 15). — Similiter atque in S. Scriptura, etiam in monumentis assyriacis et aegyptiis ebur inter res pretiosissimas memoratur ac variae res ex ebore factae vel ebore ornatae leguntur. Aegyptii autem praesertim ex Aethiopia et Nubia ebur suum acceperunt. Vide etiam EBUR.

De Assyriis cf. *Sennacherib*, Prisma Col. 3,36 s. (thronus, lectus eburneus); *Rammān-Nirāri*, Tab. Kalach l. 20 (lectus eb.); *Nabuchodonosor*, Inscr. tab. magn. col. 9, 9-11 (portae); *Sargon*, Cyl. l. 63 (palatia); *Nabopolassar*, Inscr. templi Merodach col. 1,41-43 (varia supellex). — De Aegyptiis cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs I. pl. II. A et B; ib p. 413 fig. 185 etc.; *A. Erman*, Aegypten 659; *I. Lieblein* in Ztschr. f. aeg. Spr. XXIV. 1886, 12 s. (ebur ex Punt). — Pro tempore posteriore cf. *W. Heyd*. Gesch. d. Levantehandels, Stuttgart 1879, II. 588 s.

4. *Patria.* Licet autem India elephantis atque ebore semper fuerit ac sit celeberrima, nihilominus tempore Salomonis etiam non ita procul a Palaestina elephanti vivebant. Nam annales regis *Theglath-Phalasar I.* (c. a. 1100 a. Chr.) referunt, regem in finibus Harran et ad ripam fluminis Habur decem ingentes elephantos occidisse et quattuor vivos cepisse eosque et pelles ac dentes occisorum in civitatem suam Assur attulisse (Annal. col. 6,70-75). Etiam in obelisco nigro regis *Salmanassar II.* (859-825 a. Chr.) elephanti ex terra Musri in tributum accepti describuntur (*A. H. Layard*, Monuments of Niniveh 1,55); nomine autem Musri hic regio Harran vicina videtur designari. Salomon igitur non necessario ad Indiam navigia sua pro ebore mittere debuit, atque etiam simias et pavos per mercatores Mesopotamiae obtinere potuit.

5. *Species.* Nostra aetate duae elephanti species distinguuntur : *Elephas asiaticus* Blumenbach, qui praesertim in India vivit, et *E. africanus* Bl., Africae centralis incola. Ex utraque specie ebur habetur, sed indicum etiam nunc prae ceteris optimum aestimatur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 247-73, *ed. Ros.* I. 233-68; *Fr. I. Schoder*, Hierozoici specimen I. 1-32; *G. C. P. ab Hartenfells*, Elephantographia curiosa, Erfordiae 1715; *P. Ekerman*, Diss. de Elephante turrito, Upsaliae 1751; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,103-10; *C. Ritter*, Erdkunde IV. 1,903 ss.; *P. Armandi*, Hist. militaire des Éléphants, Paris 1843; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Gr. u. Römer 160-84; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 148 s.; *Chr. Lassen*, op. cit. 354-67; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,81-3; *I. G. Wood*, Bible Animals 302-12; *P. Cultrera*, Fauna bibl.

79-84; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 348-50; *id.* ib. VIII. 1884, 123-31; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 233-5; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 III. 1-37; *K. Möbius* in Sitzungsber. der Ges. naturf. Freunde 1896, 23 s; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 236-59.

L. FONCK.

ELEUTHEROPOLIS (Ἐλευθεροπόλις) in S. Scriptura non invenitur, sed apud Eusebium et S. Hieronymum (Onomasticon) et in commentariis tum Christianorum tum Iudaeorum tam frequenter commemoratur praesertim ad situm urbium biblicarum determinandum, ut brevis mentio hic omitti non debeat. Apud talmudicos scriptores appellatur Bet Gubrin, apud Graecos et Romanos Eleutheropolis (*Relandus*, Palaestina p. 641. 749 s.). Nomen scribitur apud Ptolemaeum V. 16,6 [15,5] Βαιτογαβρεί (— βρή, — βρά), in tabulis Peutingerianis Betogabri; fortasse apud Flavium Iosephum (Bell. ind. IV. 8,1) pro Βήταβρις quae in media Idumaea sita est, cum Rufino legendum erit Βήγαβρις i. e. Baetogabra. Hodie *Beit Djibrīn*, qui vicus est fere medius inter Hebron et Azotum itemque fere medius inter Bersabee et Lyddam (Diospolim).

Cf. *Ritter*, Erdkunde XVI. p. 144; *Robinson*, Pal. II. 613 ss. 672 ss.; *Guérin*, Judée II. 307-311; 331-340; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 257 ss. 266 ss.; *Neubauer*, Géogr. du Talmud 122 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 275 s.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 159 ss.; *Baedeker-Benzinger*, Pal. und Syrien *ed.* 5 p. 137.

ELEUTHERUS (Ἐλεύθερος), fluvius qui Phoeniciam a Syria dividit et inter Tripolim et Aradum in mare Mediterraneum effunditur. Usque ad hunc fluvium Ionathas Mach. comitatus est Ptolemaeum VI. Philometorem regem Aegypti, cui in urbem Ioppen occurrerat (1 Mach. 11,6. 7); postmodum cum Ionathas persequeretur exercitum Demetrii II. Nicatoris, non comprehendit eos; transierant enim flumen Eleutherum (1 Mach. 12,30); ipse, ut videtur, in regionem syriacam arma inferre noluit. Est hodiernus *Nahr el-Kebīr* (*fluvius magnus*), ut recentiores censent.

Cf. *Strabo* XVI. 2,12; *Plin.* V. 19,78; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 4,5; 5,10; XV. 4,1; Bell. ind. I. 18,5; *Baedeker-Benzinger*, Palaest. und Syrien. *ed.* 5 p. 395; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 107.

ELIA (אֵלִיָּה). **1.** Unus ex sex filiis Ieroham et ex posteris Beniamin in Ierusalem (1 Par. 8,17; Ἐριά).

2. Sacerdos de filiis Harim (Esdr. 10, 21; Ἐλία) et

3. Vir laicus de filiis Aelam (Esdr. 10,26; Ἠλία), qui uxores alienigenas duxerant.

ELIAB (אֲלִיאָב, Ἐλιάβ). **1.** Filius Helon, princeps tribus Zabulon tempore quo census fiebat in deserto Sinai (Num. 1,9; 2,7; 7,24. 29; 10,6).

2. Filius Phallu ex tribu Ruben, pater Dathan et Abiron (Num. 16,1; Deut. 11, 6); idem praeterea habebat filium Namuel (Num. 26,8).

3. Filius Isai natu maximus (1 Par. 2,13) quem cum vidisset Samuel, ait: Num coram Domino est christus eius? Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum eius neque altitudinem staturae eius etc. (1 Reg. 16,6). Superba eius indoles in dura reprehensione contra David fratrem iuniorem describitur 1 Reg. 17,13. 28. Filiam vel potius neptem Eliab, cui nomen Abihail, rex Roboam uxorem duxit (2 Par. 11,18). Tribui Iuda praerat Eliab frater David secundum LXX 1 Par. 27,18; textus hebr. et Vulgata praebent Eliu, quod mendum librarii habetur.

4. Eliab 1 Par. 6,27 [12] v. ELIU 1.

5. Gadita quidam princeps, qui Davidi fugitivo, cum in deserto lateret, se adiunxit (1 Par. 12,9).

6. Levita, cantor secundi ordinis a Davide pro translatione arcae constitutus, qui nablis ludebat (1 Par. 15,18. 20; 16,5).

7. Filius Nathanael in genealogia Merari patris Iudith (Iudith 8,1; Vulgata: Enan).

ELIABA (אֶלְיַחְבָא, Ἐμασού, Ἐλιαβά), unus ex heroibus Davidis (2 Reg. 23,32; 1 Par. 11,32), cognominatus Salabonites (v. SALEBIM).

ELIACHIM (אֶלְיָקִים). **1.** Unus e sacerdotibus, qui in dedicatione muri Ierusalem sub Nehemia tubis canebant (Neh. 12,40; LXX 12,41 Ἐλιακίμ).

2. Sacerdos magnus in libro Iudith (Vulgata 4,5. 7. 11); LXX 4,6. 8. 14 Ἰωακίμ. Vide IOAKIM 4.

ELIACIM (אֶלְיָקִים, Ἐλιακίμ, Ἐλιακείμ). **1.** Filius Helciae, vir probus, qui pro Sobna praefectus palatii eligitur, quem Dominus servum suum appellat et laudat (Is. 22,20 s.). Idem cum aliis egressus est ad legatos Sennacherib regis Assyriorum eorumque minas et blasphemias Ezechiae regi retulit, a quo simul cum aliis missus est ad Isaiam prophetam (4 Reg. 18,18 s.; 19,2 s.; Is. 36,3 s.; 37,2 s.). Eadem verba, quibus Isaias (22,22) potestatem Eliacim, ministri domus regiae, describit, a S. Ioanne ad ipsum Christum transferuntur (Apoc. 3,7).

2. Filius Iosiae regis Iuda (4 Reg. 23, 34; 2 Par. 36,4 Eliakim), a Nechao rege Aegypti rex in Ierusalem constitutus et Ioakim appellatus; v. IOAKIM 1.

3. Filius (vel ex posteris) Abiud et pater (vel ex maioribus) Azor, in genealogia Ioseph sponsi B. V. Mariae (Matth. 1,13).

4. Eliacim vel Eliakim in genealogia Christi (Luc. 3,30); is quattuor generationibus distat a David et proinde alius est ac Eliacim ex posteris Zorobabel Matth. 1,13.

ELIADA (אֶלְיָדָע). **1.** Unus ex filiis David, qui nati sunt ei in Ierusalem (I Par. 3,8); v. BAALIADA.

2. Pater Razon regis Damasci et adversarii Salomonis (3 Reg. 11,23; LXX Ἐλιαδαέ).

3. Unus ex ducibus exercitus Iosaphat regis, Beniaminita (2 Par. 17,17; cf. textum hebr.; LXX Ἐλιαδά).

ELIAM (אֱלִיעָם; Ἐλιάδ, al. Ἐλιάμ). **1.** Pater Bethsabee, uxoris Uriae, postea uxoris Davidis (2 Reg. 11,3); idem 1 Par. 3,5 vocatur Ammiel; v. AMMIEL 4.

2. Unus ex heroibus David, filius Achitophel, Gelonites ex urbe Gilo (2 Reg. 23,34); idem 1 Par. 11,36 mendose scribitur Ahia Phelonites.

ELIAS (אֵלִיָּה, אֵלִיָּהוּ, Ἠλιού, al. Ἠλίας), Thesbites de habitatoribus Galaad, propheta magnus et intrepidus magnisque a Deo miraculis insignitus. Vivebat eo tempore quo Achab rex Israel, incitatus ab uxore Iezabel, filia Ethbaal regis Sidoniorum (3 Reg. 16, 31), cultum Baal et Astarthes quam maxime fovit. Neque id solum; verum cultum Domini plane exstirpare tentabat eo connivente Iezabel ideoque prophetas Domini occidit et qui ex caede illa effugerant in speluncis absconditi degebant, quorum centum Abdias, dispensator domus regiae, absconderat eos pascens pane et aqua (3 Reg. 18,4. 13). Cultoribus Dei occisis vel expulsis Iezabel suis sumptibus alebat prophetas Baal 450 et prophetas Astarthes 400 (3 Reg. 18,19). Quare facile patet quantopere idololatria praevaluerit eo tempore in regno Israel. Ut eam oppugnaret missus est Elias. Et primo quidem in nomine Domini annuntiat fore siccitatem complurium annorum, quo poenae genere (cf. Deut. 28,23) Deus errantes ad se reducere voluit. Hac itaque calamitate regi annuntiata (3 Reg. 17,1) Elias se abscondit in loco torrentis Carith, quo siccato iubetur ire in Sarephta Sidoniorum, ibique apud viduam commorabatur annona miraculose multiplicata; filium quoque viduae mortuum ad vitam revocavit l. c. 3-24. Pluvia terrae Israel non dabatur per annos tres et menses sex. Quanta calamitate regio affligeretur, uno ostenditur exemplo; Achab enim iussit Abdiam ire ad universos fontes et in cunctas valles : si forte possimus invenire herbam... et non penitus iumenta intereant; et ipse et Abdias diviserunt sibi regiones ut circuirent eas (l. c. 18,5. 6). Et calamitate ita ingravescente iam ex longiore tempore Achab rex sedulo in omnem regionem miserat ut Elias exquireretur. Cum enim Elias ei dixisset : non erit his annis ros et pluvia, nisi iuxta oris mei verba, vehementer cupiebat eum reperiri, ut scil. quavis ratione ab eo impetraret cessationem calamitatis. Expertus enim erat ipso eventu verba Eliae non carere effectu. Tempore statuto, cum animi omnium iam ipsa

miseria essent aliquo modo emolliti Elias iubetur se sistere regi. Is primo quidem reprehensione Eliam studet terrere; at audacter Elias respondit : non ego turbavi Israel sed tu et domus patris tui qui dereliquistis mandata Domini et secuti estis Baalim (18,18). Tum proponit regi, ut ipso caeli iudicio dirimatur, uter sit colendus, Iahwe an Baal. Consentit rex iubens populum et prophetas Baal congregari in monte Carmel; obedit itaque prophetae fractus calamitate; populum quoque miseria iam esse aliquatenus edoctum de perversitate idololatriae, manifestatur verbis Eliae : usquequo claudicatis in duas partes? etc. Iubente Elia sacerdotes Baal invocant nomen Baal de mane usque meridiem, dein incidunt se cultris — at frustra, signum de quo conventum erat, non apparet. Tum Elias populum ad se advocat, aedificat altare ex duodecim lapidibus et instruit sacrificium et quattuor hydris aquae membra divisa bovis et ligna infundit. Invocato Domino cecidit ignis Domini et voravit holocaustum et ligna et lapides, pulverem quoque et aquam. Quo signo populus cadens in terram clamat : Iahwe est Deus. Elias autem in idololatras, in prophetas Baal, iudicium exercet in lege praescriptum (Deut. 13,1 s.; 18,20), iubet eos apprehendi et occidi. Statim quoque precibus Eliae impetrantur imbres. Iezabel autem cum audisset caedem prophetarum irata caedem quoque minatur Eliae. Elias fugit et venit in Bersabee in Iuda, indeque perrexit in desertum. Minis Iezabel discit regem animo inconstanti minime tuiturum esse cultum Domini; quare populum quoque mox reversurum esse ad idololatriam et se in vanum laborasse existimat; unde « petivit animae suae ut moreretur » (19,4), ex qua animi deiectione apparitione angeli erigitur; confortatus pergit ad montem Horeb, ibique apparitione Domini consolationem accipit et iubetur ire Damascum, ungere Hazael regem super Syriam, et Iehu regem super Israel, et Eliseum ungere prophetam (19,5-21).

Postquam Achab vineam Naboth occupavit eumque suadente Iezabel lapidandum curavit, Elias iubetur ei et Iezabel poenas Domini denuntiare (21, 1-29). Etiam sub filio Achab, Ochozia rege impio, Elias causam Domini fortiter tuebatur. Regi aegrotanti qui miserat ad consulendum Beelzebub deum Accaron iubet nuntiari morbum esse ad mortem quia idolum voluerit consulere et eos qui ei mandatum regis perferunt ut descendat ad regem ignis absumit. Ita manifestat Dominus quantae sibi sit abominationi idololatria.

Insigni modo Elias a Deo honoratus est, quia cum opus eius in terris ad finem vergeret, filiis prophetarum in Bethel et in Iericho et Eliseo indicabat Eliam esse ab iis auferendum et quia vidente Eliseo Elias per turbinem curru igneo ascendit in caelum 4 Reg. 2,1-14; cf. Eccli. 48,1-13. Eum iterum missum iri ante iudicium ultimum, Malachias propheta vaticinatur 4,5. 6 : et convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum i. e. populi electi conversionem operabitur, de quo mysterio apostolus loquitur (Rom. 11,25). Idque Christus quoque confirmat dicens : Elias venturus est et restituet omnia (Matth. 17,11; Marc. 9,12) et eo modo verba intellexerunt multi SS. Patrum et theologi (cf. *Knabenbauer,* Comm. in Proph. min. II. p. 489 s.).

Quod legitur 2 Par. 21,12 ab Elia propheta litteras allatas esse Ioram filio Iosaphat, id varie explicari potest. Nam quando Elias translatus sit, non assignatur. Narratur eius translatio 4 Reg. 2 postquam 1,17 dictum est Ioram fratrem Ochoziae incepisse regnare anno secundo Ioram filii Iosaphat (Ioram enim videtur a patre in regni consortium esse assumptus, cum is in bellum contra Syros proficisci pararet; ita 4 Reg. 1,17 et 3,1 inter se conciliari posse certum est: cf. 3 Reg. 8,16 et 22, 52). Quare fieri potest, ut Elias eo tempore etiam esset superstes. Si id vero improbabile videtur, dici potest per errorem amanuensium positum esse nomen Eliae pro Eliseo.

Quo sensu Ioannes Baptista appelletur Elias (Matth. 17,12), satis declaratur Luc. 1,17 : ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae, ut convertat corda patrum in filios etc. In transfigu-

ratione Christi apparent Moyses et Elias : « legislator et propheta eximius apparent et loquuntur cum Domino, ut ostendant ipsum esse quem cuncta legis et prophetarum oracula promiserunt » (*Beda* ad Marc. 9,3).

ELIASAPH (אֶלְיָסָף, Ἐλισάφ). **1.** Filius Duel, princeps tribus Gad tempore Moysis (Num. 1,14; 2,14; 7,42. 47; 10, 20).

2. Filius Lael, levita de stirpe Gerson tempore Moysis (Num. 3,24).

ELIASIB (אֶלְיָשִׁיב; Ἐλιασίβ, Ἐλισάβ, Ἐλισούβ, Ἐλιασίφ, Ἐλιασούβ, Ἐλιασίβ, Ἐλισούε).

1. Princeps classis sacerdotalis, quae erat undecima inter viginti quattuor classes a Davide pro ministerio Domini designatas (1 Par. 24,12).

2. Levita, cantor (Esdr. 10,24).

3. Vir laicus de filiis Zethua (Esdr. 10, 27).

4. Vir laicus de filiis Bani (Esdr. 10, 36); hi tres modo nominati uxores alienigenas ex mandato Esdrae dimiserunt.

5. Sacerdos magnus tempore Nehemiae (Neh. 3,1. 20. 21), filius Ioacim et pater Ioiada (12,10). Difficultatem facit, quod 12,11 legitur : Ioiada genuit Ionathan et 12,23 : Ionathan filius Eliasib, dum 12,22 ordo genealogicus est : Eliasib, Ioiada, Iohanan. Communiter hic ordo 12,22 rectus esse censetur; unde 12,11 legendum est : Ioiada genuit Iohanan et 12,23 : Iohanan (ut textus hebr. et LXX h. l. legunt contra Vulgatam) filius i. e. nepos Eliasib. Idem Eliasib curam habebat gazophylaciorum templi (Neh. 13,4) et cognato suo Tobiae Ammonitae magnum concessit gazophylacium in templo absente Nehemia, id quod Nehemias redux graviter reprehendit (13,5. 7). Eius mentio fit 13,28.

6. Eliasib pater (avus?) Iohanan Esdr. 10,6 a nonnullis existimatur idem ille sacerdos magnus (num. 5), qui ex nomine nepotis sui Iohanan gazophylacium in templo appellaverit. Sed de hac re nihil constat.

7. Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulgata 1 Par. 3,24 scribitur Eliasub (Ἐλιασεβών), filius Elioenai ex posteris Zorobabel.

ELIASUB v. ELIASIB 7.

ELIATHA (אֶלְיָתָה, Ἐλιαθά), levita ex filiis Heman, princeps vigesimae classis cantorum (1 Par. 25,4. 27).

ELICA (אֶלִיקָא, B omitt., A Ἐνακά), unus ex Gibborim Davidis (2 Reg. 23, 25), oriundus de Harodi (vide s. v.); eius nomen 1 Par. 11 desideratur.

ELICORUM rex Erioch in Vulgata Iudith 1,6 commemoratur, sed apud LXX ὁ βασιλεὺς Ἐλυμαίων. Erat igitur rex Aelamitarum; vide ERIOCH.

ELIDAD (אֶלִידָד, Ἐλδάδ), princeps Beniaminitarum, electus inter illos, qui terram Chanaan dividerent (Num. 34, 21).

ELIEL (אֶלִיאֵל, Ἐλιήλ, Ἐλιηλί, Ἐλεήλ).

1. Unus ex principibus Manasse ad orientem Iordanis tempore Ieroboam II. regis Israel (1 Par. 5,24).

2. Eliel 1 Par. 6,34[19] v. ELIU 1.

3. 4. Duo Beniaminitae habitantes in Ierusalem (1 Par. 8,20. 22).

5. Vir fortissimus tempore Davidis (1 Par. 11,46), cognominatus Mahumites (הַמַּחֲוִים, ὁ Μαωί), quod nomen gentilicium aliunde non cognitum est (*Gesenius* s. v.); emendatione textus adhibita alii explicant : de Mahanaim (*Bertheau, Fürst*), alii : de Hevaeis (*Kennicott*, Dissert. 231).

6. Vir fortissimus tempore Davidis (1 Par. 11,46[47]; LXX Δαλιήλ).

7. Princeps tribus Gad, qui Davidi fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,11; LXX Ἐλιάβ).

8. Princeps levitarum in Hebron tempore Davidis (1 Par. 15,9. 11).

9. Levita tempore Ezechiae regis (2 Par. 31,13).

ELIEZER (אֱלִיעֶזֶר, Ἐλιέζερ). **1.** Servus Abraham (Gen. 15,2), quem Abraham suum fore heredem suspicatur, nisi Dominus filium concesserit. Communiter putant Eliezer esse quoque servum illum seniorem, quem Abraham in Mesopotamiam misit, ut filio Isaac uxorem ex cognatione quaereret et qui ad Laban di-

vertens eius sororem Rebeccam sponsam adduxit filio Abraham (Gen. 24,2 s.); sed in s. litteris nomen servi huius eo loco non edicitur. Fuisse Eliezer inde suaderi potest, quia cum servus ille praeesset omnibus, quae Abraham habebat, idem ille describi videtur, de quo 15,2 et qui iunior erat quam Abraham, quia Abraham ipsum fore heredem suum arbitrabatur.

Eliezer ex Damasco oriundum esse sequi videtur ex Gen. 15,2: *iste Damascus Eliezer;* sed in explicanda hac difficili expressione interpretes multum laborant. Aliqui vertunt sine scrupulo: Eliezer Damascenus (*Gesenius, Knobel*); sed in textu habetur דַּמֶּשֶׂק sine addito, non הַדַּמַּשְׂקִי Damascenus. Alii appositionem cernunt: Damascus scil. Eliezer (*Delitzsch, Keil*), quod sane mirum videtur. Alii delent illud: *iste Damascus* velut glossam (*Hitzig, Tuch, Olshausen*), sed quo iure non apparet. Melius explicat *Dillmann:* Et heres domus meae erit Damascus Eliezeris, cui scil. urbi, ad quam Eliezer reversurus est, bona Abraham proderunt. Aliter nodum solvit *F. de Hummelauer* totum textum ita emendans, ut *Damascus* omnino evanescat et hoc eo magis attentione dignum est, quod apud omnes constat istum textum aliqua saltem corruptione laborare; ceterum idem auctor adnotat: « Restitutionem textus prioris interpretem tentare oportet, licet rem certo definire nequeat ».

2. Filius Moysis secundus, ex Sephora in terra Madian natus, quem Moyses hoc nomine appellavit dicens: Deus patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis (Ex. 2,22; 18,4; 1 Par. 23,15. 17; 26,25; cf. etiam Ex. 4,20 ss.; 18,2. 3. 6).

3. Beniaminita, filius Bechor (1 Par. 7,8).

4. Sacerdos quidam, qui coram arca Dei tuba clangebat, cum e domo Obededom in Ierusalem transferretur (1 Par. 15,24).

5. Princeps tribus Ruben tempore Davidis, filius Zechri (1 Par. 27,16).

6. Propheta, filius Dodau de Maresa, qui Ezechiae regi declaravit propter foedus cum Ochozia percussa esse opera eius navesque contritas (2 Par. 20,37; cf. etiam 3 Reg. 22,50).

7. Princeps, quem Esdras a fluvio Ahava ad Eddo misit (Esdr. 8,16).

8. 9. 10. Sacerdos, levita, vir de populo, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10, 18. 23. 31).

11. Filius Iorim inter proavos Christi (Luc. 3,29).

12. Qui Esdr. 10,25 in Vulgata Eliezer scribitur, hebr. et graece Eleazar appellatur; v. ELEAZAR 6.

ELIHOREPH (אֱלִיחֹרֶף, Ἐλιάφ, A Ἐναρέφ), filius Sisa, scriba Salomonis (3 Reg. 4,3).

ELIM (אִילִם et cum He locali אֵילִמָה; Αἰλείμ, Αἴλιμ), statio Israelitarum inter Mara et desertum Sin sita, ubi erant duodecim fontes aquarum et septuaginta palmae (Ex. 15,27; 16,1; Num. 33,9). Ex opinione communiter recepta Elim hodie est *Wādi Gharandel* (*Ghurundel*) aquis et arboribus etiamnum abundans. Cf. *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1680-1683; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 Tab. II. E c.

Alii Elim magis meridiem versus quaerunt in directione ad montem Sinai (quos enumerat *Legendre* l. c.), e contra *F. de Hummelauer* multo magis septemtrionem versus scil. prope *ʿAin Mūsā* seu Fontem Moysis, qui quattuor tantum horis a Suez distat: « Omnino crediderim *ʿAin Mūsā* alterutrum esse locum, aut Maram aut Elim » (Comment. in Ex. Lev. p. 163).

ELIM puteus v. BEER ELIM.

ELIMELECH (אֲלִימֶלֶךְ, Ἐλιμέλεχ), Bethlehemita, maritus Noemi, qui cum fames esset in patria, in regionem Moabitidem profectus est cum uxore et filiis ibique mortuus; eius consanguineus erat Booz (Ruth 1,2. 3; 2,1. 3; 4,3. 9). Booz et Elimelech in priore parte aevi iudicum vixisse concludere oportet ex Matth. 1,5: Salmon genuit Booz de Rahab, quae alia esse non potest quam de qua Ios. 2, 1 ss. et 6,17 ss. narratur; cf. *F. de Hummelauer,* Comment. in Iud. et Ruth p. 402.

ELIODA, filius David v. BAALIADA.

ELIOENAI (אֶלְיוֹעֵינַי; Ἐλιθενάν, Ἐλιωναί, Ἐλιανά, Ἐλιωηναί).

1. Filius Naaria ex posteris Zorobabel (1 Par. 3,23. 24).

2. Princeps quidam tribus Simeon (1 Par. 4,36).

3. Beniaminita, filius Bechor (1 Par. 7,8).

4. Beniaminita de filiis Semei (1 Par. 8,20); sed hebr. nomen est אֶלְיוֹעֵנַי.

5. Septimus filius Meselemiae ex posteris Core, ostiarius in templo (1 Par. 26,3. 12); sed hebr. scribitur אֶלְיְהוֹעֵינַי.

6. Filius Zarehe de filiis Phahath Moab, Babylone redux cum ducentis viris (Esdr. 8,4); hebr. scribitur sicut praecedens.

7. Sacerdos de filiis Pheshur, qui uxorem alienigenam dimittere ab Esdra iussus est (Esdr. 10,22); probabilius idem est, qui Nehemiae adstitit in dedicatione muri Ierusalem (Neh. 12,40).

8. Israelita de filiis Zethua, qui uxorem alienigenam ex mandato Esdrae dimisit (Esdr. 10,27).

ELIPHAL v. ELIPHELETH 1.

ELIPHALETH (אֶלִיפָלֵט, in pausa אֶלִיפָלֵט; Ἐλιφάαθ, Ἐλιφαλά, Ἐλιφαλήθ, Ἐλιφαλέτ).

1. Ultimus filius David, natus in Ierusalem (2 Reg. 5,16; 1 Par. 14,7); idem 1 Par. 3,8 scribitur Eliphelelh.

2. Alius filius David (1 Par. 3,7 et 14,5 quo loco אֶלְפָלֵט legitur); sed eius nomen deest 2 Reg. 5,16.

3. Filius Esec ex posteris Saul (1 Par. 8,39).

ELIPHALU (אֶלִיפֶלֵהוּ; 1 Par. 15,18 Ἐλιφενά, A Ἐλιφαλά, cod. Friderico-August. Ἐλειφενά; 15,21 Ἐλιφαλού, A Ἐλιφαλαίας, cod. Friderico-August. Ἐνφανίας), levita in secundo ordine levitarum, qui arcam Dei de domo Obededom in Ierusalem deduxerunt (1 Par. 15,18. 21).

ELIPHAZ (אֱלִיפַז, Ἐλιφάς). **1.** Filius primogenitus Esau ex Ada (Gen. 36,4. 10. 11. 12. 15. 16; 1 Par. 1,35. 36).

2. Primus ex tribus amicis Iob, Themanites (v. THEMAN) ex regione Idumaeae, qui statim post querelas Iob eum impotentis impatientiae ac simulatae pietatis arguit et contendit non affligi calamitatibus nisi scelestos (Iob 2,11; 4, 1; 15,1; 22,1; 42,7. 9).

ELIPHELETH (אֶלִיפֶלֶט; Ἀλιφαλέθ, Ἐλφάτ, Ἐλιφαλάτ, Ἐλιφαλέτ).

1. Unus ex heroibus David, filius Aasbai (2 Reg. 23,34); idem 1 Par. 11,35 vocatur Eliphal filius Ur.

2. Ultimus filius David (2 Par. 3,8) v ELIPHALETH 1.

3. Unus de filiis Adonicam, Babylone reversus duce Esdra (Esdr. 8,13).

4. Vir de filiis Hasom, qui uxorem alienigenam ex mandato Esdrae dimisit (Esdr. 10,33).

ELISA (אֱלִישָׁה, Samaritanus אליש; LXX Gen. et Par. Ἐλισά, Ezech. Ἐλεισαί; Syrus Gen. et Par. *Elisha*, Ezech. *Eles*), unus ex filiis Iavan (Gen. 10,4; 1 Par. 1,7). Cum sine dubio Iavan sint Iones (v. IAVAN), Elisa quoque gens graeca sit necesse est. Tempore Ezechielis prophetae « hyacinthus et purpura de insulis Elisa (מיאיי אלישה, ἐκ τῶν νήσων Ἐλεισαί) facta sunt operimentum » Tyriorum (Ez. 27,7). Flavius Iosephus (Ant. I. 6,1) et S. Hieronymus (Quaest. hebr. in Gen. *Migne* 23,931) interpretantur Aeoles, Targum Ionathan ad Ez. 27,7 בידינת איטליא scil. Italiam inferiorem vel Siciliam. Talmudicis Elisa est vel Elis vel Aeolis (cf. *Neubauer*). A recentioribus Elisa intellegitur vel Carthago (*Stade*, *Meyer*) vel Sicilia respective Italia inferior (*Dillmann* ad Gen. 10,4; *P. de Lagarde*) vel maiore cum iure Peloponnesus (*Bochart*, *Halévy*) vel generatim populatio aeolica Graeciae europaeae (*Knobel*, *Lenormant*, *Legendre*, *F. de Hummelauer* ad Gen. 10,4). Cum Elisa componi posse videtur regio *Alashia* in documentis *Tell el-'Amarna* compluries memorata, quam coniiciunt esse Cyprum

Cf. *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 424; *Stade*, De populo Iavan 8 s.; *E. Meyer*, Gesch. d. Alt. § 282; *P. de Lagarde*, Mittheil. 2,261; *Bochart*, Phaleg 3,4; *Halévy*, in Revue des études juives VIII. 14; *Knobel*, Voelkertafel p. 81; *F. Lenormant*, Les origines de l'histoire II. 2 p. 43; *Legen-*

dre apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1686-88.

A. DEIMEL.

ELISABETH. 1. Elisabeth (אֱלִישֶׁבַע, Ἐλισαβέθ), uxor Aaron, filia Aminadab, soror Nahasson, mater Nadab, Abiu, Eleazar, Ithamar (Ex. 6,23).

2. Uxor Zachariae sacerdotis, Elisabeth (Ἐλεισάβετ) de filiabus Aaron (Luc. 1,5), quae simul cum marito laudatur : erant iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela. Elisabeth sterilis et aetate iam provecta singulari Dei favore mater effecta est Ioannis praecursoris Domini. Eam invisit beata Virgo nuntio angelico recepto; ad cuius introitum et salutationem Elisabeth sensit infantem in utero exsultantem et ipsa repleta est Spiritu Sancto et exclamavit voce magna : benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui etc. Luc. 1, 41-45; agnoscit Mariam matrem Domini et eam beatam praedicat quia crediderit. Unde ei quod angelus beatae Virgini nuntiaverat divinitus patefactum est. Ipsa quoque prima est inter homines quae laudes Virginis celebrat et mysterium Incarnationis indicat. Neque silentio praetereundum est encomium Virginis ab ea annuntiari quae Spiritu Sancto repleta esse dicitur. — Cum in eo esset ut infans eius circumcideretur, contra cognatos firmiter asseruit nomen Ioannis ei esse imponendum (Luc. 1,57-60).

ELISAMA (אֱלִישָׁמָע, Ἐλισαμά, Ἐλισαμαί, Ἐλισαμαέ, Ἐλεασά). 1. Princeps tribus Ephraim (Num. 1,10; 2,18; 7,48-53); censetur idem avus Iosue 1 Par. 7,26.

2. Unus e filiis David qui ei nati sunt in Ierusalem 2 Reg. 5,16; 1 Par. 3,8 (3, 6 legi oportet Elisua, non Elisama; v. ELISUA) et 14,7.

3. Unus ex posteris Ierameel primogeniti Hesron (1 Par. 2,41).

4. Sacerdos quidam quem, uti Ioram sacerdotem, Iosaphat rex simul cum levitis compluribus misit ad docendum populum (2 Par. 17,8. 9).

5. Nomen hoc etiam, uti in filio David, postea in genere regio invenitur; nam Ismahel qui percussit Godoliam mense septimo i. e. secundo post urbem a Chaldaeis incensam mense (4 Reg. 25, 8) vocatur filius Nathaniae filii Elisama de semine regio (4 Reg. 25,25; Ier. 41, 1). Cum autem in genealogiis non raro multi intermedii omittantur, etiam fieri posset, ut Elisama eo loco idem ille David filius significaretur.

6. Scriba Ioakim regis, secundum quem gazophylacium quoque templi appellabatur Ier. 36,12. 20. 21.

ELISAPHAN (אֱלִיצָפָן, Ἐλισαφάν).

1. Filius Oziel filii Caath, princeps familiarum Caathitarum; cum Nadab et Abiu, filii Aaron, offerentes alienum ignem igne essent absumpti, Elisaphan cum Misaele iussus est a Moyse eos asportare extra castra; cf. Ex. 6,22; Lev. 10,1-5; Num. 3,30. Etiam postmodum tempore Davidis et Ezechiae levitae de posteris Elisaphan memorantur (1 Par. 15,8; 2 Par. 29,13).

2. Elisaphan filius Pharnach ex tribu Zabulon, ad terram Israelitis dividendam electus (Num. 34,25).

ELISAPHAT (אֱלִישָׁפָט, Ἐλισαφάν; al.-φάτ), unus ex quinque illis centurionibus quos foedere inito Ioiada misit per Iudaeam, ut levitas et principes familiarum in Ierusalem advocarent, quorum ope Ioiada filium Ochoziae Ioas regem constituit et Athaliam impiam reginam occidit (2 Par. 23,1 s. et cf. 4 Reg. 11,4 s.).

ELISEI FONS, cuius aquas prope Iericho Eliseus sale immisso sanavit (4 Reg. 2,19 ss.) vide s. v. IERICHO.

ELISEUS (אֱלִישָׁע, Ἐλισαιέ), filius Saphat, oriundus ex Abelmehula in valle Iordanis in regione tribus Issachar, a Domino per Eliam, qui eum pro se prophetam ungere iubetur, ad munus propheticum vocatus est. Erat vir satis opulentus; nam Elias eum reperit arantem in duodecim iugis bovum. Elias in signum vocationis ad munus propheticum misit pallium suum, vestimenti genus scil. prophetis proprium (cf. Zach. 13,4), super eum, qui salutatis parentibus se-

cutus est Eliam et ministrabat ei 3 Reg. 19,16-21. Antequam Elias curru igneo raperetur, petiit ab eo, ut fieret in se duplex spiritus eius (cf. Deut. 21,17, ut scil. tamquam filius primogenitus prae aliis prophetarum filiis duplicem partem hereditatis acciperet). Pallium Eliae sibi tulit et ex eo tempore multa et magna patrabat miracula : pallio percussit aquas Iordanis et divisae sunt et transiit Eliseus, iam hoc signo tamquam successor Eliae a Deo comprobatus, et filii prophetarum id videntes dixerunt : requievit spiritus Eliae super Eliseum et venientes in occursum eius proni in terram salutaverunt eum (4 Reg. 2,1-15); prope Iericho sale immisso aquas sanavit; cum ascendenti in Bethel pueri illuderent, ultione divina Deus altero signo suum comprobavit prophetam. Uti Elias, ita ipse quoque in monte Carmeli aliquo tempore morabatur; deinde Samariam reversus est (4 Reg. 2,16-25). In bello moabitico regi Iosaphat victoriam de Moabitis praedixit 4 Reg. 3,1-27; mulieri viduae miraculo olei multiplicati providit ea, quibus satisfaceret creditoribus; mulieri Sunamitidi, apud quam saepius divertebat, praedixit eam habituram esse filium, quem post complures annos mortuum ad vitam revocavit; cibum veneno infectum reddidit innocuum, panibus paucis magnam pavit multitudinem; Naaman leprosum iussit lavare in Iordane et mundatus est; Giezi famulum avaritia captum punivit lepra; aliaque patravit miracula quae 4 Reg. 4,1-8,6 narrantur. Eius fama etiam extra Palaestinae fines propagata est; ita Benadad rex Syriae per Hazael eum consuluit de sua aegritudine, qua occasione Eliseus praedixit Hazael quae rex factus commissurus esset mala in Israel (8,7 s.). Per unum de filiis prophetarum Iehu unxit regem super Israel, cuius erat ultionem divinitus decretam exsequi in domum Achab (9,1 s.). Eliseus iam morti proximus praedicit Ioas regi Israel ter ab eo Syros victum iri; et qui vivus tot edidit mira, ne mortuus quidem cessare videbatur, nam cum cadaver fortuito in sepulcrum eius coniectum tetigisset ossa eius, revixit homo (13,14-21). Quare optime dicit Sapiens : in Eliseo completus est spiritus Eliae, non pertimuit principem et potentia nemo vicit illum; mortuum prophetavit corpus eius, in vita sua fecit monstra (τέρατα) et in morte mirabilia operatus est Eccli. 48,14-15. Deus autem per Eliam et Eliseum tot edere voluit miracula, ut praeclaris istis suae potentiae documentis plebem quam reges impii ad idololatriam potenter inducebant potentius ad veri Dei agnitionem cultumque invitaret. Simili modo in initio rei christianae insignia edebantur miracula et plurima, ut obcaecatis illucesceret quid iam Deus ab iis postularet.

ELISUA (אֱלִישׁוּעַ; Ἐλισουέ, Ἐλισά), unus ex filiis David (2 Reg. 5,15; 1 Par. 14,5); eius loco legitur 1 Par. 3,6 Elisama (אֱלִישָׁמָע, Ἐλισά), quod mendosum est.

ELISUR (אֱלִיצוּר, Ἐλισούρ), filius Sedeur, princeps tribus Ruben (Num. 1,5; 2,10; 7,30; 7,35; 10,18); Vulgata 10,18 scribit Helisur.

ELIU (אֱלִיהוּא et 1 Par. 26,7; 27,18 אֲלִיהוּ; Ἠλιού, Ἐλιμούθ, Ἐλιοῦ).

1. Proavus Samuelis prophetae (1 Reg. 1,1). Idem 1 Par. 6,27[12] vocatur Eliab et 6,34[19] Eliel; sed hae variationes amanuensibus deberi videntur.

2. Unus ex principibus millium de tribu Manasse, qui Davidi in Siceleg sese adiunxerunt eique auxilium praestiterunt (1 Par. 12,20).

3. Levita ex familia Core, filius Semeiae, ianitor tempore Davidis (1 Par. 26,7).

4. Frater Davidis (1 Par. 27,18); sed LXX praebent Ἐλιάβ. V. ELIAB 3.

5. Unus ex maioribus Iudith (Iudith 8,1); deest in Vulgata.

6. Eliu (Ἐλιούς), ultimus interlocutor in libro Iob, filius Barachel, Buzites (in inscriptionibus cuneiformibus reperitur regio Bazu, quam *Delitzsch*, Paradies p. 307, prope Hauran sitam esse opinatur; ceterum Buz recensetur inter filios Nachor, fratris Abraham Gen. 22,21; est tribus arabica Ier. 25,23). Eius utique sermones Iob 32,1-37,24 a recentioribus plerisque censentur poemati esse additi

tempore posteriore i. e. non pertinere ad ipsum poema quale illud a primo poeta conditum fuerit. Praecipue argumenta ex diverso dicendi genere. Haec utique diversitas concedi debet. At nonne merito quaeri potest, cur non ipse poeta eam consulto effinxisse putetur? Nam omissis orationibus Eliu nulla datur in libro Iob responsio ad quaestionem agitatam. Quod amici contendebant adversitatem omnem esse poenam peccatorum, Iob egregie refutavit. Cur igitur iusti quoque affliguntur? Iob quidem demum id fieri occultis Dei consiliis asseruit; at innovatis querelis hanc responsionem non satisfacere atque hominem plus velle intellegere idem clare ostendit. Unde fieri nequit, ut carmen hoc loco finiatur, nisi quis dicere maluerit carmen relinqui mancum. Sermones vero Eliu aptissime conferunt ad carmen perficiendum; nam in iis praestantur duo quae ad rem maxime pertinent : 1) quae Iob vehementius dixerat et quae in verbis eius facile falso intellegi possent, reprehenduntur et corriguntur et ad limites iustos rediguntur; 2) rationes cur iusti affligantur reddunturut scil. a peccandi periculis arceantur, ut a defectibus levioribus purgentur et in virtute proficiant. Adde rationem quae in prologo exponitur; ita demum carmen didacticum bene in se concluditur et absolvitur, in quantum id pro indole veteris foederis necesse est. Ceterum vide *Knabenbauer*, Comment. in Iob p. 368 s.; *J. Hontheim*, D. Buch Iob [Bibl. Studien IX. 1904, Hefl 1-3] p. 10. 12. 20-39.

ELIUD (Ἐλιούδ) in genealogia Christi Domini (Matth. 1,14. 15).

ELLASAR (אֶלָּסָר, Ἐλλασάρ, sed in Vulgata Pontus) regio vide s. v. ARIOCH 1.

ELMADAN (Ἐλμαδάμ) in genealogia Christi Domini (Luc. 3,28).

ELMELECH (אַלְמֶלֶךְ, Ἐλιμελέχ), urbs tribus Aser (Ios. 19,26). Est ignota. Vestigium tamen nominis fortasse conservat *Wādi el-Malek*, qui in torrentem Cison (*Nahr el-Muqaṭṭa'*) influit haud procul a *Ḥaifā*.

ELMODAD (אֶלְמוֹדָד, Ἐλμωδάδ) primus inter filios Iectan recenseitur (Gen. 10,26; 1 Par. 1,20). Posteri Iectan peninsulam arabicam occuparunt. Hucusque tamen tribus arabica eius nominis non innotuit. Putavit quidem *Bochartus* (Phaleg 2,16) Almodad nomen dedisse Almodaeis, qui Graecis Ἀλλουμαιῶται dicti in medio Arabiae felicis prope fontes fluvii *Lar*, qui in mare Persicum exit, habitabant (*Ptol.* VI. 7, 24); sed haec opinio hodie derelicta est (Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XXII. 1868 p. 658 et cf. XXXVII. 1883 p. 18 de nominis explicatione).

ELNAEM (אֶלְנָעַם, Ἐλλαάμ, A Ἐλναάμ), pater duorum heroum Davidis (1 Par. 11,46).

ELNATHAN (אֶלְנָתָן, Ἐλλανασθάμ 4 Reg. 24,8, alias Ἰωνάθαν). 1. Pater Nohestae matris Ioachin (Iechoniae) regis Iuda (4 Reg. 24,8). Idem videtur esse ille Elnathan filius Achobor, quem Ioakim (Eliakim) rex Iuda (pater Ioachin) cum aliis misit in Aegyptum, ut Uriam prophetam inde eductum ad se adducerent (Ier. 26,22). Vocatur idem princeps Ier. 36,12 et erat inter eos, qui in gazophylacio scribae congregati a Michaea filio Gamariae certiores facti sunt legisse Baruch sermones Ieremiae publice; eosdem sermones cum ipsi audissent rem ad Ioakim regem deferunt, qui librum afferri et legi iubet, sed auditis tribus vel quattuor pagellis scidit ac combussit; contradixerunt quidem regi Elnathan et Dalaias et Gamarias, ne volumen combureret, sed non audivit eos (Ier. 36,12-25). Qua in re Elnathan se magis probum praebuit quam antea, cum Uriam ex Aegypto adduceret, quem a rege ad necem quaeri ignorare non poterat.

2. Nominantur Esdr. 8,16 tres viri Elnathan (LXX Ἐλνάθαμ, Νάθαν, Ἐλνάθαν), quorum duo vocantur principes, tertius sapiens, quos Esdras misit ad Eddo (vide s. v.).

ELOHIM v. DEUS.

ELON nomen personarum et urbium. 1. Elon (אֵילוֹן; Ἠλών Gen. 26,34; Αἰ-

λώμ 36,2) Hethaeus, socer Esau; filia Elon, quam duxit Esau, vocatur Gen. 26, 34 Basemath, sed 36,2 Ada. Itaque dici oportebit vel errorem esse amanuensium vel, uti haud raro moris erat, filiam dum matrimonium iniret, alterum nomen assumpsisse.

2. Elon (אֵלוֹן, Ἀλλών) secundus filius Zabulon (Gen. 46,14), a quo familia Elonitarum (Num. 46,26).

3. Elon Iud. 12,11 est nomen hebr. iudicis, qui in Vulgata scribitur Ahialon (vide s. v.).

4. Elon (אֵילוֹן, Ἐλών), urbs tribus Dan (Ios. 19,43). Enumeratur inter Aialon (*Yālō*) et Themna (*Tibne*). *Conder* (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 293) proponit *Beit Ello* ad septemtrionem Bethoron situm, sed hoc potius ad Ephraim quam ad Dan pertinebat. Eadem haud dubie erat Elon urbs praefecturae salomoniae a Bendecar administratae (3 Reg. 4,9); cum autem hoc loco pro Elon et Bethanan, ut Vulgata habet, ex hebraico legendum videatur Elon-Beth-Hanan, nostra Elon probabilius eadem est ac Bethanan q. v. — Alii Elon componunt cum *Khirbet Wādi ʿAlīn* prope *ʿAin Shems* seu Bethsames (cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. X. 1887 p. 137).

5. Legitur in Vulgata Ios. 19,33 terminum Nephthali coepisse de Heleph et Elon in Saananim; sed pro Elon vertendum est quercus vel quercetum (in) Saananim; legitur in Vulgata Iud. 4,11: vallis quae vocatur Sennim et erat iuxta Cedes, quem locum *F. de Hummelauer* vertit: quercus in Sennim scil. nota illa quercus maxime ex facto ibidem narrando. Illud igitur quercetum Ios. 19,33 et Sennim (Saanaim, Saananim) a plerisque quaeruntur prope Cedes Nephthali, quo loco etiam hodie multae quercus conspiciuntur. Sed idem interpres (Comm. in Ios. p. 437) hanc Cedes agnoscit in *Khirbet Qedīsh* 7 km infra Tiberiadem et Saanaim in *el-Ṣinnabra* vel *Ṣinn el-Nabra* prope Tarichaeam, ubi Iordanis e lacu Tiberiadis egreditur.

ELPHAAL (אֶלְפַעַל, Ἀλφαάλ, Ἐλφαάλ), princeps familiae beniaminiticae (1 Par. 8,11,12. 18).

ELTECON (אֶלְתְּקֹן, Θεκούμ), urbs tribus Iuda in quarta provincia montis simul cum Halhul et Bethsur enumerata (Ios. 15,59). Quaerenda igitur est prope Hebron septemtrionem versus; hucusque ignota.

ELTHECE, ELTHECO (אֶלְתֶּקֶה: Ἀλκαθά Ios. 19,44; ἡ Ἐλκωθαίμ 21,23), urbs tribus Dan (Ios. 19,44), levitis de familia Caath tradita (21,23). Situs ignotus est, sed non multum a Themna (*Tibne*) abesse potest. Nam Ios. 19,44 recensetur Elthece post Themna et Acron seu Accaron. Iamvero in inscriptionibus cuneiformibus Sennacherib gloriatur, quod urbes *Altaquu* et *Taamnaa* (Themna) expugnaverit ac deinde contra Accaron progressus sit (*Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 159. 282). Vix dubium est, quin *Altaquu* sit nostra Elthece. Coniiciunt esse hodiernum vicum *Beit Likia* inter Ierusalem et Lyddam (cf. *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 408).

ELTHOLAD (אֶלְתּוֹלַד, Ἐλθουδάδ et Ἐρθουλά), urbs in meridiana plaga tribus Iuda (Ios. 15,30), tribui Simeon attributa (19,4), adhuc tempore Davidis a Simeonitis habitata (1 Par. 4,29; hoc loco nominatur abiecto אל Tholad). Est ignota.

ELUL (אֱלוּל, ὁ Ἐλούλ), nomen mensis sexti anni hebraici (Neh. 6,15; 1 Mach. 14,27); vide s. v. MENSIS.

ELUZAI (אֶלְעוּזַי, Ἀζαί), Beniaminita, qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12,5).

ELYMAIS (Ἐλυμαΐς) legitur 1 Mach. 6,1: « rex Antiochus (Epiphanes) audivit esse civitatem Elymaidem in Perside nobilissimam ». — Hic textus corruptione laborat. Urbs huius nominis non innotuit. Silentium scriptorum profanorum de tali urbe eo minus explicari posset, quo frequentius loquuntur de Elymaide seu Elymaea regione et de populo Elymaeorum. Solus Flav. Iosephus (Ant. XII. 9,1) Elymaidis urbis mentionem facit, sed lectionem 1 Mach. 6,1 secutus. Melior lectio in compluribus

codicibus graecis (A, א et sex minusc.) reperitur: ἐν Ἐλυμές, ἐν Ἐλυμαΐς. Merito igitur editiones criticae praebent ἐν Ἐλυμαΐδι. Elymais autem i. e. אֵילָם erat provincia regni persici. Vide s. v. AELAM 1.

ELYMAS (Ἐλύμας) Act. 13,8 est nomen ex arabico petitum, quo se vocabat Bariesu (vide s. v.). Nomen significat sapientem; qua ratione haec sapientia nomine arabico designata fuerit, clare indicatur, cum nomen illud explicetur ὁ μάγος, magus.

ELZABAD (אֶלְזָבָד, Ἐλζαβάθ), levita de stirpe Core et familia Obededom, ianitor (1 Par. 26,7).

ELZEBAD (אֶלְזָבָד, Ἐλιαζέρ), Gadita, qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12,12).

EMALCHUEL (Εἰμαλκουαί), dynastes arabs, cui Alexander Balas filiolum suum Antiochum tradiderat educandum; Tryphon, qui dux copiarum Alexandri fuerat, multis diebus apud Arabem instabat, donec sibi committeret puerulum, quem regem Syriae (Antiochum VI.) constituit contra Demetrium II. Nicatorem (1 Mach. 11,39. 40). Nomen illius dynastae varie effertur Ἰμαλκουέ, Σιμαλκουή, Σιμαλκουέ (assumpta littera σ vocabuli πρός praecedentis), in arabico fortasse אלמלכי i. e. *regius, vir regius* vel probabilius ימלכי quod nomen legitur in inscriptionibus palmyrenis. Flavius Iosephus (Ant. XIII. 5,1. 3) et Syrus eum vocant *Malchus*, Diodorus (apud *Müller*, Fragm. Hist. Graec. II. p. XVII. n. 21) autem *Iamblichus*, quod idem nomen est cum ימלכי. Cf. *Schürer*, Geschichte de jüdischen Volkes... *ed.* 3, I. p. 234. — Praeterea vide s. v. ARABIA n. 4 in fine.

EMAN (הֵימָן). 1. Unus ex posteris Zarae filii Iuda (1 Par. 2,6); v. HEMAN 2.

2. Levita cantor sub Davide 2 Par. 5, 12; v. HEMAN 3.

3. Psalmus quoque 87 (hebr. 88) inscribitur Eman Ezrahitae (sed LXX Αἰμὰν τῷ Ἰσραηλίτῃ).

EMATH (חֲמָת, Αἰμάθ, Ἐμάθ, Ἡμάθ, Ἡμάθ), urbs ad Orontem fluvium sita, postmodum a tempore imperii macedonici apud Graecos Epiphania appellata (*Flav. Ios.* Ant. I. 6,2), hodie *Ḥamā*. Erat urbs praecipua terrae Emath. In inscriptionibus cuneiformibus plerumque dicitur terra *Hamatti*, raro urbs (cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 90). Gens eius regionis refertur Gen. 10,18 et 1 Par. 1,16 ad Amalhaeum filium Chanaan. Ea regio saepe ut terminus septemtrionalis Palaestinae assignatur (ad quem terminum exploratores a Moyse missi pervenerunt Num. 13,22); cf. Num. 34,8; Ios. 13,5; Iud. 3,3; 3 Reg. 8,65; 1 Par. 13,5; 2 Par. 7, 8. Introitus Emath (בֹּא חֲמָת), de quo locis modo citatis agitur, certe meridiem versus ab Emath quaeri debet et a plerisque inter Emath et Libanum ponitur v. g. circa urbem *Restan*, antiquam Arethusam Syriae secundae, ad Orontem inter *Ḥamā* et *Hōms* (cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 27); sed si cum *I. P. van Kasteren* admittitur terminum septemtrionalem terrae promissae infra Libanum et Hermonem maiorem fuisse (Revue biblique IV. 1895, p. 23-36), etiam introitus Emath cum eodem auctore agnosci poterit *Merdj ʿAyūn*, planities inter *Nahr Liṭāni* et *Nahr Ḥāṣbāni*, per quam aditus fit ex Palaestina in Syriam Coelen seu vallem *Beqāʿa* (l. c. p. 29).

Regnum israeliticum in regionem Emath extendebatur regnantibus Davide (2 Reg. 8,9; 1 Par. 18,3. 9; Vulgata: Hemath) et Salomone (2 Par. 8,4). Quae tamen regni extensio haud diu obtinuit; nam legimus 4 Reg. 14,25 Ieroboam regem Israel *restituisse* terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis. Assyrii quoque repetito eam sibi subiecerunt regionem (cf. *Schrader* l. c.) et tempore invasionis Sennacherib inter regna quae Assyrii occuparant Rabsaces gloriabundus Emath quoque enumerat (4 Reg. 18,34; 19,13; Is. 10,9; 36,19; 37,13; cf. Am. 6,2). In Reblatha in terra Emath Nabuchodonosor filios Sedeciae regis occidit et nobiles Iuda et ipsi regi Sedeciae oculos eruit uti antea eodem loco Nechao rex Aegypti vinxe-

rat Ioachaz ne regnaret in Ierusalem (4 Reg. 23,33; 25,21; Ier. 39,6; 52,9. 27). Quae oracula minarum plena dicta sunt in Damascum, ea Zacharias quoque extendi ait in Emath quae ei contermina est (9,2); quae oracula partim impleta sunt, cum Alexander potitus est Syria Coele.

2. Emath Ios. 19,35 vide s. v. HAMMOTH DOR.

3. Emath Suba 2 Par. 8,3 a Salomone subacta legitur. Quaenam regio illa sit, interpretes non consentiunt. Alii explicant de Emath 1; alii de alia quadam Emath ab Emath magna (Am. 6,2) distinguenda, alii de regnis Emath et Soba illo tempore fortasse in unum regnum unitis.

4. Turris Emath Neh. 12,38; sed hebr. legitur hoc loco turris הַמֵּאָה et idem nomen turris habetur hebr. Neh. 3,1, ubi in Vulgata nomen exprimitur numerale : turris centum cubitorum. Ceterum turris Hammea (vel, ut alii volunt, turris Mea) sita erat inter portam cui ab ovibus nomen erat et angulum urbis aquilonarem; cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. I. 1878 p. 80, ubi nomen Mea dicitur esse canaaniticum et iam a Iebusitis usurpatum; v. IERUSALEM V. 6.

EMER (Esdr. 2,59) regio v. EMMER 2.

EMIM (אֵימִים, Ὀμμίν, Ὀμμαῖοι) prius habitabant terram quae postea Moabitarum erat; erant gigantes et a Moabitis nomen Emim (terribiles?) acceperunt (Deut. 2,10. 11). Percussi sunt Emim a Chodorlahomor in planitie Cariathaim (Gen. 14,5). Ad quam stirpem pertinuerint, dici nequit; nam eorum nomen, uti aliorum quoque, non legitur inter gentes quae Gen. 10 a filiis Noe descendisse dicuntur.

EMINENTIA explicatur hebr. גָּבִישׁ (Iob 28,18), quam vocem plerique crystallum exponunt, alio nomine קֶרַח dictum (Ez. 1,22). Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,26.

EMISSARIUS v. CAPER (emissarius).

EMMANUEL (עִמָּנוּאֵל, Ἐμμανουήλ) i. e. nobiscum Deus (Matth. 1,23). Isaias vaticinatur 7,14 : ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel. Quis eo nomine designetur, ipse propheta in subsequentibus clare explicat; nam 8,8 terram palaestinensem quae est et alias vocatur terra Iahwe, hereditas Iahwe (cf. 14,2. 25; 47, 6; Os. 9,3; Ier. 2,7; 12,14 etc.) appellat terram Emmanuel, et etiam clarius 8,9. 10, quibus locis dicit omnes conatus et furores et consilia populorum iri prostratum, *quia Emmanuel* (hebr.). Porro idem explicatur 9,5-7 : hostium impetum iri confractum, *quia* parvulus natus est nobis etc.; iam iste filius et plurimis nominibus et regni sui descriptione declaratur Deus et Messias. Quare in contextu vaticinii et cap. 8 et 9 quae sit natura, indoles, officium Emmanuel praeclare exponitur (cf. *Knabenbauer*, Comment. in Is. I. p. 167) et in capite 9 v. 5-7 et res et verba ita conformata sunt, ut ea quae 7,14 et 8,9. 10 dicta sunt magis elucidentur.

EMMAUS. **1.** Emmaus (Ἐμμαούμ), urbs in regione campestri, ubi Ptolemaeus, Nicanor, Gorgias duces Syrorum cum exercitu 40 millium peditum et septem millium equitum castra posuerunt et a Iuda Mach. in fugam coniecti sunt (1 Mach. 3,40. 57; 4,3). Eandem urbem Bacchides in bello contra Ionathan Mach. munivit (9,50; Vulgata : Ammaum). Emmaus, ab ineunte saeculo tertio p. Chr. Nicopolis appellata, sita erat in regione tribus Dan, ubi Iudaeae provinciae montana assurgere incipiunt, 4 mil. pass. a Gazer seu Gazara (Onom. *ed. Lag.*, 244,17; 127,11), 22 mil. pass. a Ierusalem et 10 mil. pass. a Lydda (*Itin. Burdig.* apud *P. Geyer*, It. hier. p. 25). Eiusdem urbis Ἀμμαοῦς, Ἐμμαοῦς frequens mentio est apud Flavium Iosephum (Bell. iud. I. 11,2; II. 4,3; 5, 1; 20,4; III. 3,5; IV. 8,1; V. 1,6; 2,3; 13,1; VI. 4,2; Ant. XII. 7,3. 4; XIII. 1, 3; XIV. 11,2; XVII. 10,9). In Mishna appellatur אמואים (Arachin 2,4; Kerithoth 3,7), apud Ptolemaeum Ἐμμαοῦς (V. 16, 7 [*ed. Müller-Fischer* 15,5]). Hodie vicus *'Amwās*.

De altero vico Ammaus, rectius Amathus (Flav. Ios. edit. *Niese*) v. s. v. HAMMOTH DOR.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 758-760; *Lightfoot*, Chorogr. Lucae praemissa c. 4, Opp. II. 479 s.; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. 190 ss.; *Kuhn*, Die städtische und burgerl. Verfassung des röm. Reichs 1864-1865 II. 356 s.; *Sepp*, Jerusalem *ed.* 2 I. 40 ss.; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 100-102; *Guérin*, Judée I. 293 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 14. 36 ss. 63 ss.; *Schiffers*, Amwas, das Emmaus des hl. Lucas 1890 p. 6 ss.; *I. P. van Kasteren* in Revue bibl. I. 1892 p. 80 ss.; *Schürer*, Gesch. des jüd. Volkes *ed.* 3 II. 183. 184 et cf. I. 640 in nota 142; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VII. 1884 p. 209 s.; *Rückert* in Theol. Quartalschrift 1892 p. 558 ss.

2. Emmaus (Ἐμμαούς) castellum (κώμη), quod erat in spatio stadiorum 60 (sed 160 legunt aliqui codd. et evangelium syr. hier., versio arm.) a Ierusalem (Luc. 24,13). Ubi hoc castellum quaerendum sit, multum controvertitur.

Emmaus Luc. 24,13 esse Nicopolim explicite affirmant Eusebius et S. Hieronymus: « Emaus, de quo loco fuit Cleophas, cuius Lucas evangelista meminit; haec est nunc Nicopolis, insignis civitas Palaestinae » (Onom. *ed. Lag.* 257,21; 121,6). Et S. Hieronymus peregrinationem S. Paulae describens: « repetitoque itinere Nicopolim, quae prius Emmaus vocabatur, apud quam in fractione panis cognitus Dominus Cleophae domum in ecclesiam dedicavit » (apud *Tobler et Molinier*, Itin. hieros. I. p. 31. 32). Similiter Theodosius circa 530: « Emmau quae nunc Nicopolis dicitur... in qua Emmau sanctus Cleopas cognovit Dominum in confractione panis; ibi et martyrium pertulit. De Emmau usque in Diospolim (Lyddam) milia 12 » (De situ Terrae sanctae apud *P. Geyer*, Itin. hieros. p. 139).

Hanc sententiam antiqua traditione commendatam permulti amplexi sunt, ita quidem ut *Schiffers* (Amwas, das Emmaus des hl. Lucas 1890 p. 13-20) plurimis testimoniis allatis ostendat, ab Eusebio usque ad Relandum totius antiquitatis suffragio designari Nicopolim eo loco esse sitam ubi antea Emmaus castellum apud Lucam nominatum fuerit (p. 20). Et cum S. Hieronymus assignet Nicopolim, interpretes eum secuti sunt sat multi (ita *Beda*, *S. Bonaventura*, *Jansenius*, *Baronius*, *Lucas*, *Jansenius* iprensis, *Salmeron*, *Maldonatus*, *Sa*, *C. a Lapide*, *Mariana*, *Tirinus*, *Gordonus* etc.). Antiquae huic traditioni etiam lectio illa de stadiis 160 testimonium fert. Neque dici potest eam de Nicopoli sententiam excludi narratione Lucae. Nam ipsa narratione apparet illos duos abiisse ex Ierusalem, non post meridiem, uti plerumque assumunt, sed iam mane; de sola enim angelorum apparitione quae mulieribus facta est mentionem faciunt; nihil sciunt de apparitione Christi qua mane Mariae Magdalenae se manifestavit, nihil de apparitione aliis mulieribus facta. Neque eum dicant: mane nobiscum, quoniam advesperascit et inclinata est iam dies, de hora vespertina cogitandum est; nam ex Iud. 19,8 s. eiusmodi verba dicuntur, simul ac sol medium cursum diei peregit; bene enim ad eum locum notat *F. de Hummelauer*: « dies converti incipit meridie, quando sol ab ortu ad occasum vergere incipit; sane non intellegitur vespertinum tempus; cum enim iter ex Bethlehem in Silo sit septem circiter horarum (immo plus, ut alii affirmant), non poterat profectio in vesperum differri, si iter esset eo die complendum ». Proinde, cum iam mane abierint in Emmaus, fieri potuit, ut eodem die reverterentur in urbem, etsi Emmaus statuitur Nicopolis.

Neque obstat urbem illam Emmaus, de qua in libris Mach. et apud Iosephum sermo fit, fuisse urbem sat magnam, quae tamen κώμη a Luca appellatur. Ita recte appellatur, cum tempore Christi a priore conditione multum recessisset; etenim a Cassio Longino in servitutem redacta et postea a Quintilio Varo incendio est destructa (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 11,2; XVII. 10,9; Bell. iud. I. 11,2; II. 5,1). Ex recentioribus hanc sententiam tuentur *Robinson*, *Guérin* (qui anceps haeret inter rationes pro *'Amwās* et *Qubeibe*), *Schiffers*, *Conder*, *Guillemot*, *Bassi* O. M., *Knabenbauer*, *Zanecchia*, *L. Heidet*.

Alii vero castellum Emmaus quaerunt in *Qaloniye*, qui vicus olim teste Flavio

Iosepho (Bell. iud. VII. 6,6) Emmaus (Ἀμμαοῦς) vocabatur, sed eodem teste solum 30 stadiis ab urbe Ierusalem aberat; 30 enim stadia (non 60) feruntur in editionibus criticis (*ed. Dindorf*, *ed. Niese*). In *Quloniye* castellum Emmaus fuisse opinantur *Sepp*, *Schultz*, *Caspari*, *Bourquenoud*, *Keim*, *Schürer*, *Buhl*, *Savi* (cum aliqua restrictione).

Alii denique castellum Emmaus quaerunt in vico *Qubeibe* occidentem versus ab *el-Djîb* seu Gabaone et 60 stadia ab urbe Ierusalem; hanc opinionem defendunt *Zschokke*, *Schegg*, *Holzammer*, *Fillion*, *Raumer*, *Laurent*, *Liévin de Hamme*, *R. Buselli*, *Domenichelli*, *Rückert*, *Belser*.

Pro situ *'Amwas* cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 191-196; *Conder*, Tentwork in Palestine I. p. 14; *Guérin*, Judée I. 293 ss. Galilée I. 94 ss. et cf. Judée I. 257 ss. 348 ss.; *Schiffers*, Amwas das Emmaus des hl. Lucas 1890; *idem* in *Katholik* 1893 p. 337 ss. 398 ss. et in Revue biblique II. 1893 p. 26-40; *Knabenbauer* ad Luc. 24,13; *Bassi* O. M., Emmaus città della Palestina 1888; *Guillemot*, Emmaus-Nicopolis 1886; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 370 ss. 394 ss.; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1748-1763.

Pro situ *Quloniye* cf. *Sepp*, Jerusalem *ed.* 2 I. 54-73; *Caspari*, Chronologisch-geogr. Einleitung p. 207; *Schultz* in Real-Encycl. f. prot. Theol. *ed.* 2 XI. p. 771; *Keim*, Geschichte Iesu III. 555; *Bourquenoud* in Études rel. hist. et litt. 1863 p. 526; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3 I. 641. 642 in nota 142; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 166. 186; *Savi* in Revue biblique II. 1893 p. 223-227 (qui castellum Emmaus circa Amosam inter *Quloniye* et *Qubeibe* quaerit).

Pro situ *Qubeibe* cf. *Zschokke*, Das neutest. Emmaus 1865; *Holzammer* in Kirchen-Lexicon *ed.* 2 s. v.; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 187; *Laurent*, Peregrinationes medii aevi quattuor *ed.* 2 p. 77; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 248 ss.; *R. Buselli*, L'Emmaus dimostrato e difeso 60 stadi distante da Gerusalemme 1882; *idem*, L'Emmaus evangelico 1885-1886; *Domenichelli*, L'Emmaus della Palestina 1889; *Rückert* in Theolog. Quartalschrift, Tübingen LXXIV. 1892 p. 558 ss.; *Belser*, ibidem LXXVIII. 1896 p. 193 ss.; *P. Barnabé* O. F. M., Deux questions d'archéologie palestinienne I. L'Église d'ʿAmwas, l'Emmaus Nicopolis II. L'Église de Qoubeibeh, l'Emmaus de St. Luc. Jérusalem 1902.

EMMER (אמר, Ἐμμήρ). **1.** Filius Mosollamith (1 Par. 9,12) seu Mosollamoth (Neh. 11,13), princeps classis sacerdotalis, quae erat decima sexta inter viginti quattuor classes a Davide sorte distributas (1 Par. 24,14). Ex eo sacerdotum ordine cum Zorobabel Babylone redierunt mille quinquaginta duo (Esdr. 2,37; Neh. 7,40). Sadoc de filiis Emmer partem muri Ierusalem aedificavit contra domum suam (Neh. 3,29). Duo ex eodem ordine, Hanani et Zebedia, enumerantur inter eos, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,20). Phassur quoque sacerdos et praefectus primarius templi Ier. 20,1 dicitur filius Emmer; utrum ea appellatione solum filiis seu familiae Emmer adnumeretur an revera eius pater designetur, non constat.

2. Regio chaldaica, de qua aliqui duce Zorobabel in Iudaeam redierunt, qui originem suam israeliticam ex genealogiis demonstrare non poterant (Esdr. 2,59 Emer; Neh. 7,61 Emmer). Illa regio ignota est; v. ADON.

EMONA (כְּפַר הָעַמּוֹנִי i. e. vicus Ammonitarum, *Qeri* העמונה; LXX Κεφιρὰ καὶ Μονί), urbs tribus Beniamin, inter duodecim urbes orientales enumerata (Ios. 18,24). Fortasse *Kefr 'Ana* ad septemtrionem Bethel (*Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 504).

EMOR, pater Sichem (Iud. 9,28); v. HEMOR.

EMUNCTORIA sunt instrumenta apta lucernis candelabri aurei septemplicis emungendis; formam habebant forcipis, unde nomen hebr. formatur a לָקַח *capere*, *sumere*; facta sunt ex auro purissimo (Ex. 25,38; 37,23; Num. 4,9).

ENAC (עֲנָק et Ios. 21,11 עֲנוֹק; Ἐνάκ, Ἐνάχ), **ENACIM** (עֲנָקִים, Ἐνακίμ), stirps virorum procerae staturae, qui meridionalem partem terrae Chanaan incolebant, cum Abraham illuc immigraret et cum Iosue eam expugnaret. Appellantur stirps Enac, filii Enac, Enacim, filii Enacim. Exploratores, quos Moyses in Hebron misit, tres ibi invenerunt filios Enac seu principes familiarum, Ahiman, Sesai, Tholmai et Israe-

litis nuntiarunt, se vidisse monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati ipsi quasi locustae viderentur (Num. 13,23. 29. 34; Deut. 1, 28; 9,2). At exploratores magna cum exaggeratione esse locutos, ut populum deterrerent, ex eo quoque patet, quod Caleb postea filios Enac in Hebron (quorum progenitor fuit Arbee homo magnus inter Enacim Ios. 14,15; 15,13; 21,11) exterminavit (Ios. 14,12; 15,14; Iud. 1,20) et quod Iosue interfecit Enacim de montanis Hebron, Dabir, Anab et de omni monte Iuda et Israel urbesque eorum delevit (Ios. 11,21. 22). Iis comparantur Emim, populus tam excelsus, ut de Enacim stirpe quasi gigantes crederentur (Deut. 2,10. 11) et Zomzommim, populus procerae longitudinis sicut Enacim (Deut. 2,20. 21). Eorum reliquiae in urbibus Gaza, Geth, Azoto (Ios. 11,22) cum Philisthaeis coaluerunt neque amplius in s. litteris commemorantur.

ENADAD (Neh. 3,18) v. HENADAD.

ENAIM (הָעֵינָיִם quae est rarior dualis numeri forma : duo fontes seu duplex fons; Μαιανί, A Ἠναείμ), urbs in campestribus Iuda, in prima provincia Sephelae enumerata (Ios. 15,34). Probabilius de eodem loco agitur Gen. 38,14 (פֶּתַח עֵינַיִם i. e. ostium fontium, LXX αἱ πύλαι Αἰνάν, Vulgata : bivium) et 38,21; ex contextu hic locus erat inter Odollam (*Kh. ʿId el-Mā* prope Eleutheropolim) et Thamna (*Tibne*). De situ accuratius determinando variae sunt coniecturae.

ENAN (עֵינָן, Αἰνάν). **1.** Pater Ahira principis tribus Nephthali (Num. 1,15; 2, 29; 7,78. 83; 10,27).

2. Filius Nathaniae et pater Melchiae de tribu Simeon recensetur inter maiores Iudith (Iudith 8,1; LXX Ἐλιάϑ).

3. Villa Enan (חֲצַר עֵינָן, Ἀρσεναίν) assignatur tamquam terminus septemtrionalis terrae promissionis (Num. 34,9. 10) ita quidem, ut ibidem terminus septemtrionalis et orientalis conveniant; item ex Ez. 47,17 et 48,1 discimus atrium Enan iuxta fines Damasci fuisse (47,17 legitur חֲצַר עֵינָן. Vulgata : atrium Enon, ἡ αὐλὴ τοῦ Αἰνάν). Censebatur esse fons *Lebwe* in *Beqāʿa*, situs in divortio inter Orontem, qui septemtrionem versus et Leontem qui meridiem versus fluit (*Keil* ad Num. 34,9) vel etiam *ʿAyūn el-Dara* in descensu orientali Antilibani (cf. *Dillmann* ad Num. 34,9). Sed recentiore tempore *I. P. van Kasteren* in Revue biblique IV 1895 p. 23-36 defendit terminum septemtrionalem terrae promissae infra Libanum et Hermonem maiorem fuisse et villam Enan seu atrium Enon quaerit ad orientem *Bāniyās* (Caesareae Philippi), ubi duo vici *Ḥazūre* et *el-Ḥadr* aliquam similitudinem nominis cum חֲצַר prae se ferunt, etsi nomen *Ḥazūre* potius hebr. חָצוֹר supponere videtur (l. c. p. 31).

ENCAENIA v. DEDICATIO 2.

ENDOR (עֵין־דּוֹר, עֵין־דֹּאר fons Dor; Ἀενδώρ), urbs in territorio Issachar, sed tribui Manasse tributa (Ios. 17, 11), ex qua filii Manasse Chananaeum expellere non valebant (17,12). Psalmista victoriam a Barac de Sisara duce Asoritarum reportatam refert ad Endor (Ps. 82 [83], 11), siquidem haec urbs est terminus orientalis planitiei, quam torrens Cison percurrit; pugna illa commissa erat iuxta torrentem Cison, cuius undis cadavera hostium caesorum devolvebantur (cf. Iud. 4,7; 5,21). Celebris facta est Endor a muliere pythonem habente, quam ibidem Saul ante pugnam in planitie Esdrelon et ad montem Gelboe commissam consuluit (1 Reg. 28,7). Apud Eusebium et S. Hieronymum describitur grandis vicus 4 mil. pass. a monte Thabor meridiem versus et iuxta oppidum Naim situs (Onom. *ed. Lag.* 226,25; 259,70). Hodie *ʿEndūr* in descensu septemtrionali collis vulcanici *Tell ʿAdjūl*, ubi plurimae cavernae inter rupes adhuc conspiciuntur.

Cf. *Guérin*, Galilée I. 118-121; *Baedeker-Benzinger*, Pal. u. Syrien *ed.* 5 p. 271; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 83. 84; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XV. 1892 p. 111; XVI. 1893 p. 55; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. p. 182; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 III. 117; *Zunecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 624 s.; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 216. — Dubium movet *F. de*

Hummelauer (Comm. in Ios. p. 393), referaturne nomen Endor Ios. 17,11 ad illam Endor prope montem Thabor, quae in textu parallelo Iud. 1,27 non legitur et coniicit prope Dor urbem aseriticam fuisse fontem et vicum nomine ʿAin Dor seu Endor et Manassaeis obligisse non solum urbem aseriticam Dor, sed etiam fontem et vicum Endor prope Dor.

ENGADDI (עֵין גֶּדִי i. e. fons hoedi, Ἐγγαδδί plerumque saltem) urbs primitus erat Amorrhaeorum, quos Chodorlahomor devicit (Gen. 14,7), antiquo nomine appellata Asasonthamar (חֲצַצֹן תָּמָר, חֲצֵצוֹן תָּמָר i. e. amputatio palmae; Ἀσασονθαμάρ, Ἀσασὰν Θαμάρ cf. 2 Par. 20,2); postea nomine Engaddi inter urbes deserti Iuda recensita (Ios. 15,62), mari Mortuo adiacens (Ez. 47, 10). In deserto Engaddi David fugitivus delitescebat (1 Reg. 24,1. 2) super faciem rupium ibicum (hebr.) i. e. super petras solis ibicibus pervias (Vulgata), quod etiam intellegi potest nomen proprium utique a loci natura derivatum (*F. de Hummelauer* in h. l.). Illuc Ammonitae, Moabitae, Edomitae convenerunt contra Iosaphat regem Iuda (2 Par. 20,2), ut inde per clivum Sis (20,16) Ierusalem versus ascenderent. De vineis Engaddi loquitur sponsa Cant. 1,13 [14], de palmis Engaddi fortasse Eccli. 24,18 [14] : quasi palma exaltata sum in Cades (ἐν αἰγιαλοῖς). Teste Flavio Iosepho (Ant. IX. 1,2) crescunt illic palmae pulcherrimae et opobalsamum. Plinius (V. 17,73) vocat Engada oppidum secundum ab Hierosolymis fertilitate palmetorumque nemoribus. Apud Eusebium et S. Hieronymum (Onom. *ed. Lag.* 254,66; 119,12) dicitur vicus pergrandis iuxta mare Mortuum, unde et opobalsamum venit. — Hodie *ʿAin Djidī* fere in medio litore occidentali maris Mortui ad radicem rupium, quae 20 fere minutis a litore distantes praerupte in altum assurgunt; fons, a quo nomen loci, ex altitudine 65 m quasi per varios gradus descendit et antiquitus hortos, palmeta, vineta irrigabat.

Flavius Iosephus asserit (Ant. IX. 1,2) Engaddi ab Hierosolymis 300 stadia distare; de qua assertione cf. *Relandum*, Pal. p. 449. S. Hieronymus (in Ez. 47, 10) videtur Engaddi ibi collocare, ubi aquae Iordanis plane cum mari Mortuo miscentur, ita ut fluvius dici possit finiri et consumi; sed eius verba obscuriora sunt. Vide etiam s. v. BENEDICTIONIS VALLIS.

Cf. *G. A. Smith*, Historical Geography of the Holy Land p. 269 s.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 384-386; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 41. 164. 165; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 110. 111; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 64. 77. 106; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 283; *Duc de Luynes*, Voyage d'exploration à la mer Morte I. 83 ss.; *Thomson*, The Land and the Book I. 312 ss.; *Baedeker-Benzinger*, Pal. und Syrien *ed.* 5 p. 198.

ENGALLIM (עֵין־עֶגְלַיִם i. e. fons duorum vitulorum; Ἐναγαλλείμ) legitur Ez. 47,10 una cum Engaddi; hi duo termini in litore maris Mortui a propheta statuuntur, inter quos piscatores sagenas suas extendent ad plurimas species piscium ibi capiendas, ubi antea mortis imperium longe lateque extendebatur. S. Hieronymus in Ez. 47,10 notat : « Engallim in principio est maris Mortui, ubi Iordanes ingreditur ». Fortasse *ʿAin Feshkha* i. e. fons stercoris in superiore litore occidentali maris Mortui ex humo palustri inter canneta prosiliens; aliquae ruinae fonti adiacent. Hic situs contextui Ez. 47,10 omnino congruere videtur.

ENGANNIM (עֵין־גַּנִּים i. e. fons hortorum).

1. Urbs tribus Iuda in superiore parte Sephelae sita (Ios. 15,34). Textus LXX ita corruptus est, ut nomen discerni vix possit; Vulgata : Aengannim. Hodie *Khirbet Umm Djīna* prope *ʿAin Shems* (Bethsames 1) occidentem versus.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 42; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 323; *Legendre* apud *Vigouroux*. Dict. de la Bible II. 1802; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I et IV; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 195.

2. Urbs tribus Issachar (Ios. 19,21 : Ἰεὼν καὶ Τομμάν, A Ἰνγαννίμ), filiis Gerson levitici generis tradita (Ios. 21,

29; LXX πηγὴ γραμμάτων). Probabilius haec Engannim est illa domus horti 4 Reg. 9,27) inter Iezreel et ascensum Gaver sita (vide s. v. GAVER). Praeterea dubium est, sitne Anem eadem urbs atque Engannim (v. ANEM). Apud Flavium Iosephum Engannim est Ginaea (*ed. Niese* κώμης Γιναῆς et Γηνεώς) in confinibus Samariae et Magni campi sita (Ant. XX. 6,1; Bell. iud. III. 3,4). Hodie vocatur *Djenīn*, qui vicus non multum supra duas horas a *Zer'īn* (Iezreel) meridiem versus distat. Antiqua traditio christianorum palaestinensium fert decem leprosos a Domino sanatos esse in hoc oppido (cf. Luc. 17,11); attamen dubitari potest de origine istius traditionis, siquidem Burchardus de Monte Sion describens Ginnin (*Djenīn*) oppidum muratum quidem, sed collapsum, situm in pede montis Elfraym (Quattuor peregrinationes medii aevi, *ed. Laurent* p. 52) eam prorsus tacet; iamvero iter Burchardi per Palaestinam anno 1283 factum est.

Notatu dignum est, quod *G. Maspero*, Sur les noms géographiques de la liste de Thoutmos III. qu'on peut rapporter à la Galilée, 1886, p. 9 probabile censet, nomen *Ganôtou Asnah*, hortos Asnah, esse novam designationem pro Engannim, praesertim cum *Asnah* (Vulgata: Asena) sit nomen viri (Esdr. 2,50).

Cf. *Robinson*, Pal. III. 385 s.; *Guérin*, Samarie I. 327-332; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 44. 45. 116; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 1. 55; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 161; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 202; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 583 s.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 III. 74 s.

ENHADDA (עֵין־חַדָּה i. e. fons acer seu velox; Αἰμαρέκ, Α Ἠναδδά) urbs tribus Issachar (Ios. 19,21). Fortasse *Kefr Adān* prope *Djenīn* (Engannim 2) inter septentrionem et occidentem.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 45; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1806; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 587.

ENHASOR (עֵין חָצוֹר i. e. fons pagi, πηγὴ Ἀσόρ), urbs munita Nephthali (Ios. 19,37). Censetur esse *Khirbet Ḥazīre*, quae ruinae sunt fere mediae inter Scalam Tyriorum (*Rās el-Nāqūra*) et lacum *Ḥūle*. Contra hanc opinionem iam a *Renan* propositam obiicit *Guérin* (Galilée II. 118), prope istas ruinas nullum fontem reperiri, a quo urbs nomen suum duxerit. Nihilominus plerique Enhasor cum *Kh. Ḥazīre* componunt (Exploratores anglici; *G. A. Smith*, *Legendre*, *Zanecchia*). Sed *F. de Hummelauer*, qui Ios. 19,35-38 interpretatur clenchum arcium Tyriorum per Galilaeam et transiordanicam, componit Enhasor cum villa Enan ad orientem *Bāniyās* (Caesareae Philippi).

Cf. *Renan*, Mission de Phénicie 1864 p. 674; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 204; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *Legendre*, Carte de la Palestine; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 708.

ENNOM vallis. **1.** Geennom i. e. vallis Ennom vocatur in S. Scriptura vallis « ex latere Iebusaei ad meridiem, haec est Ierusalem » (Ios. 15,8; 18,16; *latus Iebusaei*, hebr. כֶּתֶף יְבוּסִי, clivum australem collis occidentalis urbis hierosolymitanae videtur designare; v. IERUSALEM VI. 5); Ieremias eam dicit esse « iuxta introitum portae fictilis » (19, 2 שַׁעַר הַחַרְסִית; v. IERUSALEM V. 3). Terminus tribuum Iuda et Beniamin per hanc vallem ascendit « ad verticem montis qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem » (Ios. 15,8). Etiam post exsilium babylonicum filii Iuda dicuntur habitasse « *in* (hebr. *a*) *Bersabee usque ad vallem Ennom* » (Neh. 11,30; LXX ἐν Βηρσάβεε tantum). Sub impiis regibus Achaz, Manasse aliisque populus in hac valle in loco Topheth filios suos per ignem idolo Moloch immolaverunt (4 Reg. 23,10; 2 Par. 33,6; Ier. 32,35). Quare Iosias illam contaminavit (4 Reg. 23,10) et Dominus per Ieremiam gravissimam incolis cladem minatur, ita ut *vallis interfectionis* s. *occisionis* (גֵּיא הַהֲרִיגָה) appellanda foret (Ier. 7,31 s.; 19,2. 6; cf. 31,39).

Nomen quo hisce in locis vallis appellatur est *Geennom* (Ios. 15,8; 18,16), *vallis Ennom* (גֵּי־הִנֹּם [s. גֵּיא־]; φάραγξ Ὀνόμ B, φ. Ἐννόμ A; etiam Γαίεννα B Ios. 18,16, Γαὶ Ὀννόμ A ib.), vel *vallis* (s. convallis) *filii Ennom* גֵּי בֶן־הִנֹּם [s. גֵּיא]; φάραγξ υἱοῦ Ἐννόμ; semel γὲ βανὲ Ἐνόμ B, γῆ Βεεννόμ A 2 Par. 33,6, ubi Vulgata *vallis Benennom*. 4 Reg. 23,10 *Kethib* habet גֵּי בְנֵי ה״, ubi *Qeri* גֵּי בֶן ה״ cum LXX Peshitta, Vulgata postulat), et semel in sola Vulgata *vallis filiorum Ennom* (Ios. 18,16). Etiam *convallis*, הַגַּיְא sine addito (Ier. 2,23; cf. *porta vallis*, שַׁעַר הַגַּיְא, de qua v. IERUSALEM V. 3) et *vallis cadaverum et cineris* (עֵמֶק הַפְּגָרִים וְהַדֶּשֶׁן Ier. 31,39) vocatur. In N. T. nomen ex hac valle derivatum *gehenna* (γέεννα Matth. 5,22. 29 etc.) ad infernum designandum adhibetur, sicut גֵּיהִנֹּם in scriptis talmudicis; pariter auctor libri Henoch hanc vallem maledictam aeternumque maledictorum habitaculum vocat (c. 27,1; cf. 26,4). Fl. Iosephus vallem hanc nomine « vallis fontis » videtur designare (τὴν τῆς πηγῆς φάραγγα Bell. iud. V. 12,2 *Niese* 505).

2. Ex descriptione libri Iosue satis apparet, vallem Ennom illam esse quae latus australe et occidentale urbis hierosolymitanae attingit, quaeque hodie *Wādi el-Rabābi* appellatur; atque huic etiam geographus arabs *Idrīsī* c. a. 1154, et incolae hierosolymitani, saltem saeculo elapso, nomen *Wādi Djahannum* tribuunt (*E. Robinson*, Palaestina II. 38; *J. Gildemeister* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 127; sed cf. *T. Tobler*, Topogr. von Ierus. II. p. 17 n. 8). Ab hac opinione, quae hodie satis communiter admittitur, dissentiunt *Eusebius*, *S. Hieronymus*, *Eucherius*, Ven. *Beda* aliique scriptores, etiam arabes, qui vallem orientalem s. Cedron esse Geennom contendunt; quamquam S. Hieronymus in commentariis in Ieremiam 7,31 et 32, 35 (Migne 24,735 A. 897 D) vallem filiorum Ennom « subiacere Siloe fontibus » ab iisque irrigari dicit. — Ab opinione utraque dissentientes *R. J. Schwarz* et postea *W. F. Birch* aliique vallem Ennom intra moenia veteris urbis, scil. partem inferiorem vallis Tyropoeon fuisse censent; quod, licet nonnullis arriserit, parum solidis argumentis videtur innitli.

De aliis v. IERUSALEM II. 2. — Cf. *Eusebius-Hieronymus*, Onomastica sacra, *ed. P. de Lagarde* 300,13 ss. 128,9 ss.; *Eucherius*. De situ hierusolimitanae urbis, *ed. P. Geyer*, p. 127,9 ss.; *Ven. Beda*, De locis sanctis, ib. p. 309,9 ss.; *Fr. Quaresmius*, Elucid. T. S. IV. per. 7., c. 17 s., *ed. Venet.* II. p. 210-12: *I. Lightfoot*, Centuria chorographica Matthaeo praemissa c. 39; *H. Relandus*, Palaestina p. 353; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. II. 1 p. 155 s. 164 s.; *E. Robinson*, Palaestina II. p. 38-41 et p. 32, nota; *Rabbi J. Schwarz*. Das h. Land p. 189 s.; *T. Tobler*, Topogr. von Jerus. II. p. 39-50; *Liévin de Hamme*, Guide indicateur *ed.* 4, I. p. 420 s.; *D. Zanecchia*, La Palestina d'Oggi I. p. 341-8; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina u. Syr. *ed.* 5, p. 100-3; *W. F. Birch*, Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1882, p. 55; 1889, p. 38; 1893, p. 330; 1897, p. 72.

L. FONCK.

ENOCH (Iudas 14) v. HENOCH.

ENON vicus v. ENAN 3.

ENOS (אֱנוֹשׁ, Ἐνώς), filius Seth filii Adam, pater Cainan (Gen. 4,26; 5,6. 7. 9. 11; 1 Par. 1,1). Iste coepit invocare nomen Domini (Vulgata et LXX Gen. 4, 26; sed textus hebraicus, Samaritanus, Syrus : tum coeptum est; Chaldaeus erronee : tum profanatum est; cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.). Eidem vitae anni 905 adscribuntur (Gen. 5,11). In Vulgata Luc. 3,38 scribitur Henos.

ENSEMES (עֵין־שֶׁמֶשׁ, Vulgata interpretatur : Fons Solis; ἡ πηγὴ τοῦ ἡλίου, πηγὴ Βαιθσαμύς), fons per quem tendebat terminus aquilonaris Iuda (Ios. 15,7) et australis Beniamin (18,17); utroque loco recensetur inter fontem Rogel et ascensum Adommim, ordine utique inverso. A recentioribus agnoscitur esse *Ḥōḍ el-ʿAzarīye* seu *ʿAin el-Ḥōḍ* (gall. *la source de l'auge;* germ. Trogquelle), qui fons a christianis etiam fons Apostolorum dicitur et viginti minutis a Bethania Iordanem versus abest; aquae Ensemes igitur erunt *Wādi el-*

Ḥōḏ (vallis loci aquationis, quae vallis a fonte nomen habet).

Ab hac opinione satis communi recedit *I. P. van Kasteren*, qui fontem *ʿAin el-Rawābe* iuxta antiquam viam ierichuntinam reperit et hanc viam una cum *Wādi el-Rawābe* fuisse terminum inter Iuda et Beniamin suspicatur (Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890 p. 116); unde etiam *Buhl* (Alt. Pal. 1896 p. 98) putat Ensemes potius in *ʿAin el-Rawābe* quam in *ʿAin el-Ḥōḏ* quaeri debere.

Pro opinione communi cf. *Van de Velde*, Memoir p. 310; *Guérin*, Samarie I. 159. 160; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 42; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. p. 61; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 6; *Baedeker-Benzinger*, Pal. und Syrien *ed.* 5 p. 148 (cum dubio).

EPAENETUS (Ἐπαινετός), christianus quem S. Paulus salutat Rom. 16,5 : « dilectum mihi, qui est primitivus (seu primitiae) Asiae in Christo (melius : in Christum) ». Graecus textus receptus eum erronee vocat Achaiae primitias (cf. I Cor. 16,15). Asia intellegitur non tota Asia minor, sed romana provincia Asiae, cuius urbs praecipua erat Ephesus. In hac igitur provincia primus fuit, qui baptismo in Christum insereretur. Ex eo quod eius mentio fit immediate post Aquilam et Priscam (16,3), haud immerito concluditur eum ad fidem adductum esse ab Aquila et Prisca, qui iam ante tertium Pauli iter apostolicum Ephesi viam Domini diligentius exposuerunt (cf. Act. 18,24-26); eum etiam simul cum Aquila et Prisca Romam profectum esse valde probabile est. « Quidquid autem de hac opinione est », inquit *R. Cornely* ad Rom. 16,5, « moderni critici (*Weiss* etc.) profecto non nisi ridicule ex eo, quod Asianus fuerit, colligere volunt, eum etiam in Asia continuo habitasse pericopenque nostram Ephesiis esse destinatam, aeri Asianis Romam venire non licuisset aut Paulus singulorum quos nominat itinera indicare debuisset ». Epaenetus in Graecorum Menologiis commemoratur die 30. Iulii, in latinis die 15. Iulii.

EPAPHRAS (Ἐπαφρᾶς), Colossensis et ethnico-christianus (Col. 4,12; cf. 4, 11), quem S. Paulus describit carissimum suum conservum et fidelem pro Colossensibus ministrum Christi Iesu (1,7. 8). Haud dubie Epaphras ecclesiam fundaverat Colossis et probabilius etiam Laodiceae et Hierapoli (4,13), quae sunt urbes Phrygiae Colossis vicinae et in valle Lyci, qui in Maeandrum influit, sitae; istae ecclesiae faciem Pauli in carne nondum viderant (2,1). Epaphras se valde sollicitum exhibet pro istis tribus ecclesiis (4,12. 13) et S. Paulus Colossensibus contra fallacias philosophorum in memoriam revocat, quae ab Epaphra didicerant (1,7; cf. 2,6. 7). Unde apparet Epaphram propter istas turbationes ecclesiarum ad S. Paulum (Romam, ex opinione aliorum Caesaream) venisse neque rediisse, cum epistula per Tychicum Colossas mitteretur. A S. Paulo appellatur « concaptivus meus in Christo Iesu » (Philem. 23) i. e. qui sponte se Paulo adiunxerat in captivitate romana vel ex opinione aliorum caesariensi. — Sunt qui putent Epaphram esse eundem atque Epaphroditum (sed v. s. v.).

EPAPHRODITUS (Ἐπαφρόδιτος), christianus ecclesiae philippensis, quem S. Paulus describit « fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum et ministrum necessitatis meae » (Phil. 2,25). Is apostolo in captivitate romana degenti dona Philippensium attulerat et gravi morbo Romae vix superato epistulam S. Pauli Philippos rediturus secum asportavit (Phil. 2, 25-30; 4,10-18). — Valde improbabile est Epaphroditum eundem esse atque Epaphram. Nomen Ἐπαφρόδιτος, Ἐπαφρόδειτος (Venustus) erat satis frequens (*Tacit.* Ann. 15,55; *Suet.* Domit. 14; *Flav. Ioseph.* Vita 76). Epaphras erat Colossensis, Epaphroditus ad ecclesiam Philippensium pertinebat. Gratuito denique asseritur S. Paulum in epistula ad Coloss. usum esse forma nominis abbreviata, in epistula ad Philipp. forma plena et longiore.

EPHA (עֵיפָה; Γεφάρ, Γαιφά). 1. Primus inter filios Madian enumeratus (Gen. 25,4; I Par. 1,33); populus Epha

negotiationem exercens, camelis abundans, aurum et thus ex Saba i. e. Arabia felice afferens nominatur Is. 60,6 una cum Madianitis, qui in litore orientali sinus Aelanitici habitabant, Cedarenis, qui greges pascebant inter Syriam et Babyloniam, et Nabataeis (Nabaioth) ismaeliticis eandem fere regionem incolentibus. *Delitzsch* (Paradies p. 304) et *Schrader-Whitehouse* (Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 132. 133) ex inscriptionibus cuneiformibus pro comparatione afferunt *Hajapa, Haipa*, quae est tribus Arabiae septemtrionalis frequenter commemorata; *Halévy* etiam putat Epha nomen personae legendum esse in inscriptionibus Safa (cf. *Dillmann* ad Gen. 25,4).

2. Epha concubina Caleb filii Hesron (1 Par. 2,46); v. CALEB 2.

3. Epha in genealogia Iuda recensetur quintus filius Iahaddai (1 Par. 2,47); cuiusnam filius Iahaddai fuerit tacetur.

EPHEBIA v. GYMNASIUM.

EPHER (עֵפֶר). **1.** Secundus inter filios Madian enumeratus (Gen. 25,4 Ἀφείρ, Vulg. Opher; 1 Par. 1,33 Ὀφέρ). Sedes posterorum Epher pro certo assignari nequeunt. *Delitzsch* et *Dillmann* ad Gen. 25,4 *Wetzstein* secuti pro comparatione adducunt *ʿOfr*, qui locus est inter *Abān* et montes *Tihāma*, a quo tota circum regio nomen *Nedjed ʿOfr* habet. Antiquiorem opinionem de tribu quadam arabica *Ghifār*, quod nomen ad עֵפֶר quam maxime accedit, *Dillmann* l. c. reprobandam esse censet.

2. Filius Ezra cuiusdam ignoti in genealogia Iuda (1 Par. 4,17; LXX Ἄφερ).

3. Unus ex principibus cognationum Manasse ab oriente Iordanis (1 Par. 5, 24; LXX. Ὀφέρ).

4. Epher terra (אֶרֶץ הֵפֶר, ἡ γῆ Ὀφέρ) una cum urbe Socho constituebat praefecturam salomonicam tertiam a Benhesed in Aruboth administratam (3 Reg. 4,10). Urbs principalis terrae Epher videtur esse urbs illa Opher (הֵפֶר, Ὀφέρ), cuius regulum chananaeum Iosue percussit (Ios. 12,17). Iamvero urbes Ios. 12, 17. 18 enumeratae merito accensentur urbibus Chanaan meridionalis vel rectius Chanaan mediae; inseruntur enim post urbes in Chanaan meridionali expugnatas Ios. 12,10 s. et ante urbes Chanaan septemtrionalis Ios. 12,19 s. Unde probabilissimum fit urbem Socho una cum terra Epher coniunctam non esse illam Socoth montis Iuda (Ios. 15,48; hodie *Shuweike* infra Hebron), sed potius alteram Socho in campestribus Iuda (Ios. 15,35; *Shuweike* in septemtrionali parte Sephelae). Terra Epher igitur in septemtrionali parte Sephelae quaerenda est; desunt autem ulteriora vestigia nominum Epher (Opher) et Aruboth (אַרְבֹּת, Ἀραβώθ).

EPHES DAMMIM v. PHESDOMIM.

EPHESUS (Ἔφεσος), metropolis Ioniae, sita ad ostium Caystri fluminis et mare Icarium inter Smyrnam et Miletum; ab anno 41 a. Chr. et deinceps sub Romanorum erat imperio et evadebat caput Asiae proconsularis. Portu duplici instructa urbs frequentissimo commercio celebris erat, sed multo magis celebris templo Dianae quod inter septem mundi miracula recensebatur. Templum antiquum Herostratus, ut nomen suum eo facinore innotesceret posteritati, incenderat anno 355 a. Chr., et partim flammis absumptum est, at mox splendidius instauratum. Colebatur in eo ἄγαλμα διοπετές, simulacrum quod caelitus delapsum esse ferebatur, confectum ex ligno cedrino (*Vitruvius* 2, 9) vel viteo (*Plinius* XVI 40,213) et auro obductum (cf. *Xenoph.* Anab. 5,3. 12), quo Diana repraesentabatur dea multimammia. Ad eius cultum undique homines maxima frequentia confluebant. Urbs ipsa gerebat honoris titulum νεωκόρος τῆς μεγάλης Ἀρτέμιδος, cultrix magnae Dianae, quia in ea eximius cultus Dianae constitutus erat. Templum eius imitatione exprimebatur aediculis argenteis, quae argentariis non modicum praestabant quaestum (Act. 19,24. 35). Paulus apostolus, cum in secundo itinere apostolico a Corintho in urbem Ierusalem proficisceretur, devenit Ephesum cum Priscilla et Aquila et ingressus synagogam disputabat cum Iudaeis; mox tamen reliquit Ephesum; remanserunt autem Priscilla et Aquila,

quibus sese adiunxit Apollo, vir eloquens et potens in Scripturis. Ita semina rei christianae Ephesi iacta sunt (Act. 18, 19 ss.), quae maxime exculta sunt ab apostolo Paulo cum is in tertio suo itinere apostolico plus duobus annis Ephesi moraretur (cf. Act. 19,1 ss.), ita ut omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Iudaei atque gentiles. Praedicatio apostoli insignibus quoque miraculis a Deo commendabatur et verbum Dei fortiter crescebat et confirmabatur (Act. 19,11. 12. 20. 26) et ipse apostolus testatur Ephesi sibi apertum esse ostium magnum et evidens, sed simul adversarios esse multos (1 Cor. 16,9). Quorum furorem expertus est in persecutione quam Demetrius argentarius suscitavit, quia praedicatione Pauli imminutus esset cultus Dianae et argentariis lucrum ereptum (Act. 19,24 ss.). Apostolum in fundanda ecclesia ephesina plurima expertum esse pericula satis indicatur cum scribat se Ephesi ad bestias pugnasse (1 Cor. 15,32), se talem subiisse in Asia tribulationem, ut supra modum gravatus esset et iam de vita desperasset (2 Cor. 1,8 graece). Cum postea apostolus a Graecia in Ierusalem iter faceret, Ephesum quidem transnavigavit, at a Mileto mittens Ephesum vocavit maiores natu ecclesiae eosque de periculis imminentibus edocuit. Ex captivitate romana epistulam dedit ad Ephesios. Post eam consuluit eidem Ecclesiae tum sua ipsius praesentia tum per Timotheum quem ibi reliquit, ut haereses nascentes supprimeret, tum per Tychicum quem in secunda captivitate romana Ephesum misit (1 Tim. 1,3; 2 Tim. 1,18; 4,12). Quae fuerit conditio ecclesiae ephesinae tempore Domiliani discimus Apoc. 2,1-7. Quod eo loco apostolus minatur : « movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris », postea in urbe impletum est; hodie enim urbs plane destructa est; prope eius ruinas non exstat nisi vilis pagus *Ajasoluk* nomine.

I. KNABENBAUER.

EPHI vide s. v. MENSURAE.

EPHOD (אֵפֹד, Σουφί), pater Hanniel ex tribu Manasse (Num. 34,23).

EPHOD אֵפוֹד, אֵפֹד : LXX et Vulgata modo vocem retinent Ἐφώδ, Ἐφούδ, modo eam explicant ἐπωμίδα, superhumerale, humerale. Ephod summi sacerdotis ex auro, purpura, cocco et bysso artificiose contextum erat; cf. Ex. 28,6 s.; ephod aliud quod sacerdotes reliqui gestabant (1 Reg. 22,18), Samuel ministrans coram arca (1 Reg. 2,18) et ipse quoque David, cum coram Domino sacrum duceret chorum (2 Reg. 6,14; 1 Par. 15,27), erat lineum. Constabat ephod duabus plagulis et induebatur fere sicut casula nostra sacerdotalis, cui satis simile erat; carebat manicis; duae illae plagulae in partem corporis anteriorem et posteriorem dependentes in humero fibulis connexae erant, corpori autem cingulo adstringebantur (Ex. 29,5). Ad divinum responsum exquirendum David iubet pontificem applicare ephod (1 Reg. 23,9; 30, 7) i. e. induere ephod et per Urim et Thummim consulere Dominum. Nam in ephod pontificis, in parte anteriore habebatur ornamentum pectorale (Vulgata : rationale) forma quadrata ex opere plumario factum mensuram habens palmae et duodecim gemmis, quibus nomina tribuum insculpta erant, insignitum; in eo ponebatur doctrina et veritas i. e. Urim et Thummim (latior eius ornamenti descriptio modique quo cum ephod iungebatur legitur Ex. 28,15-30). Eodem autem modo divinum responsum ut expetatur praescribitur Num. 27,21 hebr. — Ex spoliis Madianitarum Gedeon confecit ephod (Iud. 8,27). Proprietate vocis retenta cogitandum erit de veste sacerdotali valde pretiosa, uti ex v. 26 patet. Ephod confecisse videtur Gedeon in memoriam victoriae et tamquam sacrum quoddam donarium. Alii eo simulacrum designari volebant (uti eo loco iam vertunt Syrus et Arabs) ita ut statua vel simulacrum ab amictu aureo vel argenteo tamquam a vestimento quodam nominaretur (*Gesenius*, Thes. p. 135). Verum id a notione vocis longius recedit; neque obstat quod dicitur l. c. : et posuit illud in civitate sua Ephra; nam verbum idem hebr. וַיִּצֻּנֵהוּ dicitur 6,37 de vellere expandendo in area. Praeterea etiam 17,3-5 praeter ephod mentio fit sculptilis et

theraphim; ergo ephod non intellegitur simulacrum. Cum ephod esset vestis sacerdotalis et adhiberetur a pontifice ad divinum responsum exquirendum, facile evenire poterat, ut Israelitae ephod illud a Gedeon confectum superstitiose venerarentur (cf. *de Hummelauer* ad Iud. 8,27).

I. KNABENBAUER.

EPHRA. 1. Ephra (עָפְרָה, Ἐφραθά, sed apud *Flav. Ios.* Ant. V. 6,5 Ἐφρά), urbs familiae Ezri seu rectius Abiezritarum, civitas patria Gedeonis; ibidem Gedeon in sanctuario suo ephod illud constituit, quod postea occasio superstitionis ac ruinae factum est; ibi etiam sepultus est in sepulcro Ioas patris sui (Iud. 6,11. 24; 8,27. 32; 9,5). Ut ex contextu apparet, sita erat Ephra in sorte cisiordanica seu occidentali tribus Manasse idque confirmatur Ios. 17,1. 2. De situ accuratiore nonnisi coniecturae exstant. *L. Heidet* (apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1870) situm quaerit in *Wādi Fara'a* haud procul a *Tallūza* in vicinia Sichem.

2. Ephra (עָפְרָה, Γοφερά) 1 Reg. 13,17 eadem urbs esse censetur atque Ophera tribus Beniamin Ios. 18,23), Ephraim (2 Reg. 13,23), Ephron (2 Par. 13,19), Aphairema (1 Mach. 11,34 graece), Ephrem (Io. 11,54), nunc *el-Ṭaiyibe* prope *Beitīn* (Bethel) inter septemtrionem et orientem. Contextus 1 Reg. 13,17 omnino indicat viam Ephra, qua Philisthaei ex castris in Machmas positis palabantur, a Machmas septemtrionem versus quaerendam esse. Cf. *F. de Hummelauer* ad h. l. et *Guérin*, Judée III. 45-51.

EPHRAIM (אֶפְרַיִם, Ἐφραίμ).

1. Ephraim filius natu minor Ioseph patriarchae ex Aseneth filia Putiphare in Aegypto genitus ante septem annos famis; eius frater primogenitus erat Manasse (Gen. 41,50; 46,20. 27). Nomen filii minoris pater vocavit Ephraim i. e. *fertilitas duplex* dicens : Crescere me fecit (הִפְרַנִי) Deus in terra paupertatis meae (Gen. 41,52). Primum indicium superioritatis, qua Ephraim posteriore tempore Manassen primogenitum antecedebat, habetur in benedictione, qua Iacob aegrotans Ephraim et Manassen in filios sibi adoptat et invito Ioseph fratrem natu minorem maiori praeponit, videlicet commutatis manibus dexteram illi imponens, qui a sinistra adstabat, sinistram illi qui a dextera adstabat (Gen. 48,1-20). Ante mortem Ioseph patriarchae familia Ephraim iam usque ad tertiam generationem propagata erat (Gen. 50,22 [23]). Ex vita Ephraim id unum traditur, quod filios suos, qui in campestria descenderant ad capienda pecora, a viris Geth occisos multis diebus luxit; unde ad uxorem ingressus filium ex ea susceptum vocavit Beria, eo quod in malis (בְּרָעָה) domus suae ortus esset (1 Par. 7,21-23); sed notatu dignum est inter posteros huius Beria eminere Ephraimitam celeberrimum Iosue filium Nun (1 Par. 7,27). Praeterea ex toto contextu 1 Par. 7,21-23 eruunt recentiores multo tempore ante Exodum Moysis coloniam Hebraeorum in Palaestina fuisse; cf. *De Moor* in Revue biblique I. 1892 p. 407. 408; Science catholique 1894 p. 713. Sed faciliorem eiusdem narrationis explicationem praebet *F. de Hummelauer*, Comment. in Numeros p. 182 : « Quo tempore Ioseph a Pharaone summo honore habebatur... bene potuit Pharao Ephraim filium Iosephi constituere cuiusdam in Iudaea urbis praefectum ducemque expeditionis praedatoriae in Gethaeos suscipiendae, cum exercitu non necessario e solis Hebraeis collecto..... Haec hypothesis plenam rationem reddit verbi *descenderunt* neque opus est alia effingere de Hebraeis palaestinensibus praemosaicis ». Genealogia Ephraim traditur Num. 26, 35-37; 1 Par. 7,20-28.

2. Ephraim tribus Israel. Termini Ephraim Ios. 16,1-8 describuntur. Ac primum quidem 16,1-4 describitur terminus australis territorii Ioseph (Ephraim et Manasse) a Iordane et aquis Iericho per Bethel, Luzam, Bethhoron inferiorem et Gazer usque ad mare. Deinde 16, 5-8 secundum *F. de Hummelauer* (ad Ios. 16,1 ss.) habetur descriptio mutila finium Ephraim, in qua desideratur terminus orientalis et prior pars termini australis, describitur autem altera pars termini

australis usque ad mare et terminus aquilonaris, qui a puncto fere medio, Taphua prope Sichem, oblique deducitur primum ad Iordanem, postea ad mare. Idem interpres Ios. 16,9 cernit urbium Ephraim elenchum mutilum vel potius solam inscriptionem elenchi, qui e textu exciderit; in qua inscriptione affirmantur urbes Ephraim detractae esse ex possessione Manasse, quia scilicet pridem totius domus Ioseph, cuius primatum obtinebat Manasse primogenitus, una fuerat possessio, a qua postmodum urbes Ephraim propriae separatae sunt. Accedit enumeratio possessionum Ephraim 1 Par. 7,28 et descriptio confinium Ephraim et Manasse Ios. 17,7-10. Orientem territorii Ephraim terminat Iordanis fluvius, meridiem tribus Beniamin et Dan, occidentem extremitas Dan, brevis tractus orae maritimae et extremitas Manasse, septemtrionem Manasse. Flavius Iosephus (Ant. V. 1,22) tribum Ephraim porrectam esse dicit a Iordane fluvio usque ad Gazaram (ἄχρι Γαζάρων *ed. Niese*) et a Bethel usque ad campum magnum; quodsi Iosephus campum magnum, ut alias, intellegit planitiem Esdrelon, terminum septemtrionalem non recte indicavit; eo usque enim Manasse, non Ephraim extendebatur.

Tribum Ephraim quoad maximam partem montana implent. Unde valles torrentibus rivulisque irrigatae abundant; imprimis fertilissimae sunt valles, quae occidentem versus in planitiem Saron descendunt. Fertilitati terrae addebatur securitas ab hostium incursionibus maxima, cum ex nulla parte aditus facilis in montana Ephraim pateret. Ceterum vide infra (n. 3. Ephraim mons).

In historia Israelitarum tribus Ephraim maiores partes egit et nonnisi a tribu Iuda potestate et auctoritate superatur. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Elisama filius Ammiud (Num. 1,10). Apud montem Sinai de Ephraim numerabantur 40500 viri bellatores (Num. 1,32. 33), postea in campestribus Moab 32500 tantum (26, 37), quo numero soli Simeonitae inferiores erant. In castris Ephraim cum Manasse et Beniamin ad occidentalem plagam tabernaculi erat (2,18-24); eaedem tribus in ordine itineris tertio loco proficiscebantur (10,22-24; cf. Ps. 79 [80], 3). Oblationes Elisama principis Ephraim in dedicationem altaris die septimo factae sunt ante oblationes filiorum Manasse, quibus dies octavus obtigit (7,48-53). Inter duodecim exploratores a Moyse in terram Chanaan missos eminet decus et ornamentum tribus Ephraim, Osee filius Nun, a Moyse appellatus Iosue (13,9. 17; 14,6). Inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos praeter Iosue erat Camuel filius Sephthan de tribu Ephraim (34,17. 24). Post ingressum in terram promissam Ioseph (Ephraim et Manasse) cum Simeon, Levi, Iuda, Issachar, Beniamin benedictionem in monte Garizim pronuntiarunt (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,12). Hereditatem cisiordanicam primae ingressae sunt tribus Iuda et Ioseph (Ephraim et Manasse), post illas septem reliquae (Ios. cpp. 15; 16; 17; 18). Levitis de stirpe Caath in Ephraim concessae sunt Sichem urbs confugii, Gazer (Gazara), Iecmaam (seu Cibsaim), Bethoron (Ios. 20, 7; 21,5. 21; 1 Par. 6,66. 67 hebr. 6, 51. 52).

Hucusque Ephraim et Manasse frequenter coniunctim nominantur et communi nomine Ioseph reliquis tribubus opponuntur (Gen. 49,22; Deut. 33,13; Ios. 17,14-18; 18,5; Iud. 1,22) ac domui Ioseph etiam ceterae generationes filiorum Ioseph accensentur (Gen. 48,6); immo etiam post distinctionem possessionum (Ios. 21,5) filii Ephraim cum filiis Manasse mixtim habitabant; habebant enim urbes in medio possessionis Manasse (Ios. 16,9) et in confinibus urbs Taphua Ephraimitis adscribebatur, etsi terra Taphua Manassitarum erat (Ios. 17, 8 cf. text. hebr.). Attamen brevi postea Ephraim principaliores partes agere coepit. Erant enim in eius territorio Sichem, ubi Ioseph patriarcha sepultus est (Ios. 24,32) et omnis Israel congregari consuevit (Ios. 24,1; 3 Reg. 12,1), Silo sedes arcae foederis et centrum religiosum Israel usque ad mortem Heli (Ios. 21,2; Iud. 18,31; 1 Reg. 1,3; 3,21; 4,3; Ier. 7,12; Ps. 77,60), praeterea

Thamnathsare urbs Iosue (Ios. 19,49) et Gabaath Phinees urbs Eleazari filii Aaron, in qua et sepultus est (Ios. 24, 33). Multitudo populi tanta videtur fuisse, ut aliqui extra terminos Ephraim peregrini sedes quaererent (Iud. 19,16). Accedit quod Ephraimitae cum tribubus fortissimis Manasse et Beniamin intime coniuncti erant; cf. supra et 2 Reg. 19, 20 ubi omnes tres nomine communi domus Ioseph comprehenduntur.

Statim ab initio Ephraimitis magna certamina subeunda erant cum Chananaeo (Ios. 17,14-18); sed cum populus multus et magnae fortitudinis essent, adeo praevaluerunt, ut Chananaeus in sola urbe Gazer seu in extremis finibus Ephraim tributarius habitaverit (Ios. 16, 10; Iud. 1,29; 3 Reg. 9,16). Egregiae fortitudinis ac roboris documenta Ephraimitae ediderunt tempore iudicum Aod (Iud. 3,27), Debborae (4,5; 5,14 cf. *F. de Hummelauer* in h. l.), Gedeonis (7, 24), Tholae (10,1). Praerogativam auctoritatis suae tanta aemulatione tuebantur, ut contra Gedeonem tumerent, quod in bello madianitico se contemptos putarent (Iud. 8,1-3); a Gedeone quidem blandis verbis demulsi sunt, sed eo mortuo totam fere eius domum exterminarunt (Iud. 9,1-5). Simili aemulatione adversus Iephte conquesti sunt se ad bellum contra Ammonitas non fuisse vocatos et cum illius verbis pacificis probra obiicerent, insigni clade a Iephte affecti sunt (Iud. 12,1-6).

Ephraim inter tribus Israel principatum tenebat tempore Samuelis, qui, etsi origine levita, tamen civili attributione erat Ephraimita (1 Reg. 1,1). Saul quoque ex ea tribu erat, quae cum domo Ioseph intime coniuncta erat. Unde facile intellegitur, cur Saule mortuo Ephraim cum reliquis tribubus Isboseth filium Saulis regem agnoverit contra David et domum Iuda (2 Reg. 2,9. 10). Occiso Isboseth inter quinquennium subsequens omnes reliquae tribus paulatim ad partes Davidis transierunt (2 Reg. 2,8-5,5) et cum David Hebrone rex ab universis tribubus agnoscêretur, de filiis Ephraim aderant 20 800 viri fortissimi robore (1 Par. 12,30). In aula regia duo Ephraimitae inter principes duodecim erant, qui singulis mensibus 24 millibus singuli praeerant (1 Par. 27,10. 14); eo tempore princeps tribus Ephraim erat Osee filius Ozaziu (1 Par. 27,20). Verum antiquae querelae virorum Israel contra viros Iuda revixerunt occasione triumphalis reditus Davidis in Ierusalem (2 Reg. 19,41-43). Salomone regnante Ieroboam Ephraimita rebellionem movebat et idem post mortem Salomonis ex Aegypto, quo aufugerat, redux a domo Iuda defecit ac regnum septemtrionale decem tribuum constituit (3 Reg. 11,26-12,20). Abhinc historia Ephraim est historia regni Israel; atque tanta erat auctoritas Ephraim in regno Israel, ut nomina Ephraim et Israel apud prophetas frequenter converterentur (Is. 7,2 s.; 11,13; Ier. 31,20; Ez. 37,16. 19; Os. 4,17; 5,3 s.; 6,4; 12,1 et passim).

Neque tamen desunt indicia unionem theocraticam cum Iuda saepius ab Ephraimitis saltem nonnullis renovatam esse. Asa in Iuda regnante etiam de Ephraim sicut de Manasse advenae in Ierusalem venerunt ad foedus theocraticum renovandum (2 Par. 15,9). Ezechias rex ad Phase in Ierusalem celebrandum etiam Ephraim et Manassen invitavit (2 Par. 30,1 s.) et apud illos quoque idola demolitus est (31,1). Post interitum regni Israel idola in urbibus Ephraim subvertit Iosias rex (2 Par. 34, 6) eique reliquiae de Ephraim sicut de aliis tribubus pecunias ad templum instaurandum subministrarunt (34,9).

In vaticinio Iacobaeo ad Ephraim potissimum referenda est benedictio illa longior et facundior in Ioseph pronuntiata, cuius progenies in duas tribus Ephraim et Manasse effloruit (Gen. 49, 22-26); triplex benedictio Ioseph concéditur : numerosae prolis, victoriae de hostibus, affluentiae bonorum; et eius principatus inter fratres explicite commemoratur, attamen non promittuntur Iosephi florentes permansurae res usque ad Messiae adventum (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.). Eadem efferuntur in benedictione Moysis (Deut. 33,13-17), quae apte concluditur verbis : « hae sunt multitudines (myriades) Ephraim et haec millia (chiliades) Manasse ».

3. Ephraim mons (Ios. 17,15; 20,7; 24,30. 33; Iud. 2,9; 3,27; 4,5; 7,24 etc.) est nomen regionis montanae, quae a planitie Esdrelon usque ad montana Ierusalem porrigitur. Etiam vocatur mons Israel (Ios. 11,16, 21). Opponitur monti Iuda (Ios. 11,21; 20,7). Limes inter montem Ephraim et montem Iuda certo assignari nequit; hoc tamen constat tribum Beniamin saltem quoad maiorem partem monti Ephraim accensendam esse; nam regio inter Rama et Bethel erat in monte Ephraim (Iud. 4,5), Seba Beniaminita erat de monte Ephraim (2 Reg. 20,1. 21). Unde limes assignari poterit mons *Nebī Samwīl* (895 m) aquilonem versus a Ierusalem situs. Mons Ephraim 3 Reg. 4,8 dicitur praefectura salomonica a Benhur administrata; quo loco intelleguntur sola montana tribus Ephraim tribu Beniamin exclusa, quippe quae propriam praefecturam (cf. 4,18) constituebat. In monte Ephraim speciatim recensentur mons Selmon prope Sichem (Iud. 9,48), montes Hebal et Garizim (vide s. v. GARIZIM), ille a septemtrione, hic a meridie vallis Sichem, mons Gaas, a cuius septemtrionali parte erat Thamnathsare urbs Iosue (Ios. 24, 30; Iud. 2,9), mons Amalec (Iud. 12,15), ubi Abdon iudex sepultus est in Pharathon (*Far'ata*) urbe haud procul Sichimis loppen versus sita, mons Semeron, apud quem Ieroboam I. ab Abia rege Iuda devictus est (2 Par. 13,4). Montes altissimi sunt Garizim (868 m), Hebal (938 m), *Tell 'Aṣūr* (1011 m). Fertilitas montis Ephraim effertur Ier. 50,19 et regionis circa Samariam Is. 28,1 s. Ipsa montana olivetis et ficetis consita sunt, valles torrentibus rivulisque irrigatae vinetis abundant et campos frumentarios efformant; occidentem versus ubi montana paulatim in planitiem Saron descendunt, pinguedo soli augescit; orientem versus, ubi montana praerupte in depressionem Iordanis descendunt, valles sunt breviores et steriles. Cf. *Stanley*, Sinai and Palestine p. 229. 234. 235. Hanc opulentiam atque abundantiam domui Ioseph praedixerat Iacob in benedictione sua Gen. 49,22 : « Filius accrescens Ioseph, filius accrescens et decorus aspectu, filiae discurrerunt super murum » etc. (cf. *F. de Hummelauer* in h. l.) et Moyses Deut. 33,13-17.

4. Ephraim saltus (2 Reg. 18,6). Absalom in terra Galaad castra posuerat (2 Reg. 17,26), David in Mahanaim (17,24. 27 hebr.); exercitus Davidis ab urbe egressus est in campum et factum est proelium in saltu Ephraim (18,6). Ergo saltus Ephraim non cis Iordanem quaerendus est (cum *Keil* in h. l. et *Winer*), sed trans Iordanem, ubi rex adhuc versabatur (cf. 19,15). Nomine Ephraim hunc saltum designari aliqui putant, quod reapse aliquo modo ad tribum Ephraim pertinuerit (*Vatablus* ad h. l.), alii quod ibi Ephraimitae a Iephte insignem cladem (Iud. 12,4) acceperint (*Tirinus* ad h. l.), alii quod hic saltus e regione oppositus sit termino septemtrionali montis seu tribus Ephraim (*Mühlau*), alii quod in hoc ipso proelio Ephraimitae principalior pars exercitus Absalomis fuerint et clade sua originem novo nomini dederint (*Grove-Wilson*), alii aliter v. g. a vicinitate urbis Ephron (v. EPHRON 4) vel a colonia quadam Ephraimitarum in Galaad (*A. Henderson*).

Cf. *Winer*, Bibl. Realwb. *ed.* 3 I 334. II. 675; *Mühlau* apud *Riehm-Baethgen*, Handwb. des bibl. Altert. I. 405; *Grove-Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible I. 976; *A. Henderson* apud *Hastings*, Dict. of the Bible I. 728 provocans ad Iud. 12,4.

5. Ephraim urbs (2 Reg. 13,23) v. APHAIREMA et BAALHASOR.

6. Porta Ephraim (4 Reg. 14,13; 2 Par. 25,23; Neh. 8,16; 12,39) est una ex portis urbis Ierusalem, sine dubio septemtrionem spectans, ut ex nomine concludere licet, fortasse eadem ac hodierna porta Damasci; cf. IERUSALEM V. 2.

EPHRATHA seu **EPHRATA** (אֶפְרָתָה et אֶפְרָת; Ἐφραθά et Ἐφράθ), secunda uxor Caleb (v. CALEB 2) filii Hesron, mater Hur (1 Par. 2,19. 24. 50; 4, 4). Hur autem dicitur pater Bethlehem 1 Par. 4,4; inde videtur explicari, cur incolae Bethlehem Ephrathaei appellentur (cf. Ruth 1,2; 1 Reg. 17,12) et ipsum oppidum Bethlehem eo designetur nomine (Gen. 35,16. 19; 48,7; Ruth 4,11; Mich. 5,2). Idem cognomen Ephrata

etiam alteri oppido esse attributum colligitur ex Ps. 131[132],6 : Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvae (בִּשְׂדֵי יַעַר). Intellegi campos silvae Cariathiarim, in cuius loco excelso arca Domini et sanctuarium erat (cf. 1 Reg. 7,1), certum est. Iamvero Sobal filius Hur et nepos Ephratae dicitur pater Cariathiarim (1 Par. 2,50) eodem modo, quo Hur et eius filius Salma dicuntur patres Bethlehem (1 Par. 2,51; 4,4). Unde inferre licet sicut oppido Bethlehem, ita huic quoque urbi Cariathiarim cognomen esse additum Ephrata.

Sunt etiam interpretes, qui putent Gen. 35,16. 19 et 48,7 Ephratam intellegi debere de Cariathiarim et additamentum illud, quo Ephrata 35,19 et 48, 7 de Bethlehem explicatur, esse glossam ex textu delendam; arguunt enim ex 1 Reg. 10,2 sepulcrum Rachel non prope Bethlehem fuisse, sed prope Ramam tribus Beniamim in via quae a Bethel ducit Ephratam i. e. Cariathiarim; sed haec ratio non videtur esse efficax (vide s. v. RACHEL).

Ephrataeus interdum quoque idem est ac Ephraimita (Iud. 12,5; 1 Reg. 1, 1; 3 Reg. 11,26).

EPHREE (חָפְרַע, Ὀυαφρῆ), filius Psammelichi II. (594-589), rex Aegyptiorum (589-570 a. Chr.) ex dynastia vigesima sexta (saitica) oriundus, a Manethone vocatus Uaphris, in monumentis aegyptiacis Uachabra, apud Graecos (*Herod. Diodor.*) Apries. Eius nomen in S. Scriptura nonnisi Ier. 44,30 occurrit, plura tamen de eo aliis locis habentur. Cum Nabuchodonosor Palaestinam invaderet, Hophra (Ephree) rex Aegyptiorum magno cum exercitu contra Babylonios profectus est atque effecit, ut ab obsidione urbis Ierusalem pro aliquo tempore recederent; quare Sedecias ultimus rex Iuda iugi babylonici impatiens iam opinabatur adesse opportunitatem Chaldaeorum dominationem evertendi atque idcirco legatos misit ad Ieremiam, ut apud Dominum intercederet (Ier. 37,3. 4). Verum Aegyptii proelio, ut videtur, a Babyloniis victi in terram suam redierunt; Ierusalem maiore impetu ab hostibus obsessa et expugnata est (Ier. 37, 5 s.; cf. Ez. 17,15 s.; 29,1 s.; 30,20 s.). Proelii istius inter Aegyptios et Babylonios, de quo in succincta narratione S. Scripturae nihil legitur, mentionem facit Flav. Iosephus (Ant. X. 7,3). Ceterum etiam post illam calamitatem, qua regno Iuda destructo Aegyptiis maius periculum imminebat, Ephree rex Iudaeis amicus erat eorumque fugitivos recepit in partes septemtrionales, immo etiam in interiores regiones Aegypti (Ier. 41,16-18; 43,1 s.). Quae cum contra mandatum Dei fierent, Ieremias Aegyptiis expugnationem per Nabuchodonosor et multiplicem ruinam annuntiare iubetur (Ier. 43,8 s.; cf. Ez. 29,17 s.). Non deerant qui contenderent haec oracula non fuisse impleta (*Duncker, Volney, Hitzig, Graf, Ebers*); tacent enim Herodotus et Diodorus de expugnatione et depraedatione Aegypti per Nabuchodonosor facta. At hodie ex monumentis aegyptiacis et babylonicis constat Nabuchonosor anno 37. regni sui (circa annum 568 a. Chr.) expeditionem in Aegyptum suscepisse et usque ad Syenen progressum esse (cf. *Wiedemann, Brunengo, Knabenbauer*). Quare testimonia Berosi et Megasthenis apud Flav. Iosephum (cont. Ap. 1,19. 20) de expeditione aegyptiaca Nabuchonosor plane fide digna sunt. Ex eo igitur quod Herodotus (2,161-163. 169) et Diodorus (1,68) testantur Apriem prospere regnasse et feliciter contra Sidonem, Tyrum, Cyprum dimicasse, argui nequit contra expeditionem aegyptiacam Nabuchodonosor.

De ultimis denique fatis huius regis exstat oraculum Domini : Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Aegypti in manu inimicorum eius et in manu quaerentium animam illius, sicut tradidi Sedeciam regem Iuda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui et quaerentis animam eius (Ier. 44, 30). Notandum est his verbis non praedici Pharaonem traditum iri regi Babylonis neque eum mortem vi illatam subiturum; poterat oraculum impleri ac Iudaeis signum et pignus exhiberi in insigni aliqua clade et calamitate. Iamvero secundum Herodotum (2,162 s.) et Diodorum (1,68) Apries postquam infe-

liciter contra Cyrenen apud vicum Irasa pugnavit, ab Amasi duce militari in vincula coniectus et throno spoliatus est, postea autem populo mortem eius importune postulante suffocatus. Verum haec narratio non satis concordat cum aliis testimoniis aegyptiacis, quibus probari videtur Amasin et Aprien simul in Aegypto regnasse. Unde versimile est Aprien insigni clade a Cyrenensibus inflicta coactum fuisse, ut Amasin in regni consortium assumeret. Per sex annos (570-564 a. Chr.) una videntur regnasse; ita enim discrimen annorum explicari potest, quo Herodotus ei annos regni 25, Africanus 19 assignat. Quo mortis genere Hophra (Ephree) interierit, in monumentis non proditur.

Cf. *Wiedemann*, Aegypt. Geschichte p. 636 ss.; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 308-322; *Knabenbauer*, Comm. in Ier. p. 494. 495; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. p. 244-253, qui Aprien a. 572 vel 571 mortuum esse dicit.

EPHREM legitur Ps. 77[78],9 pro Ephraim : Filii Ephrem (אֶפְרַיִם, Ἐφραΐμ) intendentes et mittentes arcum conversi sunt in die belli.

EPHREM (Ἐφραΐμ) urbs, ad quam Christus paulo ante passionem se recepit (Ioan. 11,54). Vide s. v. APHAIREMA et BAALHASOR.

EPHRON (עֶפְרוֹן, Ἐφρών). **1.** Ephron Hethaeus, filius Seor, qui Abrahae 400 siclis argenti vendidit agrum prope Mambre (Hebron) situm cum spelunca duplici, in qua Sara uxor Abrahae sepulta est (Gen. 23,8-17; 25,9; 49,29. 30; 50,13). Vide etiam HEMOR.

2. Ephron mons in confinibus tribuum Iuda et Beniamin inter fontem aquae Nephtoa (hodie *ʿAin Liftā*) et urbem Cariathiarim (hodie *Qaryat el-ʿEnab*) enumeratur (Ios. 15,9). Haud dubie designantur iuga montium, quibus ab oriente adiacet *Wādi Ḥanīnā* (vallis terebinthi ex opinione traditionis antiquae), a meridie via Hierosolymis Ioppen ducens (cf. *Dillmann* in h. l.). Alia suppositio, quam *Conder* (*Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1879 p. 95-99) defendit, Nephtoa esse Etam (*ʿAin ʿAtān*) et Cariathiarim esse *Khirbet ʿErmā* prope *Beit ʿAtāb*, vix probabilis dici potest.

3. Ephron urbs (*Kethib* עפרון, *Qeri* עֶפְרַיִן), quam Abia rex Iuda Ieroboam regi Israel eripuit (2 Par. 13,19); v. APHAIREMA et BAALHASOR.

4. Ephron urbs transiordanica, quam Iudas Machabaeus ab Astarothcarnaim iter Bethsan versus faciens expugnavit ac delevit (1 Mach. 5,46-52; 2 Mach. 12, 27). Priore loco describitur « civitas magna in ingressu posita, munita valde et non erat declinare ab ea dextra vel sinistra, sed per mediam iter erat ». Apud Flavium Iosephum (Ant. XII. 8,5) dicitur in via ita posita, ut in alterutram partem declinandi potestas non fuerit. Videtur itaque in angusta quadam valle fuisse. Fortasse eadem est ac Gephrus apud *Polyb.* V. 70,12. Situs ignoratur. A nonnullis censetur esse *Kefrendje* iuxta *Wādi ʿAdjlūn* (*Riess*, Bibel-Atlas), ab aliis magis septemtrionem versus quaeritur (cf. *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1892).

EPICURAEI (Ἐπικουρεῖοι), philosophi qui doctrinis ab Epicuro (qui natus erat 341 a. Chr.) et discipulis eius traditis addicti sunt. Cum apostolus Paulus Athenis commoraretur, aliqui ex his philosophis cum eo disserebant Act. 17, 18. Epicuraei contendebant animam simul cum corpore mori, summum hominis bonum esse voluptatem, quam Epicurus quidem teste Seneca (ep. 85,18) ex virtute natam esse voluit, sed quam plerique alii delectationibus corporis contineri et haberi malebant; nam ut idem advertit : non dico, quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse, sed illud dico : male audit, infamis est (Vit. beat. 13,1). Cum Epicuraei immortalitatem animi negarent, inter eos qui audientes resurrectionem mortuorum irridebant certe quam maxime isti erant. Ceterum de ea secta vide *Zeller*, Philosophie der Griechen III. 1 p. 363 ss.; praesertim p. 420. 446 (*edit.* 3); *M. Guyau*, La morale d'Epicure, Paris 1886.

EPIMENIDES, poeta cretensis, cu-

The Institute of Me... LIBRARY

ius verba allegat S. Paulus Tit. 1,12; cf. s. v. CRETA.

EPISCOPUS (ἐπίσκοπος). Ea voce redditur Neh. 11,22 פָּקִיד quae vox alias in Vulgata vertitur praepositus, praefectus cf. Gen. 41,34 et 4 Reg. 25,19 et apud LXX τοπάρχης, ἐπιστάτης. Munus vero vel officium eiusmodi magistratus vel praepositi dicitur פְּקֻדָּה quod vocabulum vertitur episcopatus Ps. 108,8, unde verba desumpta sunt Act. 1,20 : et episcopatum eius accipiat alter i. e. officium eius et munus accipiat alter, in locum ac munus quo ipse excidit alter eligatur. In Novo autem Testamento dicitur ipse Christus, Dominus et pastor bonus, episcopus animarum nostrarum 1 Petr. 2, 25 qui scil. nobis praepositus est nostrique curam gerit. Porro dicuntur episcopi qui ab apostolis constituti sunt praesides coetuum fidelium. Eos autem constitui ab apostolis mandato divino, impositione manuum qua gratia Spiritus sancti conferatur iisque veram competere potestatem regendi, indubie sacris litteris declaratur; ita enim eos alloquitur Paulus : attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (ποιμαίνειν, pascere, praeesse tamquam pastores, quae vox de imperio regis quoque usurpatur; cf. hebr. 2 Sam. 5,2; 7,7; Ps. 78,71 etc.); id munus autem conferri impositione manuum consequitur ex eo quod Paulus monet Timotheum, ne neglegat gratiam (charisma) quae ipsi data sit impositione manuum presbyterii; quo munere quae officia et iura contineantur quaeque in episcopis exigantur, in epistulis quas pastorales vocant satis describitur; cf. Act. 20,28; 1 Tim. 4,14; 2 Tim. 1,6; 1. Tim. 1,3; 3, 1-7; 4,11; 5,1 ss.; Tit. 1,5-14. Ipsos autem episcopos debere si opus est alios constituere episcopos vel presbyteros (nam utriusque nominis eadem est notio in sacris literis novi foederis) demonstratur rebus gestis et monitis apostoli; cf. Act. 14,22; Tit. 1,5 : reliqui te Cretae ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros sicut et ego disposui tibi. Atque eiusmodi praesides cum vera regendi potestate esse constitutos ex variis locis epistularum elucet; cf. 1 Thess. 5,12; Hebr. 13, 17; 1 Petr. 5,1-4.

I. KNABENBAUER.

EPISTULA. Commercii per epistulas facti vel nuntii aut mandati per epistulas missi rara est mentio tempore antiquiore. David scribit epistulam ad Ioab ducem exercitus eamque mittit per Uriam mandans in epistula, ut Urias percussus intereat (2 Reg. 11,14). Ioab autem non per epistulam sed per nuntium Davidi indicat se iussa fecisse. Quod David imperavit, secreto opus habebat. Iezabel scripsit litteras ex nomine Achab et signavit eas annulo eius et misit ad maiores natu et optimates, quibus indicavit qua ratione Naboth capitis damnandus sit 3 Reg. 21,8-10. Iehu litteras bis dedit ad optimates Samariae 4 Reg. 10,1. 6. Prophetas quoque per litteras munere suo esse functos, unum saltem exemplum refertur : Elias (Eliseus?) per epistulam reprehendit Ioram regem impium eique poenas a Domino infligendas annuntiat 2 Par. 21,12-15. Ezechias rex scribit epistulas ad Ephraim et Manassen, ut venirent ad domum Domini in Ierusalem et facerent phase; et insuper perrexerunt cursores cum epistulis a rege et principibus (cf. hebr. et graece) in universum Israel et Iudam, invitantes omnes ut redirent ad Dominum 2 Par. 30,1. 6-9. Cum Sedecias rex legatos mitteret ad Nabuchodonosor, per eosdem Ieremias misit epistulam ad exsules Ier. 29,1 s. Etiam exteros reges misisse epistulas refertur; ita Hiram regem Tyri ad Salomonem 2 Par. 2,11; regem Syriae ad regem Israel, qua indicat a se mitti Naaman ut a lepra curetur 4 Reg. 5,5; Sennacherib regem Assyriorum ad Ezechiam 4 Reg. 19,14; Is. 37, 14; ad eundem quoque Merodach Baladan 4 Reg. 20,12; Is. 39,1.

Frequentior usus litterarum reperitur tempore posteriore. Repetito in libro Esther epistularum est mentio quae mittuntur ad gentes varias scriptae prout quaeque gens legere poterat et annulo regio signatae et earum quoque exemplaria perscribuntur 1,22; 3,12; 8,5 s.; 9,20. 29; 13,1-7; 16,1-24. Item in libris

Esdrae et Nehemiae Esdr. 4,7. 11 s.; 5, 6; 7,11. Neh. 2,7; 6,5. 17. 19. Etiam frequentius epistulae commemorantur in libris Mach. Occasione data propter utilitatem et institutionem fidelium apostoli quoque scribebant epistulas et ad ecclesias et ad singulos quoque. Ut epistula Pauli a ficta et supposita possit discerni, Thessalonicensibus sua manu scribit in fine salutationem : salutatio, mea manu Pauli, quod est signum in omni epistula, ita scribo (2 Thess. 3,17; cf. Gal. 6,11); apostolum dictasse epistulas etiam patet Rom. 16,22 : saluto vos ego Tertius qui scripsi epistulam. Primo iam tempore inter Christianos epistulas commendatitias in usu fuisse, quibus inter se cognoscebantur et familiariter suscipiebantur, pariter discimus 2 Cor. 3,1.

Dum in epistulis temporis antiquioris solum paucis verbis argumentum indicatur, epistulae temporis posterioris multo magis accedunt ad formam epistularem quae inscriptione et salutatione continetur; v. g. Dario regi pax omnis (Esdr. 5,7); Rex maximus Artaxerxes... principibus et ducibus salutem (Esth. 13,1); Rex Antiochus senatui Iudaeorum et ceteris Iudaeis salutem (1 Mach. 11,27). Quam formam apostoli modo ad rem christianam maxime accommodato extulerunt : Paulus... Ecclesiae Dei... gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo.

I. KNABENBAUER.

EPISTYLIA. Ita in Vulgata vertitur 3 Reg. 7,6 hebr. עֵב, quam vocem LXX πάχος, Targum et recentiores limen explicant. Pariter in Vulgata 2 Par. 4,12. 13 redditur גֻּלּוֹת, LXX retinent γωλάθ, recentiores explicant de superiore parte columnae, quae in modum sphaerae, globuli formata sit, vel, ut aliis placet, in modum nodorum.

EPULARI ponitur in Vulgata haud raro, ubi in hebr. dicitur שָׂמַח laetari, gaudere; ita Deut. 12,12; 14,26; 16,11. 14; 26,11; 27,7 etc. epulari coram Domino i. e. laetari, cum laetitia diem agere festum coram sanctuario Domini; ponitur pariter pro חגג Ps. 41,5 (hebr. 42,5) sonus epulantis i. e. tripudium celebrantis diem festum. Ponitur quoque eadem ratione pro ἑορτάζειν 1 Cor. 5,5; sed frequentius pro εὐφραίνεσθαι; cf. Eccli. 39,37 (gr. 31); Luc. 12,19; 15,23. 24. 29. 32; 16,19; etiam pro ἐτρυφήσατε Iac. 5,5 epulati estis, uti Sap. 19,11 τρυφή, epulatio.

EQUUS. 1. *Nomen*. Equus hebraice communiter סוּס (aram. סוּסְיָא, assyr. *sīsū*) appellatur; nominis etymologiam aliqui, invitis philologis, a regione Susiana equorum patriae vicina, derivant, alii ignotam supponere malunt. Altero nomine פֶּרֶשׁ, Arabibus atque Aethiopibus cum Hebraeis communi, in S. Scriptura plerumque eques, sed etiam equus designatur (1 Reg. 8,11; 3 Reg. 5,6; Is. 21,7. 9; 28,28 Vulgata : ungula; Ioel 2,4 etc.); eius etiam vocis etymon a Persia ductum a philologis reicitur, alia vocis explicatione indubia non proposita. Nomen minus consuetum equi est רַכֶּשׁ, quod in Vulgata 3 Reg. 4,28 (hebr. 5,8) *iumentum* (Mich. 1,13 *stupor*) explicatur; etiam רֶכֶב, quod plerumque currum designat, aliquibus locis videtur potius equum significare (2 Reg. 8,4 Vulgata *iugalis;* 10,18 Vulgata *currus;* 1 Par. 18,4 Vulgata : *quadrigae*). — In antiqua lingua sumerica equus proprium nomen non videtur habuisse, cum asinus montium orientalium appelletur.

Cf. *Fr. Hommel*, Namen d. Säugethiere 44-46. 49. 53 s.; *id.* Die Semiten 1,402; *Th. Nöldeke* in Ztschr. d. D. Morg. Ges. XL 1886,719. 739; *O. Schrader* ap. *V. Hehn*. Kulturpfl. u. Hausth. *ed.* 6, 53 etc.

2. *Textus S. Scripturae*. Apud Israelitas equus in S. Scriptura usque ad tempora Davidis non memoratur. Prima eorum mentio tamquam de futura regum possessione in lege Deuteronomii occurrit, ubi respectu habito ad reges aegyptios prohibetur, ne rex constituendus multiplicet sibi equos (Deut. 17,16). Apud Aegyptios vero multo antea equorum mentio fit (Gen. 47,17; 50,9; Ex. 9,3 etc.), quibus praesertim ad bellum utebantur (Ex. 14,9. 23; 15,1. 21 etc.). Conformiter etiam ex monumentis anti-

quis apparet Aegyptios saltem inde a dynastia decima septima et sequentibus multos ac pulcherrimos equos habuisse, quamquam tempore anteriore iisdem videntur caruisse.

Populi vero chananaei, quibuscum Israelitae diu dimicabant, equis instructi erant, quibus praesertim ad trahendos currus bellicos utebantur (Deut. 20,1; Ios. 11,4 ss.; Iud. 4,3 ss.; 5,22 etc.); sed filii Israel ne equos proelio captos quidem sibi servabant, verum iussu Domini curribus igne combustis equos subnervatos ad cursum inutiles reddebant (Ios. 11,6. 9). Etiam Syri (2 Reg. 8,4; 3 Reg. 20,1. 20 ss.; 4 Reg. 6,14 ss. etc.) atque Babylonii et Assyrii (Is. 5,28; Ier. 6,23; 8,16; Ez. 26,7; Hab. 1,8 etc.), Macedones (1 Mach. 3,39; 6,35 etc.) aliique populi israelitici hostes, exceptis gentibus Arabiae septemtrionalis ac vicinorum desertorum (cf. Num. 31,32 ss.; Iud. 6,5; 1 Reg. 27,9; 1 Par. 5,21 etc.) semper praeter pedites etiam magnum numerum ex curribus et equis pugnantium ad bellum leguntur attulisse.

Israelitae autem sub regno Davidis equos alere coeperunt (2 Reg. 8,4; 15, 1), sed etiam tunc haud admodum magno numero, cum inter « principes substantiae regis David » praepositus super boves, camelos, asinos, oves, non vero super equos recenseatur (1 Par. 27,29-31). Sub Salomone vero eiusque successoribus tum reges, tum privati plurimos sibi equos comparabant (3 Reg. 4,26 ss.; 10,25 ss.; 18,5; Is. 2,8; 30, 16 etc.), eisque maxime ad usus bellicos, sed etiam ad trahendos currus (4 Reg. 9,21. 33) utebantur. In colendo autem agro bos primum locum servabat et rarius tantum equi opera videtur etiam in his laboribus pacis adhibita esse (cf. Is. 28,28). Unde etiam rex pacis non equo, sed pacifica asina vectus civitatem suam ingredi voluit (Zach. 9,9). In celeberrima quoque equi descriptione in libro Iob (39,19-25) potius usus bellicus equi respicitur (cf. *Homer.* Il. 6, 506-514; *Vergil.* Georg. 3,83 ss.).

Praestantissimi vero equi ex Aegypto adducebantur (3 Reg. 10,28 s.; 2 Par. 1, 16 s.; Is. 31,1; 36,9; Ez. 17,15), ubi equus tempore Salomonis centum quinquaginta siclis et quadriga sexcentis siclis constabat (3 Reg. 10,29; 2 Par. 1, 17); fortasse tamen regio, unde Salomon equos accipiebat, potius terra *Muṣri* in Syria septemtrionali prope Ciliciam intellegenda est, cuius nomine postea Miṣraim i. e. Aegyptus substituebatur (cf. AEGYPTUS). Maxime etiam equi Armeni celebres erant et de « domo Thogorma » Tyrum usque afferebantur (Ez. 27,14; cf. *Strabo* XI. 13, 7; 14,9; *ed. Cas.* 525. 529). Arabici autem equi, nostra aetate celeberrimi, neque in S. Scriptura neque in scriptoribus antiquis profanis memorantur (*Hehn* o. c. 28 s.), probabiliter quia soli fere Arabes regionum septemtrionalium et maritimarum antiquis noti erant (*Hommel,* Namen d. Säugeth. 46-8).

Praeter usum bellicum S. Scriptura de equis non ita multa refert. Commemorantur ungulae firmissimae equi, praesertim antiquitus maxime necessariae, cum nondum ferro protegerentur (Is. 5,28), flagellum quoque et frenum ad impellendum et regendum animal (Prov. 26,3; Iac. 3,3). Variorum quidem colorum equi memorantur, sed praecipue candidi aestimabantur (Apoc. 6,2; 19,11. 14 etc.), quibus etiam duces ac principes uti solebant (*Herod.* 9,62; *Verg.* Aen. 3,537 etc.). Ab impiis regibus equi iuxta morem paganum Medorum etiam in sacrificium Soli consecrati leguntur (4 Reg. 23,11); qui mos Israelitis eo magis invisus esse debuit, quia equus, utpote animal salacissimum (Ez. 23,20), ad animalia immunda pertinebat.

3. ***Auctores profani.*** Quae ex auctoribus profanis atque ex variis historiae monumentis tum apud Babylonios et Assyrios, tum apud Aegyptios aliosque populos habentur, ea quae in S. Scriptura de equis referuntur, omnino confirmant. Communiter admittitur, equum (*Equus caballus* Linné) a specie quadam silvestri in Asia centrali originem ducere atque inde paulatim ad Babylonios et Assyrios, ad Syros et Palaestinenses vicinosque populos atque ad Aegyptios esse propagatum, ac praecipue apud omnes populos antiquos ad usus bellicos esse adhibitum. Quae pluribus hic exponere non vacat.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 96-181, *ed. Rosenm.* I. 31-147; *J. D. Michaelis*, Etwas von d. ält. Gesch. d. Pferde u. d. Pferdezucht in Palaest., in Append. ad Mosaisches Recht *ed.* 2, vol. III; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,26-41; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Röm. 199-208; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 136-9; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,102-7; *id.* Fauna and Flora of Pal. 2; *J. G. Wood*, Bible Animals 248-63; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugeth. 44-112. 356 s. 384; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 59-65; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1, *ed.* 3, p. 269-71; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, III. 38-59; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 1,427-44; *P. Schegg*, Bibl. Arch. 92-5; *A. Otto*, Zur Gesch. d. ält. Haustiere, Breslau 1889, 73-7; *A. Zeller*, Das Pferd, d. Esel u. d. Hund in d. h. Schrift, Plauen 1890; *V. Hehn* op. c. 19-51. 527-9; *O. Schrader* ib. 51-5; *L. Anderlind* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XVIII. 1895, 1-33; *A. Socin* ib. 183-8; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 191-4. — De equis ap. Assyrios et Aegyptios cf. *R. Lepsius*, Denkmäler 3,10. 92. 93; *F. Chabas*, Études sur l'antiquité historique, Paris 1873, 421-57; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 50-2; *G. Rawlinson*, Five great Monarchies *ed.* 4, 1,232 s.; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs I. pl. II. B; I. 190-3; III. 299; *A. Erman*, Aegypten 649-52; *J. Duemichen* ap. *Brehm* l. c. 39 s.

L. FONCK.

ERASTUS (Ἔραστος). **1.** Discipulus quem S. Paulus simul cum Timotheo ex Epheso misit in Macedoniam (Act. 19,22). De eodem videtur esse sermo 2 Tim. 4,20: Erastus remansit Corinthi.

2. Discipulus qui Rom. 16,23 salutat Christifideles Romae degentes Erat arcarius seu quaestor ditissimae civitatis Corinthi, qui tributa et pecunias publicas administrabat. Quare adnumerandus est illis non multis nobilibus (1 Cor. 1, 26) qui Christo nomen dederunt. Sunt qui putent de uno eodemque Erasto agi tribus locis citatis, Erastum scilicet, qui olim erat arcarius, officio suo renuntiasse et se Paulo comitem adiunxisse atque Rom. 16,23 nominari solum ex munere antea gesto. Verum ex modo loquendi id non videtur probabile; etenim cum Rom. 16,23 dignitatis mentio fiat, non autem aliis locis, satis clare indicatur de altero esse sermonem. Ceterum nomen Erasti frequentissimum erat.

ERCHUAEI (אַרְכְּוָיֵא, Ἀρχυαῖοι) nominantur Esdr. 4,9 inter eos, quos Asenaphar (vide s. v.) ex regionibus orientalibus in Samariam transtulit. Uti ex voce concludere licet, isti erant oriundi ex regione urbis Arach (vide s. v.).

ERICIUS. 1. Ericius in Vulgata dicitur animal hebr. קִפֹּד appellatum (Is. 14, 23; 34,11; Soph. 2, 14). LXX pariter ἐχῖνος vertit, Peshitta קוּפְדָא (*Payne Smith* 3687 s.). Inter animalia nominatur, quae in solitudinibus ac desertis locis degunt, neque alia de eo in S. Scriptura referuntur. Quamquam in diversissimas partes abierunt interpretes, praesertim antiquiores, ex quibus alii ericium vel hystricem in terra viventem, alii testudinem vel castorem vel lutram aquae amantes, alii volucrem per aera volitantem exposuerunt, nulla tamen videtur ratio ab interpretatione seniorum et *S. Hieronymi* discedendi. Itaque nomine קִפֹּד imprimis *ericium* (germ. *Igel*, gall. *hérisson*), fortasse etiam *hystricem* (*Stachelschwein*, *porc-épic*) significari censemus. Ratio prima est auctoritas veterum versionum, a qua sine rationabili causa non est discedendum; altera est nomen arabicum *qunfud*, quod idem est cum hebr. *qippod* et species utriusque animalis designat; tertia, quia et *ericius* (*Ericius europaeus* Linné, et alia species minor, ord. *Insectivora*) et *hystrix* (*Hystrix cristata* L. et *H. hirsutirostris* Brandt, ord. *Rodentia*) in Palaestina vicinisque provinciis frequenter inveniuntur, et solitudinis silentiique maxime amantes verbis propheticis optime conveniunt.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 1035-42, *ed. Rosenm.* II. 454-62; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,227 s.; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Röm. 81-83. 156; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 100 s.; *J. G. Wood*, Bible Animals 80-6. 462-8; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugeth. 339. 365; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,101 s. 125 s.; *id.* Fauna and Flora of Pal. 10; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 214; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1, *ed.* 3, p. 207. 226; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, II. 358-70. 558-64; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 425-7.

2. Neque obstant argumenta, quibus *Tristram* cum aliis (*Cheyne*; *Hitzig*; cf.

Guthe ap. *Kautzch*. Alt. Test. Is. 14,23, contra Is. 34, 11; *Rothstein* ib. Soph. 2, 14) קִפֹּד esse avem palustrem (*Ardea stellaris* Linné = *Botaurus stellaris* Stephens, germ. *Rohrdommel,* gall. *butor*, angl. *bittern*) evincere nititur. Nam textus Is. 14,23 non requirit animal in paludibus aquarum habitans, multoque minus avem palustrem, cum bene de variis partibus immensae Babylonis exponatur : pars erunt ruinae, ibique habitabit ericius, pars altera in paludes aquarum. Verba autem cap. 34,11 et Soph. 2,14 omnino excludunt avem vel aliam bestiam palustrem, cum ipsae ruinae desertae et nimio solis ardore exustae habitatio animalis קִפֹּד dicantur, quae avi palustri minime conveniunt. Quod aliqua saltem ratione etiam patroni huius sententiae videntur animadvertisse, cum in variis locis variam proferant opinionem.

Cf. *H. B. Tristram,* Nat. Hist. 243 s.; Fauna and Flora 10, ubi nomini hystricis addit « heb. קִפּוֹד, generic »; ib. 111, ubi similiter nomini Botauri stellaris idem nomen addit; *Guthe* l. c. Is. 14,23 *Rohrdommel*, ib. 34,11 *Igel*. — De ave hac cf. *Leunis-Ludwig* l. c. p. 479 s.

3. In eodem capite 34. Isaiae atque in eodem contextu *S. Hieronymus* cum pluribus versionibus antiquis in v. 15 iterum *ericium* vertit pro hebr. קִפּוֹד, quod una tantum littera a nomine ericii differt. At iterum קִפֹּד cum illis interpretibus hic supponere prohibet contextus, qui ericium jam nominavit et קִפּוֹד animal oviparum describit (וַתְּכַמֵּלֵט *et ova parit,* Vulg. *et enutrivit catulos*). Quare קִפּוֹד retinendum est, quod probabiliter *serpentem iaculum* (arab. *qiffāzeh*) designat. V. SERPENS.

L. FONCK.

ERIOCH legitur in Vulgata Iudith 1,6 : in campo Erioch regis Elicorum, sed apud LXX : καὶ πεδίῳ Εἰριώχ ὁ βασιλεὺς Ἐλυμαίων. Textus videtur esse corruptus. Aliqui putant Erioch non esse nomen regis, sed campi (*O. Wolff,* Das Buch Iudith 1861, p. 58). Plerique tamen illud nomen regis Aelamitarum esse admittunt et campum explicant de campestri eius regni parte, quae parti montanae opponatur.

ERUCA v. LOCUSTA.

ESAAN (אֶשְׁתָּן, Σομά), urbs tribus Iuda (Ios. 15,52); recensetur in secunda provincia montis Iuda. Fortasse *el-Simīā* inter meridiem et occidentem a *Yuṭṭā* (Iota) eiusdem provinciae (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 313. 378); *Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui, 1899 II. p. 261).

ESAU (עֵשָׂו, Ἠσαῦ), filius Isaac et Rebeccae primogenitus (cf. Gen. 25,25), venator et agricola, dum frater eius Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis; Isaac amabat Esau eo quod de venationibus illius comederet et Rebecca diligebat Iacob. Indoles Esau profana (Hebr. 12,16) satis declaratur eo quod ius primogeniturae pro lentis edulio cessit fratri maxima levitate et incuria solum ad brevem illam famis sedandae voluptatem attendens : en morior, quid mihi proderunt primogenita? comedit et bibit et abiit, parvipendens quod primogenita vendidisset (Gen. 25,29-34). Indolem profanam pariter ostendit eo quod quadragenarius uxores alienigenas duxit, mulieres Hethaeas (Gen. 26,34 et 36,2) quae offenderunt animum Isaac et Rebeccae, ita ut Rebecca diceret : taedet me vitae meae propter filias Heth; si acceperit Iacob uxorem de stirpe huius terrae, nolo vivere (Gen. 27,46). Esau quidem iuramento interposito primogenituram in Iacob transtulerat; verum cum sibi benedictionem patris primogenito debitam videret praereptam a fratre, eum levitatis suae poenituit, irrugiit clamore et magno cum eiulatu et fletu benedictionem a patre postulavit; sed hereditatem benedictionis patriarchalis iam non consecutus est : Iacob factus est pater populi Dei, Esau eiusque posteri excluduntur a stirpe ex qua demum Messias proditurus erat. Indolem a Deo alienam Esau etiam eo manifestat quod odio in Iacob stimulatus apud se cogitabat et aperte quoque minabatur : venient dies luctus patris mei et occidam Iacob fratrem meum (Gen. 27,1-43). Quare Re-

becca Iacob quem diligebat furori eius subtrahere studuit suadens, ut abiret in Haran ad Laban; quod iter ut Isaac patri probaretur, Rebecca vehementer de uxoribus Esau conquesta se nolle vivere ait, si Iacob acciperet uxores Chananaeas. Quare Isaac quoque Iacobum ad iter illud faciendum et uxorem ex sua stirpe accipiendam hortatus est (— quae narratio aptissime in se concluditur, ita ut mirum sit criticos quosdam invenisse contradictionem, scil. ab uno narratore assignari causam itineris odium Esau, ab altero matrimonium cum cognata ineundum —). Dum Iacob per annos complures abest, etiam ira Esau subsedit atque eo magis pro sua indole benedictionem patriarchalem vel oblivioni dedit vel sibi esse ablatam non multum curavit, quia valde dives effectus est. Iacobo redeunti occurrit cum quadringentis viris et Iacob adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius; tanta reverentiae et animi demissionis significatione Esau plane demulcetur et post longam absentiam sensus amoris fraterni animum eius pervadit : currens Esau obviam fratri suo amplexatus est eum stringensque collum eius et osculans flevit (Gen. 33,4) et dona oblata solum accepit quia Iacob eum urgebat ut acciperet. Iacob vero qua erat prudentia tamen non adeo confidebat affectui amoris et benevolentiae quem subito et inexspectato Esau ostenderat, sed noscens indolem Esau mutabilem noluit eum habere socium itineris, et Esau reversus est in viam Seir versus, ubi demum, uti ex Gen. 36,6. 7 patet, sedem suam fixit; nam divites erant valde et simul habitare non poterant nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum prae multitudine gregum.

Esau nomine altero vocatur quoque Edom. Prioris nominis ratio indicatur Gen. 25,25 : qui prior egressus est rufus erat et totus in morem pellis hispidus vocatumque est nomen eius Esau. Ipsum autem nomen עֵשָׂו *Zenner* explicat ex arabico, unde notio nominis habetur qua rufis pilis vestitus significatur (cf. Theol. Quartalschr., Tübingen 1889 p. 650). Nomen alterum Edom explicatur Gen. 25,30 : da mihi de coctione hac rufa, i. e. hebr. promitte mihi devorare ex rufo, rufo hoc הָאֲדֹם, quod nomen Edom factum est nomen gentis, quare Esau etiam vocatur pater Edom in monte Seir (Gen. 36,9). Ceterum vide s. v. EDOM.

In Iacob et Esau demonstrat S. Paulus Deum pro sua liberalitate gratias distribuere; nam cum nondum nati fuissent aut aliquid boni egissent aut mali, dictum est : maior serviet minori i. e. ex sola Dei voluntate *aliquid excellentiae* collatum est minori; idque etiam manifestatum est in utroque populo, nam uti apud Malachiam 1,2 habetur : Iacob dilexi, Esau autem odio habui, i. e. uti ex contextu apud Mal. consequitur : utroque populo peccante gens Iacob ex exsilio revocata et restituta est; verum Edomitae poenis meritis deputati manent; nam : quodsi dixerit Idumaea : destructi sumus, sed revertentes aedificabimus... haec dicit Dominus exercituum : isti aedificabunt et ego destruam et vocabuntur termini impietatis et populus cui iratus est Dominus usque in aeternum (Mal. 1,4). Iacob utique id sine ullo suo merito nactus est ut a Deo eligeretur pater populi electi, ut fieret patriarcha prae Esau primogenito, ut Deus diceretur Deus Abraham, Isaac et Iacob (non Esau); unde in duobus hisce fratribus revera adumbratur quomodo Deus pro sua voluntate liberrima dona sua *praeclariora* distribuat cui voluerit nulla habita ratione excellentiae naturalis, quae propter ius primogeniturae in Esau reperiebatur. Ceterum Esau pro sua levitate ipse ius illud abiecit et matrimonio contracto cum mulieribus Hethaeis progeniem electam Abraham miscens cum gente idololatrica se reddebat indignum, cui daretur promissio, quae Iacobo data est : benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae (Gen. 28,14).

ESBAAL (אִישְׁבַעַל, Ἀσαβάλ), filius Saulis regis (1 Par. 8,33; 9,39); idem atque Isboseth (v. s. v.).

ESBON (אֶשְׁבּוֹן, Ἐσεβών), unus ex posteris Bela primogeniti Beniamin (1 Par. 7,7).

ESCOL. 1. Escol (אֶשְׁכֹּל, Ἐσχώλ), frater Mambre Amorrhaei et Aner (Gen. 14,13. 24); hi tres cum Abraham foedere iuncti eum in persecutione exercitus Chodorlahomor adiuverunt. In textu hebr. et Vulgata ordo fratrum est : Aner, Escol, Mambre (14,24); sed apud LXX habetur Escol, Aner, Mambre atque hunc ordinem exhibet Flavius Iosephus (Ant. I. 10,2 : Ἔσχων ὁ πρῶτος *ed. Niese*).

2. Escol vallis (נַחַל אֶשְׁכֹּל; Vulgata : Nehelescol, torrens botri, vallis botri; LXX φάραγξ βότρυος) fortasse nomen ducit ab Escol Amorrhaeo, sicut ab eius fratre Mambre nomen habet convallis Mambre, immo ipsa urbs Hebron, quae Gen. 23,19 et 35,27 Mambre appellatur. Neque obstat, quod Num. 13,23[24] nomen vallis ex eo explicatur, quod botrum portassent inde filii Israel; poterant enim Israelitae per modum paronomasiae cum nomine antiquo novam significationem coniungere, qua eventus ille in memoriam revocaretur. Ceterum nota derivationem nominis Nehelescol ab Escol Amorrhaeo non esse nisi coniecturam. Ab Eusebio (Onom. *ed. Lag.* 300,93) haec vallis quaeritur apud Gophnam (*Djifnā*) 15 mil. pass. a Ierusalem Neapolim (Sichem) versus cum dubitatione, a S. Hieronymo (Peregrinatio S. Paulae, apud *Tobler et Molinier,* Itinera hieros. I. p. 35) inter Hebron et Bethsur. A Iudaeis Hebronem hodie incolentibus agnoscitur esse *Wādi Tuffu,* quae vallis Hebrone Eleutheropolim spectat et vinetis abundat; in eadem fere directione paucis minutis ab urbe Hebron invenitur fons inter vineta scaturiens *ʿAin Eskali* seu *ʿAin Kashkala,* quo nomen Escol conservari putatur (*Van de Velde, Guérin, F. de Saulcy, Liévin de Hamme, Zanecchia*). In eadem fere regione *Baedeker-Benzinger* et *F. Buhl* vallem Escol quaerendam esse censent scil. in valle *Wādi Beit Iskāhil* inter septemtrionem et occidentem a Hebrone.

Cf. *Van de Velde*, Memoir p. 310; *Guérin*, Judée III. 215. 216; *F. de Saulcy*, Voyage en Terre Sainte 1865 I. 152; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 109; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 229-231; *Baedeker-Benzinger*, Pal. und Syrien *ed.* 5 p. 134. 137; *Buhl*, Alt. Pal. 1896. p. 89.

ESDRAS (עֶזְרָא, Ἔσδρας).

1. Celeberrimus est Esdras sacerdos et scriba doctus in lege Domini qui anno septimo Artaxerxis regis favente rege et varia subsidia concedente multos ex exsilio adduxit in urbem. Quibus itaque placuit cum eo ascendere, hos congregavit ad Ahava fluvium; cum autem ex levitis nemo advenisset, misit Esdras viros nobiles ad Eddo (vide s. v.), ut eius ope levitis quoque et Nathinaeis persuaderent ut se accingerent ad iter. Quod etiam perfecerunt. Esdras ibi praedicato ieiunio Dei opem pro itinere implorari iussit; « erubui enim petere a rege auxilium et equites qui defenderent nos ab inimico in via, quia dixeramus regi : manus Dei nostri est super omnes qui quaerunt eum in bonitate » (Esdr. 8,22). Aurum, argentum, vasa consecrata domus Dei commisit duodecim sacerdotibus et decem levitis asportanda in urbem. Profecti a flumine Ahava duodecimo die mensis primi advenerunt in Ierusalem primo die mensis quinti et obtulerunt sacrificia. Esdras multo fervore in id incumbebat, ut vita colonorum moresque ad normam legis componerentur. Cum dolore magno advertebat non solum homines plebeios, sed levitas quoque et sacerdotes non paucos matrimonia iniisse cum alienigenis; quae uxores ut dimitterentur magna constantia effecit (cf. Esdr. 7,1-10,44). Quid egerit usque ad adventum Nehemiae anno vigesimo Artaxerxis regis quamvis libro eius non referatur, tamen facile concludi poterit tum ex eius studio observandae legis tum ex decreto Artaxerxis, quo dicitur missus, ut visitaret Iudaeam et Ierusalem in lege Dei, ut constituat iudices et praesides, ut iudicent omni populo et ut animadvertant severe in omnes qui non fecerint legem Dei et legem regis (7,14. 25.26). Praeterea potestate a rege accepta urbem Ierusalem e ruinis instaurare incepit. Eum autem eiusmodi potestatem accepisse sequitur ex 9,9 : Deus inclinavit super nos misericordiam coram rege Persarum ut daret nobis vitam et subli-

maret domum Dei nostri et exstrueret solitudines eius et daret nobis sepem in Iuda et Ierusalem. Cum enim domus Dei iam esset exstructa atque completa anno sexto regni Darii regis (6,15), clarum est anno septimo Artaxerxis istud « sublimare domum Dei et exstruere solitudines, eius » non posse intellegi de ipsa aedificatione templi. Neque enim quidquam constat de templo iterum destructo. Proinde solitudines eius erunt solitudines quae circa templum sunt, ruinae urbis; et sublimare domum Dei idem erit ac novum addere splendorem templo urbe aedificata et munita. Ad hanc aedificationem et munitionem urbis spectat etiam illud « ut daret nobis sepem ». Porro moenia revera esse aedificata, sed machinationibus inimicorum iterum destructa, clare indicatur Neh. 1,2 ss.; nam anno vigesimo Artaxerxis cum Hanani ex Iudaea venisset ad Nehemiam isque de conditione Iudaeorum interrogasset, respondit Hanani inter alia : murus Ierusalem dissipatus est et portae eius combustae sunt igni. Quo audito Nehemias flet et luget diebus multis. Iam plane improbabile est Hanani loqui de destructione a Chaldaeis anno 586 facta, quam Nehemias non potuit ignorare, et Nehemiam tanto corripi dolore de re quam iamdudum cognitam habebat. Sed utrumque, et responsio Hanani et luctus Nehemiae, plane necessario evenit, si Esdras moenia et urbem aedificare coeperit et opus eius ab inimicis fuerit destructum (cf. 4,7-23). Postquam Nehemias anno vigesimo Artaxerxis advenit, moenia urbis exstructa sunt et Esdras die primo mensis septimi universo populo legit legem Dei et celebratum est festum tabernaculorum (Neh. 8,1-18) et die vigesimo quarto separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena et sollemni sponsione principes, sacerdotes, levitae voverunt foedere percusso observaturos se esse legem Dei (Neh. 9,1-10,39). Per Esdram igitur studium legis maxime promotum est et ipse scriba velox in lege Dei (Esdr. 7,6) quasi pater et parens censendus est scribarum vel doctorum legis, quorum erat legi Dei operam dare, eam explicare, docere, ad varias vitae conditiones applicare. Quod Esdrae officium fabulis quoque exornatum est v. g. eum omnes libros sacros e memoria restituisse multosque alios divina inspiratione dictasse (4 Esdr. 14,40 ss.). Eum curam exhibuisse pro collectione et conservatione sacrorum librorum, ex ratione eius muneris studiique et ex traditione satis constat (cf. *Cornely*, Introd. I. *ed.* 2 p. 43 ss.).

Usque ad nostra tempora receptum erat apud omnes Esdram venisse in urbem anno septimo Artaxerxis I. i. e. circa annum 457 a. Chr. et anno vigesimo eiusdem regis venisse Nehemiam, qui cum Esdra instaurationem religiosam perfecerit. Iam vero hodie tempus Esdrae et Nehemiae in quaestionem vocatur ab aliquibus et varie determinatur. Nam *Van Hoonacker* Nehemiam quidem sub Artaxerxe I. anno 445 in Ierusalem advenisse tenet; at contendit Esdram non advenisse nisi anno septimo Artaxerxis II. Mnemonis i. e. anno 398 (cf. Néhémie et Esdras; nouvelle hypothèse... Muséon 1890; cf. Zorobabel et le second temple, Muséon 1892). Alii utrumque Esdram et Nehemiam ad tempus Artaxerxis II. reiiciunt; ita *Kaulen* (Einleitung *ed.* 4 num. 247 ss.), *de Sauley*, *Havet*, *Imbert* (quorum libros enumerat *Ch. Huyghe* in periodico : Revue des questions historiques II. 1893 p. 6). Mentione digna vix est opinio quam *Bellangé* proposuit intellegendum esse Artaxerxen III. Ochum qui regnavit 358-337; nam Neh. 13,6 annus memoratur 32. Artaxerxis; sed Ochus solum regnavit per annos 21. Verum aliqua notanda sunt contra alias sententias.

Et priorem quidem non posse consistere bene demonstravit *Ch. Huyghe* l. c. Atque revera plane improbabile est ea quae de Esdra narrantur cap. 7 et seq. accidisse post Nehemiam. Nam tempore Nehemiae Iudaei ipsi rebus pro cultu necessariis provident (Neh. 10,32 ss.); sed cum Esdras iter instituit, colonia Iudaeorum ita pauper erat, ut regia liberalitate debuerit provideri Esdr. 7,20. Iam vero Nehemias Eccli. 49,13 laudatur tamquam is qui rempublicam restituerit et firmam stabilemque effecerit; ergo fieri nequit, ut quae de

Esdra l. c. referuntur post Nehemiam facta sint. Cum Esdras venit in Ierusalem, ab aliis fortuito audit de matrimoniis cum alienigenis contractis quarto demum mense post adventum (9,1; 10,9). Sed si *antea* cum Nehemia iam eiusmodi matrimonia repudiasset, certe in altero suo adventu ipse statim inquisivisset, utrum haec lex esset observata necne, neque per quattuor menses exspectasset, donec tandem ab aliis doceretur. Neque probabile est Esdram iuvenem qui eousque nihil fecisset tanta auctoritate valuisse, sicuti in tota illa narratione Neh. 8,2 ss. apparet; pariter improbabile, Esdram demum in senectute decrepita iter illud laboriosum 7,9 etc. suscepisse; si enim anno 445 cum Nehemia pro populo laboravit, legem explicavit populo et ita apud omnes in aestimatione erat, ut principes familiarum, sacerdotes, levitae ad eum convenirent explicationis legis accipiendae causa (Neh. 8,13), certissime plus annos 30 natus erat; ergo octogenarius fere iter molestum instituit? Nonne cuncta melius et aptius inter se connectuntur, si ille ordo temporis servatur qui in *uno* libro Esdrae et Nehemiae ipsa narrationis serie indicatur? olim enim et ab origine exstitit unus liber et solum postea a Iudaeis unus ille in duas partes est divisus.

Neque altera sententia, Esdram et Nehemiam tempore Artaxerxis II. (405-358) ea egisse quae narrantur, sustineri potest. Nam ratio quae a *Kaulen* affertur immerito profertur; contendit enim : Sanaballat de quo Neh. 2,10 ss. et 14,28 mentio fit a Dario Codomanno satrapen Samariae esse nominatum eumque postea ad partes Alexandri Magni transisse (*Flav. Ios.* Ant. XI. 7,2 s.); quare fieri non posse ut Artaxerxes in libro Neh. intellegatur primus eius nominis. Cum Darius Codomannus regnaret anno 336-330, haec conclusio consisteret, si apud Iosephum idem Sanaballat posset intellegi, de quo Nehemias refert. At utriusque narratio ita instituitur, ut de eodem Sanaballat nequeat explicari. Nam ille Sanaballat apud Iosephum dicitur *missus* in Samariam satrapes a Dario ultimo rege; proinde *venit* in Samariam Dario rege; Sanaballat vero in libro Nehemiae iam est in Samaria adveniente Nehemia. Ex Neh. 13,28 unus ex filiis Ioiadae filii Eliasib sacerdotis magni erat gener (חתן) Sanaballat; sed Nehemias sacerdotem hunc qui matrimonium iniit cum filia Sanaballat Horonitis fugavit a se (hebr.). Apud Iosephum vero Manasses frater Ieddoa et filius Ionathan (vel Ioannis; cf. Neh. 12,11) filiam Sanaballat in matrimonium ducit. Proin qui matrimonium iniit cum filia Sanaballat est secundum Neh. filius Joiadae et *frater* Ionathan (vel Ioannis); secundum Iosephum vero est *filius* Ionathan et frater Ieddoa; proin non est sermo de eodem matrimonio, sed de matrimonio in subsequente generatione et alio prorsus tempore. Aliud tempus designari etiam consequitur ex eo quod in matrimonio uno Nehemias intervenit 13,28, in altero vero apud Iosephum pontifex et seniores hierosolymitani aegre ferunt fratrem pontificis uxorem habere generis externi; nihil apud Iosephum de Nehemia, de quo alio prorsus tempore agit scil. tempore Xerxis. Neque omittendum est indolem Sanaballat diverso modo describi : apud Nehemiam cernitur inimicus Iudaeorum qui eos subsannat et despicit et cogitat malum Nehemiae (Neh. 2,10. 19; 4,1; 6,2. 10 s.); apud Iosephum vult sibi conciliare benevolentiam Iudaeorum; apud Nehemiam Sanaballat ait : quid Iudaei faciunt imbecilles? et Tobias coram eo dicit : si ascenderit vulpes, transsiliet murum eorum lapideum; apud Josephum Sanaballat scit (εἰδώς) praeclaram λαμπράν urbem esse Hierosolyma; ibi vocatur Horonites, hic Chuthaius genere ex quibus etiam Samaritani sunt. Quae omnia si consideraveris dices non de eodem Sanaballat esse sermonem.

Tempore Nehemiae sacerdos magnus erat Eliasib (Neh. 3,1). Iam series pontificum haec est : Iosue qui cum Zorobabel rediit in urbem genuit Ioacim, Ioacim genuit Eliasib (Neh. 12,10). Iam valde improbabile est ab Iosue qui circa annum 520 pontifex erat (Agg. 1,1) usque ad annum 385 i. e. ad annum 20.

Artaxerxis II. i. e. per spatium annorum 135 immo per maius spatium solum tres exstitisse pontifices. Quodsi etiam probabile existimaveris, inspiciendum est id quod Neh. 12,24-26 habetur; enumerantur ibi levitae et ianitores qui vixerunt in diebus Ioacim filii Iosue et in diebus Nehemiae ducis et Esdrae. Certe dici oportet levitas eos fuisse aequales et Ioacim et Nehemiae ducis et utriusque tempore officio esse functos (cf. v. 24 ut laudarent etc.). Sed ex lege mosaica levitae non fungebantur nisi ab anno aetatis 25. usque ad 30. (Num. 8,24. 25) vel ab anno 30. usque ad 50. (Num. 4,30). Iam perquam improbabile est inter Ioacim filium Iosue et annum 385 ne viginti quinque quidem annos intercessisse. Pater enim eius Iosue erat pontifex anno 520, immo iam 538; unde fieri nequit ut anno 385 eius filius in sacerdotio sit constitutus i. e. post spatium annorum 143. Quare de tempore Esdrae et Nehemiae sententia antiqua communis retinenda est, quae nulli difficultati est obnoxia et in qua singula bene connectuntur et explicantur.

I. KNABENBAUER.

2. Sacerdos qui cum Zorobabel Babylone in Ierusalem rediit (Neh. 12,1); eius familiae princeps erat Mosollam in diebus Ioacim pontificis (12,13).

3. Unus ex principibus Iuda, qui in dedicatione muri Ierusalem Nehemiae adstiterunt (Neh. 12,33).

4. Esdras in Vulgata 2 Mach. 8,33 mendose scribitur pro Eleazar (v. ELEAZAR 8.).

ESDRELON (Iudith 1,8; 4,5; 7,3; Ἐσδρηλώμ, Ἐσδρηλών 1,8; 3,9; 4,6; 7,3), nomen urbis et planitiei, quae alias Iezrael, Iezrahel (vide s. v.).

ESDRIN (Ἔσδριν), dux militum in proelio, quo Iudas Machabaeus Gorgiam fugavit (2 Mach. 12,36 : οἱ περὶ τὸν Ἔσδριν, Vulgata : qui cum Esdrin erant). Nomen videtur idem esse ac עִדְּרִי (1 Par. 27,26; LXX Ἐσδρί).

ESEBAN (אֶשְׁבָּן; Ἀσβάν, Ἀσεβών), princeps Horraeus, filius Dison filii Seir (Gen. 36,26; 1 Par. 1,41).

ESEBON (אֶצְבֹּן, Θασαβάν), quartus filius Gad, enumeratus inter illos, qui cum Iacob Aegyptum ingressi sunt (Gen. 46,16). Idem Num. 26,16 nominatur Ozni (אֶזְנִי, Ἀξενί), progenitor Oznitarum.

ESEC (עֶשֶׂק, Ἀσήλ), Beniaminita ex posteris Saul (1 Par. 8,39).

ESELIAS v. ASLIA.

ESEM urbs v. ASEM.

ESEQ puteus v. CALUMNIA.

ESER (אֵצֶר, Ἀσάρ, Ὠσάρ), sextus filius Seir Horraei, pater Balaan, Zavan et Acan seu Iacan, unus ex ducibus Horraeorum in monte Seir (Gen. 36,21. 27. 30; 1 Par. 1,38. 42).

ESNA (אַשְׁנָה, Ἰανά), urbs tribus Iuda in tertia provincia Sephelae (Ios. 15,43). Correspondere videtur Iedna Eusebii et S. Hieronymi (Onom. *ed. Lag.* 266,30; 132,22) 6 mil. pass. ab Eleutheropoli Hebron versus sita; haec autem sine dubio est hodiernus vicus *Idhnā* inter *Beit-Djibrīn* seu Eleutheropolim et Hebron, ut iam *Guérin* (Judée II. 364-365) indicavit, etsi eam non ad Ios. 15,43 retulit.

Distingui debet ab altera urbe eiusdem nominis hebraici, quae in Vulgata vocatur Asena (vide s. v.).

ESPHATHA (אַסְפָּתָא, Φασγά), tertius filius Aman (Esth. 9,7).

ESRIEL v. ASRIEL.

ESRON v. HESRON.

ESTAOL v. ESTHAOL.

ESTHAMO (אֶשְׁתְּמֹעַ, Ἐσθαιμών), qui fuit de Machathi (1 Par. 4,19), secundum Vulgatam est filius uxoris Odaiae sororis Naham patris Ceila. Sed textus hebraicus explicari potest : Filii Odaiae eiusque uxoris, quae est soror Naham, sunt pater urbis Ceila cognominatus Garmita et (pater) urbis Esthamo Machathita i. e. fortasse ex posteris Maacha concubinae Caleb (1 Par. 2,48). Aliam eiusdem textus interpretationem vide s. v. GARMI.

ESTHAMO, ESTHEMO, ISTEMO

(אֶשְׁתְּמֹעַ et Ios. 15,50 אֶשְׁתְּמֹה, Ἐσθαιμών, Ἐσθαμώ et etiam Τεμά Ἐσθιέ, Ἔς καὶ Μάν), urbs tribus Iuda in prima provincia montis sita (Ios. 15,50), cuius pater dicitur Iesba filius Mered et Bethiae (1 Par. 4,17 et vide BETHIA), civitas sacerdotalis (Ios. 21,14; 1 Par. 6, 58[42]); recensetur inter urbes, ad quas David post cladem Amalecitarum redux in Siceleg dona de praeda misit (1 Reg. 30,28); de 1 Par. 4,19 vide articulum praecedentem. Tempore Eusebii et S. Hieronymi (Onom. *ed. Lag.* 254,70; 119, 18) Ἐσθεμά describitur pergrandis vicus in Daroma ad Eleutheropoleos pertinens regionem. Hodie vicus *el-Semu'a* tribus horis a Hebron meridiem versus.

Cf. *Guérin*, Judée III. 173-176; *Riess*, Bibel-Atlas; *Survey of West. Pal.* Mem. 403. 412. 413; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 19. 20; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 250.

ESTHAOL, ESTAOL (אֶשְׁתָּאוֹל, Ἀσταώλ, Ἀσά, Ἐσθαόλ, Ἐσθαάμ), urbs tribus Iuda in prima provincia Sephelae sita (Ios. 15,33), tribui Dan assignata (Ios. 19,41); inter Saraa et Esthaol erant Castra Dan seu Mahane Dan (Iud. 13, 25 et cf. 18,12), sepulcrum Samsonis (Iud. 16,31) et sine dubio etiam habitatio parentum eius. De Saraa et Esthaol exploratores missi sunt a Danitis quinque viri fortissimi, qui in monte Ephraim et in terra Lais novas sedes pro Danitis angustiore territorio pressis circumspicerent (Iud. 18,2. 8. 11). In genealogiis Iuda Esthaolitae sicut etiam Saraitae referuntur ad cognationem Cariathiarim (1 Par. 2,53). Omnibus locis citatis Esthaol una cum Saraa nominatur. Ex testimonio Eusebii et S. Hieronymi sita erat 10 mil. pass. ab Eleutheropoli aquilonem versus in via, quae Nicopolim ducit (Onom. *ed. Lag.* 255,87; 119,32). Iis respondet vicus *Eshū'a* a Ierusalem occidentem versus et paulo infra Nicopolim (*'Amwās*) situs. Vide etiam SARAA.

Cf. *Guérin*, Judée II. 12-14 et 382; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 25; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land p. 218 in nota; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 I. 109; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 195; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 1971; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. X. 1887 p. 134. 135.

ESTHER (אֶסְתֵּר, Ἐσθήρ) nomen persicum (stella) puellae quae hebr. הֲדַסָּה, in Vulgata Edissa (vide s. v.) vocabatur. Erat filia Abihail ex tribu Beniamin fratris Mardochaei; mortuis parentibus a Mardochaeo in filiam adoptata est et educata. Postquam Xerxes (Assuerus) rex uxorem Vasthi repudiavit, puellae virgines speciosae undique quaerebantur, ut ex iis unam eligeret rex reginam. Inter eas erat Esther quoque quippe quae esset pulchra nimis et decora facie (Esth. 2,7). Cum insigni venustate insignem coniunxit modestiam; non quaesivit muliebrem cultum, sed quaecumque voluit Egeus eunuchus, haec ei ad ornatum dedit (2,15) et adducta est ad regem mense decimo anno septimo regis, quae ita ei placuit, ut diadema regni poneret in capite eius eamque faceret reginam. Esther autem non prodiderat cuius esset gentis; hoc enim ei iniunxerat Mardochaeus, cuius monitis etiam regina facta plane obsequebatur ut eo tempore solita erat quo eam parvulam nutriebat (2,20).

Inter nobiles in aula regis Mardochaeus quoque erat (2,21; 11,3), qui cum nollet genua flectere coram Aman, principe in regis favore et amicitia, maximam eius in se iram concitavit, et quia utpote Iudaeus religionis causa renuit flectere genua et sese prosternere coram Aman, Aman odio flagrans in eiusmodi gentis religionem et superbia elatus omnes Iudaeos quos pariter sui contemptores aestimabat perdere statuit. Pro superstitione gentili exquisivit sorte quo die et quo mense caedes ac perditio Iudaeorum sibi prospere eveniret. Sorte designatus est dies tertius decimus mensis duodecimi. Aman vero regi persuasit esse in regno gentem dispersam iussa regis contemnentem et regno imminere periculum gente illa per licentiam insolescente; « si tibi placet decerne ut pereat et decem millia talentorum appendam arcariis gazae tuae » (3,9). Annuit rex et tradidit an-

nulum suum Aman, ut decreta conficienda ac mittenda curaret. Atque statim litterae ad universas provincias missae sunt quibus praecipiebatur ut die statuto Iudaei occiderentur et bona eorum diriperentur. Iudaei luctu ingenti tabescebant; Mardochaeus quoque sacco indutus et cinerem in capite gerens clamore magno et eiulatu usque ad fores aulae regiae processit, ita ut Esther ea de re a suis puellis et eunuchis certior facta per Athach eunuchum causam luctus a Mardochaeo exquireret. Hic re indicata et regio decreto misso eam monuit ut ad regem intraret et deprecaretur eum pro populo suo (4,1-8). Cum autem poena mortis proposita nemini liceret ad regem intrare, nisi esset vocatus, Esther haesit; Mardochaeus vero iterum instabat monens eam providentia divina esse factam reginam, ut saluti populi sui prospiceret; quod si omitteret certissime fore ut sibi ipsi interitum adsciscerent. Esther monitis acquiescit; postulat ut omnes Iudaei in urbe Susan pro se orent et ieiunium agant trium dierum ad Dei misericordiam implorandam; ipsa quoque eodem modo ieiunat et ferventi oratione Deum deprecatur (4,9-17; 14,1-19) et die tertio, quamvis non esset vocata, ad regem ingreditur regio ornatu decora. Benigne suscipitur Deo scil. spiritum regis in mansuetudinem convertente et magna utens prudentia solum a rege petit, ut ipse et Aman veniant ad convivium quod paraverit. Idem quoque pro altero die postulat; prudenter enim magnum in se excitare studuit regis amorem et se in eius familiaritatem insinuare, quo certior esset pro regis indole petitionem suam non iri negatum. Ita enim simul cum maxima in Deum populi protectorem fiducia subsidia quoque humana diligenter esse adhibenda recte existimavit. Altero itaque die convivio celebrato rex iterum quaerit quae sit petitio eius. Sermone apposito a rege petit, ut sua ipsius vita et gentis suae vita servetur, ne crudelitas in regem redundet et auctorem pessimi consilii prodit Aman qui convivio intercerat. Rex furore incensus e cubiculo egreditur; Aman corruit coram Esther pro se deprecans, cum ex ira regis iam intellexisset suam ruinam; quae utique ei imminebat. In locum Aman elevatur Mardochaeus qui iam antea optime de rege meritus erat coniuratione duorum eunuchorum in regis vitam indicata. Pro more persico quo decretum regium revocare non licet, saluti Iudaeorum suadente Esther ita prospiciebatur, ut aliis litteris in omnes provincias missis Iudaei inberentur stare pro animabus suis et omnes inimicos suos interficere et bona eorum diripere. Quae litterae missae sunt mense tertio; hisce litteris Iudaeis nova lux oriri visa est, gaudium, honor et tripudium (5,1-8, 16; 16,1 s.). Ita Esther regina exstitit sua apud regem intercessione salvatrix populi et eius in reginam electione Deus iterum se praestitit protectorem populi ostendens se machinationes inimicorum pro sua providentia reddere posse irritas, ut eorum malitia in ipsos redundet.

Referri rem vere gestam, non confictam, etiam ex festo die patet qui in memoriam liberationis huius institutus est et qui tamquam Mardochaei dies notus supponitur (2 Mach. 15,37); sollemnitates enim instituuntur ad res memorabiles celebrandas. Porro ea quae in libro Esther referuntur, ad indolem Xerxis regis eiusque mores et ad consuetudines persicas omnino congruere demonstrat pluribus *Cornely*, Introd. II. 1 p. 426 ss. Notari oportet textum hebr. libri esse incompletum, id quod explicatur ex eo quia liber in celebritate illa praelegebatur; verum cum celebritas illa mox liberiore modo ageretur, ea quae pietatem precesque continebant, e textu removebant eumque ad legendum breviorem reddebant. Ceterum de textibus cf. Introductiones in S. Scripturam.

I. KNABENBAUER.

ESTHON (אֶשְׁתּוֹן, Ἀσσαθών), filius Mahir, qui erat filius Caleb fratris Sua, ex posteritate Iuda (1 Par. 4,11); Esthon genuit Bethrapha (4,12) i. e. domum seu familiam Rapha.

ETAM (עִיטָם; Αἰτάν, Αἰτάμ). 1. Urbs tribus Simeon (1 Par. 4,32); deest loco

parallelo Ios. 19,7. Hodie *Khirbet ʿAitūn* ab Eleutheropoli novem fere leucas anglicas meridiem versus. Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 261.

2. Urbs tribus Iuda, quam Roboam simul cum Bethlehem et Thecue exstruxit i. e. amplificavit et munivit (2 Par. 11,6). Eadem recensetur inter undecim urbes, quas LXX inserunt post Ios. 15,59 tamquam quintam provinciam montis Iuda et quae in textu massorethico desiderantur. Ad eandem haud dubie referendum est, quod Flavius Iosephus (Ant. VIII. 7,3 et cf. 10,1) narrat Salomonem curru gestatum et veste candenti amictum prima luce solitum esse urbe egredi in Etam locum duobus schoenis ab Hierosolymis dissitum, hortis et aquarum laticibus amoenum et copiosum. Praeterea Talmudici testantur a fonte Etam in via Hebronem inter et Ierusalem aquaeductus fuisse in templum (cf. *Lightfoot,* Disquisitio chorogr. Ioanni praemissa c. 5, §. 5). Merito igitur urbs Etam quaeritur prope fontem *ʿAin ʿAtān*, qui est unus ex quattuor fontibus in vicina regione lacuum Salomonis sitis prope *Urṭās* paulo infra Bethlehem.

Cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. I. 1878 p. 152; *Guérin*, Judée III. 118. 303; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5 p. 129 s.; *Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 197-199; *F. de Saulcy*, voyage en Terre Sainte 1865 I. 148. 165. II. 35 s.

3. Quod legitur in genealogia Iuda 1 Par. 4,3 : Ista quoque stirps Etam, hebr. : Et hi patris Etam (vel Abi Etam), sensu caret et textus certe est corruptus. Utrum Abi-Etam sit nomen personae an appellativum : pater Etam i. e. conditor Etam vel cuius posteri in Etam habitabant, vix decidi potest. Quodsi de urbe sermo est, sola Etam tribus Iuda 2 Par. 11,6 intellegenda erit.

4. Etam petra (סֶלַע עֵיטָם, ἡ πέτρα Ἠτάμ, Vulgata : petra Etam, silex Etam), in cuius spelunca Samson 300 canibus aureis in segetes Philisthaeorum immissis se abdidit (Iud. 15,8); cum Philisthaei ultionem capturi terram Iuda invaderent, descenderunt tria millia virorum Iuda, qui a Philisthaeis immi-nentibus territi erant, ad illam speluncam et Samson permisit, ut duobus novis funibus ligatus de spelunca educeretur (15,9-13). Ex 15,9 colligitur hanc petram in tribu Iuda fuisse; Flavius Iosephus (Ant. V. 8,8) dicit Αἰτάν fuisse petram natura munitam (πέτρα ὀχυρά) in tribu Iuda. — De situ eius determinando variae fuerunt opiniones. In regione *Artūf,* quae in linea recta quinque horas Hierosolymis occidentem versus abest, petram Etam eiusque speluncam invenisse se existimat *Schick;* ibidem haud longe a *Khirbet Marmita* orientem versus est petra *ʿArūk Ismaʿīn* iuxta *Wādi Ismaʿīn* a septemtrione sita, quae habet magnam speluncam, ad quam descendere (cf. Iud. 15,8. 11) oportet ex quacunque demum regione veneris; idem auctor pluribus refutat opinionem, quam *Conder* proposuerat, petram Etam esse prope *Beit ʿAtāb* magis Bethlehem versus quaerendam. Nihilominus *Conder* (apud *Hastings*), *Zanecchia* et alii prope *Beit ʿAtāb* petram Etam fuisse probabilius habent. Alii (*Guérin*, *Liévin de Hamme*) quaerunt petram Etam prope *ʿAin ʿAtān* seu fontem *ʿAtān,* quem cum urbe ETAM 2 componimus.

Cf. *Schick* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. X. 1887 p. 144. 145; *Conder* in *Pal. Explor. Fund*, Name Liste p. 286 et apud *Hastings,* Dict. of the Bible I. 776ᵇ; *Guérin,* Judée III. 118; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 91; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 I. 110.

ETHAI (אֵתַי). **1.** Gethaeus, qui fideliter David fugienti adhaerens exemplum pulcherrimum fidelitatis praebuit eo tempore, quo Absalom adeo infideliter et turpiter egit in patrem (2 Reg. 15,19 ss.; 18,2. 5. 12; LXX Ἐθί).

2. Unus ex heroibus David, filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin (1 Par. 11,31; LXX Αἰρί); idem 2 Reg. 23,29 scribitur Ithai (Ἐσθαί).

3. Ethai (עַתַּי, Ἰεθί), filius Roboam ex Maacha filia Absalom (2 Par. 11,20).

ETHAM (אֵתָם; LXX Ex. 13,20 Ὀθώμ, Num. 33,6 Βουθάν, 33,8 omittunt), castrametatio Israelitarum inter Socoth et Mara, in extremis finibus solitudinis sita

(Ex. 13,20; Num. 33,6), quae solitudo Num. 33,8 desertum Etham, Ex. 15,22 generaliore nomine desertum Sur audit. Desertum Etham sat magnum fuisse ex Num. 33,8 colligitur. Sine dubio Etham urbs vel arx, a qua desertum nomen habet, quaerenda est in confinibus Aegypti et deserti Sur, quod ad Arabiam pertinet. Ex iis, quae *F. de Hummelauer* ad Ex. 13,19, 20 exponit, Etham (aegyptiace *Chetem* = circumvallatio) erat arx exstructa prope ostium illius canalis, qui a Nilo apud Bubasten per *Wādi Ṭumīlāt* fluens in lacum *Timsāḥ* ducit; antiquitus autem mare Rubrum seu Suph longius ad septemtrionem patebat, quam nunc patet scil. usque ad lacum *Timsāḥ*. Unde merito infert *F. de Hummelauer:* « Erat ea (Etham) Aegypti clavis, qua parte terra Gessen desertum prospiciebat, cui etiam nomen inditum deserti Etham (Num. 33,8); erat simul emporium maris Rubri; nihilque magis erat obvium, quam ut Hebraei terra Gessen egressuri per Etham transirent. Sed aliud decrevit Deus, qui non populum solum liberare, sed Pharaonem confundere in animo habebat ». Haec generalis indicatio situs fundamento satis firmo nititur.

Varias coniecturas de situ accuratius determinando enumerat *Dillmann* ad Ex. 14,2: Etham esse *Bīr Abu Ruq* (*Schleiden*, Die Landenge von Sues 1858 p. 191), *Bīr Maktal* (*Ebers*), Daphnae seu תַּחְפַּנְחֵס apud Ier. et Ezech. (*Brugsch*, L'Exode p. 25 ss.), *Bīr Sues* (*du Boys-Aymé, Hengstenberg*). Sunt etiam qui putent Etham non esse urbem vel arcem, a qua desertum nomen traxerit, sed regionem illam, quam papyrus Anastasi VI. appellat *Atuma;* ita *Naville*, qui regionem *Atuma* a lacu *Timsāḥ* occidentem et meridiem versus extensam fuisse existimat. Cf. The Store City of Pithom and the Route of the Exodus *ed.* 3, 1887, et summarium huius operis in *Egyp. Explor. Fund,* An Atlas of Ancient Egypt. *ed.* 2, 1894 p. 13-14.

ETHAN (אֵיתָן, Γαιθάν, Αἰθάμ, Αἰθάν).

1. Ethan Ezrahita 3 Reg. 4,31 (hebr. 1 Reg. 5,11) laudatur ob sapientiam, cum Salomon, ut eius summa sapientia commendetur, illo sapientior esse dicatur. Qui eo loco simul cum Ethan sapientes nominantur: Heman, Chalcol, Dorda, iidem 1 Par. 2,6 filii Zare (זֶרַח, Ζαρά) dicuntur. Unde Ezrahita (הָאֶזְרָחִי, ὁ Ζαρίτης) vocatur tamquam ex posteris Zare. In titulo Ps. 88[89] eius nomen memoratur: Intellectus Ethan Ezrahitae. Filius Ethan est Azarias 1 Par. 2,8 (v. AZARIAS 8).

2. Ethan, levita ex familia Gersom et ex maioribus Asaph cantoris (1 Par. 6, 42[27]); in genealogia inversa filiorum Gersom pro Ethan legitur Ioah 6,21[6].

3. Ethan, filius Cusi ex posteris Merari, princeps levitarum, cui una cum duobus aliis principibus Heman et Asaph cantus sacer et ministerium sacrum tempore Davidis commissum erat (1 Par. 6,44[29]; 15,17. 19). Sunt qui putent, hunc levitam esse sapientem illum Ethan Ezrahitam (3 Reg. 4,31) eumque dici Ezrahitam non ideo, quod a Zare descenderet, sed quod inter posteros Zare habitaret; quae opinio improbabilis videtur.

Probabilius autem Ethan, qui simul cum Asaph et Heman cantor erat in cymbalis aeneis concrepans (1 Par. 15, 19), idem est atque Idithun, cuius filii cum filiis Asaph et Heman a David in ministerium segregati sunt, ut prophetarent in citharis et psalteriis et cymbalis (1 Par. 25,1); v. IDITHUN.

4. Legitur Ps. 73[74], 15: tu siccasti fluvios Ethan (Ἠθάμ); sed explica אֵיתָן (uti similiter Deut. 21,4; Am. 5,24; Iob 33,19) in hunc sensum: tu siccasti fluvios perennes i. e. qui semper fluunt, etiam tempore aestatis, quo torrentes siccantur; alluditur eo loco ad transitum per Iordanem (cf. Ios. 3,15-17).

ETHANIM (הָאֵתָנִים, Ἀθανίν) mensis (3 Reg. 8,2) i. e. mensis rivorum fluentium, qui est mensis septimus, alias Tishri; v. MENSIS.

ETHBAAL (אִתְּבַעַל, Ἰεθεβάαλ, Ἐθοβάαλ), rex Sidoniorum, cuius filiam Iezabel Achab rex Israel in matrimonium duxit (3 Reg. 16,31). Apud Flavium Iosephum scribitur Εἰθόβαλος et

appellatur rex Tyriorum et Sidoniorum (Ant. VIII. 13,1); ex relatione Menandri Ephesii (cont. Apion. 1,18) erat sacerdos Astarthes, qui Pheletem fratrem suum ac throni usurpatorem interfecit et cum vixisset 68 annis, regnavit annis 32. In inscriptionibus cuneiformibus reperitur idem nomen regis cuiusdam sidonii sub forma *Tu-ba-lu* (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 87. 190).

ETHEEL (אֵיתִיאֵל, Ἐθιήλ), Beniaminita ex maioribus Sellum (Neh. 11,7).

ETHEI (עֵתַי, Ἐθί), filius Ieraa servi Aegyptii, ex filia Sesan genitus (1 Par. 2,35. 36).

ETHER, ATHAR (עֶתֶר), urbs tribus Iuda in tertia provincia Sephelae enumerata (Ios. 15,42; Ἰθάκ), tribui Simeon tradita (19,7; Ἰεθέρ). In enumeratione urbium Simeon 1 Par. 4,32 eadem alio nomine vocatur Thochen (תֹּכֶן, Θοκκά); cf. *Keil*. ad h. l. et nota vestigium nominis Thochen etiam Ios. 19,7 haberi apud LXX inserentes Θαλχά inter Ἐρεμμών et Ἰεθέρ. Praeterea Ether lectio genuina pro Athach 1 Reg. 30,30 esse censetur (v. ATHACH). Apud Eusebium et S. Hieronymum (Onom. *ed. Lag.* 255, 78; 119,27) Ether dicitur villa pergrandis nomine Iethira (Ἰεθειρά) in interiore Daroma iuxta Malatham (Μαλαάθοις); sed confundere videntur urbem Simeon cum Iether in australi monte Iuda (Ios. 15,48). Nostra Ether a recentioribus agnoscitur in *Khirbet el-ʿAtr* prope *Beit Djibrīn* seu Eleutheropolim.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 261. 279; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 12; *Legendre*, Carte de la Palestine; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 279, qui provocans ad Onom. (v. supra) existimat Ether cum *Kh. el-ʿAtr* componi non posse.

ETHI (עִתִּי, Ἰεθί), Gadita, qui Davidi fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,11).

ETHNAN (אֶתְנָן, Ἐσθανάμ), unus ex posteris Iuda, filius Assur patris Thecuae, ex Halaa genitus (1 Par. 4,7).

ETHNARCHA (ἐθνάρχης), in Vulgata princeps gentis, praepositus gentis. Eo nomine appellantur, qui praefecti sunt alicui genti, sed dignitate regia non sunt insigniti. Tali auctoritate pollebant Simon Machabaeus, qui a magno conventu sacerdotum et populi et principum gentis et seniorum regionis (die 18. Elul anni 172 aer. Seleuc. seu mense Sept. 141 a. Chr.) declaratus est summus sacerdos, dux et princeps (ἐθνάρχης) Iudaeorum in aeternum, donec surgat propheta fidelis (1 Mach. 14,47; cf. 15,1 et etiam 14,27 de quo loco v. ASARAMEL) et ethnarcha ille Damasci, qui nomine et auctoritate regis Arabum Aretae administrabat civitatem, quem Iudaei induxerant, ut ad comprehendendum Paulum apostolum custodes ad portas civitatis poneret (2 Cor. 11,32; cf. Act. 9,24).

Munus ethnarchae, qui Iudaeis alexandrinis magnam partem urbis Alexandrinae seorsum incolentibus praeerat, hisce describit Strabo apud Flav. Iosephum (Ant. XIV. 7,2) : « suus illis ethnarcha est, qui gentis res administrat et iudicia exercet curatque contractus et mandata, quasi esset reipublicae suis legibus utentis princeps » (cf. Ant. XIX. 5,2 de ethnarchis alexandrinis et *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3 III. p. 40. 41). In Palaestina quoque Romani interdum ethnarchas constituerunt. Decreto Caesaris a. 47 a. Chr. Hyrcanus II. ethnarcha Iudaeorum cum iure hereditario successionis declaratus est (Ant. XIV. 8,5; 10,2 s.). Caesar Augustus Archelaum filium Herodis Magni Iudaeae, Samariae, Idumaeae ethnarcham constituit pollicitus regii nominis honorem, si dignam rege virtutem praestitisset (Ant. XVII. 11,4; Bell. iud. II. 6,3); immerito autem adnotat *Schürer* l. c. I. 450 *ed.* 3, Archelaum a Matthaeo 2,22 indiligenter (*ungenau*) appellari βασιλεύς sicuti etiam a Iosepho Ant. XVIII. 4,3 (vide s. v. ARCHELAUS).

Quae Origenes in Epist. ad Africanum § 14 (*M.* 11,82. 83) de sua aetate testatur : « Certe nunc cum Iudaei Romanis imperantibus didrachma pendunt, quantam concedente Caesare in ipsos auctoritatem habeat ethnarcha, ut nihil differat ab eo,

qui regnum obtineret in gentem, scimus qui sumus experti », procul dubio non ethnarcham proprie dictum constitutum esse arguunt, sed potius referuntur ad illud consilium Iamnicense, quod synedrio antiquo successerat et Romanis concedentibus iurisdictionem in litibus civilibus exercebat, forte etiam in criminalibus usurpabat.

ETHNICUS, gentilis, gentes. Hisce nominibus designantur qui non sunt originis iudaicae et qui cultum unius veri Dei ignorant, qui dediti sunt idololatriae. Potuisse gentes acquirere cognitionem veri Dei et proinde homines atheos vel idololatras non sine sua culpa ignorare Deum, clare docetur in s. litteris. Id praeprimis exponitur Sap. 13,1 s. et 14,15 quaedam de occasione qua oriri poterat idololatria tanguntur, quae quam stulta sit perstringitur Is. 44,12 s. Ier. 10,3 s. Bar. 6,1-72. Gentes cognovisse Deum totidem verbis affirmat Paulus apostolus; at simul declarat quomodo ad turpissimam idololatriam pervenerint : quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt (cf. Rom. 1,19 s.); Deum non sine testimonio semetipsum reliquisse, verum sese satis opere creationis gentibus manifestasse neque longe abesse ab unoquoque, ita ut inveniri possit, idem repetito docet (Act. 14,16; 17,27; Rom. 1,19. 20); sed idem neglectum cultum Dei assignat causam, cur in tenebras mentis et in abominanda scelera devenerint (Rom. 1,21. 24. 26). Idem clare affirmat daemonem suas agere partes in idololatria : quae immolant gentes daemoniis immolant (1 Cor. 10,20). At simul asserit gentes lege quadam naturali in cordibus inscripta doceri quid sit rectum, bonum, malum et proin iuste a Deo puniri, siquidem veritatem in iniustitia detinent (Rom. 2, 14-16; 1,18); nam ex prava voluntate procedere ait tenebras intellectus adeoque gentes eo devenisse, ut desperantes semetipsos tradiderint impudicitiae in operationem immunditiae omnis (Eph. 4, 18. 19) et scelerum sat longum texit catalogum (Rom. 1,26-32; 1 Cor. 6,9. 10).

Populus Dei ipsa sua regione, legibus, institutis a commercio cum gentibus arcebatur. Ingressuri Palaestinam iubentur aras et statuas deorum destruere; tamquam qui missi sunt vindices Dei ad scelera ingentia punienda iubentur gentes illas quam maxime peccatrices percutere usque ad internecionem (Deut. 7,2; Sap. 12,6 s.); « non inibis cum eis foedus, neque sociabis cum eis coniugia » (cf. Ex. 23,32; 34,15. 16; Deut. 7,2. 3). Etiam a superstitionibus variis et artibus magicis gentium ut sibi caveant serio monentur (Deut. 18,9-14). Quotiescumque autem a lege et cultu Dei defecerunt, traditi sunt in potestatem et servitutem gentium, cuius rei perpetuum quasi commentarium praebent libri historici secundum minas Deut. 28,47 s. iam propositas. Si autem ad Deum conversi fuerint, dabit Dominus inimicos corruentes in conspectu eorum (Deut. 28,7); quare prohibet quoque ne foedera incant cum alienigenis ad se contra hostes tutandos. Eiusmodi foedera severe reprehenduntur a prophetis (cf. Is. 30,1 s.; 31,1 s.; quam perversum id sit, expertus est Achaz Is. 7,17; 8,6 s.; 2 Par. 28,20. 21; Ier. 2,18; Ez. 16,28 etc.); Deus enim ipse populum, si fideliter legem servaverint, tueri voluit ab hostibus; quare Ezechiae regi ceteroquin pio male cessit amicitia cum Babyloniis (4 Reg. 20,12-18; Is. 39,1 s.) et frustra tempore obsidionis urbis exspectarunt auxilium ab Aegyptiis (cf. Ier. 37,6-10).

Neque tamen istis prohibitionibus docetur odium in alienigenas. Verum e contra lege praescribitur : advenam non contristabis neque affliges; peregrino molestus non eris; sit advena inter vos quasi indigena et diligetis eum quasi vosmetipsos (Ex. 22,20; 23,9; Lev. 19, 33; Deut. 10,17-19) et sicut patriarchae, Abraham et Isaac, pactis cum alienigenis ad pacem habendam utebantur (Gen. 21,27. 32; 26,28). ita David quoque et Salomon emolumenta haud exigua derivabant ab amicitia cum Hiram rege Tyriorum, cuius ope praeprimis usus est Salomon ad templum magnifice exstruendum (cf. 2 Reg. 5,11; 3 Reg. 5, 1 s.); eodem modo simul cum Tyriis instituendam curavit classem quae ibat in

Ophir et inde portabat aurum, ligna thyina, gemmas pretiosas (3 Reg. 9,26; 10,11; 2 Par. 8,18; 9,10) etc. Pariter teste Ezechiele Iuda et terra Israel institores erant Tyriorum in frumento primo; balsamum et mel et oleum et resinam proposuerunt in nundinis eorum (27,17; cf. Act. 12,20). Negotiatio itaque cum alienigenis prohibita non erat; immo Deut. 15,6 promittitur populo fideli observatori legis : faenerabis gentibus multis (Deut. 15,6) et ab alieno faenus accipere et usuram licebat (Deut. 20,23). Tempore quoque Nehemiae Tyrii vendebant pisces filiis Iuda in Ierusalem (Neh. 13,16).

Quamdiu stetit regnum israeliticum et regnum iudaicum, filii patriarcharum exemplo gentium in multiplicem idololatriam inducebantur et in scelera ei adiuncta, de qua iniquitate pleni sunt libri historici et prophetarum. Poena condigna iis inflicta est ruina regni et abductione in regiones alienigenarum. Etiam multi ex iis qui ex exsilio redierunt connubiis cum alienigenis initis fatalem illam cum vitiis gentium familiaritatem iterum fovere velle videbantur. Huic periculo vehementer atque feliciter sese opposuerunt Esdras et Nehemias; mulieres alienigenae expulsae sunt (Esdr. 9,1-10,44; Neh. 9,1. 2 . Disciplina legis ita eruditus est populus, ut tempore Machabaeorum quamvis non deessent apostatae tamen fortiter contra aggressores legis dimicatum sit. Et quae fuerit postea multorum Iudaeorum in alienigenas mens ac sententia, nobis describit apostolus : confidis te ipsum esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium (Rom. 2,19. 20); cui opinioni testimonium quoque reddit Petrus : vos scitis, inquit, quomodo abominatum sit viro Iudaeo coniungi aut accedere ad alienigenam (Act. 10,28), et Iudaeo-Christiani disceptabant adversum eum : quare introisti ad viros praeputium habentes et manducasti cum illis (Act. 11,2. 3)? Hisce illustratur quid sibi velit illud : si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (Matth. 18,17).

Singularem utique curam et providentiam Deus populo suo impertivit (cf. Ex. 19,5; Ps. 147,20; Rom. 9,4. 5), sed et gentibus quoque Deus pro sua bonitate opem tulit; diligit enim omnia quae sunt et nihil odit eorum quae fecit (Sap. 11,25). Cuius curae argumenta in s. litteris reperiuntur sat multa. Nam praeter documenta illa generalia quibus asseritur gentibus non defuisse auxilia Deum cognoscendi (Sap. 13,1; Act. 14, 16; Rom. 1,19 s.), Deum velle omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire (1 Tim. 2,4), multa sunt quibus haec Dei cura demonstratur. Ita gentes quoque numerantur inter filios a Deo eo quod Israel vocat filium suum primogenitum et eum inter filios dicit voluisse exaltare (cf. Ex. 4, 22; Ier. 3,19); neque desunt occasiones quibus Deus se et suam potentiam et dominium rerum omnium gentibus manifestat; ita praeprimis per Moysen in Aegypto (Ex. cap. 5 s.) et quae Deus pro suis patravit, etiam aliis nationibus innotuerunt (cf. Ex. 15,14. 15) et Rahab dicit : audivimus quod Dominus siccaverit aquas maris Rubri ad vestrum introitum etc. et fatetur : Dominus Deus vester ipse est Deus in caelo sursum et in terra deorsum (Ios. 2,10 s.). Eliseus, Ionas, Daniel maiestatem Dei gentibus quoque annuntiabant (cf. 4 Reg. 5,8 s. Ion. 1,2; 3,2 s. Dan. 2,28 etc.); porro vaticiniis prophetarum contra gentes editis Deus se manifestat regem ac gubernatorem omnium (cf. Is. 13,1 s. Ier. 25,19 s.; 46,1 s. Ez. 25,1 etc.), ostendit in iis a suo nutu et voluntate regna terrae pendere et se ad sua consilia exsequenda uti gentibus. Cumprimis autem Dei consilium salutare de gentibus elucet in vaticiniis messianis. Promissio enim de regno Dei in terris stabiliendo et de bonis divinis hominibus communicandis ab initio omnes spectat gentes; in universum per semen mulieris promittitur victoria de insidiatore (Gen. 3, 15), Iapheth habitabit in tabernaculis Sem, cui benedictio confertur (Gen. 9, 27), in Abraham et semine eius omnes gentes benedicentur (Gen. 12,3; 18,18; 22,18; 26,4); regi Messiae in hereditatem dantur gentes et fines terrae (Ps. 2,8; 21,28; 71,8 s.), ad montem Dei

elevatum ascendent populi multi; terra repleta erit scientia Domini, Messiam deprecabuntur gentes, ille erit lux gentium, ut sit salus Dei usque ad extremum terrae, gentes ambulabunt in lumine gloriae Domini (cf. Is. 2,2; 11,9. 10; 42,6; 49,6; 60,3); tunc dicendum erit : benedictus populus Dei Aegyptus, opus manuum Dei Assur (Is. 19,25); tum congregabuntur ad civitatem Dei omnes gentes (Ier. 3,17); ipse Messias loquetur pacem gentibus et potestas eius a mari usque ad mare et a fluminibus usque ad fines terrae (Zach. 9,10) etc. etc. Hisce oraculis congruunt verba et mandata Christi (Matth. 28,19; Marc. 16,15; Ioan. 10,16; Act. 1,8), congruit praedicatio apostolorum; immo evenit, ut gentes quae non sectabantur iustitiam apprehenderent iustitiam, Israel vero in legem iustitiae non pervenerit (Rom. 9, 30. 31). Iudaei enim, cum gentes admitterentur in regnum Messiae sine lege mosaica media, sine circumcisione, repleti sunt zelo blasphemantes; vanitate sua nationali et odio in gentes concepto se ipsos excluserunt a regno Messiae (cf. Act. 13,45) et cum audirent Paulum narrantem Dominum sibi dixisse : vade quoniam ego in nationes longe mittam te, levaverunt vocem : tolle de terra huiusmodi; non enim fas est eum vivere; proiiciunt vestimenta quasi iamiam eum lapidaturi (Act. 22,21 s.). Atque gentes priores in regnum Messiae ingressuras esse Iudaeis renuentibus Isaias iam praedixerat (Is. 65,1 2; Rom. 10,20) et Christus claris verbis et parabolis significavit (cf. Matth. 8,11; 21,43; 22,8). Ita igitur Deus, qui est Deus omnium, dives in omnes (Rom. 10,12) fecit gentes coheredes, medium parietem solvit, ut gentes iam non sint hospites et advenae, sed cives sanctorum et domestici Dei (Eph. 2,14 s.) et tamquam tales cernuntur in gloria : vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis stantes ante thronum et in conspectu Agni, amicti stolis albis et palmae in manibus eorum (Apoc. 7,9). Hoc itaque consilium est Dei, qui omnia conclusit in incredulitate, ut omnium misereatur (Rom. 11,32); nam an Iudaeorum Deus tantum? nonne et gentium? immo et gentium (Rom. 3,29).

I. KNABENBAUER.

ETROTH (עַטְרוֹת שׁוֹפָן; Vulgata : Etroth et Sophan; Σοφάρ, cod. A γὴν Σωφάρ omissa priore parte nominis), urbs a filiis Gad reaedificata (Num. 32,25). Secundum textum hebraicum nonnisi una urbs Atroth Shophan indicatur, quae addito Shophan ab urbe Atroth (*Khirbet ʿAṭṭārūs*) v. 34 distinguitur. Situs accuratior ignoratur. Si vero propter nominis similitudinem in vicinitate *Djebel ʿAṭṭārūs* sita esse supponitur, iis urbibus accensenda erat, quae postea filiis Ruben traditae sunt (cf. Ios. 13,16. 17).

EUBULUS (Εὔβουλος), Christianus Romae degens, de quo S. Paulus scribit : salutant te Eubulus et Pudens etc. (2 Tim. 4,21). Ceterum nihil de eo innotuit.

EUERGETES (Εὐεργέτης), cognomen Ptolemaei III. et Ptolemaei VII. (IX.) regum Aegypti. Quaestio de Euergete, cuius mentio fit in Prologo ad Ecclesiasticum, intime connexa est cum altera quaestione de summo sacerdote Simone Oniae filio (cf. Eccli. 50,1-21); quare v. SIMON 2.

EUMENES (Εὐμένης) II. rex Pergami (197-159 a. Chr.), filius Attali I., erat socius Romanorum contra Antiochum III. Magnum, praecipue in proelio ad Magnesiam (189 a. Chr.); quare Antiocho III. devicto accepit a Romanis de regno eius Indiam, Mediam, Lydiam (1 Mach. 8,8). Textus ita emendandus esse aliquibus videtur, ut pro India substituatur Ionia (*Grotius*) et pro Media Mysia (*Michaelis*); Antiochus III. enim Indiam nunquam possederat et Mediam Romanis cedere non coactus est; ea vero, quae Eumeni II. de regno Antiochi III. a Romanis data sunt, indicat *Livius* 37, 55 : « ut eis Taurum montem, quae intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerentur, praeter Lyciam Cariamque usque ad Maeandrum amnem ». Ceterum adverte s. auctorem 1 Mach. 8,1 s. referre, quae Iudas Mach. de Romanis *audivit*, ut nobis explicet, cur Iudas

foedus cum Romanis inire quaesierit; quare mirum non est ibi aliqua narrari, quae rumore quidem et fama ferebantur, sed rebus vere gestis ex veterum scriptorum testimoniis non comprobantur. — De Eumene II. cf. *Livius* 37,39. 41. 55. 56; 38,38. 39; Epitome 46; *Appian.* Syr. 31 s. 44; *Strabo* XIII. 4,2; *Iustin.* 31,8; *Polyb.* XXI. 8,1 s.; 13,5; 14,3 s. XXII. 7,7.

EUNICE (Εὐνίκη), mater Timothei discipuli Pauli apostoli (2 Tim. 1,5), quae vocatur Act. 16,1 mulier Iudaea fidelis et quae ante Timotheum fide sincera Christo nomen dederat, uti ex 2 Tim. 1,5 consequitur; ab ea sine dubio Timotheus ab infantia in sacris litteris instructus est (2 Tim. 3,15).

EUNUCHUS (εὐνοῦχος) proprie qui cubiculum curat, cubicularius qua voce hebr. סָרִיס vertitur. Spadones apud exteras gentes custodes erant mulierum; cf. Esth. 1,10; 2,3. 14; 4,4 etc.; Dan. 1, 3. 7 eunuchi quoque educationi puerorum praeficiuntur. Verum Israelitis eiusmodi mutilatio lege erat interdicta; neque qui eam passus erat populo Dei poterat aggregari (Deut. 23,1). Si itaque in aula et in servitio regum Israelitarum mentio fit eunuchorum, hi vel alienigenae sunt (Ier. 38,7 Abdemelech, vir Aethiops eunuchus) vel vox סריס adhibetur notione quadam generali de aulico et ministro regio. Neque unquam apud Iudaeos, quantum ex libris historicis colligi potest, isti qui appellantur eunuchi ad custodiam gynaecei adhibentur. Porro nequit dubitari quin vox סריס etiam dicatur de eo qui non sit spado; exemplum habes Gen. 37, 36; 39,1 ss.; nam Putiphar dicitur eunuchus et tamen habet uxorem, quod exemplum qua notione apud Iudaeos vox valuerit probat, etsi quis falso diceret cum aliquibus criticis narrationes ibi diversas esse coniunctas. Praeterea eunuchi variis funguntur ministeriis, sunt belli duces (4 Reg. 18,17; 25,19 eunuchus, qui erat praefectus super bellatores viros) et ad varia officia a regibus deputantur (cf. 3 Reg. 22,9; 4 Reg. 8,6); unde facile explicatur cur nomen demum latiore sensu de ministris aulicis regum sit usurpatum.

Quamvis qui vere erant eunuchi non possent intrare ecclesiam Domini (Deut. 23,1), tamen uberes ipsis promittuntur favores et benedictiones Dei, si pietatem coluerint; cf. Is. 56, 4. 5; Sap. 3,14. Demum per quandam analogiam dicuntur eunuchi a Christo Domino illi, qui sua sponte propter regnum caelorum vitam eligunt caelibem, quod verbum utique non omnes capiunt, sed quibus datum est; qui potest capere capiat (Matth. 19, 11. 12).

EUPATOR (Εὐπάτωρ) v. Antiochus V. s. v. ANTIOCHUS 4.

EUPHRATES (פְּרָת, Εὐφράτης), fluvius maximus Asiae occidentalis, assyriace *Pura-nunu* i. e. fluvius magnus vel *Pura* i. e. fluvius et cum suffixo feminino *Purat* vel *Purattu,* persice *Ufrātu,* arabice *Frat.* Uti apud Assyrios, ita in sacris libris quoque fluvius magnus appellatur (Gen. 15,18; Deut. 1,7; 11,24; Ios. 1,4; Apoc. 9,14; 16,12), per antonomasiam etiam simpliciter הַנָּהָר, flumen (Gen. 31,21; Ex. 23,31; Num. 22,5; Ios. 24,2; 2 Reg. 10,16; 3 Reg. 4,21. 24; 14, 15; 1 Par. 19,16; 2 Par. 9,26; Neh. 2,7. 9; 3,7; Ps. 71[72],8; 79[80],12; Is. 8,7; 11, 15; 27,12; de Gen. 36,37 et 1 Par. 1,48 v. ROHOBOTH 1). Euphrates est fluvius quartus paradisi (Gen. 2,14). Terra, quae posteris Abraham promittitur, designatur terra a fluvio Aegypti usque ad Euphraten (Gen. 15,18; Ex. 23,31; Deut. 1,7; 11,24; Ios. 1,4), quam latitudinem regnum Salomonis habuisse dicitur 3 Reg. 4,21. 24 [hebr. 1 Reg. 5,1.4]; 2 Par. 9, 26. Praeterea v. 2 Reg. 8,3; 4 Reg. 23, 29; 24,7; 1 Par. 5,9; 18,3; 2 Par. 35,20; Iudith 1,6; 2,14; Ier. 13,4-7; 46,2. 6. 10; 51,63; 1 Mach. 3,32. 37. Symbolice nominatur Euphrates ad designandum hostium impetum (Is. 8,7; 11,15; cf. Ier. 2,18). Sapientia Salomonis aquis Euphratis comparatur (Eccli. 24,36).

Euphrates in montanis Armeniae ex duobus fluviis, qui ab oriente occidentem versus fluunt, coalescit scil. ex Euphrate orientali (*Murad-sū*), qui oritur iuxta *Ala Dagh* montem 3125 m altum et ex *Kāra-su,* qui prope Erzerum prosilit. Brevi post coniunctionem Euphrates

cum multis flexionibus Taurum meridiem versus perrumpit, a dextera parte tributarium *Sādjūr* recipit paulo infra *Djerābīs*-Europos (Charcamis), mox Mesopotamiam percurrens magis magisque inter meridiem et orientem dirigitur, a sinistra parte tributarios recipit *Belikh* prope *Rakka* (Nicephorium) et *Khabūr* (Habor, Chaboras) prope *Karkesia* (Circesium), demum haud procul a vico *Korna* cum Tigride coniunctus *Shatt el-ʿArab* i. e. flumen Arabum audit et in sinum Persicum effunditur.

Attamen antiquitus ostia Euphratis ac Tigridis inter se distabant, ut Plinius (VI. 27,130) testatur et documenta cuneiformia confirmant. Notum est illam regionem, quam *Shatt el-ʿArab* nunc permeat, nonnisi paulatim ortam esse, cum mare continuo recesserit ac novos alluvii tractus litori concesserit.

Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 34 s.; *Delitzsch*, Paradies p. 169 s.; *Ritter*, Erdkunde X.; *A. H. Layard*, Niniveh and Babylon p. 19. 467. 474. 475. 492; *Chesney*, The Expedition of the Survey of the rivers Euphrates and Tigris, London 1850; *Loftus*, Chaldaea and Susiana p. 282; *H. Rawlinson* in Journ. of the R. Geogr. Soc. XXVII. p. 186.

EUPOLEMUS (Εὐπόλεμος), filius Ioannis filii Iacob (Ἀκκώς), simul cum Iasone legatus Romam missus a Iuda Machabaeo, ut amicitia et societas cum Romanis constitueretur (1 Mach. 8,17; 2 Mach. 4,11). Fortasse idem est atque Eupolemus ille historiographus, qui de Iudaeae regibus scripsit a. 158/157 a. Chr. vel brevi post, cuius fragmenta exhibent Alexander Polyhistor (cf. *C. Müller*, Fragm. Hist. Gr. III. 207 s. fragm. 3. 13. 18. 20. 24), Clemens Alex. (Stromata I. 21 et 23 apud *Migne* 8, 877.900), Eusebius (Praep. evang. 9,17. 26. 30-34 apud *Migne* 21,705. 728. 748-753), Chronicon paschale (*ed. Dindorf* I. 117), Georgius Cedrenus (*ed. Bekker* I. 87); quem ethnicum fuisse opinatur quidem Flavius Iosephus (cont. Ap. 1,23), sed Iudaeum asserunt Eusebius (Hist. eccl. VI. 13,7) et S. Hieronymus (De viris illustr. c. 38).

Cf. *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3 I. 220. III. 351-354 et quae ibidem de Eupolemo historiographo allegantur.

EUROAQUILO, nomen venti flantis ex regione aquilonari Act. 27,14, ventus typhonicus (i. e. ventus procellosus), uti ibidem vocatur, qua navis abripiebatur et ad insulam Caudam (vide s. v.) appellebatur. Lectio graeca fertur varia; vocatur enim ventus εὐροκλύδων quasi late fluctuans, vel apud alios εὐροκλύδων Eurus fluctus excitans (?) vel εὐρακύλων quae vox est ipsa illa quam h. l. praebet Vulgata.

EUTYCHUS (Εὔτυχος), iuvenis qui dum Paulus apostolus Troade, profecturus in crastinum, sermonem protraheret usque ad mediam noctem, somno oppressus e fenestra tertii coenaculi decidit, quem sublatum mortuum Paulus descendens et (uti olim Elias) incubans super eum ad vitam revocavit (Act. 20,7-10).

EVA v. HEVA.

EVANGELIUM (εὐαγγέλιον); voce etymologice designatur nuntius bonus, laetus; nomine εὐαγγελίζειν LXX reddiderunt בָּשַׂר laetum afferre nuntium (cf. 1 Sam. 31,9; 2 Sam. 1,20; 18,19) et iam adhibetur vox de laeta annuntiatione beneficiorum messianorum Is. 40,9; 52,7; 60,6; 61,1. Atque eo sensu potissimum usurpatur in libris sacris novi foederis. Est quippe evangelium laetus nuntius de regno Dei, de Messia, de salute messiana, de doctrina et beneficiis Messiae. Dicitur evangelium Dei de Filio suo (Rom. 1,1. 3), quatenus Deus est auctor et largitor bonorum in illo nuntio hominibus oblatorum et quatenus Deus hunc nuntium, hoc praeconium laetum ac salutare hominibus mittit; dicitur evangelium de Filio quatenus Filius Dei illo nuntio praedicatur scil. quis sit, quae egerit, quae bona attulerit, quae docuerit. Eodem sensu dicitur evangelium Filii Dei, Christi, Domini nostri, regni Dei vel regni i. e. de Christo, de regno (cf. Matth. 4,23; 9,35; Marc. 1,1. 14; Rom. 15,19; 1 Cor. 9,12; 2 Thess. 1,8 etc. etc.); evangelium salutis nostrae (Eph. 1,13), pacis (6,15), quia eo praeconio salus et pax nobis annuntiatur et nuntio illo ac-

cepto salus et pax in nobis efficitur; evangelium gratiae Dei, gloriae Christi, gloriae beati Dei (Act. 20,24; 2 Cor. 4, 4; 1 Tim. 1, 11), quia in eo praeconio haec nobis manifestantur et in rebus illo nuntio nobis patefactis haec eximio modo relucent. Dicitur spes evangelii i. e. spes quae nuntio illo messiano continetur et fovetur (Col. 1,23), veritas evangelii, quae ea annuntiatione docetur, vera doctrina quae ibi continetur (Gal. 2,5. 14); fides evangelii firma persuasio qua quis nuntium illum amplectitur (Phil. 1,27). Porro si Paulus dicit evangelium meum, nostrum (Rom. 3,16; 16,25; 2 Cor. 4,3 etc.) intellegit praeconium suum et modum quo ipse tradit evangelium; si loquitur de evangelio circumcisionis, praeputii (Gal. 2,7), quod Petro, sibi commissum sit, dicit salutem messianam quae annuntianda sit Iudaeis, gentibus, proin munus et officium praedicationis Iudaeis et gentibus faciendae. Advertendum itaque est in sacris libris evangelium nunquam dici de libro scripto, qui usus vocis ad tempora posteriora pertinet.

Ex notione evangelii colligitur quoque significatio *evangelistae;* est evangelista in sacris litteris is qui nuntium illum laetum, evangelium, perfert et annuntiat. Eo nomine in libris novi foederis appellantur praedicatores evangelii qui non accensentur apostolis. Ita vocatur Philippus qui erat unus de septem (Act. 21,8); cf. Eph. 4,11 et Timotheo scribit apostolus : opus fac evangelistae (2 Tim. 4,5).

EVI (אֵוִי, Εὐί), unus ex quinque principibus Madianitarum, qui occisi sunt in proelio, quod contra Madianitas propter seductionem Israelitarum commissum est (Num. 31,8; cf. 25,1 s.). Idem Ios 13,21 scribitur in Vulgata Hevaeus; LXX Εὐί.

EVILMERODACH (אֱוִיל מְרֹדַךְ; 4 Reg. 25,27 Εὐαλμαρωδέκ, Ier. 52,31 Οὐλαιμαδάχαρ), filius et successor Nabuchodonosor, qui teste Beroso Chaldaeo (apud *Flav. Ios.* Cont. Ap. 1,20) duos annos regnavit (vel accuratius 562-559 a. Chr.) et anno trigesimo septimo transmigrationis Ioachin i. e. anno quo ipse Evilmerodach regnare coepit, Ioachin e carcere liberavit eumque ad suam mensam adhibuit (4 Reg. 25,27-30; Ier. 52, 31-34); quae exaltatio erat quasi augurium quoddam, quod Deus populum suum iterum ad meliorem conditionem esset adducturus. Nomen regis babylonicum est *Avil* (*Amil,* ut alii legunt) *Marduk* i. e. servus *Marduk* dei, uti multa alia nomina similia reperiuntur *Amil-Assur*, *Amil Ea*, *Amil Bel* etc. (cf. *Strassmaier*). *Amil* autem vel *Avil* aramaice transscribitur אול (v. Corpus inscript. semit., Paris 1889, I. 2 p. 66), quare Evilmerodach nomen nequit dici cum *Gesenio* (Thesaurus p. 41) aliisque a Iudaeis ad linguae suae similitudinem esse detortum, ut ex eo *stultum* (cultorem) Merodachi efficerent.

Cf. *Strassmaier*, Die babyl. Inschriften im Museum zu Liverpool, Leide 1885 p. 34; Inschriften von Nabuchodonosor, Leipzig 1889 p. 24; *F. Vigouroux,* La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. 339-340.

EVODIA (Εὐοδία); de ea scribit Paulus : Evodiam rogo et Syntychen deprecor idipsum sapere in Domino Phil. 4,2; illas laborasse cum apostolo in evangelio, etiam dicit in v. 3; ex quo simul elucet eas esse revera mulieres (αὐταῖς, αἵτινες), non, ut aliqui putarunt, viros; insuper Εὐόδιος nomen est viri. Eas itaque instanter adhortatur apostolus ad concordiam. Qua in re fuerint non unius sententiae, frustra inquiritur.

EXCELSA, בָּמוֹת, dicuntur altaria, sacella in montibus et collibus erecta, in quibus Israelitae sacrificare solebant vel Deo vel idolis. Antequam templum exstrueretur i. e. antequam Deus unum eligeret locum quem in una tribu se electurum promiserat (cf. Deut. 12,13. 14), valuit lex data Ex. 20,24 : altare de terra facietis mihi et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei i. e. ubicumque Deus singulari modo se manifestaverit. Ita Gedeon iubetur accepta revelatione : aedificabis altare Domino Deo tuo in summitate petrae huius super quam antea sacrificium posuisti (Iud. 6, 26) et David quoque iubetur constituere altare ibi, ubi angelus Domini percutiens

urbem peste steterat (2 Reg. 25,18; 1 Par. 21,15). Verum etiam templo erecto populus non cessabat cultum exercere illicitum in excelsis. In regno Israel hic cultus a rege Ieroboam maxime promotus est : fecit fana in excelsis, constituit in Bethel sacerdotes excelsorum, fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum (3 Reg. 12,31. 32; 13,33) et Israelitae aedificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis (4 Reg. 17,9; 23,19); ibi idololatriam et vitia ei coniuncta esse exercita ex Osee propheta et ex rebus gestis Eliae abunde constat. Etiam in regno iudaico excelsa retinebantur et sicut populus ante erectionem templi in excelsis immolabat (3 Reg. 3,2) et ipse Salomon quoque (3 Reg. 3,3), ita templo erecto pergebant. Nam continuo in historia sacra usque ad Ezechiam regem dicitur de unoquoque fere rege : excelsa autem non abstulit 3 Reg. 15,14 de Asa, 22,44 de Iosaphat, 4 Reg. 12,3 de Ioas, 14,4 de Amasia, 15,4 de Azaria, 15,35 de Ioatham; 16,4 Achaz immolabat victimas et adolebat incensum in excelsis. Ezechias autem, uti idololatriam exstirpare studuit, ita excelsa quoque dissipavit (18,4. 22); verum impius eius filius Manasses ea iterum aedificavit et idololatriam summopere fovit (21,3), quas abominationes Iosias rex demum sustulit (23,5) qui contaminavit excelsa de Gabaa usque Bersabee et excelsa quae erant in Ierusalem ad dexteram partem montis offensionis quae aedificaverat Salomon et excelsum in Bethel et omnia fana excelsorum in civitatibus Samariae abstulit et occidit sacerdotes excelsorum et combussit super altaria excelsorum ossa humana, ut scil. ea loca redderentur impura (23,8. 13. 15. 19. 20; 2 Par. 34,3).

In istis excelsis et Domino esse sacrificatum, in aliis autem idolis elucet quoque ex iis quae narrantur v. g. 2 Par. 14,2 Asa subvertit altaria peregrini cultus et excelsa et 17,5 Iosaphat excelsa et lucos de Iuda abstulit; alibi dicitur eos ipsos non abstulisse excelsa, ut supra vidimus (cf. 2 Par. 20,34) i. e. excelsa quae Domino dedicata erant non abstulerunt; excelsa autem idolorum destruxerunt. Quae acceptio inde quoque confirmatur, quia 2 Par. 14,2 et 17,5 excelsa commemorantur simul cum cultu peregrino et statuis vel symbolis idolorum (17,5 asherim). In cultum hunc excelsorum prophetae quoque invehebantur; cf. Is. 57,5-7; 65,7; Ier. 2,20; 3,6; 7,31; 17, 2. 3; 19,5 : et aedificaverunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim; Ez. 6,13; 16,16. 31 : excelsum tuum fecisti in omni platea, unde simul discimus altaria erecta in quovis loco paululum editiore vocata esse בָּמוֹת (20,28; 22,9; Os. 10,8; Mich. 1,5).

Cur eligantur montes, colles vel etiam construantur loca paulum editiora ad cultum divinum, explicari potest ex sententia omnibus fere gentibus communi, cum numen divinum habitet in excelso caelo, regiones caelo propiores cultui eius esse aptiores et ad cultum divinum opus esse, ut quis e rebus terrenis et infimis emergat. Est scil. ille cultus res quaedam sublimis, regione terrestri eminentior; quare omnino decere videtur, ut haec sublimitas exprimatur loco selecto qui a communi regione sit remotus et habitaculo divino quasi appropinquet. Praeterea hic cogitandi modus quasi sancitur et commendatur eo quod Abraham sacrificium offerre iubetur super unum montium quem monstravero tibi (Gen. 22,2) et quod iam antea in monte erexit altare Domino (Gen. 12,8) et quod Iacob immolavit victimas in monte (Gen. 31,54).

I. KNABENBAUER.

EXCELSA redditur bis hebr. רָאמוֹת Iob 28,18 et Prov. 24,7 (cf. Ez. 27,16 Vulgata : sericum), vox dubiae significationis, quam plerique corallia explicant.

Cf. *W. Gesenius*, Thesaurus 1249; *J. Wellhausen*, Reste arab. Heidentums *ed.* 2, Berlin 1897,163; *Gesenius-Buhl*, Handwb. *ed.* 13, 754 a.

EXCOMMUNICATIO. In s. litteris vox quidem excommunicationis non legitur, at res quam ea voce designamus indicatur. De excommunicatione synagogali vide s. v. ANATHEMA. Uti ethnici et publicani a coetu religioso Iudaeorum

exclusi erant, ita Christus declarat Matth. 18,17 s. excommunicandum esse eum, qui Ecclesiae iudicio non acquieverit et Ecclesiae sententiam apud Deum quoque ratam haberi. Eiusmodi sententiam exclusionis pronuntiavit apostolus contra incestuosum illum Corinthium (1 Cor. 5,3 s.), quem tamen acta poenitentia ab omnibus iterum magna caritate suscipi vult (2 Cor. 2,8); a commercio exclusum vult fratrem i. e. hominem christianum qui publice notus sit fornicator, avarus, idolis serviens, maledicus, ebriosus, rapax (1 Cor. 5,11). Simile quid iniungit Thessalonicensibus magna cum auctoritate, scil. in nomine Domini nostri Iesu Christi : ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis (2 Thess. 3,6) et : si quis non obedit verbo nostro per epistulam, hunc notate et ne commisceamini cum illo ut confundatur (v. 14). Neque aliter scribit S. Ioannes : si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec Ave ei dixeritis (2 Ioan. 10). Cf. etiam 1 Tim. 1,20; Tit. 3,10.

EXEDRA. Ea voce vertitur in Vulgata לִשְׁכָּה, conclave, cella; eiusmodi cellae complures erant in atriis templi, in quibus asservabantur quae ad templum pertinebant et in quibus sacerdotes quoque et levitae morabantur (cf. 4 Reg. 23,11; 1 Par. 9,26. 33; 23,28; 28,12; Ier. 35,2). Alias לשכה vertitur triclinium 1 Reg. 9,22, gazophylacium Ier. 36, 12; Ez. 40,17. 45; 42,1 etc. Neh. 10, 38.

EXERCITUS. De re bellica v. BELLUM.

Deus vocatur Dominus exercituum, Dominus Deus exercituum in libris Regum sedecies, ter in Paralip. et in libris propheticis ducenties quadragies quinquies (cf. Zeitschrift für alttestamentliche Wissenschaft 1886 p. 17); in Pentateucho, in libris Iosue et Iudicum istud Dei nomen non reperitur. Si de eius notione quaeritur, primum quod occurrit, est illud hebr. צבאות plerumque dici de agminibus Israel (cf. hebr. Ex. 6,26; 12, 17. 51; Num. 1,3 etc.) et Ex. 7,4 dici filios Israel a Domino exercitum meum et 12,41 exercitum Domini. Praeterea exercitus Israel vocatur acies Dei viventis 1 Reg. 17,26. 36 et 17,45 dicit David ad Philisthaeum : ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel; bella quae Israel gessit dicuntur bella Domini, proelia Domini (Num. 21,14; 1 Reg. 25,28); ipse Dominus dicitur pugnare pro populo, esse in medio exercitu Israel et contra adversarios dimicare (Ex. 14,14; Deut. 20,4), egredi ante faciem bellatorum, ambulare in medio castrorum (Deut. 23,14; 2 Reg. 5,24; Ps. 43,10; 59,12; 107,12); qui ad bellum opem ferre renuerunt, maledictione obruuntur, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adiutorium fortissimorum eius (Iud. 5,23). Ex hisce consequitur Dominum exercituum dici utpote ducem agminum Israel. Verum in hac notione minime est sistendum; immo ea ne praecipua quidem est et in sermone prophetico ea vix multis locis aptari potest. Unde alia quoque quaerenda est, quae eo ipso offertur quod agmina quoque caelestia, angeli, exercitus Domini, exercitus caelorum appellantur. Ita angelus qui Iosue apparet se vocat principem exercitus Domini (Ios. 5,13); Michaeas ait : vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum caeli assistentem ei a dextris et a sinistris (3 Reg. 22,19) et Ps. 148,2 in membris parallelis : laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnis exercitus eius (hebr.) et item Ps. 102,21 et quantis agminibus Dominus sit circumdatus, nos docet Daniel : millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei (7,10). Praeterea hebr. dicitur exercitus צבא caelorum de agminibus stellarum et de toto ornatu caeli; cf. Gen. 2,1; Is. 34,4; 40,26 : levate in excelsum oculos vestros et videte quis creavit haec; qui educit in numero militiam eorum et omnes ex nomine vocat; 45,12 etc. Quare nomine Domini exercituum praeclare declaratur maiestas et potentia Dei, cui praesto sunt copiae militares, agmina angelorum omnisque ornatus caelorum. Unde sollemne est apud prophetas eo uti titulo Domini, quo eius potentia, maiestas, gloria describi-

tur, tum in minis, reprehensionibus tum in promissionibus; utrisque enim ex illa maiestate et potestate maximum accedit pondus.

Titulus iste : Dominus sabaoth (κύριος σαβαώθ, saepius LXX) exprimitur in Vulgata quoque Dominus virtutum, praesertim in Psalmis (v. g. 23,10; 45,8. 12; 47,9; 58,6; 68,7; 79,5 etc.); apud LXX varie : κύριος τῶν δυνάμεων, παντοκράτωρ.

EXORCISTA (ἐξορκιστής) vi vocis is dicitur qui adiuratione vel obtestatione (ἐξορκίζειν) daemones e corporibus expellit; Act. 19,13. 14 narratur septem filios Scevae principis sacerdotum invocasse super energumenos nomen Iesu dicentes : adiuro vos (ὁρκίζω) per Iesum quem Paulus praedicat; quibus tamen adiuratio male cessit. Dicuntur fuisse de circumeuntibus Iudaeis exorcistis. Quale exorcistarum genus circumiverit, nos docet Flav. Iosephus (Ant. VIII. 2,5) narrans Salomonem reliquisse « formas adiurationum quibus vincta daemonia ita eiiciunt, ut nunquam revertantur; atque hoc sanationis genus etiamnum apud nos plurimum valet; vidi enim ex popularibus meis quendam Eleazarum coram Vespasiano et filiis eius et tribunis reliquisque militibus, ex daemonum potestate ab iis obsessos liberantem. Modus curationis erat talis : naribus daemoniaci admoto annulo, cuius pala una ex radicibus inclusa erat quas indicaverat Salomon, paulo post ex naribus odorantis extrahebat daemonem » etc. (radicem illam describit Bell. iud. VII. 6,3). Verum fuisse apud Iudaeos qui non arte magica, sed nomine Dei invocato daemones expellerent diximus supra s. v. DAEMONIACI.

EXPIATIO. 1. Voce *expiare* plerumque vertitur כִּפֶּר etc.; quae sit notio vocis elucet v. g. Lev. 16,16. 18. 19 hebr. ubi in membro parallelo expiare (כִּפֶּר) redditur emundare, sanctificare (item v. 20. 30; 2 Par. 29,15. 17). Dicitur de hominibus quorum culpa, immundities levitica et legalis, sacrificio oblato vel lustratione facta aufertur; eodemque modo ipsa quoque culpa dicitur expiari. Res quoque expiantur, ita altare i. e. usui profano subtrahi, emundari, consecrari significatur oblato sacrificio et sanguine sacrificali asperso (Ex. 29,36; Ez. 43,20). Eodem modo dicitur sanctuarium expiari ab immunditiis filiorum Israel, quatenus aspersione sanguinis sacrificalis sanctuarium concipitur mundari et consecrari, quod praevaricationibus Israel quasi maculatum cogitatur eo fere modo quo terra dicitur pollui et profanari peccatis habitantium (cf. Lev. 16,16; Ez. 45,20). Victima expiationis dicitur v. g. aries qui ad expiandum offerendus est (Num. 5,8); simili modo vocatur calamitas quae iam averti nequeat calamitas quae non possit expiari i. e. poena pro cuius ablatione iam non accipiatur a Deo sacrificium (cf. Is. 47, 11). Saepius quoque hebr. הִכֵּא redditur in Vulgata expiare i. e. luere peccatum, auferre peccatum, immunditiem (cf. Num. 19,19. 20; 31,20; Ez. 43,20). Demum aqua expiationis dicitur aqua illa lustrationis, de qua Num. 19,13. 21; 31, 23; hebr. מֵי נִדָּה i. e. aqua impuritatis, qua scil. impuri (levitice) emundantur.

2. Sollemnis dies expiationis celebrandus erat singulis annis mense septimo decima die mensis. Eo die ieiunandum erat (quare Act. 27,9 dicitur dies ille ieiunium, et apud Flav. Iosephum dies ieiunii Ant. XIV. 4,3; 16,4), abstinendum a labore, sacer coetus in templo celebrandus et plura sacrificia offerenda (cf. Lev. 23,26-32; Num. 29,7-11). Maxime autem propria erunt diei ea quae Lev. 16,1-34 praescribuntur de sacrificio expiationis quod pontifex pro se et domo sua et quod pro toto populo offerre debebat, de ingressu in sanctum sanctorum, de expiatione sanctuarii, de capro emissario etc. Semel in anno i. e. hoc solum die licuit pontifici cum thuribulo et sanguine sacrificali, quem septies spargebat ad propitiatorium, ingredi in sancta sanctorum. In hoc sacrificio diei expiationis cernit apostolus typum expiationis per Christum factae : Christus (παραγενόμενος) pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est non huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per pro-

prium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa (Hebr. 9,11. 12).

EXPLORATORES. Cum filii Iacob patriarchae frumenti emendi causa venissent in Aegyptum, Iosephus, ut eos probaret et exploraret, eos alloquitur : exploratores estis, ut videatis infirmiora (loca aperta, nuda, non munita, cf. hebr.) terrae venistis; immunita terrae huius considerare venistis (Gen. 42,9. 12); idque eo maiore verisimilitudine dicere poterat, quia in regionem Aegypti inferiorem adeo fertilem frequentes fiebant nomadum incursus; simul iis verbis quid velint exploratores satis declaratur. Ut terram Chanaan considerarent, qualis esset, et populum qui habitator est eius, utrum fortis esset an infirmus, si pauci numero an plures, misit Moyses duodecim exploratores, qui insuper referrent essetne terra bona an mala, essentne urbes muratae an absque muris, humus essetne pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus; quibus quid sit explorare terram accurate describit (Num. 13,17-20). Qui terram lustrarunt a deserto Sin usque Rohob i. e. usque ad partem septemtrionalem Palaestinae conterminam ditioni Emath (Epiphaniae ad Orontem sitae). Reversi sunt post quadraginta dies; verum exceptis Caleb et Iosue detraxerunt terrae quam inspexerant (Num. 13,33). Via illa per desertum Sin Palaestinam versus vocatur via exploratorum Num. 21,1. Cum essent in terra Amorrhaeorum, misit Moyses qui explorarent Iazer (Num. 21,32). Iosue quoque misit exploratores duos : ite, considerate terram urbemque Iericho (Ios. 2,1), quos Rahab sucepit et in solario abscondit, ne a rege Iericho comprehenderentur et quibus modum revertendi ad suos ostendit (2,3-24). Hi ad populum reversi iis animos addiderunt : tradidit Deus omnem terram hanc in manus nostras et timore prostrati sunt cuncti habitatores eius (v. 24). De Iericho misit Iosue exploratores contra Hai quae est iuxta Bethel, qui regione explorata nuntiarunt sufficere duo vel tria millia virorum ad civitatem delendam (Ios. 7,2). Pariter miserunt exploratores, viros quinque, filii Dan, dum sibi exquirere vellent possessionem (Iud. 18,2). David quoque per exploratores didicit, ubi Saul in deserto Ziph castrametatus esset (1 Reg. 26,4). Quam frequens fuerit adhibita ars ista explorandi, discimus quoque ex eo quod principes Ammonitarum et Hanon rex statim conatum explorationis suspicati sunt, cum David misisset ad regem, ut eum consolaretur de morte patris (2 Reg. 10,2 s.; 1 Par. 19,3). Explorandi subsidio usus est etiam Iudas Machabaeus (1 Mach. 5,38) et Ionathas « misit speculatores in castra ducum Demetrii et reversi nuntiaverunt quod constituunt supervenire illis nocte »; quare Ionathas suos vigilare armatos iussit (1 Mach. 12,26 s.).

EXSEQUIAE. Haec vox aliquoties legitur in Vulgata; sed in hebr. solum sermo est de planctu qui institui solebat; ita Gen. 50,10 : celebrantes exsequias planctu magno, hebr. et planxerunt eum planctu magno et gravi valde; item 2 Sam. 3,31 : plangite ante exsequias Abner, hebr. plangite coram Abner; 2 Par. 21,19 : et non fecit ei (Ioram) populus secundum morem combustionis exsequias, sicut fecerat maioribus, hebr. et non fecerunt ei combustionem secundum combustionem patrum eius (i. e. ad eius funus aromata non sunt combusta); 2 Par. 32,33 : et celebravit eius exsequias universus Iuda, hebr. : honorem fecerunt ei in morte eius universus Iuda. Ceterum v. SEPULTURA.

EXSILIUM tamquam poena assignatur Esdr. 7,26 decreto Artaxerxis in eos qui non fecerint legem Dei et regis. Alias inter poenas in transgressores statuendas eiectio e patria non reperitur apud Israelitas. Aliquo sensu dici potest Agar cum filio Ismael ista poena esse afflicta (Gen. 21,10), sicut Iephte quoque eiectus est ex patria (Iud. 11,2). Nos quoque loqui solemus Israelitas esse in exsilium abductos; in s. litteris eo sensu mentio fit captivitatis, transmigrationis; vide s. v. CAPTIVITAS et TRANSMIGRATIO.

EXSUL. Exsules vocantur in Vulgata Num. 35,26. 32 ii qui propter caedem

commissam confugerunt in aliquam urbem refugii. Cum a domo paterna et urbe patria abesse deberent (usque ad mortem pontificis), ut secure degerent, aliquo sensu exsules vocari possunt. In textu hebr. solum sermo est de fuga.

EZECHIAS (חִזְקִיָּה, חִזְקִיָּהוּ; Ἐζεκίας). **1.** Filius Achaz regis Iuda, rex Iuda; natus annos 25 incepit regnare et regnavit viginti novem annis (4 Reg. 18, 2; 2 Par. 29,1). Malis illis quibus sub Achaz rege impio regnum affligebatur mederi studuit eo modo quo ex legis mosaicae norma et Dei promissione prosper rerum eventus sperari potuit. Idololatriae bellum indixit, eius loca et vasa destruxit, cultum divinum restituit, sacerdotes et levitas officii serio admonuit et sollemnitatem paschalem ab universo populo celebrandam curavit. Eius pietas in s. litteris multis laudibus commendatur (4 Reg. 18,3 s.; 2 Par. 19,2 s.; et Eccli. 48,19-25). Dominus erat cum eo et in cunctis ad quae procedebat sapienter agebat; ipse percussit Philisthaeos usque ad Gazam et omnes terminos eorum (4 Reg. 18,7. 8); cf. Is. 14,29. Cum aegrotaret et Isaias iam ut domui suae prospiceret cum admonuisset, lacrimis et precibus (4 Reg. 20,3; Is. 38,1-22) a Deo impetravit, ut vitae eius adderentur anni quindecim. Proinde anno decimo quarto regni in morbum incidit. Signum autem promissionem divinam confirmans accepit, ut in horologio solari umbra regrederetur decem lineis.

Post sanationem advenerunt legati regis Merodach Baladan ex Babylonia, certe non tantum, ut ei acceptam sanationem gratularentur, verum ut cum eo foedus concluderent ad exutiendum iugum regis Assyriorum. Ezechias enim iam se belli peritum fortemque probaverat et Merodach Baladan qui conspirationem quandam generalem in Assyrios excitare conabatur, ne suspicionem regis Assyriorum provocaret, alias rationes legationis mittendae praetendit (cf. Is. 39,1; 2 Par. 32,31). Laetus de tali honore Ezechias universa quae habuit legatis ostendit, divitias et apparatum bellicum, ut simul patefaceret se validum esse belli socium, neque recordatur rex theocraticus Deum per prophetas semper reprobasse foedera cum extraneis. Quare mox a propheta Isaia reprehenditur et poena condigna domum suam esse afficiendam audit animo submisso. Morbum autem Ezechiae contigisse ante invasionem Sennacherib regis Assyriorum ex s. litteris indubie colligitur, quamvis ex ordine narrationis contrarium suaderi videatur. Nam regi aegroto fit promissio : de manu regis Assyriorum liberabo te; quae promissio certe datur eo tempore quo invasio instabat adhuc, non quando clade accepta Sennacherib iam non expeditionem in Palaestinam meditabatur. Dein morbo superato adveniunt legati quibus thesauros suos ostendit; sed cum Sennacherib terram invaderet et civitates munitas caperet, Ezechias omnes thesauros non solum domus suae sed templi quoque exhausit ad regem placandum (4 Reg. 18,15. 16). Cur autem hi duo eventus ordine narrentur inverso, ratio repeti debet ex libro Isaiae, ubi cap. 28-35 tempus describitur ante invasionem et modus quo propheta regem populumque ad eam praeparabat; hinc ipsa narratio statim subiungitur. Quia vero superbia illa regis occasione legationis babylonicae factum est, ut exsilium praediceretur babylonicum, propheta eam narrationem de morbo et sequenti legatione praemisit alteri libri parti (cap. 40-66), in qua de liberatione ex exsilio agere incipit.

Sennacherib anno 701 Palaestinam invasit. Ad quas angustias Ezechias redactus sit tum ex s. litteris tum ex inscriptionibus cuneiformibus patet; narrat quippe Sennacherib (cf. *Schrader, Brunengo*) quadraginta sex urbes munitas et oppida innumerabilia a se esse expugnata, plurimos in captivitatem abductos, regem in urbe sua Ierusalem esse inclusum sicuti avem in cavea, Ezechiam solvisse tributum, triginta talenta auri et octingenta talenta argenti aliasque res pretiosas. Verum de sua clade tacet et tributum referens ultimo loco (quod tamen solutum est mox ab initio invasionis, 4 Reg. 18,15. 16) quasi victor abscessisset callide rem ordine alio disponit. In summis rerum angustiis, quae

ad vivum describuntur 4 Reg. 18,17 s.; Is. 36,2, Ezechias rex duce et hortatore Isaia propheta se praebet fiducia in Deum animatum; qua fide id apud Deum consecutus est, ut peste in exercitum Assyriorum immissa centum octoginta quinque millia Assyriorum occubuerint et Sennacherib re infecta ex regione discesserit. — Ne urbs penuria aquae laboraret in obsidione Ezechias obturavit exitum aquarum Gihon superioris et avertit eas subter ad occidentem urbis David, fecit piscinam et aquaeductum et introduxit aquas in civitatem, in quo opere rupes quoque ferro erat fodienda (cf. 4 Reg. 20,20; 2 Par. 32,30; Is. 22, 11; Eccli. 48,19). Vide GIHON et Ierusalem III. 5 et 6.

Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 278 s. II. p. 1 s.; *Brunengo,* L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 16 ss. — De inscriptione Siloah, quae anno 1880 prope piscinam Siloe reperta est et a multis ad aquaeductum Ezechiae refertur, cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. III. 1880 p. 54; IV. 1881 p. 102 s. 250-271; V. 1882 p. 205-218.

2. Filius Naariae ex posteris Zorobabel (1 Par. 3,23).

3. Filius Sellum ex tribu Ephraim, vir princeps qui cum aliis hortante Oded propheta verbis gravibus effecit, ut captivi Iudaei ab Israelitis victoribus dimitterentur liberi (2 Par. 28,12).

4. Ezechias, a quo descendunt filii Ather, qui 98 numero duce Zorobabel ex exsilio redierunt (Esdr. 2,16; cf. Neh. 7,21 : filii Ater filii Hezeciae) et inter signatores foederis nomine Ater principis comprehenduntur (Neh. 10,17[18].

5. Eiusdem nominis vir est Hezecia (Vulg.), princeps populi, qui cum Ater inter signatores foederis recensetur Neh. 10, 17[18].

EZECHIEL. 1. Ezechiel (יְחֶזְקֵאל, Ἰεζεκιήλ), propheta, filius Buzi, sacerdos (Ezech. 1,3; 24,24; Ps. 64,1; Eccli. 49,10). In terram Chaldaeorum captivus abductus est undecimo anno ante expugnationem et destructionem urbis i. e. anno 599 vel secundum alios 597, quando scil. Ioachin cum nobilibus a rege Nabuchodonosor translatus est in Babyloniam (cf. 4 Reg. 24,10 s.; 2 Par. 36,10; Ier. 29,2). Anno quinto transmigrationis (594 vel 592) magnifica theophania ad munus propheticum vocatus est; Deus enim pro sua in exsules benevolentia et in documentum fidelitatis etiam inter exsules et in terra alienigenarum prophetam suscitare voluit. Morabatur Ezechiel in *Tel Abîb* iuxta fluvium Chobar in terra Chaldaeorum i. e. in Babylonia (v. CHOBAR). Cum eo tempore et inter exsules et inter Iudaeos in Iudaea spes vigeret et a pseudoprophetis foveretur, fore ut regno babylonico mox everso exsules brevi redirent (cf. Ier. 28,3. 4; 27,9; 29,4), prophetae in id incumbendum erat, ut ostenderet spem illam esse falsam et inanem, exsilium esse poenam propter scelera inflictam, neque ruinam regni iudaici posse iam averti. Quare scelera populi exagitat, ruinam regni iudaici non solum verbis, sed quo sensus omnium vividius percellantur actionibus quoque symbolicis annuntiat, obsidionem urbis, fugam Sedeciae, caedem plurimorum repraesentat. Ratio muneris eius est satis pro ipso dura et difficilis; mittitur ad contumaces et perversos qui quidem audiunt sermones eius, at non faciunt eos (33,30); satis dura quoque peragere iubetur et in se quasi partem poenae suscipere (4,4 s.) et ad calamitatem obsidionis Ierusalem praesignandam parcissimo victu sustentare vitam et mortem uxoris sine ulla doloris significatione ferre, quod sit exsulibus portentum fore ut illis ne lugere quidem liceat de caede et ruina carissimorum. Saltem per annos 22 officio prophetico functus est; nam oraculum ultimum quod in libro consignatum est, pronuntiatum fuit anno vigesimo septimo transmigrationis (29,17). Reliqua quae de eo feruntur apud *Ps.-Epiphanium, Isidorum* (*Migne* 43,401; 83, 143) plane incerta sunt; cf. in Actis Bolland. April. I. p. 857.

Argumentum vaticiniorum eius symbolice iam continetur in theophania qua ad munus propheticum vocatur. Dominus enim se ei ostendit iis circumdatum signis et imaginibus quibus se manifestat vindicem foederis violati et exsecutorem pacti initi fidelem. Unde propheta quoque in parte libri priore effert iudicia Dei in Iudaeos et gentes exteras (cap.

1-32), in altera instaurationem et exsecutionem promissionum (cap. 33-48). Poenam a Deo infligendam et causas poenae, scelera populi, principum, pseudoprophetarum prosequitur toto tempore usque ad expugnationem urbis Ierusalem. Qua urbe destructa incipit mentes dirigere ad instaurationem; ostendit quomodo vera resipiscentia opus sit ut ad eam praeparentur; modum declarat quo Deus instaurationem sit operaturus; auferet pastores malos, populum dispersum congregabit, bonum praeficiet pastorem, spiritu suo imbuet populum, adversarios reprimet. Uti liber incipit a visione, ita quoque clauditur visione qua ipsa instauratio symbolice repraesentatur tribus illis rebus ad eam necessariis : novo templo, novo Dei cultu, nova populi in terra sancta habitatione beata.

2. Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulgata scribitur Hezechiel (v. s. v.).

3. Ezechiel (יַחְזִיאֵל, LXX B omitt.) legitur Esdr. 8,5 : « De filiis Secheniae, filius Ezechiel et cum eo trecenti viri » scil. cum Esdra de captivitate redierunt. Sed nomen proprium videtur omissum esse et cum cod. A LXX legendum : De filiis *Zathoe* Sechenias filius Ezechiel (Σεχονίας υἱὸς Ἀζιήλ).

EZECIAS (חִזְקִיָּה. Ἐζεκίας), unus e progenitoribus Sophoniae prophetae (Soph. 1,1). Censent haud pauci eo nomine designari Ezechiam regem et prophetam regio sanguine esse clarum. At id improbabile est; nam in libris historicis non solum, sed etiam in propheticis ii qui reges fuerunt nomine regis apposito designari solent. Quod cum hoc loco non fiat, gratuito regem notari asseritur; atque quoniam nomine Ezechiae plures appellantur, eo magis exspectandum erat, ut regis nomen adderetur, si dignitas regia huic Ezeciae unquam propria fuisset. Neque veteres (cf. *Ps.-Epiph.*) nomen hoc ad genus regium retulerunt; retulerunt autem rabbini; quod tamen figmentum rabbinorum videtur esse contemnendum. — Alii tamen monent ex omisso nomine concludi falso non designari regem, cum in genealogiis id nomen non apponatur, uti apparet 1 Par. 2,1-15; 3,1 s.; atque nomine Ezechiae audito omnes de rege illo pio debuisse cogitare, nisi appositione quadam ab eo distingueretur : favere quoque locum, ubi vaticinatus sit Sophonias tempusque; Ierosolymis enim tempore Iosiae qui integro fere saeculo ab Ezechia distet Sophoniam munere prophetico functum esse.

Ezeciam esse Ezechiam regem censent *Aben Esra; Huetius*, Demonstr. evang. Prop. IV. p. 325; *A. Scholz*, Einleitung III. p. 604 ss.; *Vigouroux*, Manuel biblique *ed.* 9, n. 1102; *Holzammer*, Handbuch der bibl. Geschichte *ed.* 4. I. p. 760; *Zschokke*, Hist. sacra Ant. Test. *ed.* 5 p. 267; *Schenz*, Einleitung p. 285; *Cornely*, Introductio in S. Script. *ed.* 2, II. 2, n. 315; *Haevernick*, Einleitung II. 2 p. 393; *Keil*, Einleitung p. 332 et Comment. p. 454; *Kleinert*, Obadiah etc. p. 159; *Gandell*, Speaker's Comm. VI. 159; *Hitzig*, Die kleinen Propheten p. 248; *Hastings*, Dict. of the Bible II. 376 a.

Ezeciam esse Ezechiam regem negant *Ribeira, de Castro, Corn. a Lapide, Calmet, Reinke* (Der Prophet Zephanja p. 47), *P. Schegg, Trochon, Knabenbauer* (Comm. in Proph. min. II. p. 123), *Schoepfer*, Geschichte des Alten Testaments *ed.* 3 p. 385.

EZEL (הָאֶבֶן הָאֵזֶל; Vulgata : lapis cui nomen est Ezel; LXX τὸ Ἐργὰδ ἐκεῖνο). Iuxta lapidem Ezel David a Ionatha sedere iubetur et absconditus exspectare, donec Ionathas trium sagittarum signo ipsi mentem Saul regis manifestaverit (1 Reg. 20,19). Cum radix אזל significet *abire, discedere*, non improbabilis est explicatio (*Lyranus, Vatablus, F. de Hummelauer* ad h. l.) designari lapidem viatorium, quo via indicetur, lapidem abitus ceu discessus. LXX hoc loco pro אֶבֶן legebant אֲרֻגָּב (seu רֻגָּב a radice רגב *acervus lapidum* et pro הָאזל legebant הַלָּאז *ille;* hinc : *iuxta acervum illum*. — Porro de eodem lapide Ezel legitur 20,41 : surrexit David de loco, qui vergebat ad austrum (מֵאֵצֶל הַנֶּגֶב i. e. *de iuxta austrum*, LXX ἀπὸ τοῦ Ἀργάδ).

Driver (Notes on the Hebrew text of the Books of Samuel 1890) emendat 20,19 :

(הָלְאָה) אֶצֶל הָאַרְגֹּב הַלֵּז et 20,41 : מֵאֵצֶל הָאַרְגֹּב. E contra *H. A. Poels* (Le Sanctuaire de Kirjath-Jearim 1894 p. 32) censet pro אדל emendandum esse עזר ac proinde lapidem Ezel eundem esse ac lapidem adiutorii (v. LAPIS ADIUTORII).

EZER (עֵזֶר). **1.** Inter filios Hur filii Ephratha patris Bethlehem recensetur Ezer (LXX Ἰαζήρ), pater Hosa (1 Par. 4, 4); Hosa videtur nomen et personae et urbis esse.

2. Unus ex filiis Ephraim, quos occiderunt viri Geth et quos luxit Ephraim pater multis diebus (1 Par. 7,21; LXX Ἀζέρ); vide s. v. EPHRAIM 1.

3. Princeps ex tribu Gad, qui Davidi in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,9; LXX Ἀζά).

4. Levita tempore Nehemiae (Neh. 12, 41 [42]; LXX B omitt. A Ἰεζούρ).

EZIEL (עֲזִיאֵל; LXX omittunt), filius Araia, aurifex, qui partem muri Ierusalem aedificavit (Neh. 3,8).

EZRA (עֶזְרָה, Ἔσρί), pater Iether, Mered, Epher, Ialon ex posteris Iuda (1 Par. 4,17); de hoc textu vide s. v. BETHIA.

EZRAHITA vide s. v. ETHAN et EMAN.

EZREL (עַזְרְאֵל, Ἐζριήλ), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas mandante Esdra dimiserunt (Esdr. 10,41).

EZRI (עֶזְרִי, Ἐσδρί). **1.** Quod in Vulgata legitur Iud. 6,11 : pater familiae Ezri et 6,24; 8,32 : familia Ezri, videtur ex hebraico (אֲבִי הָעֶזְרִי) explicandum ita, ut Ioas pater Gedeon dicatur Abiezrita scil. ex posteris Abiezer (v. ABIEZER 1).

2. Filius Chelub operi rustico et agricolis a David rege praepositus (1 Par. 27,26).

EZRICAM (עַזְרִיקָם, Ἐζρικάμ, Ἐζρικάν). **1.** Unus ex posteris Zorobabel (1 Par. 3,23).

2. Filius Asel ex posteris Saul (1 Par. 8,38; 9,44).

3. Levita ex familia Merari (1 Par. 9, 14); idem in Vulgata Neh. 11,15 Azaricam vocatur.

4. Princeps domus Achaz regis seu praefectus palatii, qui a Zechri Ephraimita interfectus est in pugna illa, qua bellatores Phacee regis Israel 120 000 Iudaeorum occiderunt (2 Par. 28,7).

EZRIEL (עַזְרִיאֵל.) **1.** Unus ex principibus in dimidia tribu Manasse trans Iordanem (1 Par. 5,24; LXX Ἰεζριήλ).

2. Pater Saraiae principis in aula Ioakim (Eliacim) regis Iuda (Ier. 36,26; LXX Ἐσριήλ).

EZRIHEL (עַזְרִיאֵל, Ἀζαριήλ), filius Ieroham et princeps tribus Dan, quando David populum numerabat (1 Par. 27, 22).

F

FABA inter cibaria Davidi fugienti eiusque comitibus oblata recensetur (2 Reg. 17,28) atque cum frumento aliisque frugibus ad faciendos panes adhibenda prophetae praecipitur (Ez. 4,9). Significatio nominis hebraici (פּוֹל) non est dubia, quod etiam nunc Arabibus fabam designat; magno quoque consensu ab interpretibus veteribus (LXX κύαμος, Peshitta גּוּמָא, Chald. פּוּלָא etc.) pariter ac recentioribus retinetur. — Planta eo nomine designata, *Faba vulgaris* Mönch (= *Vicia Faba* Linné), ord. *Leguminosae*, ab antiquissimis temporibus in variis regionibus colebatur (*Homer*. Il. 13,589; *Herod*. 2,37; *Phanias* ap. *Athen*. 2 p. 54; *Cato*, De re rust. 27; *Columella*, De re rust. II. 10,5; *Plin*. XVIII, 12,117-122 etc.), eiusque semina tum in sepulcris aegyptiacis, tum in ruinis iliacis, tum in constructionibus subliciis (*Pfahlbauten*) inventa sunt. Cibum satis vulgarem praestabat atque etiam in panem utilis erat. Confundenda non est cum faba aegyptiaca s. loto indico (κύαμος αἰγύπτιος) scil. seminibus *Nelumbii speciosi* Willdenow (= *Nymphaea Nelumbo* Linné), quae ex India oriunda fortasse a Persis in Aegyptum introducta est. Licet posteriore tempore doctores talmudici etiam de hac פּוּלָא מִצְרַיִם loquantur (*I. Löw*, Aram. Pfl. p. 313), S. Scriptura tamen eam non videtur respicere.

Cf. *Iul. Alexandrinus*, Epistola apologetica de Fabis veterum, Francofurti 1584; *I. Vesti*, De symbolo Pythagorae : Fabis abstineto, Erfordiae 1694; *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 96-8; *A. M. Isink*, Disp. philol. de Fabis, Groningen 1712; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 129 s.; *O. Celsius*, Hierobot. II. 106 s.; *Menke*, De leguminosis plantis veterum, Göttingen 1814; *H. O. Lenz*, Bot. d. alt. Griech. u. Röm. 726-9; *P. Cultrera*, Flora Bibl. 220; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed*. 8, 422 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed*. 3 p. 122-4; *A. de Candolle*, Origine des pl. cult. 253-7; *V. Hehn*, Kulkurpfl. u. Hausth. *ed*. 6, 214 s.; *G. Schweinfurth* in Bull. de l'Inst. Ég. 1884 (extr. p. 5 s.); *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alt. Aeg. 34-46. 212 s.; *V. Loret*, Flore pharaon. *ed*. 2, 93 s. 111-13; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 13,352; etc.

L. FONCK.

FABULA ponitur in Vulgata pro hebr. שְׁנִינָה : eris in proverbium et fabulam i. e. in irrisionem Deut. 28,37; item 3 Reg. 9,7; similiter apud Latinos dicitur fabulam fieri vel esse, fabulam tota iactari in urbe. Eodem sensu Tob. 3,4 : traditi sumus... in fabulam omnibus nationibus (LXX εἰς παραβολήν, aram. לְקַרְנָא). Porro ea voce redditur μῦθος Eccli. 20,21 et saepius 1 Tim. 1,4; 4,7; 2 Tim. 4,4; Tit. 1,14; 2 Petr. 1,16, quibus locis docet apostolus, ne intendant quidam fabulis et genealogiis interminatis; ineptas et aniles fabulas esse vitandas; qui a veritate sese avertant converti ad fabulas, non esse intendendum iudaicis fabulis etc. Quinam sint huiusmodi μῦθοι, varie explicare tentant; at probabilissimum est, cum de genealogiis quoque mentio iniiciatur, intellegi commenta quaedam gnostica v. g. de emanationibus aeonum. Neque obstat quod de iudaicis fabulis sermo sit; nam primi haeretici gnostici ex Iudaeis erant et prima semina errorum gnosticorum iam iacta esse tempore apostolico etiam aliunde constat (cf. Col. 2,8; vide *Henle*, Der Evangelist Johannes p. 30. 42). Minus probabile est intellegi narrationes

confictas de Christo quales in apocryphis evangeliis contineantur, vel figmenta Iudaeorum de Messia, multoque minus narrationes Graecorum de diis etc.

In arte poetica species quaedam narrationis dicitur fabula. Ad eam fere accedere videtur narratio illa de arboribus quae regiam dignitatem recusant etc. Iud. 9,8-15 et quod respondit Ioas rex Israel Amasiae regi Iuda : carduus Libani misit ad cedrum etc. 4 Reg. 14,9, nisi utrumque ad parabolas propius accedere existimaveris, quoniam minae et reprehensiones istis parabolis exprimuntur (cf. Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XIV. 1860 p. 586).

FABULATORES (μυθόλογοι) Bar. 3,23; plerique vocem explicant vel de sapientibus qui proverbiis et parabolis propositis docebant, vel de iis qui res divinas se docere profitentur. Melius tamen vocem accipiendam esse de iis qui narrationibus alios delectant, monuit *Zenner* (Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck 1894, p. 587); nam in variis inscriptionibus simul cum negotiatoribus et viatoribus memoratur narrator rerum iucundarum, ludicrarum.

FACULA. Uti apud alias gentes, ita apud Iudaeos quoque gestatione facularum sollemnia celebrari solebant; ita festive consalutatur et suscipitur Iudith (13,16) et 2 Mach. 4,22 magnifice ab Iasone et civitate susceptus Antiochus cum facularum luminibus (δαδουχία, facularum gestatione) et laudibus ingressus est Ierusalem. Ad sollemnitatem quoque nuptiarum gestatio similis luminum pertinebat (cf. Matth. 25,1). Sicut apud antiquos Graecos, ita probabiliter etiam apud Hebraeos faculae consistebant sarmentis pice illitis; vel etiam stuppa, panni, fumes pice obducta adhibebantur; eiusmodi cogitandae erunt faces quas Samson ligavit ad caudas vulpium vel potius canum aureorum Iud. 15,4). Lumen facularum aptam praebet comparationem : verbum Eliae quasi facula ardebat (Eccli. 48,1); cf. Is. 62,1; Dan. 10,6; Apoc. 8,10 et Zach. 12,6 ponam duces Iuda... sicut facem ignis in faeno i. e. facillime superabunt quidquid obstaculi repererint.

FAENUM v. FOENUM.

FAENUS v. FOENUS.

FAEX. Sors quae alicui contingit, saepius metaphora calicis exprimitur. Ita si quis iram Domini in se experitur, calicem Domini bibere dicitur. Unde calicem Domini bibere usque ad faeces i. e. usque ad imum exhaurire significat maximam Dei iram experiri neque ullam poenae inflictae imminutionem posse exspectare; cf. Ps. 74,9; Is. 51,17; Ez. 23,34 : et bibes illum et epotabis usque ad faeces. Alia quoque applicatio a faecibus sumitur. Vinum enim quod diu super faeces suas imperturbatum in dolio residet, efficitur purum, suave, generosum; unde si Deus dicit : visitabo super viros defixos in faecibus suis (qui congelantur super faeces suas) eos designat qui in magna tranquillitate viventes nullaque adversitate agitati impiam suam indolem plane excoluerunt; residere super faeces est itaque vitam agere imperturbatam ideoque in vitiis perseverantem eisque in dies magis inhaerentem (cf. Ier. 48,11; Soph. 1,12). Quod Is. 49,6 in Vulgata habetur : faeces Israel, explica secundum hebr. servatos ex Israel (LXX τὴν διασπορὰν τοῦ Ἰσραήλ).

FALCATI CURRUS; ita vertitur in Vulgata Iud. 1,19; 4,3. 13 רֶכֶב בַּרְזֶל i. e. currus ferri, uti in Vulgata quoque legitur Ios. 17,16 : non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananaei i. e. curribus ligneis quidem, sed qui ferro vincti erant et quadamtenus obducti, quos currus ferratos vocant. Eiusmodi curribus Aegyptii quoque utebantur. Currus falcatos i. e. currus qui temones, axes, radios curvaturasque rotarum falcibus lanceisque prominentibus instructa habebant, quales apud scriptores graecos latinosque describuntur, secum adduxit contra Iudaeos Lysias (2 Mach. 13,2).

FAMES. Famem, penuriam alimentorum conligisse in Palaestina et in regionibus vicinis saepius narratur in s. litteris; ita Gen. 12,10 sub Abraham, 26,1 sub Isaac; maxime celebris est illa in Aegypto quam Ioseph praedixit sep-

tem annorum Gen. 41,27 etc. In Aegypto est terrae sterilitas, si quando aquae Nili non satis assurgunt, ut regionem perluant; in Palaestina, si imbres vel temporanei vel serotini deficiunt vel si regio locustis devastatur (cf. Ioel 1. 2). Deus populo peccatori minitatur se famem missurum esse (cf. Deut. 28, 20. 48; 32,24) et inter castigationes rebellibus inflictas simul cum gladio et peste fames nominatur (cf. Is. 51,19; Ier. 5,12; 14,12; 16,4; 27,13; Ez. 6,11 etc.); qui fame interiunt, sagittis famis dicuntur occidi Ez. 5,16. — De fame, quam Agabus propheta Hierosolymis Antiochiam veniens christianis praedixit, vide s. v. AGABUS.

Aliud famis genus Am. 8,11 memoratur : Deus scil. tempore calamitatis subtrahet consolationem per verbum propheticum quam alias mittere solebat, mittet famem audiendi verbum Dei in terram; cf. Ps. 73,9 : iam non est propheta et nos non cognoscit amplius.

FAMILIA ponitur in Vulgata pro hebr. בית; v. g. Gen. 50,4 familia Pharaonis (domus Ph.) et similiter 47,24; dein pro עֲבָדִים v. g. Gen. 45,16 gavisus est Pharao et omnis familia eius (servi eius); item pro עֲבֻדָּה Gen. 26,14; Iob 1,3 familia i. e. famuli, servi. Frequentissime vero ea voce redditur hebr. מִשְׁפָּחָה gens, cognatio; etiam aliquoties בֵּית אָבוֹת domus paterna. Tribus enim dividebantur in familias, familiae in domos paternas; cf. Ios. 7,16. 17 : inventa est tribus Iuda quae, cum iuxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare; illam per domos offerens (Iosue) reperit Zabdi, cuius domum in singulos dividens viros invenit Achan. Strictiore sensu voce familiae designantur qui in una domo habitant vel omnes alicuius heri famuli; latiore qui ad unam cognationem, gentem pertinent.

FAMULUS, hebr. עֶבֶד, adhibetur ut honorifica appellatio; ita famulus Domini appellatur Moyses (Ios. 1,13. 15; 8,31. 33; 11,12 etc.), Iosue (Iud. 2,8), David (3 Reg. 8,25 etc.). Qui loquitur, de se tamquam famulo eius ad quem sermo dirigitur loqui solet, praesertim si ad virum magnae auctoritatis fit oratio vel si loquens animum demissum significare vult; cf. Gen. 42,11 nec quidquam famuli tui machinantur mali; ne irascaris famulo tuo 44,18; en famuli tui flagellis caedimur Ex. 5,16 (ita praepositi filiorum Israel ad Pharaonem); des nobis famulis tuis etc. Num. 32,5 loquuntur Rubenitae et Gaditae ad Moysen. Eodemque modo de alio quodam sermo infertur; ita Iudas loquitur ad Ioseph : cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum etc. Gen. 44,24. Quandoque famulus dicitur notione servi cf. Gen. 41,12; Deut. 12,12; Ier. 34,11; vide s. v. SERVUS.

FANUM ponitur plerumque in Vulgata, ubi in hebr. de templo idoli legitur בַּיִת (domus); ita Deut. 3,29; Iud. 9,4. 27. 46; 1 Par. 10,10. Sed ea voce redditur quoque בָּמָה excelsum : Salomon aedificavit fanum (hebr. excelsum) Chamos 3 Reg. 11,7; cuius loci tamen sensus est : aedificavit sanctuarium, templum in loco editiore qui Chamos sacer erat, uti aliis in locis dicitur בֵּית בָּמוֹת, Vulgata : fana in excelsis 3 Reg. 12,31 et 4 Reg. 17,29. 32 vel in plurali 3 Reg. 13,32 (hebr. 1 Reg. 13,32) et 4 Reg. 23,19. In 2 Par. 14,5 fana habentur in Vulgata, in hebr. חַמָּנִים statuae scil. quae Baal solari consecratae erant vel columnae quibus Baal solaris repraesentabatur; demum 2 Par. 24,7 in Vulgata abundat fanum quod in hebr. non legitur. In 1 Mach. 5,43. 44 et 2 Mach. 1,15 fanum exprimit graecum τέμενος, qua voce proprie designatur locus profano usu exemptus et diis sacer; 2 Mach. 14,33 fanum reddit graecum σηκός (stabulum, sacellum).

FAR. 1. Far, hebr. כֻּסֶּמֶת, cum tritico, hordeo, lino in Aegypto colebatur, et quia serotinum erat, sicut et triticum, grandine laesum non est (Ex. 9,32). In Vulgata etiam Lev. 2,16 inter oblationes primarum frugum spicae « in morem farris » confractae et pars « farris fracti » commemorantur, ubi textus hebraicus generalius fruges comminutas (גרש כרמל)

habet. E contra vox hebraica duobus aliis locis cum variis frumenti et leguminum speciebus occurrit (Is. 28,25; Ez. 4,9 pl. כֻּסְּמִים, cf. *S. Hieron.* in h. l.), ubi Vulgata *viciam* explicat. Ex verbis Isaiae כֻּסֶּמֶת in marginibus agrorum post triticum serebatur, et ex Ezechiele ad panificium utile erat. LXX in libris Exodi et Ezechielis ὀλύρα, in Isaia ζέαν vertunt, ac similiter Aquila, Symmachus, Theodotion, Peshitta quoque et Targum (כדנתא) ador seu speltam interpretantur. Eodem sensu a S. Hieronymo, sicut ab aliis scriptoribus *far* pro farre adoreo s. spelta adhibetur. Ex versionibus posterioribus Graecus Venetus ὁ αἰγιλόψ i. e. avenae speciem habet.

2. Significatio vocis כֻּסֶּמֶת multis jam antiquitus satis dubia visa est, aliis inter leguminum, aliis inter frumenti species eam quaerentibus. At certum imprimis videtur, כֻּסֶּמֶת non inter legumina, sed cum frumento ponendum esse, ac non nisi ex confusione cum כרשנה pro viciae specie haberi (*I. Löw* contra *Wetzstein, Lagarde, Fleischer* al.; cf. *Löw*, Aram. Pfl. n. 72 et 170, approbante *Fleischer* ib. p. 105, revocata priore sua opinione). Certum insuper videtur, כֻּסֶּמֶת tritici speciem designare, ac probabiliter eam, quam versiones antiquae intellexerunt *Triticum speltam* Linné. Ratio dubitandi de hoc ultimo inde habetur, quod haec species frigidiori potius caelo apta videtur (*Plin.* XVIII. 8,83 « far contra hiemes firmissimum, patitur frigidissimos locos »), et quod neque in sepulcris et monumentis antiquis Aegypti (*A. de Candolle, G. Schweinfurth*), neque in antiquissimis constructionibus subliciis (*O. Heer*) ulla indicia eius culturam antiquam testantur. Quare *A. de Candolle* potius *Triticum monococcum* Linné designari censuit, mutata tamen postea opinione hanc quidem speciem inter speltas vetustissimam originemque reliquarum agnovit, de כֻּסֶּמֶת rem in medio relinquens. Fortasse non omnino improbabiliter quis *Triticum dicoccum* Schrank esse כֻּסֶּמֶת et ὀλύραν aegyptiacam suspicetur, cum species haec et speltae maxime affinis et in monumentis aegyptiacis atque in constructionibus subliciis inventa sit. At non minus probabiliter multi iuxta significationem propriam vocis et auctoritatem antiquorum revera *Triticum speltam* L. designari censent, eandemque speciem esse ὀλύραν et ζέαν, adoreum ac far, de quibus scriptores profani frequenter loquuntur, quamquam veterum auctorum descriptiones accuratiorem variarum specierum determinationem non admittunt (cf. *Homer.* Il. 5,196; 8, 564; Od. 4,41. 604; *Herod.* 2,36. 37; *Theophr.* Hist. pl. II. 4,1; VIII. 1,3; 4,1; 9,2 etc.; *Varro*, De re rust. 1,63; *Columella*, De re rust. 2,6. 8. 9; *Dioscur.* Mat. med. 2,111-115; *Plin.* XVIII. 7,30. 36. 61; 8,81-4; 30,298 etc.).

Cf. *O. Heer*, Pflanzen der Pfahlbauten, Zürich 1865, 6; *E. Boissier*, Flora orient. V. 672 s.; *A. de Candolle*, Origine des pl. cult. 291-4; *G. Schweinfurth* in Bull. de l'Inst. Egypt. 1886 (extr. p. 2.5-8); *id.* in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1891, 654; *G. E. Post*, Flora of Syria 899.

3. A farre dicitur farina adorea, quae sapori grata laudatur (*Diosc.* l. c. 111) atque praeserlim Aegyptiis cibum praestabat (*Herod.* l. c.). Sunt qui etiam farinam illam optimam in lege oblationum praescriptam (סֹלֶת, Vulg. *simila*) adoream fuisse censeant (*P. Schegg*, Bibl. Arch. 134). Ex farina autem crassiore, e zea et tritico parata et *crimnon* dicta, pultem vulgarem fieri *Dioscurides* auctor est (l. c. 112). — Nostra aetate *Triticum spelta*, licet non admodum frequenter, in Aegypto et Palaestina atque in reliquo Oriente colitur, quod immerito negat *A. de Candolle* (l. c.) et post ipsum *E. Levesque*.

Cf. *P. Forskal*, Flora aeg.-arab. p. 26; *C. Ritter*, Erdkunde XVI. 1,483; XVII. 2, 1358; *H. Steudner* in *Petermanns* Mitteil. 1861, 310; *Boissier* l. c. 672. — *E. Levesque* in *F. Vigouroux*, Dict. de la Bible II, 1821-4, qui rationibus non satis firmis *tritici* speciebus reiectis *sorghum* praefert, nulli scriptori ante aeram christianam notum neque ullibi in Syria, Palaestina, Arabia, Aegypto spontanee crescens inventum (*A. de Candolle* o. c. 306; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausth., ed. 6., 492 s.) neque ullo monumento antiquitatis in Aegypto certo probatum (*de Can-*

dolle l. c.; *G. Schweinfurth*, Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1891, 654, contra *Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 171-4 et *V. Lorel*, Flore pharaon. *ed.* 2, p. 25 s.).

De farre cf. praeterea *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. cont. 100-2; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 120 s.; *O. Celsius*, Hierobot. II. 98-101; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1, 83 s.; *C. Sprengel*, Comment. in Dioscur. 2, 111-5; *C. Fraas*, Synopsis Florae class., München 1845, 307; *H. O. Lenz*, Bot. d. alt. Griech. u. Röm. 42. 62. 252 s. 257-9; *P. Cultrera*, Flora bibl. 151 s.; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 1 *ed.* 3, p. 828; II. 2 p. 854; *Woenig* op. cit. 165. 167 s.; *J. Murr*, Die Pflanzenwelt in der griech. Mythologie, Innsbruck 1890, 151 s. 156; *Hehn* op. cit. 538 s. 542. — Cf. FRUMENTUM.

L. FONCK.

FARINA. Quod in Vulgata legitur Gen. 40,16 : ego vidi somnium quod tria canistra farinae haberem super caput meum, explica ex hebr. חֹרִי de pane similagineo, non de farina; LXX τρία κανᾶ χονδριτῶν. Et quod habetur Ex. 12,34. 39 farina conspersa et 2 Reg. 13,8 farina, hebr. בָּצֵק, explica de massa farinacea aqua subacta. Ceterum vide art. praec. n. 3 et s. v. MOLA.

FASCIA PECTORALIS; ita redditur Is. 3,24 פְּתִיגִיל quam vocem alii de pallio eleganti accipiunt; similiter iam LXX χιτὼν μεσοπόρφυρος; et Ier. 2,32 fascia pectoralis hebr. קִשֻּׁרִים, LXX στηθοδεσμίς nominatur inter ornamenta sponsae; vocem hebr. explicant cingulum; eam reddidit S. Hieronymus Is. 3,20 murenulas (LXX ἐμπλόκιον) i. e. genus torquis.

FASTI 1 Par. 27,24 דִּבְרֵי הַיָּמִים acta diurna, commentarii de rebus gestis. Eiusmodi commentarios de rebus gestis regum Iuda et Israel esse scriptos et ex iis multa esse assumpta in libros Regum et Paralipomenon, ipsi hi libri testantur; cf. 4 Reg. 13,8. 12; 15,15. 21. 31. 36; 16,19; 20,20 etc.; 2 Par. 16,11; 25,26; 27,6; 28,26; 33,18; 35,27. Multi putabant res gestas regum litteris consignare fuisse eius qui nominatur מַזְכִּיר (Vulgata : a commentariis), quam vocem de cancellario, historiographo accipiebant; at haec explicatio certa non est (vide s. v. COMMENTARIUS).

FAUNI FICARII, i. e. proprie dii quidam silvestres, dicitur a S. Hieronymo Ier. 50,39 pro hebr. אִיִּים, quod speciem animalis ululantis atque in desertis locis degentis, probabiliter *canem aureum*, designat, et alibi ab eodem sancto Doctore *ululae* (Is. 13,22) et *onocentauri* explicatur (Is. 34,14). V. CANIS AUREUS.

FAX vide s. v. FACULA.

FEL. 1. Fel a S. Hieronymo dicitur hebraicum רֹאשׁ (s. רֵאשׁ Deut. 22,32), quod in Vulgata bis etiam *amaritudo* (Os. 10, 4; Am. 6,13), semel *venenum* (Deut. 32, 33) itemque semel ob similitudinem vocis hebraicae *caput* explicatur (Iob. 20,16; cf. Eccli. 25,22 gr. 15). — Ex antiquis versionibus nihil certi de significatione huius vocis videtur erui posse, nisi quod pleraque amaritudinem significatam intellexerunt. LXX enim plerumque χολή vertunt (Deut. 29,18; 32,32; Ps. 68 [69], 22; Ier. 8,14; 9,15; Lam. 3,9), aliquando θυμός (Deut. 32,33; Iob 20,16; Am. 6, 12), semel πικρός (Ier. 23,15), semel ἄγρωστις (i. e. graminis species in agro crescens Os. 10,4). Peshitta ut plurimum *amaritudinem* indicat (מרתא, מררא, מרירא Deut. 29,18; 32,32; Iob 20,16; Ps. 68[69],21; Ier. 8,14; 9,5; 23,15; Lam. 3, 5. 19; Am. 6,12), semel vero *caput* (רישא Deut. 32,33) ac semel *vepretum* (יערא Os. 10,4). Itala similiter aut *fel* (Deut. 29,18; 32,32; Ps. 68,22; Ier. 8,14) aut *furorem* (Deut. 32,33; Iob 20,16; Am. 6,13) aut *amaritudinem* (Ier. 23,15 *aqua amara*) aut *gramen* agri (Os. 10,4) exprimit. Easdem fere significationes in reliquis versionibus invenimus.

2. Ex iis quae S. Scriptura de רֹאשׁ refert, imprimis concludere possumus, *herbam* aliquam *amaram* significari; *herba* enim supponitur Deut. 29,18 (radix germinans רֹאשׁ), et praesertim Os. 10,4, ubi « super sulcos agri germinare » dicitur; *amarum* vero esse istam herbam, ex omnibus fere reliquis locis apparet (Deut. 32,32; Ps. 68 [69], 22; Ier. 8,14; 9,15; 23, 15; Lam. 3,5. 19; Am. 6,13. Cf. Matth. 27, 34), in quibus רֹאשׁ auctoribus sacris figura est miseriae amarissimae atque iniuriae acerbae, ita ut pro quacumque

re amara adhibeatur. Proprie tamen herbam amaram significari etiam ex eo colligimus, quod frequenter simul cum absinthio nominatur (Deut. 29,18; Ier. 9,15; 23,15; Lam. 3,19; Am. 6,13). Praeterea cum Deut. 32,32 « *uva fellis* » (עִנְבֵי רֹאשׁ) nominetur, aliqui fructum huius herbae amarae supponunt similem esse uvis vel baccis (*Rosenmüller*, *Winer*, *Tristram*); quod minus necessarium videtur, cum potius amaritudo uvarum, sicut in membro parallelo, respiciatur. — Plerique insuper herbam illam *venenosam* censent, eo quod eadem voce venenum aspidum appelletur (Deut. 32,33; Iob 20,16). At in aliis locis (cf. praesertim Deut. 32,32; Ps. 68,22; Ier. 9,15; 23, 15; Lam. 3,5. 19) qualitas venenosa videtur excludi atque *amaritudo* herbae sola indicari, quae ad quamcumque rem amaram et iniucundam designandam inservit, adeoque etiam ad venenum aspidum transferri potuit.

3. Quodsi ulterius quaerimus, quaenam potissimum herba nomine isto designetur, varias a variis auctoribus propositas videmus. Cl. *O. Celsius* cicutam (*Conium maculatum* Linné), utpote maxime venenosam, nominat. *Michaelis* vel *hyosciami* speciem vel *Lolium temulentum* L., et *Oedmann* colocynthidem (*Cucumis colocynthis* L.) praeferendam censent. Pro hac ultima Oedmanni coniectura, quae etiam viro rei herbariae orientalis peritissimo *G. E. Post* satis arridet, praeter alia afferri posset, quod colocynthis etiam in lingua syriaca prae ceteris herbis tamquam amara designatur (מררת דברא amaritudo agri, vel בני מריר et בנת מריר, filii et filiae amari). — *Rosenmüller* autem varias plantas רֹאשׁ appellatas supponit, puta Os. 10,14 *lolium* (approbante *P. Schegg*, Bibl. Arch. 275), Deut. 32,32 aliquam ex ordine Solanearum speciem, alibi incertas alias. *W. Gesenius* papaveris speciem eius loco supponit, quam opinionem ceteris probabiliorem assumunt *Tristram* et *Henslow*.

Cum neque ex verbis S. Scripturae neque ex veterum auctoritate neque ex vocis in linguis hodiernis similitudine quidquam certi de plantae רֹאשׁ specie concludi possit, recentiores plerique rem in incerto relinquunt.

Cf. *O. Celsius*, Hierobot. II. 46-52; *I. D. Michaelis*, Fragen an eine Gesellsch. gelehrter Männer, Frankfurt a. M. 1762, 144-6; *id.* Supplem. in Lex. hebr. p. 2220-4; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 4,83-93; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,118 s.; *W. Gesenius*, Thesaurus 1251; *G. B. Winer*, Bibl. Realwb. *ed.* 3, I. 427; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,447 s.; *G. Henslow*, Plants of the Bible 39 s.; *G. E. Post*, Flora of Syria 324.

4. Alia notione magis propria fel, χολή, dicitur Tob. 6,5. 9; 11,4. 8. 11 de felle piscis, quod Tobias servare iubetur et quo oculos patris linit, ut visum recipiat. Felli quidem, uti patet, eiusmodi virtus per se non inest; attamen a veteribus salutiferum et efficax remedium in aegritudine oculorum censebatur, quod de felle siluri affirmari ostendit *Sam. Bochart* (Hierozoicon II. l. 5, c. 14, *ed. Rosenmüller* III. 701). Angelus itaque ex communi hominum opinione loquitur, sicut comes iuvenis locutus fuisset. Sanatio autem oculorum simili modo efficitur quo Christus saepius luto, lotione vel alia re tamquam instrumento ad lumen oculorum restituendum usus est.

L. FONCK.

FELIS v. CATTA et DRACO n. 5.

FELIX praeses, ad quem Paulus a Claudio Lysia in urbem Caesaream missus est (Act. 23,24. 26; 24,1-27). Coram eo Pauli causa agebatur Tertullo causidico accusante. Paulus defensione sua id effecit, ut praeses perspiceret non agi de crimine quodam sed de doctrina; unde dixit Felix se rem differre, donec Lysias descenderet. Paulus in custodia mansit; sui tamen libere ei poterant ministrare. Felix quoque mox apostolum vocavit et audivit ab eo fidem Christi; sed cum Paulus disputaret de iustitia et castitate et iudicio futuro, Felix tremefactus noluit audire; apostolum abire iubet addens : « tempore opportuno accersam te; simul et sperans quod pecunia ei daretur a Paulo, propter quod et frequenter accersens eum loquebatur cum eo »; nec tamen eum, cuius probitatem perspectam habebat, liberum

dimisit, sed volens gratiam praestare Iudaeis reliquit Paulum vinctum, cum biennio expleto accepit successorem Portium Festum.

Antonius Felix, frater Pallantis, libertus, a Claudio Caesare provinciae Iudaeae praepositus est : Claudius, ut *Tacitus* scribit, Iudaeam provinciam equitibus romanis aut libertis permisit, e quibus Antonius Felix per omnem saevitiam ac libidinem ius regium servili ingenio exercuit (Hist. 5,9; cf. *Suetonius*, Claudius cap. 28; *Flav. Ios.* Ant. XX. 7, 1 et alio loco Tacitus de eo memoriae tradidit : cuncta malefacta sibi impune ratus tanta potentia (scil. Pallantis fratris) subnixo (Annal. 12,54). Ionathan pontifex eum a Caesare in Iudaeam procuratorem mittendum petierat et postmodum, cum Felix res male administraret eum saepe admonuit, qui tamen pontificem per sicarios occidendum curavit (*Iosephus* l. c. 8,5). Praeterea vide s. v. DRUSILLA. Cur Felix voluerit gratiam praestare Iudaeis (Act. 24,27), patet ex eo quod saevitia sua odium Iudaeorum sibi concitaverat; unde merito timuit ne ab iis de mala administratione apud Neronem accusaretur. Atque revera « primores Iudaeorum Caesaream incolentium Romam ascendunt et accusationem contra Felicem instituunt; dedissetque omnino poenas iniuriarum quibus Iudaeos affecerat, nisi Nero fratris Pallantis qui tum maxime apud eum in honore erat, precibus supplicibus multa indulsisset » (*Iosephus* l. c. 8,9; cf. de Felice Bell. iud. II. 12,8-13,7). De quaestione chronologica vide *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3, I. p. 577, nota 38, ubi scripta sat multa de ea re satis controversa recitantur; ipse cum plerisque Felicem munere defunctum esse censet anno 60; aliter *Kellner* in Kirchenlexicon *ed.* 2 s. v. et cf. *Knabenbauer* in Act. Ap.

FEMINA. Apud Hebraeos femina non subiiciebatur durae servituti ac turpi, ut apud alias gentes fere moris erat. Hebraei enim s. libris de dignitate feminae edocebantur. Quae eius dignitas iam in narratione de creatione effertur. Deus enim qui hominem ad suam imaginem creavit, masculum et feminam creavit eos et utrique benedixit (Gen. 1,27. 28) et mulier, ex costa viri formata, ei tamquam adiutorium additur et Adam eandem secum in ea agnoscit naturam summamque cognationem : hoc nunc os ex ossibus meis etc. et quam intimo amore vir debeat adhaerere uxori, quacum unum quoddam constituat, clare enuntiat (Gen. 2,18-24). Mulier itaque non est serva neque famula viri, sed socia eius vitaeque comes; vir tamen priorem dignitatis locum obtinet, uti pariter ex ordine modoque creationis et viri natura elucet, prout etiam Paulus ex creatione officioque mulieris arguit : mulier gloria viri est; non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro; etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum (1 Cor. 11,7-9); inde dignitas viri prae muliere infertur; sed ne haec praecellentia vergat in superbam dominationem addit : verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino; nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem (v. 11. 12). Est itaque mulier sub viri potestate (Gen. 3,16), sed tamquam socia et adiutrix, quae viro adiuncta est ad finem generis humani obtinendum.

Atque haec dignitas feminae satis in historia populi Dei servatur. Haec elucet in Sara, Rebecca, Rachel; Debbora munere iudicis fungitur simulque est prophetis et ea hortante Barac insignem reportat victoriam (Iud. 4,5); pari modo Holda dignitate prophetica insignita erat (4 Reg. 22,14), quam Helcias pontifex aliique nobiles consulebant. Cum autem Deus propheticam dignitatem mulieribus quoque largiretur, totum sexum honore quodam affecit, similiter atque in nova lege per Mariae excellentiam sublimissimam aliquid splendoris sexui contulit. Ad propheticam dignitatem Anna quoque cantico suo fere accessit (1 Reg. 2,1-10). Feminae in festiva celebritate choros ducunt et cantu sollemnitatem augent : sumpsit Maria prophetissa tympanum in manu sua, egressaeque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris (Ex. 15,20); ita pariter Iud. 11,34 et 1 Reg. 18,6 et Ps. 67,26. Insigni encomio praedicatur

mulier bona Prov. 31,10-31 et Eccli. 26, 1 : mulieris bonae beatus vir; mulier fortis oblectat virum suum et annos vitae illius in pace implebit; pars bona mulier bona; in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis etc. v. 18-24; cf. Eccli. 7,21; 9,1. Neque minus dignitati mulieris consultum est legibus. Vir non potuit uxorem pro libitu repudiare; verum solum propter causam gravem (propter rem turpem) et scripto libello repudii (Deut. 24,1); si quis seduxerit virginem, dotabit eam et habebit eam uxorem (Ex. 22,26; Deut. 22,29 : non poterit dimittere eam cunctis diebus vitae suae); pariter consulitur filiae quam pater paupertate pressus vendidit in famulam (Ex. 21,7-11) et femina quoque alienigena, quae belli iure captiva erat, bene erat adhibenda (Deut. 21,11-15); sedulo quoque lege cavetur, ne filius primogenitus uxoris minus dilectae (si cui essent uxores duae) propter amorem alterius uxoris suo privaretur iure (Deut. 21,15 ss.). Feminae tamen non scribebantur heredes, si aderant filii (cf. Num. 36,1 ss.) neque uxori licebat dimittere virum seu libellum repudii dare. Ea in re mulier non eodem cum viro iure utebatur. Quae aequalitas in re matrimoniali in nova lege perfecte constituta est (cf. 1 Cor. 7,3. 4. 10. 11). Pariter verae mulieris dignitati prospiciebatur quoque gravissimis illis reprehensionibus quibus femina impudica, rixosa perstringitur (cf. Prov. 5, 1 ss.; 6,26; 7,5-27; 11,22; 19,13; 21,19; Eccl. 7,27; Eccli. 9,2-13; 25,28-30 etc.).

Sublimem rationem cur viri diligant uxores attulit Paulus eam repetens ex amore quo Christus dilexit Ecclesiam (Eph. 5,25), sed simul monet, ut mulieres debito contineantur ordine. Cum enim apostolus docuisset in Christo Iesu non esse masculum neque feminam (Gal. 3,28) et in re matrimoniali eodem iure uti virum ac mulierem, videntur mulieres quaedam eandem iuris aequalitatem etiam aliis in rebus appetiisse; ita Corinthi in coetibus religiosis se sistebant capite non velato. Quam maiorem libertatem apostolus reprehendit docens mulierem natura et conditione sua viro esse subiectam ideoque symbolum subiectionis, velamen, gerere debere neque in ecclesia docere (1 Cor. 11, 3 s.; 14,34) saepiusque in epistulis monet, ut mulieres subditae sint viris (Eph. 5, 22; Col. 3,18); idem docetur 1 Petr. 3,1 : sicut Sara obediebat Abrahae dominum eum vocans (v. 6), atque ut caveant ab ornatu exquisitiore monet princeps apostolorum; idemque Paulus (1 Tim. 2,9) qui mulierum et viduarum officia pluribus prosequitur (1 Tim. 2, 11 s.; 3,11; 4,4. 9-16; Tit. 2,3-5). Uti Christo et discipulis eius ministrabant piae mulieres facultatibus suis (Luc. 8, 3), ita apostolus quoque ad similia ministeria viduas advocari vult : vidua eligatur... in operibus bonis testimonium habens, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est (1 Tim. 5,9. 10). Idem apostolus qui dignitatem matrimonii tamquam mysterii magni praedicat (Eph. 5,32), praestantiam virginitatis pluribus commendat (1 Cor. 7,7. 8. 32. 34. 35); ex utraque autem doctrina consequitur dignitas feminae. Quae eo quoque commendatur, quia in piis illis mulieribus, quae Christo servierunt, cruci adstiterunt fortes et de mortuo atque sepulto adeo sollicitae erant, praeclaro exemplo cernitur, cuius pietatis, devotionis, amoris, fortitudinis capax sit sexus qui dicitur fragilior, utique non sine ope divina. Demum uti Ioel vaticinatus est : effundam de spiritu meo super omnem carnem et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae et quidem super servos meos et super ancillas meas effundam de spiritu meo et prophetabunt (3,28; Act. 2,17. 18), Deus dona sua et charismata etiam feminis non negat, prout iam cernebatur in mulieribus compluribus veteris foederis (Maria, Debbora, Anna, Holda, Iudith) et etiam multo magis eluxit in regno et tempore messiano, de quo Ioelis oraculum agit. Iam vero si Deus tali honore sexum feminarum ornat, consequens est quod in ditione christiana habetur, ut scil. sua mulieri dignitas servetur et agnoscatur. Et quamvis Deus nulli unquam feminae donum contulisset charismatis extraordinarium, tamen

feminae sua constaret dignitas ex creationis et redemptionis beneficiis.

I. KNABENBAUER.

FENESTRA; ita Gen. 6,16 merito vertitur צֹהַר; proprie : lumen (viam, foramen luminis, fenestram) in arca facies. Nomen magis usitatum est חַלּוֹן (id quod perforatum est) et cum fenestrae non vitro clauderentur, sed cancellis, clathris, etiam nomine אֲרֻבּוֹת i. e. cancelli designantur (cf. Is. 60,8, quo columbarium clathris clausum intellegitur). Etiam θύρα Eccli. 21,26 explicatur fenestra; alias θύρις Eccli. 14,24; 2 Mach. 3,19; Act. 20,9. In Vulgata Ioel 2,8 legitur : per fenestras cadent, hebr. יִשָּׁלֵחוּ (iaculum, missile, uti alias S. Hieronymus eam vocem vertit gladium Neh. 4, 11; Iob 33,18; 36,12. pugionem 2 Par. 23,10, armaturam 2 Par. 32,5), unde explicant : pone gladios cadunt, ruunt (cf. *Knabenbauer* ad Ioel 2,8). In fragmentis hebr. Eccli. 43,11 praecipitur de custodia filiae : in loco ubi moratur ne sit fenestra.

FERMENTUM. Israelitae cum festinato egrederentur ex Aegypto, tulerunt massam farinaceam (farinam conspersam i. e. aqua subactam) antequam fermentaretur et coxerunt panes azymos (Ex. 12, 34. 39); quare in commemoratione egressus ex Aegypto i. e. in festivitate paschali per septem dies non licebat comedere fermentatum (Ex. 12,15 s.; vide s. v. AZYMA). Pariter abesse debebat fermentum ab oblationibus. Inter cetera quae in regno samaritano peccabantur, Amos propheta etiam reprehendit, quod sacrificent de fermentato (4,5). Si apostolus vult, ut expurgemus vetus fermentum, ne in fermento malitiae et nequitiae festos agamus dies, sed in azymis sinceritatis et veritatis (1 Cor. 5, 7. 8), inde simul discimus quid fermentum symbolice significet et cur a sacrificiis abesse debuerit. Atque fermentum esse imaginem corruptionis etiam elucet, si discipuli iubentur cavere a fermento pharisaeorum et sadducaeorum i. e. a perversa eorum doctrina (Matth. 16, 6. 12; Marc. 8,15), vel si fermentum pharisaeorum dicitur hypocrisis (Luc. 12,1). Vim vero illam fermenti, qua suo sapore massam farinaceam penetrat et inficit, effert Christus, dum regnum caelorum comparat fermento, quia scil. doctrina Christi apta est quae afficiat, immutet, elevet omnes conditiones vitae humanae et quia dummodo suscipiatur eiusmodi effectus creat. Utramque rationem, corruptionem scil. et efficaciam penetrandi et inficiendi, videtur apostolus spectare, dum monet Corinthios modicum fermentum totam fermentare massam (1 Cor. 5,6) idemque Galatis inculcat (5,9), ut scil. caveant a iudaizantibus qui tanto studio et aviditate illis ritus quosdam iudaicos persuadere volunt.

FERRUM, hebr. בַּרְזֶל, gr. σίδηρος, inter metalla post aurum, argentum, aes locum habet (Num. 31,22; Ios. 22,8; 2 Par. 2,7; Is. 60,17 etc.). Licet illis vilius haberetur, satis magni tamen aestimabatur, ita ut in praeda ab hostibus capta specialis eius mentio fieret (Num., Ios. ll. cc.). — Inveniebatur in ipsa terra promissa (Deut. 8,9, quae verba multi recentiores de lapidibus durissimis *basaltes*, ferrum continentibus, interpretantur), ubi etiam nunc in montibus Libani, praesertim in provincia *Kesruān*, et in regione transiordanica (*Wādī ʿAdjlūn*) ferrum rude abundat. Praeterea Tyrii ex Arabia et Hispania ferrum cum aliis metallis accipiebant (Ez. 27,12. 19). Etiam *ferrum ab aquilone* commemoratur in textu massorethico et antiquis versionibus Ier. 15,12, ubi tamen *H. Winckler* loco בַּרְזֶל בַּרְזֶל מִצָּפוֹן legendum censet ברזל בעל־צפון, explicans verba de ferro montium Antilibani, qui assyriace *Baʿalṣapuna* vocantur et ferro insignes erant (Alttestam. Untersuch., Leipzig 1892, 180, cf. 131). Alii ferrum ab aquilone retinentes textum de ferro optimo et durissimo interpretantur, quod a populo Chalybum, regionem septemtrionalem prope Pontum inhabitante, nomen *chalybis* accepit (cf. *I. Knabenbauer* in Ier. 15,12). Eandem hanc optimam ferri speciem multi nomine פַּלְדָּה (pl. פִּלְדוֹת Nah. 2,3 hebr. ; Vulg. *habenae*) designatam censent; sed

explicatio huius vocis et textus satis dubia videtur.

Ferrum autem rarissime in statu puro invenitur; plerumque variis mineralibus intermixtum est, ideoque per ignem in *fornace ferrea* (Deut. 4,20; Ier. 11,4) purgari et probari debet (cf. Eccli. 31,31 Vulg.; cf. 34,26 gr.); tales fornaces etiam nunc in Libano ad obtinendum ferrum in forma satis simplici et primitiva, sed lignis Libani funestissima, in usu sunt. — Metallum hoc a Siracida cum « initio necessariae rei vitae hominum » (Eccli. 39,31 gr. 26) enumeratur; licet fortasse usus eius aeris posterior sit, in S. Scriptura tamen primus « malleator et faber in cuncta opera aeris » simul et ferri appellatur Tubalcain (Gen. 4,22). Etiam apud Aegyptios usum ferri antiquissimum fuisse et iam primis eius historiae saeculis viguisse ex monumentis antiquis constat. Ad vasa tabernaculi ferrum non legitur adhibitum esse; sed iam tunc ferrum in omnium usu ac nobilissimum fuisse, verba Moysis saepius indicant (Lev. 1,17; 26,19; Num. 35,16; Deut. 19,5; 27,5 etc.). In constructione templi hierosolymitani autem cum aliis metallis ferrum quoque plurimum impensum esse refertur (1 Par. 22,2. 14. 16; 29,2 etc.). Pariter in usu profano ferrum ad varia instrumenta, secures (Deut. 19,5; 27,5; 4 Reg. 6,5), « ferrata carpenta » (2 Reg. 12,31, hebr. *serrae*), cultros (ib.), manicas ac vincula et catenas (Ps. 149,8; Dan. 4,12), arma (1 Reg. 17,7; 2 Reg. 21,16; 23,7 etc.), vectes (Ps. 106[107],16), stilum scriptorium (Iob 19,24; Ier. 17,1) aliaque adhibebatur.

De aliis v. METALLA. Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,60-3; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 297-9. 404-23; *Naumann-Zirkel*, Elemente d. Mineralogie *ed.* 13 p. 407-9. 466-9; *R. Lepsius*, Die Metalle in d. aeg. Inschr., Philol.-histor. Abh. Berl. Akad. 1871, 102-12. 120; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 247-51; *Ad. Erman*, Aegypten 611; *id.* in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1888, 180.

L. FONCK.

FESTIVITATES seu dies festi. Agemus in hoc articulo primum de temporibus cultus divini, dein de tribus praecipuis festis annuis in genere, denique de minoribus quibusdam festis post exsilium exortis.

1. Ac primum quidem de temporibus cultus divini. Populus foedere cum Iahwe unitus quotidie cultu publico Deum prosequebatur (v. SACRIFICIUM IUGE matutinum et vespertinum). Sed ex ipso cultu divino, ex vita naturali ac sociali populi theocratici quasi natura duce dies festi maiores oriuntur, quorum plurimi ab ipso Deo Israelitis praescripti sunt. Tres classes dierum festorum apud Israelitas facile distinguuntur : 1) cyclus dierum festorum sabbaticus; 2) tria praecipua festa annua scil. paschatis, pentecostes, tabernaculorum; 3) dies propitiationis (dies 10. mensis Tishri). Quorum festorum id peculiare est, quod numero septenario reguntur. Etenim cyclus dierum festorum sabbaticus exordium sumit a sabbato, die septimo hebdomadae et gradatim evolvitur ad mensem sabbaticum i. e. mensem septimum Tishri (v. Neomenia mensis septimi s. v. NEOMENIAE), ad annum sabbaticum i. e. septimum quemque annum quieti consecratum (v. SABBATICUS ANNUS), ad annum iubilaeum i. e. quinquagesimum quemque annum, qui post septenas hebdomadas annorum seu post septies septenos annos ab ultimo iubilaeo celebrandus erat (v. IUBILAEUS ANNUS). Praeterea festum pentecostes (vide s. v.) seu hebdomadum post septem plenas a paschate hebdomadas celebrabatur, festa paschatis et tabernaculorum per septenos dies agebantur, dies propitiationis et festum tabernaculorum in mense septimo Tishri locum habebant; septem denique dies festi praeter sabbatum cessatione ab opere et sacra convocatione sanctificandi erant : dies prima et septima paschatis (dies 15. et 21. mensis Nisan), dies pentecostes, Neomenia mensis septimi, dies propitiationis, dies prima festi tabernaculorum (dies 15. mensis Tishri) et dies 22. mensis Tishri, quae septem diebus festi tabernaculorum superaddita erat quasi clausula omnium totius anni festorum. In lege de cessatione operis id discriminis advertitur, quod pro die sabbati et

die expiationis omne opus, labor quivis, omne negotium prohibeatur (cf. Ex. 20, 10; Lev. 23,3. 31; Deut. 5,14 et Num. 29,7 hebr. et LXX), pro aliis diebus festis solum omne opus servile (cf. Lev. 23,7. 8. 21. 25. 35. 36; Num. 28,18; 29, 1).

Cum in libris historicis rarissime fiat aliqua mentio dierum festorum, non defuerunt, qui negarent festos illos dies, quos mosaicos dicimus, esse institutionis mosaicae. Verum adverti debet, quam pauca de plurimis annis in libris historicis referantur; unde mirum esset, si festos dies esse celebratos saepius commemoraretur, cum tamen festum celebrare non sit neque eventus maximi momenti neque res fere inaudita. At nihilominus satis eius quoque rei ingeritur mentio. Refertur Ios. 5,10 phase esse celebratum die statuto et Iud. 21, 19 sollemnitas Domini in Silo anniversaria memoratur; Elcana statutis diebus ascendit, ut adoraret et sacrificaret Domino in Silo, ubi arca Domini erat 1 Reg. 1,3. 21. Salomon offerebat tribus vicibus per annos singulos holocausta et pacificas victimas 3 Reg. 9,25 et 2 Par. 8,13 : in sabbatis et in calendis et in festis diebus, ter per annum, id est, in sollemnitate azymorum et in sollemnitate hebdomadarum et in sollemnitate tabernaculorum. Ieroboam constituit diem sollemnem in mense octavo die 15. mensis in similitudinem sollemnitatis quae celebrabatur in Iuda (3 Reg. 12, 32). Uti maiorum, ita minorum quoque festorum non deest mentio v. g. calendarum i. e. novilunii 1 Reg. 20,5. 18 ss.; 4 Reg. 4,23; 1 Par. 23,31; 2 Par. 8,13; 31,3. Etiam plura indicia reperiuntur apud prophetas; Is. 1,13. 14 nominantur neomenia, sabbatum, festivitates aliae; 29,1 singulis annis ordine suo celebrari dicuntur sollemnitates et 39,29 fit allusio ad noctem sanctificatae sollemnitatis, ad phase; cf. Os. 2,11; 9, 5; Am. 5,21; 8,5. 10. Neque ullo pacto asseritur 4 Reg. 23,22 (cf. 2 Par. 35, 18) phase a diebus Iudicum usque ad Iosiam non esse celebratum, sed dicitur solum : non factum est sicut phase hoc (hebr.) i. e. ut Vulgata bene habet : nec enim factum est phase *tale* (cf. etiam 2 Par. 30,26; Neh. 8,17), quo modo loquendi non ipsa sollemnitas negatur, sed modus quidam peculiaris maximae festivitatis ac laetitiae et concursus totius populi in comparationem adducitur.

2. De tribus praecipuis festis annuis in genere.

Ter in anno, in festis paschalis, pentecostes, tabernaculorum lege statutum erat, ut omne masculinum coram Domino appareret (Ex. 23,14-17; 34,23; Deut. 16,16; cf. 2 Par. 8,13; Ez. 46,9; Io. 4,45; 7,8; 11,56; 12,12; Act. 2,5). Puerum ab anno aetatis duodecimo expleto hanc legem implere consuevisse innuitur Luc. 2,42 et ex placitis quoque rabbinorum posteriorum confirmatur, qui puerum ab ea aetate ad iciunandum et ad observationem legis maturum esse censebant et *filium legis* appellabant (cf. *Lightfoot*, Horae hebr. ad Luc. 2,42; *Wetstein*, Nov. Test. ad Luc. 2,42; *Patritius*, De Evang. lib. 3, diss. 38, cap. 1).

Attamen obligatio iam ante aetatem duodecim annorum adesse censebatur in Mishnae tractatu de sacris sollemnibus (Chagiga 1,1) : « Omnes tenentur comparere excepto surdo, stulto et *minorenne* (קטן), obturato, hermaphrodita, mulieribus, servis non libertate donatis, claudo, caeco, infirmo, sene et qui pedites advenire non poterant. *Quinam est minorennis?* quicunque nequit insidere humeris patris sui et Ierusolymis ascendere montem templi, sunt verba scholae Shammai. Schola Hillelis dicit; quicunque tenere nequit manum patris sui et Ierusolymis ascendere montem templi, uti scriptum est Ex. 23,14 : tria festa » (apud *Surenhusium* II. p. 413). Cf. *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 II. 425 s.; *A. Edersheim*, The life and times of Iesus I. 235 ss.

Quanta fuerit multitudo eorum, qui ad tria illa festa Hierosolyma ascenderent, testantur Philo (De monarchia 2,1 *ed. Mangey* II. 223) et Flav. Iosephus, qui ad festum paschatis 2700000 (Bell. iud. VI. 9,3) vel ad 3000000 (II. 14,3) hominum adfuisse refert, quo in numero utique incolae urbis comprehenduntur.

Talmudici tria illa festa sollemnia dicebant רגלים, quia omnes Israelitae mas-

culi tenebantur ascendere ad ea pedibus suis (*Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb. p. 2204).

3. De minoribus quibusdam festis post exsilium exortis. Ut liberatio Iudaeorum per Estherem facta celebraretur, instituebatur dies sortium, Phurim (vide s. v.). Iudas Machabaeus festum dedicationis templi seu encaeniorum instituit (v. DEDICATIO 2 et IUDAS 1). Praeterea die 13. mensis Adar celebrabatur memoria victoriae, quam Iudas Mach. de Nicanore reportaverat (1 Mach. 7,26-49; 2 Mach. 15,1 ss.; cf. *Flav. Ioseph.* Ant. XII. 10,5). Simon Machabaeus constituit, ut die 23. mensis secundi Ijjar ageretur memoria expugnationis arcis in Ierusalem (1 Mach. 13,50-52). Secundum Vulgatam Iudith 16,31 ille quoque dies, quo Holofernes a Iudith occisus est, in numero sanctorum dierum habebatur et ex illo tempore a Iudaeis colebatur.

Accedit denique festum Ligniferii (ἡ τῶν ξυλοφορίων ἑορτή), cuius meminit Flav. Iosephus (Bell. iud. II. 17,6) : « in quo mos est omnibus magnam lignorum vim ad aram comportare, ne quo tempore ad alendos ignes materia deesset (nunquam enim exstinguuntur) ». Eius festi in S. Scriptura mentio non fit; antiquitus Gabaonitae (Hevaei) perpetuo famulatu ligna pro domo Dei caedendi adstricti erant (Ios. 9,23); post exsilium vero Nehemias oblationem lignorum inter sacerdotes, levitas populumque sorte distribuit, ut ex ordine cognationum statutis temporibus in domum Dei inferrentur (Neh. 10,34; 13,31); eam autem lignorum oblationem quasi sponte cum laetitia festiva factam esse facile concipitur. Iosephus festo Ligniferii assignat diem 14. mensis syro-macedonici Λῶος (cf. loc. cit. cum II. 17,7) seu mensis quinti hebraici Ab; sed in Mishna (Taanith 4,5) novem dies speciales in anno recensentur ad hoc destinati, ut novem familiae in illis ligna afferrent. Ex testimoniis rabbinicis (Megillath Taanith §. 11; Mishna, Taanith 4,4. 5. 8, Megilla 1, 3; Gemara hieros. Taanith 68. 69. Megilla 70; Gemara bab. Taanith 28-31) apparet diem principalem Ligniferii fuisse diem 15. mensis quinti Ab (non diem 14. quem Flav. Iosephus assignat). Plura de hoc festo vide apud *Otho*, Lexicon rabbin. p. 380; *P. Scholz*, Die heiligen Alterthümer des Volkes Israel II. 105-106; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 II. 260. 261.

FESTUS (Φῆστος). Antonio Felici in procuratione Iudaeae successit Porcius Festus a Nerone missus (cf. *Flav. Ios.* Ant. XX. 8,9; Bell. iud. II. 14,1). Cum a Caesarea Hierosolyma ascenderet, adierunt eum principes sacerdotum et nobiles Iudaeorum rogantes, ut Paulum Hierosolyma duci iuberet, quo in itinere ei insidias struere volebant. Verum abnuit Festus iubens accusatores Pauli Caesaream venire, ubi Paulus servaretur. Reversus post aliquot dies Festus pro tribunali sedit; contra accusationes Paulus demonstrat se neque in legem neque in templum neque in Caesarem peccasse. Sed cum Festus Iudaeis gratiam praestare volens Paulum Hierosolyma mittere velle videretur, Paulus probe intellegens fore, ut traderetur Iudaeis inimicis infensissimis, iure suo civis romani utens Caesarem appellavit. Festus omnino perspexit nullum in Paulo crimen esse, sed agi solum de quaestionibus religionis; verum cum ipse quoque gratiam praestare vellet Iudaeis, Paulum non liberum dimisit; at cum Paulus civis romanus coram tribunali procuratoris i. e. Caesaris esset accusatus, eum invitum ad tribunal provinciale amandare non potuit; unde quaerit : vis Ierosolymam ascendere et ibi de his iudicari coram me? a synedrio scil. me praesente? Sed quid Iudaei contra se molituri essent, Paulus satis cognovit; unde respondit : ad tribunal Caesaris sto... nemo potest me Iudaeis donare; Caesarem appello (Act. 24,27-25,11). Consiliarii Festi vel assessores (*Suetonius*, Tib. 33) consenserunt appellationem posse admitti. Sed quo elogio scripto Paulus mitti poterat? De quo cum Festus dubitaret, Paulum produxit ad Agrippam regem, qui post aliquot dies cum Bernice uxore advenerat Festi salutandi causa (25,12-27). Coram hisce itaque Paulus vitae suae ac praedicationis rationem reddidit, et cum sermonem inferret de Christi resurrectione, insanis Paule,

inquit Festus, multae te litterae ad insaniam convertunt. Agrippa autem Festo dixit : dimitti poterat homo hic si non appellasset Caesarem (25,28-32). — De eius administratione vide Ant. XX. 8,9-9,1; ex qua narratione sequi videtur Festum per breve tempus munus gessisse.

FICUS. 1. Ficus (ficetum, ficulnea) hebr. dicitur תְּאֵנָה, graece vero συκῆ et σῦκον; fructus praecoqui primi temporis בִּכּוּרָה audiunt, immaturi vero פַּגָּה (Cant. 2,13 Vulg. *grossi*), quam vocem alii de ficis tenerioribus intellegendam censent (*P. Schegg*, Bibl. Arch. 191, collato etiam Ez. 27,17 פַּנַּג, de quo v. BALSAMUM 1). Significatio nominis hebraici, linguis semiticis communis, dubia non est omnibusque arborem fici (*Ficus carica* Linné, ord. *Urticaceae*) eiusque fructus designat.

De variis fici nominibus cf. *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 335; *P. de Lagarde*, Mitteilungen I. 58-75; *Fr. Hommel*, Aufsätze u. Abhandl., München 1892, 93. 100-6; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausth. *ed.* 6., 94-7. 560 s.; *O. Schrader* ib. 99-101.

2. Fici patria satis probabiliter Arabia meridionalis censetur, unde saltem 2500 fere annis ante Christum in Aegyptum translata atque in alias quoque regiones praesertim circa mare Mediterraneum invecta est. Hodie pluribus varietatibus ibidem ubique colitur atque etiam non culta in variis locis in statu silvestri invenitur.

Cf. *C. Ritter*, Erdkunde XI. 537-49; *Graf zu Solms-Laubach* in Abhandl. d. Ges. d. Wissensch. zu Göttingen XXVIII. 1882; *E. Boissier*, Flora orient. IV. 1154; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3. p. 537 s.; *A. de Candolle*, Origine des pl. cultivées 235-8; *Frz. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 292-7; *L. Anderlind* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XI. 1888, 79-81; *G. Schweinfurth* in Verh. d. Berl. Ges. f. Anthrop. 1891, 657; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, 47 s.; *A. Engler* in *Hehn* op. c. 97-9; *G. E. Post*, Flora of Syria 730. — De ficu ap. Assyrios cf. *A. H. Layard*, Monuments of Nin. II. 14. 15. 22. 23. 24; *E. Bonavia*, Flora of the Ass. Monum., London 1894,14.

3. S. Scriptura inter fructus praestantissimos terrae promissae ficos frequenter commemorat. Exploratores a Moyse missi « de ficis loci illius tulerunt ad demonstrandam terrae ubertatem » (Num. 13,24), quam et Moyses ex ficis commendat (Deut. 8,8); pariter tempore Esdrae Hierosolymis venales afferebantur (Neh. 13,15) atque etiam prophetae signum sunt felicitatis terrae (Ioel 2,22) et a Sponso inter delicias horti regii enumerantur (Cant. 2,13). Cum ficulnea largis foliis suis ramisque expansis incundam praebeat in ardoribus umbram (cf. Io. 1.48. 50), fructuque suo dulcissimo omnibus gratissima exsistat (cf. Iud. 9,10 s.), imago pacis et securitatis saepius dicitur habitare sub ficu sua (3 Reg. 4,25; Mich. 4,4; Zach. 3,10; 1 Mach. 14,12) et comedere de fructibus eius (4 Reg. 18,31; Is. 36,16). E contrario locus pessimus Israelitis est desertum, quia « nec ficum gignit nec vineas » (Num. 20,5), et inter calamitates poenasque divinitus inflictas recensetur quod « alienus comedet ficum tuam » (Ier. 5,17) et grando percussit ficulneas eorum (Ps. 104,33) et defuit folium de ficu (Is. 34,4) et non sunt ficus in ficulnea (Ier. 8,13) et corrumpitur ficus (Os. 2,12 hebr. 14) et decorticatur, unde elanguit (Ioel 1,7. 12; cf. Am. 4,9; Hab. 3,17; Ag. 2,20).

Praestantissimae autem censebantur ficus praecoquae (Is. 28,4 Vulgata *temporaneum;* Ier. 24,2; Os. 9,10; Mich. 7,1; Nah. 3,12); ac licet etiam ficulneae spontanee crescentes aliquos fructus ferant, cura tamen et labore servare ficum oportet, ut quis fructuum suavitate et dulcedine fruatur (Prov. 27,18; cf. Luc. 13,6 ss.). — Etiam in comparationibus biblicis saepe tum ficus bonae tum malae adhibentur (Ier. 24,1-8; 29. 17; Matth. 7,16; 24,32; Marc. 13,28; Luc. 6,44; 21,29; Iac. 3,12; Apoc. 6,13), ac praesertim in ficu illa sterili foliis ornata Dominus imaginem populi religione ac pietate carentis, sed cultus rituumque pompam servantis ostendit (Matth. 21,19 ss.; Marc. 11,13 ss.). Nam cum ficulneae folium serius nascatur, quam pomum (Plin. XVI. 26,113), videns Dominus, more hominum agens, ficum habentem folia, rationabiliter fructum in

ea exspectare potuit. — Remediis quoque aptus fructus fici censebatur, ac sicut iussu Isaiae imposita massa de ficis curavit ulcus Ezechiae regis (4 Reg. 20,7; Is. 38,21), ita etiam postea usus eius medicinalis cognitus erat atque hodiedum remansit (*Dioscur.* Mat. med. 1, 183-6; *Plin.* XXIII. 7,117-30).

4. De foliis fici, quae consuerunt primi parentes, ut facerent sibi perizomata (Gen. 3,7) aliqui dubium moverunt, verane ficus an alia arbor in textu sacro intellegenda sit, ac parum quidem probabile censentes ficum in horto paradisi exstitisse plures potius arborem indicam, *Musa sapientum* Linné vel *M. paradisiaca* L. dictam (de qua cf. *Leunis-Frank* o. c. 768-70), Adamo eiusque coniugi folia praebuisse existimarunt. At dubium mere negativum non sufficit, ut eidem nomini תְּאֵנָה aliam in hoc loco significationem fingamus, neque folia arboris illius, 2-4 metra longa, apta apparent quae ad perizomata *consuantur*.

De cibi specie ex ficis parati, quam *massam caricarum* et *palathas* S. Hieronymus vocavit, v. CARICAE, PALATHA. — *Ficeta* 1 Par. 27,28 ponitur pro hebr. שִׁקְמִים, i. e. sycomori. V. SYCOMORUS.

De ficu praeter auct. cit. cf. *I. H. Heidegger*, De Ficu a Christo maledicta, Amstelodami 1657; *I. H. Ursinus*, Arboret. bibl. 424-55; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 150-70; *C. v. Linné*, De ficu, Upsaliae 1744; *O. Celsius*, Hierobot. II. 368-99; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,285-92; *H. O. Lenz*, Bot. d. alt. Griech. u. Röm. 121-7; *P. Cultrera*, Flora bibl. 386-96; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 350-3; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 189-91; *L. Schneller*, Kennst du das Land *ed.* 16, Leipzig 1899, 104-7, 278-88.

L. FONCK.

FIDEIUSSOR. De sponsione, cautione qua quis se pro altero obstringat nihil quidem reperitur in lege mosaica; sed eiusmodi sponsionem esse consuetudine inductam apparet ex variis quae in libris Prov., Iob, Eccli. leguntur. Data dextera fiebat sponsio (cf. Iob 17,3 hebr.; Prov. 11,15; 17,18; 22,26, hebr.). Si debitor non potuit vel noluit debitum solvere, creditor rem a fideiussore repetebat; immo eum vestimento, lecto spoliare potuit: tolle vestimentum eius qui fideiussor exstitit alieni et pro extraneis aufer pignus ab eo (Prov. 20,16) et 22, 26 s.: noli esse cum his qui defigunt manus suas (i. e. qui dexteras dant, sponsione se obstringunt) et qui vades se offerunt pro debitis; si enim non habes unde restituas, cur auferet lectum tuum sub te (hebr.; Vulgata: quid causae est ut tollat operimentum de cubili tuo). Unde dicitur multos cautione interposita perdidisse rem familiarem et e patria fugere debuisse: repromissio (ἐγγύη) multos perdidit dirigentes (κατευθύνοντας) et commovit illos quasi fluctus maris; viros potentes migrare fecit et vagati sunt in gentibus alienis (Eccli. 29,24. 25). Quare sapiens monet: fili mi, si spoponderis pro amico tuo, (si defixisti apud extraneum manum tuam (i. e. si pro alio dexteram dedisti sponsionis, cf. hebr.), illaqueatus es verbis oris tui... fac ergo, quod dico, fili mi, et temetipsum libera etc. Prov. 6,1 s. et: affligetur malo qui fidem facit pro extraneo; qui autem cavet laqueos (i. e. qui cavet a sponsione, cf. hebr.) securus erit Prov. 11,15; quare Prov. 17,18 hebr. stultus vocatur qui pro alio cautionem interponit et dexteram dat et similiter 22,26 datur monitum, ne quis se vadem praestet pro alio, cum sit periculum ne se ipsum bonis suis privet; cf. Prov. 27,13. Simul tamen indicatur boni viri esse sponsione sese pro alio obstringere; proin solum monetur ne quis id inconsiderate faciat; vir bonus fidem facit (ἐγγυήσεται) pro proximo suo Eccli. 29,19; solum is qui omnem abiecit pudorem derelinquet eum; quare qui eiusmodi beneficium accepit, monetur: gratiam fideiussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam Eccli. 29, 20. At is quoque reprehenditur qui statim fideiussorem spoliat: bona repromissoris (ἐγγύου) sibi ascribit peccator (29,22). — Sponsor pro Beniamin exstitit Iudas Gen. 43,9; 44,32.

FIDES. In Vetere Test. saepe ponitur pro hebr. אֱמוּנָה; ita v. g. 1 Sam. 26,23: Dominus autem retribuet unicuique secundum iustitiam suam et fidem i. e. fidelitatem; similiter 4 Reg.

12,15, ubi dicitur, eos qui accepissent pecuniam eam in fide i. e. cum fidelitate, uti praescriptum erat, tractasse; item 22,7 : verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant et in fide; simili notione 1 Par. 9,22 et Ps. 32,4 Dei fidelitatem exhiberi dicitur in eius operibus; pariter Is. 11,5 fides i. e. fidelitas appellatur cinctorium renum Messiae; eiusmodi fides, fidelitas et constantia in lege Dei observanda praedicatur de tempore messiano Is. 33,6; eam abesse de suo tempore conqueritur Ieremias 5,1. 3; 7,28; verum scit multam esse fidelitatem Dei, unde spem concipit misericordiae Lament. 3,23 et si Deus de tempore futuro promittit : et sponsabo te mihi in fide (Os. 2,20), foedus novum constitutum iri asserit fidelitate et constantia et firmitate. Si Hab. 2,4 dicitur : iustus autem in fide sua vivet, notio ex oratione contexta est : vivet quia et quatenus fideli animo Dei promissionibus fidem adhibeat et spe inde concepta animum gerat excelsum mediis in calamitatibus; quare hoc loco notio credendi verbis Dei indeque fideliter ei adhaerendi potissimum subest, quae significatio verbo האמין inest (cf. Gen. 15,6; Ex. 14,31; Is. 7,9; 53,1 etc.). Significatione fidelitatis praeterea legitur Os. 5,9; Eccli. 6,15 : amico fideli nulla est comparatio et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius; item 22,28; 27,18; 40,12; 45,4; 46,17; 1 Mach. 10,27. 37. Verum aliis in locis eum designat animi actum aut habitum quo alteri creditur Eccli. 25,16; 49,12 et 2 Mach. 15,11, ubi de somnio fide digno sermo infertur (ὄνειρον ἀξιόπιστον); ex qua notione facile alia consequitur, qua alteri fiditur, ei fiducia exhibetur; cf. Eccli. 27,17. Ei significationi cognatum est, si fides ponitur, ubi graece legitur εὔνοια, uti 2 Mach. 9, 26; 11,19 et similiter 12,8. Aliquibus in locis legitur in Vulgata fides, quos S. Hieronymus libere ad sensum vertit; ita Gen. 39,16; Lev. 6,2; Tob. 2,18; Esth. 6,3; 16,13. 23. Alia quaedam uti fidem facere Eccli. 29,19 vide s. v. FIDEIUSSOR.

In libris Novi Testamenti fides plerumque occurrit ea significatione, qua alteri creditur, qua res quaedam propter auctoritatem alterius assumitur, creditur; unde fides saepissime dicit firmam persuasionem de aliqua re. Si haec firma persuasio habetur de Dei misericordia, bonitate, potentia, de Iesu Christi potentia, benignitate, per se ex ea oritur certa quaedam et firma fiducia; quare haec fiducia ipsa etiam voce fidei connotatur. Ad rectam fidei notionem hauriendam haec perpendenda sunt : centurio dixit : tantum dic verbo et sanabitur puer meus; Iesus respondet : non inveni tantam fidem in Israel; vade et sicut credidisti, fiat tibi (Matth. 8,8-13). Caecis sanationem petentibus dicit Iesus : creditis quia hoc possum facere vobis (Matth. 9,28)? Mulier sanguinis fluxu laborans tantam concepit persuasionem de Christi potentia, ut cogitaret : si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero; et Iesus ei dicit : fides tua te salvam fecit (Matth. 9,20 s.) et ita in plurimis narrationibus evangelicis deprehenditur firma quaedam persuasio de Christi potentia, cui fiducia utique adiuncta est. Praeclaram fidei descriptionem nobis dat Paulus fidem Abraham laudans Rom. 4,9. 18 s.; Abraham autem Deo loquenti et rem promittenti quae creditu erat difficillima credidit; haec est fides eius (Gen. 15,6; Rom. 4, 3); et claram fidei descriptionem nobis proponit Hebr. 11,1. 3, fidem dicens firmum fundamentum vel firmam persuasionem rerum sperandarum et argumentum vel probationem certam de rebus quae sensibus non appareant. Fidem dicere firmam animi persuasionem elucet quoque ex Rom. 14, 1. 23; ubi docetur eum qui cum dubio licceatne necne manducet peccare, quia non *ex fide*, omne autem quod non est ex fide peccatum est. Quid sit fides pariter elucet ex Act. 13,7 s.; Sergius Paulus desiderabat audire verbum Dei quod Barnabas et Saulus annuntiabant; Elymas autem resistebat illis quaerens avertere proconsulem a fide i. e. ne crederet, ne ea firma animi adhaesione amplecteretur quae ipsi tamquam verba Dei proponebantur. Fides quoque egregie describi-

tur tamquam persuasio qua quis rem aliquam animo complectatur Hebr. 11, 6 : sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum quia est et inquirentibus se remunerator sit; unde dicitur fides ad Deum 1 Thess. 1,8; Hebr. 6,1, fides in Deum (1 Petr. 1,21 gr.) etc. vel res quae creditur exprimitur genetivo; ita saepe fides Iesu Christi, fides Filii Dei i. e. firma persuasio de Iesu Messia, laeta animi adhaesio qua quis Iesum Dei Filium credit; cf. Rom. 3,22; Gal. 2,20; ex qua fide vel per quam fidem homo docente apostolo iustificatur (Rom. 3,28. 30), quia haec fides est initium, radix, fundamentum iustificationis, cum remissio peccatorum et reconciliatio cum Deo haberi nequeat nisi ab eo qui in Iesum credens pretio sanguinis eius expiatur. Quam in Iesum fidem tamquam unicum salutis fontem apostolus operibus legis (ea fide destitutis) opponit. Haec animi de Deo eiusque Filio et generatim de rebus a Deo revelatis persuasio et firma adhaesio, ut retineatur, confirmetur, augeatur et crescat, sacrae litterae admonent (cf. Act. 14,21; 2 Cor. 10,15; Eph. 4,29; Col. 1,23; 2,7; 2 Thess. 1,3 etc.). Qui fidem habent dicuntur esse ex fide (Gal. 3,7). Fidem autem hanc non inniti sapientiae humanae, sed eam effici virtute divina et eam praestari Deo loquenti, apostolus clare docet : et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei (1 Cor. 2,4. 5) et : cum accepissetis a nobis verbum auditus (praedicationis) Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei qui operatur in vobis qui credidistis (1 Thess. 2,13). Quae fides est lux, illuminatio mentis a Deo facta quam apostolus creationi lucis comparat (2 Cor. 4,3-6).

Haec firma animi persuasio necessario gignit fiduciam, spem, obsequium erga Deum quod observatione mandatorum bonisque operibus consistit. Quam arcte fides et fiducia inter se connectantur, apparet ex modo loquendi et exhortandi quo utitur apostolus Hebr. 10,19. 35-11,1. Fidem illam, qua homo non impellatur ad bona opera praestanda, S. Iacobus mortuam appellat, et ex operibus ostendi fidem, quae si operibus careat non possit salvare hominem (Iac. 2,17-26). Cum fides itaque sit persuasio, agnitio, cognitio, poterit fides eo modo usurpari quo eiusmodi vocabula notione quadam argumenti cognitione contenti adhibentur; ita dicitur : nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat (Gal. 1,23), uti Estius explicat : quia Christi fidelibus extorquere fidem persequendo nitebatur. Eodem modo dicitur fidei obedire, audire fidem, fidem tradi (Act. 6,7; 24,24; Iudas 3), uti dici solet cognitionem tradere etc.

Uti in Vetere Testamento, ita quandoque in Novo quoque fides induit notionem fidelitatis; ita de Deo Rom. 3,3 : numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? item de humana fidelitate Gal. 5,22 tamquam fructu Spiritus sancti et Tit. 2,10 : non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes et similiter notione fidei datae 1 Tim. 5,12 : primam fidem irritam fecerunt. — Ceterum vide s. v. CHARISMATA, CREDERE.

I. KNABENBAUER.

FIDUCIA. Ea voce in Vet. Testamento plerumque redditur בטח, etiam נשען (fulciri, fulcrum suum habere, reputare). Ut toto corde confidentiam ponamus in Deo monemur : habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo (Prov. 3,5) et Asa rex oravit : adiuva nos, Domine Deus noster; in te enim et in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem (2 Par. 14,11). Pariter : in timore Domini fiducia fortitudinis (Prov. 14,26). Tali fiducia Susanna in periculo gravissimo confortata est : flens suspexit ad caelum; erat enim cor eius fiduciam habens in Domino (Dan. 13,35). Saepe fit admonitio ne confidentia et spes ponatur in hominibus, multo minus in idolis; ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam (Deut. 32,37)? Et Hanani propheta dicit ad Asa regem Iuda : quia habuisti fiduciam in rege Syriae et non in Domino Deo tuo, idcirco evasit Syriae regis exercitus de manu tua

(2 Par. 16,7). Eius qui Deum obliviscitur fiducia est sicut tela aranearum (Iob 8,14). Prophetae reprehendunt eos qui fiduciam suam ponunt in auxilio extraneorum; ita Isaias invehitur in eos qui fiduciam habent in umbra Aegypti, in quadrigis eius, quam in ignominiam fore dicit (30,2. 3; 31,1); pariter monet Ieremias contritum iri urbes in quibus habuerint fiduciam; monet ne confidant vane in templo (5,17; 7,14). Tempore Ezechiae regis Rabsaces dux regis Assyriorum irridet Iudaeos eo quod in Domino fiduciam habeant; Isaias autem regem et populum iubet firmam in Domino habere fiduciam, in cuius fiduciae praemium e periculo erepti sunt (4 Reg. 18,19 ss. Is. 36,4 ss.).

In Novo Testamento ea voce exprimitur θάρσος Act. 28,15, item θαρσεῖτε Matth. 14,27 i. e. bono vel forti animo estote; item πεποίθησις 2 Cor. 3,4, cui notioni quoque congruit πεποιθότες Phil. 3,3 : gloriamur in Christo non in carne fiduciam habentes. Verum plerumque ea voce redditur παρρησία quae proprie est libertas in dicendo et quaedam audacia, seu alacris quaedam et imperterrita confidentia; ita Act. 4,29 : da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum Dei; item Act. 4,31; 2 Cor. 3,12 : habentes igitur talem spem multa fiducia utimur et 7,4 : multa mihi fiducia est apud vos. In Christo Iesu nos habere fiduciam apostolus saepius affirmat (Eph. 3,12; Hebr. 10,19 in sanguine Christi; 1 Thess. 2,2 in Deo; 1 Tim. 3,13 in fide Christi) non autem in carne (Phil. 3,3 πεποιθότες); cf. Hebr. 3,6 et 4,16. Eodem modo monet S. Ioannes : et nunc, filioli, manete in eo (in Christo), ut cum apparuerit habeamus fiduciam et non confundamur ab eo in adventu eius (1 Ioan. 2,28) et si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum 3,21; cf. 4,17 et 5,14 : haec est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius audit nos. Eadem notione etiam ἐπαρρησιάζεσθαι redditur; ita Act. 19,8 : cum fiducia loquebatur verbum Dei per tres menses (Paulus Ephesi) et cf. 1 Thess. 2,2. — Hisce satis docemur, in quo fiducia ponenda sit, in quo vero non, cur et quibus conditionibus alacri confidentia nos armare debeamus.

I. KNABENBAUER.

FIGULUS. Modus operandi figuli describitur Eccli. 38,32 ss. : figulus sedens ad opus suum convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum..., in brachio suo formabit lutum et ante pedes suos curvabit virtutem suam (i. e. pedibus rigorem luti emollit); cor suum dabit ut consummet linitionem et vigilia sua mundabit fornacem. Similiter Sap. 15,7 : figulus mollem terram premens laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas. Prius enim lutum pedibus calcabatur (cf. Is. 41,25) donec satis molle efficeretur; dein rota figulari opus suum formavit, quae rota figularis duabus rotis constabat, maiore inferiore, minore superiore (unde Ier. 18.3 : opus faciebat figulus עַל הָאֲבָנַיִם) simili modo uti in mola manuaria. Vasa formata, vasa figuli probat fornax Eccli. 27,6. Ex Prov. 26,23 licet concludere figulis artem obducendi vasa materia quadam splendida non fuisse ignotam; legitur enim ibi hebr. argentum scoriarum obductum super testam (vas fictile). Figulos etiam instrumenta idololatriae, idola, quandoque fecisse Sap. 15,8 indicatur : labore vano deum fingit de eodem luto. — De figulis quorum mentio fit 1 Par. 4,23 vide quae disputat *De Moor* in periodico La Science catholique 1894 p. 714. — De agro figuli vide s. v. HACELDAMA.

FILIUS. Haec vox modo multiplici adhibetur.

Notione primaria is dicitur filius qui a patre genitus est. Filiis praecipitur, ut honorent patrem et matrem (Ex. 20,12; Deut. 5,16; Matth. 15,4; Eph. 6,2) et severe animadvertitur in eos qui parentibus debitam reverentiam et obedientiam negant; qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur; item, qui iis maledixerit (Ex. 21,15. 17; Lev. 20,9; Prov. 20,20; Matth. 15,4); filius contumax et protervus lapidandus erat (Deut. 21,18-21). — Filii heredes sunt bonorum parentum, ita tamen ut

filius primogenitus partem duplicem accipiat (etsi fuerit filius uxoris odiosae; cf. Deut. 21,17); verum ob scelus commissum ius primogeniti in alium potuit transferri; cf. 1 Par. 5,1. Filii autem nothi ab hereditate excludebantur, uti in exemplo Iephte patet Iud. 11,1 s. — Habere filios referebatur ad divinam benedictionem; iis carere opprobrio vertebatur et tamquam castigatione divina inflictum considerabatur; cf. Gen. 15,2; 30,23 Rachel pariens filium dicit : abstulit Deus opprobrium meum; 1 Reg. 1,6; Ps. 112,9; 126,3; Prov. 17,6 : corona senum filii filiorum; Eccli. 3,6 : qui honorat patrem suum iucundabitur in filiis; Deut. 7,14 : non erit apud te sterilis utriusque sexus; Is. 47,9; Luc. 1,7 etc. Inde quoque intellegitur lex leviratus (Gen. 38,8; Deut. 25,5 s.). Sed melior est unus (filius) timens Deum quam mille filii impii et utile est mori sine filiis quam relinquere filios impios Eccli. 16,3. 4 et Sap. 3,13 felix dicitur sterilis et quae nescivit thorum in delicto, dum maledictae et insensatae appellantur quae ex adulteriis filios concipere gestiunt. — Quamvis in utroque testamento obedientia filiis erga parentes saepius graviterque iniungatur (Lev. 19,3; Prov. 1,8; Eccli. 3,1-18; Marc. 7,10; Eph. 6,1-3; Col. 3,20; 1 Tim. 3,4), tamen etiam significatur accidere posse, ut filii, ne servitio divino desint, parentes debeant relinquere vel iis obsistere (cf. Matth. 10,37; 19,29; Luc. 9,59; 14,26). — Ex una parte dicitur Deus visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me (Ex. 20,5; Deut. 5,9; Os. 4,6; Ier. 32,18; Am. 7,17), ex altera parte autem : non occidentur patres pro filiis nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur (Deut. 24,16; cf. Ier. 31,30; Ez. 18,20 : filius non portabit iniquitatem patris etc. cf. 18,1-18). Quae duo facile inter se conciliantur. Ubique enim terrarum notum est posteros in se experiri mala quae maiores commiserint; si pater opes suas dissipaverit, filii in deteriore sunt conditione; si pater criminibus honorem civium perdiderit, tota familia subit ignominiam. Porro facillime fit, ut indoles patris impii etiam in filiis quasi renascatur; unde consortes et participes pravitatis paternae merito puniuntur; insuper quos Deus puniturus sit additur לשנאי odientes me « et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me » (Deut. 5,9. 10 hebr.).

Latiore significatu filius quandoque dicitur pro nepote; ita Gen. 29,5 Laban vocatur filius Nachor, cum sit filius Bathuel, nepos Nachor; similiter Esdr. 5,1 cf. Zach. 1,1. Dein generatim filii dicuntur posteri; ita filii Israel, filii Levi, filii Ammon i. e. Israelitae etc.; homines dicuntur filii Adam Eccl. 3,21; Eccli. 40,1 : iugum grave super filios Adam. Similiter sermo infertur de filiis Sion (Is. 66,8), filiis Ierusalem (Matth. 23,37). Filii Abraham vocantur et ii qui ab Abraham stirpe descendunt et ii qui indolem Abraham imitantur : cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt ii sunt filii Abrahae Gal. 3,7; immo eam rationem esse longe potiorem apostolus indicat : neque qui semen sunt Abrahae omnes filii Rom. 9,7. Porro nomen filii usurpatur etiam de eo qui erga alium subiectionem, obedientiam, amorem i. e. eos animi sensus quos filius in patrem habet exprimere vult. Ita Achaz misit nuntios ad Theglathphalasar dicens : servus tuus et filius tuus ego sum 4 Reg. 16,7; discipuli dicuntur filii, quia magistros observantia et amore prosequuntur qui quasi parentum officio fungentes et parentum partes supplentes eos erudiunt; ita filii prophetarum (3 Reg. 20,35; 4 Reg. 2,3 etc.); ita Paulus vocat Timotheum filium suum carissimum; eos quos praedicatione sua ad Iesum adduxit, quos spiritualiter genuit, filios appellat (1 Cor. 4,17; Gal. 4,19; 1 Tim. 1,2. 18; 2 Tim. 1,2; Tit. 1,4; Philem. 10 : obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis, Onesimo; 1 Petr. 5,3 : Marcus filius meus etc.). Quare magister discipulum alloquitur : fili mi; exempla habes plurima in libris Prov. et Eccli., et Christus quoque discipulos eo nomine alloquitur : filioli (Marc. 10,24; Ioan. 13,33; 21,5 παιδία), uti alios quoque ad consolationem dandam et amorem suum exhibendum compellat :

confide, fili (τέκνον Matth. 9,2) etc. Notio subiectionis effertur in filio mortis, filio irae etc. quo nomine appellatur qui morti est destinatus, irae Dei obnoxius; similiter filius gehennae, filius perditionis (cf. 1 Reg. 20,31; 2 Reg. 12,5; Matth. 23,15; Ioan. 17,12; Eph. 2,3).

Similitudine quadam cum generatione qua natura propagatur ii qui alicuius virtutis vel vitii naturam et indolem in se exprimunt filii vocantur v. g. filii roboris, sapientiae, lucis, obedientiae; filii iniquitatis (i. e. Belial), superbiae (2 Reg. 7,10; Matth. 11,19; Eph. 5,8; 1 Petr. 1,14 etc.). Similiter filii diaboli (1 Ioan. 3,10).

Sensu sublimiore dicuntur filii Dei qui a Deo creati peculiari quadam dignitate in eius regno praediti sunt. Ita appellantur filii Dei angeli, nobilissimae Dei creaturae (Iob 1,6; 2,1; 39,7; Ps. 28,1; 88,7); populus Israel, quem Deus singulari modo sibi elegit in peculium, in regnum sacerdotale, in gentem sanctam (Ex. 19,5. 6), vocatur « filius meus primogenitus » (Ex. 4,22); et Deus dicitur pater populi et genuisse populum (Deut. 32,6.18) et Deus conqueritur : filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me (Is. 1,2; cf. Is. 30,1. 9; 43,6; Ier. 3,14) et apud Osee dicit : ex Aegypto vocavi filium meum (11,1) et Ephraim dicitur a Deo filius honorabilis (Ier. 31,20); etiam uno loco alii populi filii appellantur, Deo de Israel dicente : quomodo ponam te in filios (Ier. 3,19). Si totus populus theocraticus vocatur filius Dei, non mirum est peculiari modo eam appellationem attribui regi theocratico qui sedet super solium Domini et qui pascit populum Dei; ita 2 Reg. 7,14 : ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium (quae verba proxime de Salomone dicuntur; cf. 1 Par. 22,10) et Ps. 88,28 de Davide : ego primogenitum ponam illum. Pariter eo nomine honorantur iudices : ego dixi : dii estis et filii excelsi omnes (Ps. 81,6) et etiam homines pii cultoresque Dei eximii eo nomine designantur; cf. Ps. 72,15; Prov. 14,26; Sap. 2,13.

Quo ultimo exemplo iam ad id deveniimus, quod in iustis omnibus qui scil. gratia sanctificante praediti sunt obtinet; hi enim sunt propter gratiam hanc, quae est participatio quaedam naturae divinae (2 Petr. 1,4), semen Dei (1 Ioan. 3,9), filii Dei, utique per adoptionem (vide s. v. ADOPTIO); sed cum ornati sint illa gratia et nati ex Deo dicantur (Ioan. 1,13; 1 Ioan. 3,9) et Deus eos genuerit verbo veritatis (Iac. 1,18; cf. Ioan. 3,5), elucet iustos modo multo excellentiore prae populo theocratico vocari filios Dei accepto spiritu Dei et spiritu adoptionis filiorum (Rom. 8,14. 15); quare in Novo Testamento iubemur orare ad Deum : pater noster et Iesus saepe Deum vocat patrem nostrum nosque hortatur, ut simus filii patris nostri caelestis, ut scil. eius sanctitatem quantum possumus imitatione exprimamus (Matth. 5,45; Luc. 6,35); unde peculiari modo, quia Deus est Deus pacis, pacificatores vocantur filii Dei (Matth. 5,9). Ut filii Dei, sunt etiam iidem heredes Dei (Rom. 8,17), quibus bona Dei obvenient. Haec tandem glorificatio appellatur revelatio filiorum Dei (Rom. 8,19); nunc enim filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus; cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (1 Ioan. 3,2).

Alio omnino modo Iesus appellatur filius Dei. Discrimen iam apparet in eo quod vocatur filius Dei unigenitus, filius proprius. Quo sensu sit Filius Dei eruitur ex omnibus locis quibus divina eius natura probatur. Vide s. v. IESUS CHRISTUS n. 3.

Ipse Iesus plerumque se nominat filium hominis. Quod nomen ex Daniele 7,13 petitum Messiam designat; vide s. v. IESUS CHRISTUS n. 2.

Alias filius hominis, filii hominum modus est loquendi in Vetere Testamento vel in parallelismo ad hominem vel ut designetur homo fragilis, mortalis, debilis, qui ipsa sua origine ab homine naturam fragilem, miseriis mortique subiectam manifestet. Ita Ps. 8,5 : quid est homo quod memor es eius aut filius hominis quoniam visitas eum (Ps. 8,5)? quanto magis homo putredo et filius hominis vermis (Iob 25,6). Qui modus loquendi saepius cernitur, quando Deo opponitur homo : non est Deus quasi

homo ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur (Num. 23,19); si Dominus incitet te adversum me, odoretur sacrificium; si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini (1 Reg. 26,19); similiter Ps. 10,5 : oculi eius (Dei) in pauperem respiciunt; palpebrae eius interrogant filios hominum; Ps. 32, 13 : de caelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum; Ps. 106,8 : confiteantur Domino misericordiae eius et mirabilia eius filiis hominum etc. Vel : quis es tu, ut timeres ab homine mortali et a filio hominis qui quasi faenum ita arescet (Is. 51,12)? Ezechiel propheta ab angelo vel Deo compellari solet : fili hominis (2,1; 3,1. 4. 10. 17. 25; 4,1. 16; 5,1; 6,2 etc.), qua compellatione admoneatur conditionis humanae fragilis et per se impotentis ad res altiores. Vult enim Deus ut animo demisso munus obeat propheticum et ut sibi conscius sit omnem vim et efficaciam derivari ab ope divina.

Praeterea non erit inutile notare quosdam modos loquendi hebraeos : ad designandam aetatem dici solet : Noe filius quingentorum annorum i. e. 500 annos natus (1 Reg. 13,1 in Vulgata legitur : filius unius anni erat Saul; in textu hebr. numerus iniuria temporum excidit, unde : filius ... annorum erat Saul). Dicitur filius senectutis patris vel iuventutis filius a patre sene vel iuvene genitus (Gen. 37,3; Ps. 127,4 hebr.). Dicitur lucifer filius aurorae (Is. 14,12; in Vulgata : qui mane oriebaris); sagittae dicuntur filii pharetrae Lament. 3,13, filii arcus Iob 41,20 hebr.; arietes filii Basan Deut. 32,14; populus appellatur filii areae meae i. e. populus afflictus et quasi miseriis trituratus Is. 21,10; vinea facta est in cornu filio olei i. e. in colle pingui, ubere Is. 5,1; filii olei i. e. uncti a spiritu Domini ad munus theocraticum obeundum Zach. 4,14; filius noctis appellatur Ion. 4,10 ricinus, qui fit et perit una nocte; stellae comites appellantur filii (Iob 38,32) etc.

De filiis Dei et filiabus hominum Gen. 6,2 ss. vide s. v. DILUVIUM I. (col. 77).

FIMUS. Tamquam res immunda e castris debuit fimus removeri; quando agitur de hostiis, praecipitur, ut cum pelle, intestinis extra castra comburatur (Ex. 29,14; Lev. 4,11; 8,17; 16,27; Num. 19,5). Notum est in regione orientali fimum siccatum adhiberi ad ignem alendum; et igne e fimo boum accenso Ezechiel sibi panem afflictionis coquere iubetur (4, 15). In maxima victus penuria fimus columbarum comedebatur; facta est fames magna in Samaria et tamdiu obsessa est donec venumdaretur quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis (4 Reg. 6,25); turpi exaggeratione Rabsaces civibus hierosolymitanis exprobrat quod iam ad eam miseriam redacti sint, ut comedant stercora sua. Sacerdotibus malis Deus summam declarat indignationem qua sacrificia polluta exsecratur : dispergam super vultum vestrum stercus sollemnitatum vestrarum (cf. Lev. 4,11; 8,17) et auferent vos cum eo (Mal. 2,3 hebr. i. e. simul cum stercore eiicientur e templo). Quod legitur 3 Reg. 14,10 : et mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum, destructionem declarat usque ad internecionem. — In urbe Ierusalem porta stercoris saepius commemoratur (Neh. 2,13; 3, 14 porta sterquilinii; 12,31), quae ex Neh. 3,13-15 sita erat inter portam vallis et portam fontis; proin in parte meridionali urbis. Vide IERUSALEM V. 3. 5.

FIRMAMENTUM. In rebus naturalibus sacrae litterae modo loquuntur populari sicut res sensibus exhibentur. Unde in narratione quoque creationis sermo est de firmamento, uti sensibus deprehenditur : fiat firmamentum (רָקִיעַ expansum); fiant luminaria in firmamento... et posuit stellas in firmamento caeli (Gen. 1,6. 14. 17) et : extendens caelum sicut pellem (Ps. 103,2; cf. Is. 40,22). Secundum aspectum quem praebet firmamentum describitur ut opus lapidis saphir, ut crystallum (cf. Ex. 24, 10; Ez. 1,22). In firmamento praeclara cerni opera Dei, unde Deus laudandus sit, psalmis enuntiatur (Ps. 18,2; 150,1); gloria sanctorum in resurrectione comparatur splendori firmamenti : fulgebunt quasi splendor firmamenti Dan. 12,3. In theophania quae Ezechieli exhibetur,

apparet super capita cherubim forma quaedam vel species quasi firmamentum quod crystallo simile erat (Ez. 1, 22).

Ceterum in Vulgata firmamentum varias voces hebr. exprimit; ita 2 Reg. 22, 9 factus est Dominus firmamentum meum מִשְׁעִי (fulcrum) et in Ps. 17,3 סֶלַע, item Ps. 70,3 (petra); 3 Reg. 8,43 exaudies in firmamento (מִכּוֹן) habitaculi tui; item v. 49; et omne firmamentum (מִטֵּה) panis contrivit; posuisti firmamentum (מִבְצָר) eius formidinem; et erit firmamentum (פִּסַּת בַּר, abundantia frumenti) in terra (Ps. 104,16; 88,41; 71,16); firmamentum (סֹלֶד) est Dominus timentibus eum Ps. 24,14 etc. Sap. 4,3 firmamentum exprimit βάσιν, Eccli. 3,34 στήριγμα; item Eccli. 34,19; 49,17; 43, 1. 9 στερέωμα.

FISTULA vertitur a S. Hieronymo imprimis hebr. קָנֶה, quod Cant. 4,14 inter aromata recenseturet alias rectius calamus explicatur. V. CALAMUS. — Praeterea fistula est instrumentum musicum, scilicet arundo pastorum (σῦριγξ), quae etiam nunc in Palaestina frequenter auditur; enumeratur inter varia instrumenta musica Dan. 3,5. 7. 10. 15 (chald. מַשְׁרוֹקִיתָא et v. 10 מַשְׁרוֹקִיתָא). — Ex similitudine etiam ossa magni Behemoth fistulae i. e. canales aeris dicuntur Iob 40,13 hebr. 18 (אֲפִיקֵי נְחוּשָׁה). — Satis vexatus est textus qui legitur in historia captae arcis hierosolymitanae 2 Reg. 5,8 « proposuerat David in die illa praemium qui percussisset Iebusaeum et tetigisset *domatum fistulas* (וְיִגַּע בַּצִּנּוֹר) »; de quo cf. commentatores (*F. de Hummelauer* et al. et art. IERUSALEM VI. et VII.

L. FONCK.

FLAGELLUM proprie est instrumentum ad caedendum loris confectum. Lex plagarum seu flagellationis haec erat : si eum qui peccavit, indices dignum viderint plagis, prosternent et coram se facient verberari, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne foede laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus (Deut. 25,2. 3). Postea ne numerus iste excedatur a rabbinis statutum fuit, ut solum plagae triginta novem infligerentur; id quod iam tempore apostolorum usu inductum fuisse, ex 2 Cor. 11,24 discimus. Durior flagellandi modus indicatur 3 Reg. 12,11. 14 et 2 Par. 10,11. 14 : pater meus, inquit Roboam, cecidit vos flagellis, ego vero caedam vos scorpionibus (fustibus spinosis, flagris aculeatis) et Iud. 8,7 : conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti. Cruciatu flagellorum etiam saevitum est ab Antiocho rege in fideles Dei servos, quos flagris et taureis caesos compellere studebat ad edendas contra legem carnes porcinas (2 Mach. 7,1). In synagogis quoque poena flagellationis infligebatur; cf. Matth. 10,17; 23,34; Act. 5,40. Crudelior erat flagellatio more Romanorum facta, cum ei nullus certus plagarum numerus essel praestitutus; instrumenta constabant loris, aculeis, funiculis; etiam nodi plumbei flagellis addebantur, aciculae, uncinuli, aculei ferrei sculicis inserebantur, quibus miserorum cutis ad costas usque et ossa lacerabatur. Et Iesum quidem crudelissime fuisse flagellatum, iam ex eo concluseris quod Pilatus eius aspectu sperabat fore, ut feroces Iudaeorum animi emollirentur. Cives romani lege Porcia et lege Sempronia ab eiusmodi poena qua solum servi et alienigenae castigabantur omnino erant immunes; quare ea voce : civis romanus sum, apostolus flagella a se avertit (Act. 22,25 s.) et alias, cum se flagellari permisisset, ea voce magistratibus timorem incussit (Act. 16, 37 s.). — Obvia translatione flagellum dicitur de magna calamitate, qua quis vel a Deo vel ab homine afficitur. Ita sermo fit de flagello linguae (Iob 5,21) et Eccli. 26,9 : in muliere zelotypa flagellum linguae; Ps. 34,15 : congregata sunt super me flagella.

FLUMEN. Solo nomine fluminis designatur in libris Vet. Test. vel fluvius Aegypti, Nilus, vel Euphrates vel etiam Tigris (v. s. vv.).

FLUXUS vide s. v. IMMUNDITIA et MORBI.

FOEDUS. Generatim foedus est pactum certis conditionibus initum. Iam

Abram habebat foedus cum Mambre eiusque fratribus, qui cum in pugna cum regibus vi foederis adiuvabant (Gen. 14,13. 24); foedus cum eo expetiit Abimelech, ne sibi ab Abraham damnum inferretur, id quod Abraham spopondit postulans ne servi eius sibi puteum eriperent. Donis acceptis Abimelech se obstrinxit ad foedus fideliter servandum (Gen. 21,22 s.). Similiter foedus initum est inter Isaac et Abimelech, quod convivio celebrato sancitum est iureiurando (Gen. 26,29 s.); foedus quod inierunt Laban et Iacob iuramento, sacrificiis, epulis sacrificalibus conclusum est (Gen. 31,44. 54). Israelitae severe prohibentur ne foedus ineant cum gentibus terrae Chanaan (Ex. 23,32; 34,15; Deut. 7,2); eiusmodi foedera cum extraneis etiam a prophetis acriter reprehenduntur, utpote populo Dei indigna qui totam fiduciam in Deo ponere debeat; cf. Is. 28, 14 ss.; 30,1 ss.; 31,1; Ier. 2,18; 2 Par. 20, 37. Quam sancta habita sint foedera semel inita, exemplo est modus agendi Iosue cum Gabaonitis qui mendaciis suis foedus ab Iosue impetrarunt, quod foedus acceptis ab eis cibariis initum est. Fraude enim detecta foedus tamen servandum esse Iosue censuit : iuravimus illis in nomine Domini Dei Israel et idcirco non possumus eos contingere (Ios. 9,6 s.). Qua narratione simul edocemur de modo foedus ineundi : « susceperunt igitur de cibariis eorum »; valebat itaque eo iam tempore quod hodie apud tribus eius regionis obtinet; quocum cibum semel capiebant, eum tamquam socium et amicum habent et tuentur. Inde quoque explicatur foedus, pactum salis (Num. 18,19; 2 Par. 13,5), quia in convivio quo quis in socium et amicum suscipiebatur, necessarium illud condimentum non deerat. Alius modus foedus ineundi cernitur in Ionatha qui paciscens cum Davide partem vestimentorum Davidi dedit (1 Reg. 18,3. 4).

Sublimius foederis genus est quod Deus inire cum homine dignatur. Prima eius mentio fit, cum Deus indicto diluvio Noe cum sua familia se servaturum promittit; ubi itaque illud : ponamque foedus meum tecum, Dei promissionem et sponsionem salutis continet. Noe ex sua parte debet arcam fabricare et cetera quae Deus iubet praestare. Post diluvium Deus statuit pactum : nequaquam omnis caro ultra interficietur aquis diluvii et in huius foederis signum accipi iubet arcum suum in nubibus (Gen. 6, 18; 9,9 s.). Postea Deus ex genere humano unum elegit, in quo omnes gentes demum essent benedicendae et qui pater esset futurus populi electi. Cum eo Deus sollemniore modo foedus pepigit Gen. 15,9 s.; cernitur enim ibi modus pangendi foedus qui simili ratione apud alios quoque populos celebrabatur; immolatae quippe victimae dividebantur in duas partes et inter eas contra se positas paciscentes medii transibant, cuius rei significatio declaratur Ier. 34,18 : dabo viros qui praevaricantur foedus meum (sicut) vitulum quem conciderunt in duas partes et transierunt inter divisiones eius. Proinde isto transitu fidelem observationem foederis spondebant et ut in frusta conciderentur si non observarent sese devovebant. Promissio vero quam Deus foedere sancivit erat : semini tuo dabo terram hanc etc. Gen. 15,18. Quod foedus Deus mox confirmavit mutans Abram nomen in Abraham : patrem multarum gentium constitui te (Gen. 17, 5) et postulans, ut signum foederis adoptetur circumcisio, quae sit sponsio observationis foederis (Gen. 17,9 s.) : ambula coram me et esto perfectus (Gen. 17,1). Vi huius foederis initi cum Abraham et Isaac (Gen. 17,19) Deus populum ex Aegypto liberavit : ego audivi gemitum filiorum Israel quo Aegyptii oppresserunt eos et recordatus sum pacti mei (Ex. 6,5; cf. 2,24). Quod foedus demum in Sinai ita est completum, ut cum toto populo iniretur : si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, in regnum sacerdotale et gens sancta (Ex. 19,5. 6) et populus spopondit : cuncta quae locutus est Dominus faciemus (v. 8). Deus itaque dedit leges quibus omnes populi conditiones optime constituerentur et promisit quamdiu foedere fideliter stetissent se illis adfuturum esse cum omni benedictionum copia; foederis vero violationem se esse ulturum. Atque utrumque per totam populi

historiam cernitur. Foedus autem sinaiticum oblatis sacrificiis sancitum est; uti Abraham victimas divisit in duas partes, ita Moyses sanguinem sacrificalem in duas divisit partes; unam partem fudit super altare, alteram misit in crateras et ex ea aspersit populum dicens : hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his (Ex. 24,8). Atque velut signum peculiare huius foederis consideratur celebratio sabbati (Ex. 31,16); et sanctuarium a Deo constitutum, quo in medio populo suo versari eumque ut Deus foederis regere vult, appellatur tabernaculum foederis, arca foederis. Uti apud homines foedus confirmatur convivio, ita sancta illa cum Deo societas exprimitur epulis sacrificalibus; quare de hoc foedere quoque usurpatur locutio : sal foederis (Lev. 2,13; Num. 18,19 etc.).

Praeterea illa quae stabili modo instituta sunt, etiam nomine foederis quandoque designantur. Ita quod posteris Levi sacrum ministerium commissum est, dicitur pactum Levi (Mal. 2,8); ius sacerdotum percipiendi certas sacrificiorum partes et primitias dicitur pactum salis sempiternum coram Domino (Num. 18,19); pariter : et erit tam ipsi (Phinees) quam semini eius pactum sacerdotii sempiternum quia zelatus est pro Deo suo et expiavit scelus filiorum Israel (Num. 25,13). Pariter quod Deus Davidi promisit 2 Reg. 7,14 de regno aeterno, David appellat pactum aeternum quod Deus secum inierit (2 Reg. 23,5). — Populus utique foedus illud initum saepe violavit, praesertim idololatria (vide s. v.); neque tamen deerant qui populum ab apostasia revocarent, immo qui foedus renovandum et redintegrandum curarent; ita Iosue (Ios. 24,23 s.); Ioiada 4 Reg. 11,17; tempore Iosiae 4 Reg. 23, 3; Ier. 11,1; Esdr. 10,3; Neh. 9,38.

Iam prophetae rationem foederis quoque annuntiant pro tempore instaurationis gloriosae regni Dei, i. e. pro tempore messiano. Ita de servo Domini, de Messia dicitur a Deo apud Isaiam : dedi te in foedus populi (Is. 42,6; 49,8) i. e. ut sis mediator foederis pro populo, ut foedus denuo restituatur; eodemque modo vocatur Messias angelus testamenti i. e. nuntius foederis (Mal. 3,1 hebr.). Et foedus messiani temporis pariter tangitur promissione : feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles (Is. 55,3) i. e. secundum promissa firma Davidi data, quae leguntur 2 Reg. 7,14; pariter cf. Is. 54,10; 59,21; 61,8. Idem foedus tamquam novum annuntiat Ieremias 31,31 s. qui sicut Isaias quoque eius foederis naturam et indolem spiritualem clare effert; cf. Ier. 32,40; 33,20 itemque Ez. 16,62; 34,25; 37,26. Porro uti vetus foedus saepius tamquam foedus matrimoniale proponitur (cf. Is. 50,1; Ier. 2,2; Ez. 16,8 s.; Os. 2,2 etc.), ita novum quoque; unde Os. 2,19 sponsabo te mihi in sempiternum et Messias tamquam sponsus praedicatur in Ps. 44 et gens Messiae tamquam sponsa (Is. 61, 10).

Hisce plane concordant ea quae Christus et apostoli statuunt. Et Christus quidem, simili modo uti Moyses sanguine sacrificiali foedus sinaiticum vetus inauguravit, sanguine multo pretiosiore novum foedus condidit dicens cum clara ad illa Moysis verba allusione : hic est sanguis meus novi testamenti (Matth. 26, 28). Apostolos esse ministros novi testamenti S. Paulus asserit (2 Cor. 3,6) et quomodo a ratione foederis ipsa testamenti indoles non sit aliena, immo foedus hoc sit verum testamentum, vera dispositio mortis causa, apostolus docet Hebr. 9,16; scribimur enim heredes caeli morte Christi; et haec testamenti ratio iam in vetere foedere erat indicata, quia illud quoque in sanguine, ergo morte victimae intercedente, dedicatum est (Hebr. 9,18 s.). Quantopere autem foedus novum praestet prae vetere, multis explicatur modis. Id enim iam elucet ex eo quod vetus sit umbra, figura, novum autem habeat ipsa bona messiana; patet ex dignitate eius qui sponsor est novi foederis, Iesu Christi, qui ut Filius Dei, dignitatem angelorum et Moysis, infinite superat (Hebr. 1,4 s.; 3,2; 7,22); patet ex dignitate ministerii eius quod versatur circa sanctuarium caeleste (Hebr. 8,1. 6), ex pretio sanguinis sacrificalis per quem intravit in sancta aeterna redemptione inventa (l. c. 9,11 s.). Hoc porro foedere conscientia emundatur, una

oblatione consummantur sanctificati, fit accessus ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem caelestem et multorum millium angelorum frequentiam et ecclesiam primitivorum et iudicem omnium Deum et spiritus iustorum perfectorum et testamenti novi mediatorem Iesum; hoc foedere via ad sanctuarium caeleste, ad ipsam Dei visionem aperta est (Hebr. 9,8. 14; 10,10; 12,22 s.); hoc foedere filii evadimus Ierusalem caelestis, cives sanctorum, domestici Dei, heredes Dei, coheredes Christi (Gal. 4, 26; Eph. 2,19; Rom. 8,17). — Nota ברית reddi foedus, pactum, testamentum (cf. Ps. Eccli.). — Vide etiam ARCA FOEDERIS.

I. KNABENBAUER.

FOENUM accipi debet in Vulgata notione graminis, herbae viridis. Ponitur enim pro hebr. עֵשֶׂב Deut. 11,5; 4 Reg. 19,26; Ps. 71,16 florebunt de civitate sicut foenum terrae; Ps. 91,8; 101,5. 12; 104,35; 105,20; Prov. 27,26; Is. 37, 27; Dan. 4,22. 29; aliis in locis pro חָצִיר Iob 40,10; Ps. 36,2; 102,15; 103, 14 producens foenum iumentis; 128,6; 146,8; Is. 40,6. 7. 8; 51,12 quasi foenum arescet. Etiam ponitur pro עֳמִיר (manipulus) Ier. 9,22; Am. 2,3; Mich. 4,12; Zach. 12,6. In libris Novi Test. ponitur pro χόρτος quae vox plerumque pro gramine viridi adhibetur. Notione generali graminis etiam foenum esse a nostro interprete acceptum patet; nam dicitur viride foenum (Marc. 6,39; Apoc. 8,7), flos foeni (Iac. 1,10; 1 Petr. 1,24). Gramen calore solis cito arescit, si secatur; quare ut imago fragilitatis humanae, gloriae citissime transeuntis adhibetur. Gramen aridum, siccum ad alimentum ignis inserviebat (Matth. 6,30; Luc. 12, 28).

FOENUS lucrum est quod creditor ultra pecuniae summam quam commodavit exigit. Israelitis interdictum erat foenus exigere a fratre i. e. ab Israelita (Deut. 23,19); ab alienigenis autem cum maius esset periculum sortis accipere licuit. Immo recensetur inter benedictiones quae legis observantiam consequuntur : foenerabis gentibus multis et ipse a nullo accipies mutuum i. e. eris valde dives (Deut. 15,6; 28,12) et inter maledictiones : advena foenerabit tibi et tu non foenerabis ei i. e. eris indigens et pauper (Deut. 28,44). Foenerari et accipere mutuum saepe esse causam iurgiorum et inimicitiarum indicat Ieremias 15,10. Commendatur prudentia in foenerando Eccli. 8,15 : noli foenerari homini fortiori te; quod si foeneraveris, quasi perditum habe; talis enim cogi vix potest ad reddendum debitum. Verum indigenti succurrere oportet et dare mutuum : qui facit misericordiam, foeneratur proximo suo; foenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius (Eccli. 29,1. 2). Perfectionis evangelicae est docente Iesu : mutuum date nihil inde sperantes (Luc. 6,35). Utilissimum foenerandi genus assignatur : foeneratur Domino qui miseretur pauperis et vicissitudinem suam reddet ei (Prov. 19,17). Samuel puer quem mater Anna Domino consecravit vocatur ab Heli, sacerdote foenus quod commodaverit Domino (1 Reg. 2,20 — explica h. l. foenus creditum, pecuniam creditam, sortem. Aliter in hebr. : reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro re petita quae a Iahwe postulata est).

FONS. Comparatione instituta cum Aegypto terra Chanaan merito laudatur tamquam terra rivorum aquarumque et fontium (Deut. 8,7). Multa oppida a fontibus vicinis nominata esse v. s. v. AIN. Praeterea in S. Scriptura memorantur fons in via Sur in deserto seu puteus Agar (v. VIVENTIS ET VIDENTIS ME scil. puteus), duodecim fontes in Elim, fons in Rebla (v. AIN 1), fons Rogel, fons aquae Nephtoa, fons Taphua, fons Harad, fons invocantis de maxilla (v. RAMATH LECHI), fons prope Iezrahel (v. APHEC 4 et HARAD), fons Elisei (vide s. v. IERICHO), fons Gihon, fons draconis (v. DRACONIS FONS), fons (puteus) Iacob (v. SICHAR); prope Haran in Mesopotamia erat fons (puteus), ubi Rebecca aquam hauriebat (Gen. 24,11 s.).

Cum aqua tantae sit necessitatis, non mirum est inter pastores iurgia exorta esse de possessione fontium (Gen. 26,19. 20); quare fodere et quaerere fontes

magni erat momenti et aqua inventa etiam carmine celebrabatur (Num. 21, 17). Tempore belli fontes quandoque obturabantur, ut hostes penuria aquae laborarent; cf. 4 Reg. 3,19. 25; 2 Par. 32,3. 4. 30; ita Ezechias obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, ne Assyriis prodessent aquae, aquas autem occulto aquaeductu ad occidentem urbis David adduxit. Holofernes quoque posuit custodes ad fontes in vicinia Bethuliae, ut Iudaei obsessi siti adigerentur ad deditionem (Iudith 7,6-10). — Uti Is. 48,1 dicitur : qui de aquis Iuda existis, ita Ps. 67,27 de fontibus Israel i. e. qui ab Israel genus ducunt.

Cum fons, aqua viva, quae nunquam deficiat, res sit gratissima et exoptatissima praesertim in regionibus calidioribus, facile usus vocis translatus explicatur : ita Deus dicitur fons aquae vivae (Ier. 2,13), fons sapientiae (Bar. 3,12); ita sermo fit de fontibus salutis (Is. 12, 3), de fonte vitae qui sit timor Domini (Prov. 14,27) vel lex sapientis (Prov. 13, 14) vel de fonte vitae qui sit apud Deum (Ps. 35,10). Eodem modo Iesus cum sederet ad fontem Iacob loquitur de fonte aquae salientis in vitam aeternam (Ioan. 4,6. 14), et Apoc. 21,6 : ego sitienti dabo de fonte aquae vitae gratis. — Ad abundantiae significationem adhibetur v. g. Prov. 6,11 : si impiger fueris, veniet ut fons messis tua.

FORMICA. 1. Formica, hebr. נְמָלָה, bis in Proverbiis a provida sua diligentia atque sollertia laudatur, qua sine duce aut praeceptore aut principe « parat in aestate cibum sibi et congregat in messe quod comedat » (Prov. 6,6-8), populus quidem infirmus, sed sapientior sapientibus (ib. 30,25). De significatione nominis hebraici quod Syris, Chaldaeis, Arabibus cum Hebraeis commune est, versiones antiquae atque interpretes omnes consentiunt. Ea autem quae ab auctore sacro laudantur, quod sollertes sint ac providae, atque sine capite in republica ordinate vivant, et tempore messis cibum sibi congregent in horrea sua, apprime formicis conveniunt, quarum variae species, praecipue *Atta* seu *Aphaenogaster structor* et *A. barbara*, innumerabilibus turmis in Palaestina vivunt.

2. Rerum naturalium periti, cum cetera facile admiserint, inde a medio saeculo 18. fere usque ad nostram paene aetatem illud unum inter fabulas reiciendum censuerunt, formicas granis ac seminibus vivere eaque in nidos suos congregare. Nam cum in nostris regionibus frigidioribus formicae per hiemem torpore inertes inveniantur, et per reliquum tempus animalem potius cibum sibi conquirant, simile quid de orientalibus speciebus gratis supponentes, auctores etiam gravissimi (v. gr. *P. A. Latreille, P. Huber*, etc.) errorem popularem in istis codicis sacri verbis suspicati sunt. At imprimis tota antiquitate omnibusque saeculis anterioribus usque ad 18. illud ipsum de formicis creditum esse scriptores omnium gentium omniumque temporum testantur, nec facile quis consensum adeo generalem erroneum dixerit. Dein hac nostra aetate, immo ultimis hisce decenniis veritas facti, quod supponunt verba textus sacri, a viris doctis variarum nationum (*Lespès, I. T. Moggridge, Forel, H. C. Mc Cook*, al.) ita variis observationibus confirmata est, ut iam non nisi ab ignorantia vel obcaecata stultitia in dubium vocari possit. Omnino igitur constat, neque unquam negari debuit, varias formicarum species palaestinenses et seminibus vivere et grana frumenti tempore messis in nidos suos congregare iisque per hiemem et aestatem sustentari. Quod vel anno salutis 1893 a *Riehm-Baethgen* ignorari (Handwörterburh *ed.* 2 I. 80 b) sane mirum est.

Totam quaestionem egregie tractavit *E. Wasmann* in dissertatione « Die getreidesammelnden Ameisen in alter u. neuer Zeit ». Stimmen aus Maria-Laach XXXIII. 1887 (II.) 360-74. Praeter auctores ab ipso citatos, ex quibus *Sam. Bochartus* more suo rem doctissime exposuit (Hieroz. II. 588-602, *ed. Rosenm.* III. 478-97), cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 438 s.; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Röm. 551-6; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 328-31; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 319-21 et 496-8; *I. G. Wood*, Bible Animals 616-22; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 414-6; *I. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 *Pechuel-*

Loesche IX. 270-91 (praes. 284); *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi, Roma 1896, I. 63; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia, Fornio 1901, 337-42. — De errore opposito recentiorum, qui formicae speciebus quibusdam americanis non modo factum in Proverbiis laudatum, verum etiam rationalem agriculturam concedebant, cf. *Wasmann*, l. c. 370-2.

L. FONCK.

FORNAX (כִּבְשָׁן) Gen. 19,28 dicitur de magna fornace, calcaria, liquandis metallis apta; item Ex. 19,18 (et hebr. 9,8. 10); eadem notione כור fornax ad metalla excoquenda et ad separandas scorias. Quare in usu translato : vos eduxit Dominus de fornace ferrea Aegypti (Deut. 4,20; 3 Reg. 8,51; Ier. 11,4) et tamquam aurum in fornace probavit illos Sap. 3,6; similiter Prov. 27,21 : quomodo probatur in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. Eadem notione adhibetur אַתּוּן Dan. 3,6 s.; cf. Eccli. 27,6 vasa figuli probat fornax (κάμινος); 38,29. 34; ardorem fornacis tripliciter superat ardor solis Eccli. 43, 3. 4.

FORNICATIO et voces similes fornicari, fornicator, dicuntur sensu proprio de vitio (cf. Gen. 38,24; Deut. 22,21; Eccli. 9,10; 26,12; 41,25; 1 Cor. 6,18); verum frequentius de idololatria et apostasia a Deo. Quia enim foedus Dei cum populo tamquam sacrum quoddam connubium considerabatur (cf. Is. 50,1; Ier. 2,2; Ez. 16,8 s.; Os. 2,2 etc.), idololatria et generatim infidelitas contra Deum nomine fornicationis, adulterii designabantur; quae nomina eo quoque aptiora erant, quia cum idololatria sacpissime varia immunditiei genera coniungebantur et ad ipsum cultum Astarthes fovendum exercebantur. Inde frequentes sunt locutiones fornicari cum diis alienis, cum Baalim, post deos populorum terrae; fornicari cum universis regnis (i. e. commercium et societatem inire), fornicari cum filiis Aegypti (foedus cum eis inire, quod scil. idem est ac confugere ad opem deorum implorandam), fornicari a Domino etc. cf. Ex. 34,15; Lev. 17,7; 20,6; Iud. 2,17; 8,33; 1 Par. 5,25; Is. 23,17; Ier. 3,1. 6; Ez. 16,15 s.; 23,3 s.; Os. 1,2 s.

Controvertitur quo sensu fornicatio dicatur Matth. 5,32; 19,9 et Act. 15,20. 29; 21,25. Alii enim apud Matth. cum de vinculo matrimonii sermo sit fornicationem intellegunt de eo casu ubi nullum exsistit matrimonium, ergo de coniunctione fornicaria, vel de matrimonio attentato (in gradibus iure divino interdictis); unde Christus diceret tum solum uxorem posse dimitti quando nullum exstitisset matrimonium. Alii autem vocem explicant de peccato quovis carnali, quo commisso marito ius sit uxorem quoad torum et habitationem dimittendi *manente vinculo* (quia qui dimissam duxerit moechatur); vide utriusque loci explicationem apud *Knabenbauer*, Comment. in Matth. — Similis quaedam controversia de notione vocis agitatur in decreto apostolorum. Nam alii censent interdici fornicationem, quippe quae apud gentiles fere res indifferens sit habita, unde fuisse necesse ut explicite prohiberetur. Aliis mirum videtur enumerari fornicationem eodem ordine quo esus carnium diis immolatarum, suffocati, sanguinis. Unde putant ea voce interdici matrimonia in gradibus illicitis, matrimoniumque incestuosum ea voce designari (cf. *Cornely*, Comment. in 1 Cor. p. 120).

FORTUNA v. GAD 4.

FORTUNATUS (Φορτούνατος), Corinthius, qui simul cum Stephana et Achaico legatus missus est Ephesum a Corinthiis ad S. Paulum eique litteras Corinthiorum attulit (1 Cor. 16,17; quoad 16,15 v. ACHAICUS).

FORUM Ez. 27,14 dicitur de loco in quo res venales exponuntur : et mulos adduxerunt ad forum tuum. Alias adhibetur vox de loco urbis vel vici publico, valde frequentato, ubi cives conveniunt (Act. 17,17), ubi pueri ludunt (Matth. 11,16; Luc. 7,32); in eiusmodi locis publicis et ab hominum multitudine frequentatis pharisaei salutari desiderabant : amant salutationes in foro (Luc. 20,46; Matth. 23,7); ibi quoque stabant qui ad laborem diurnum conduci volebant (Matth. 20,3 ss.). Locus quoque publicus intellegi videtur Marc. 7,4 : et a foro (reversi) nisi baptizentur non comedunt; alii tamen de loco commercii

quandoque accipiunt. In foro denique, ut in loco publico, etiam iudicia habebantur (Act, 16,19).

De Appii Foro vide s. v.

FRATER. Inter fratres primogenitus priorem obtinebat locum, id quod iure hereditatis quoque agnoscebatur; hic enim prae fratribus duplicem partem accipiebat (Deut. 21,17). Si agebatur de sorore in matrimonio collocanda, fratres quoque assentiri debebant (Gen. 24,50; 34,13). Maxime commendatur et laudatur concordia inter fratres : ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum etc. Ps. 132,1 et : frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma (Prov. 18,19) et inter tria quae probata sunt coram Deo et hominibus primo loco enumeratur concordia fratrum (Eccli. 25,2) et : sex sunt quae odit Dominus et septimum detestatur anima eius..., et hoc septimum est : detestatur eum qui seminat inter fratres discordias (Prov. 6,16. 19).

Maxime proprie vox dicitur de fratribus germanis, uterinis; sed etiam de iis qui ab eodem patre, at diversis matribus, vel ab eadem matre, at diversis patribus sunt editi (cf. Gen. 42,15 Beniamin fatrer dicitur aliorum filiorum Iacob; Iud. 9,5 21). Dein latiore sensu dicitur de propinquis; ita de filio fratris, uti Lot vocatur frater Abraham Gen. 14,14; filii Aaron, Nadab et Abiu, vocantur fratres Misaelis et Elisaphan filiorum Oziel patrui Aaron Lev. 10,4; similiter in locis v. g. de filiis Zara : Iehuel et fratres eorum sexcenti nonaginta (1 Par. 9,6 etc.). Fratres quoque dicuntur qui sunt contribules; ita David loquitur ad maiores natu Iuda : fratres mei vos, os meum et caro mea vos (2 Reg. 19,12), et qui de tribu Beniamin sunt, dicuntur fratres Saul 1 Par. 12,2. Sensu etiam latiore frater designatur is qui est ex eodem populo; ita Hebraei dicuntur fratres Moysi Ex. 2,11; cf. Iud. 14,3; cum enim omnes Israelitae appellentur filii Abraham, filii Israel, consequens est, ut inter se vocentur fratres. Eodem porro fratris nomine designantur posteri Isaac et Ismael Gen. 16,12; Edomitae fratres dicuntur Hebraeorum : transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau Deut. 2,4. 8; cf. Am. 1,11; Abd. 10.

Porro fratris nomine appellantur quoque socius, ii qui foedere iuncti sunt, amici, comites, qui a partibus alicuius stant. Ita Iosue eos qui cum ipso exploratores erant fratres dicit (Ios. 14,8) et David loquitur ad milites suos : non sic facietis, fratres mei, etc. (1 Reg. 30,23) et dolet David de Ionatha : doleo super te, frater mi Ionatha (2 Reg. 1,26); Tyrii qui Idumaeis bellum intulerunt dicuntur non recordati esse foederis fratrum (Am. 1,9); socii et asseclae Iehu fratres eius nominantur 4 Reg. 9,2 etc. Notus est hebraismus : dixit vir ad fratrem suum i. e. unus ad alterum, vel dixerunt inter se; item : non docebit ultra vir fratrem suum dicens : cognosce Dominum i. e. alius alium non docebit (cf. Ier. 31,34).

Quare denum cum omnes homines descendant ab uno protoparente et Deum habeant creatorem et patrem, nomen fratris ita extenditur, ut designet omnem qui eiusdem naturae humanae est particeps; ita Gen. 9,5; Matth. 5,22; 7,3; Hebr. 2,11.

Fratris nomine etiam similitudo quaedam declaratur; ita Iob propter clamores lugubres quos edere cogitur dicit : frater fui draconum 30,29 (i. e. lugubres sonos edidi, uti canes aurei; cf. Mich. 1,8 vel Prov. 18,9 : qui mollis et dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis. Inde iam facile fluit, cur fratres vocentur qui eadem fide animos habeant coniunctos; ita in libris Novi Test. Christiani dicuntur fratres, idque iure potiore quia eadem regeneratione ex aqua et Spiritu Sancto filii Dei facti sunt, semen Dei in se habent (Ioan. 3,5; 1,13; 1 Ioan. 3,9. 10; 5,1), unde inter se fratres sunt. Insuper Christus iam vocavit apostolos suos fratres et fratres quoque eos qui in eum credunt (Matth. 12,48-50; 25,40; 28,10); quare eos esse inter se fratres clare affirmat. Unde eo nomine saepissime et fideles salutantur et ii qui socii sunt eiusdem muneris apostolici. Uti fideles inter se vocantur fratres, ita quoque fratres Christi appellantur; nam Chri-

stus eos iam eo nomine honoravit (uti modo dictum est), eos sacramento baptismi effecit filios Dei (adoptivos utique) et secum coheredes gloriae (Rom. 8,17), ita ut ipse sit primogenitus in multis fratribus (Rom. 8,29).

FRATERNITAS. 1 Mach. 12,10 : maluimus mittere ad vos renovare fraternitatem et amicitiam ; ita scribit Ionathas Spartiatis fratribus; qui enim foedere iuncti sunt fratres quandoque dicuntur. Insuper Arius, rex Spartiatarum, olim scripserat Oniae inventum esse in aliquo scripto de Spartiatis et Iudaeis « quoniam sunt fratres et quod sunt de genere Abraham » (1 Mach. 12,21). Verum de hac cognatione praeter varias coniecturas nihil certi afferri potest. — Utitur ea voce S. Petrus ad coetum fidelium designandum, quippe qui sint fratres (1 Petr. 2,17 : fraternitatem diligite; 5,9). Alias fraternitas ponitur in Vulgata pro φιλαδελφία i. e. amor in fratres, amor fraternitatis Rom. 12,10; 1 Thess. 4,9; Hebr. 13,1; 1 Petr. 1,22; 2 Petr. 1,7.

FRATRES IESU. Nomine fratrum Iesu recensentur Matth. 13,55 ex modo loquendi Nazarethanorum : nonne hic est fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria? et fratres eius : Iacobus, et Ioseph et Simon et Iudas? item Marc. 6, 3 (pro Ioseph etiam legitur Iose). Praeterea de fratribus eius sermo fit Matth. 12,46; Marc. 3,31; Luc. 8,19; Ioan. 7,3. 5. 10; Act. 1,14; 1 Cor. 9,4. Non posse eos esse fratres germanos Iesu i. e. filios Mariae, etsi dogma de perpetua virginitate Mariae interim omittamus, iam inde patet, quod mater duorum explicite statuitur Maria, soror matris Domini, Maria Cleophae; hi duo sunt Iacobus et Ioseph (Matth. 27,25; Marc. 15,40; 16,1; Ioan. 19,25). Unde pater horum fratrum est Cleophas, mater Maria, soror (cognata) matris Domini. Ita iam probatum est fratres illos non esse fratres germanos. Si enim Iacobus et Ioseph non sunt proprie fratres, qui primo loco nominantur, etiam duo alii non possunt censeri fratres. Insuper Iacobus apostolus vocatur Iacobus Alphaei (filius), apostolus autem Iacobus erat teste Paulo frater Domini (Matth. 10,3; Gal. 1,19); inde concludere oportet vel eius patrem habuisse nomina duo (Cleophas, Alphaeus — id quod non fuisset inusitatum) vel Alphaei nomen esse idem quod Κλωπᾶ i. e. חַלְפַּי modo lenius, modo durius esse pronuntiatum, quae est multorum sententia (cf. *Cornely*, Introd. III. p. 597; *Knabenbauer* ad Matth. 10,3). Huius autem Iacobi frater est Iudas (cf. Luc. 6,16; et in initio epistulae se vocat fratrem Iacobi). Unde iam pro tribus pater et mater assignari potest. Et cum in catalogis apostolorum cum Iacobo Alphaei et Iuda etiam Simon enumeretur, non videtur a vero alienum intellegi Simonem fratrem Domini. Quidquid est saltem duo certe inter apostolos enumerantur. Atque fratres Domini aliquos apostolis annumerari, etiam colligitur ex modo quo apostolus Paulus loquitur : alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini (Gal. 1,19) et : ceteri apostoli et fratres Domini et Cephas (1 Cor. 9,5; ubi ipsa gradatione et collocatione fratres apostolis annumerantur) et : visus est Iacobo, deinde apostolis *omnibus* (1 Cor. 15,7). Neque fratres Iesu ideo ab apostolis separantur, quod Ioannes scribit 7,5 : neque enim fratres eius credebant in eum. Nam quid hoc loco vocet evangelista *non credere*, aliud non est nisi illos non habuisse *rectam* de Iesu Messia notionem. Adeo enim eius potentiam et dignitatem credebant, ut vellent opera eius fieri manifesta in Iudaea, ut ei dicerent : manifesta te ipsum mundo! Sed in *recta* de Iesu notione eo tempore reliqui quoque apostoli defecerunt. — Si itaque Iacobus filius erat Clopae, fratres Domini erant eius consobrini; idem testatur Hegesippus (cf. *Euseb.* Hist. eccl. 4,22; *M.* 20, 380), qui etiam asserit Clopam fuisse fratrem Ioseph fabri (cf. *Euseb.* Hist. eccl. 3,11; *M.* 20,248: *Epiph.* Haer. 78. 7; *M.* 42,708).

FRUMENTUM. 1. Generaliter frumentum dici possunt omnes plantae, unde farina ad panificium apta praeparatur; immo etiam generalius frumentum in Vulgata adhibetur pro omni cibo (אֹכֶל Gen. 44,1; ἐπισιτισμός Iudith 2,9 gr. 18), cuius partem praecipuam, maxime orientalibus, frumentum constituit. Sen-

su specialiore frumentum dicuntur plantae gramineae cereales, quarum grana materiam panis praestant. Ita *frumentum* in Vulgata recte explicantur nomina hebraica בָּר s. בַּר, דָּגָן, שִׁבֹּר et graeca σῖτος et σιτίον. Sensu vero specialissimo frumentum in Vulgata dicitur praecipua eius species triticum (חִטָּה, pl. חִטִּים, chald. חִנְטִים et חִנְטִין), more etiamnum variis populis usitato (ital. *formento* et *frumento*, gall. *froment*).

Cf. *J. J. Clément Mullet*, Les noms des céréales chez les anciens, Paris 1865; *V. Hehn*, Kulturpfl. *ed.* 6,537).

2. Species frumenti nominibus istis generalibus comprehensae eae sunt, quae in campis Palaestinae regionumque vicinarum colebantur vel forte aliunde eo afferebantur. In S. Scriptura quattuor praecipue occurrunt : *triticum* (חִטָּה, πυρός), *hordeum* (שְׂעֹרָה, κριθή), *far* s. spelta (כֻּסֶּמֶת, ὀλύρα s. ζέα), *milium* (דֹּחַן, κέγχρος, quod alii *sorghum* esse volunt); de quibus cf. sing. artic. — *Secale* atque *avena* in libris sacris non commemorantur, quorum cultura populis orientalibus nec antiquitus cognita erat neque nunc accepta est; pariter *oryza* et *zea* (*Maïs*), quae nunc in Oriente frequenter coluntur, incolis antiquis notae non erant. Probabiliter autem nomine *tritici* et *farris* praeter varias tritici culti species etiam *Triticum monococcum* Linné et *Tr. dicoccum* Schrank comprehenduntur.

3. Frumenti culturam inde ab exordiis generis humani exstitisse ex pluribus S. Scripturae locis merito deducitur; neque enim homines primi temporis solummodo pastores gregum erant, more nomadum vagabundi ac domicilia sua hinc inde mutantes, sed in poenam peccati ipsi Adae posterisque eius imponitur, ut in laboribus comedat ex terra maledicta, et in sudore vultus sui vescatur pane (Gen. 3,17-19), atque ex ipsis primorum parentum filiis alter pastor ovium, alter vero agricola describitur (ib. 4,2; cf. 5,29; 8,22; 9,20). Pariter aetate patriarcharum Isaac non solum greges magnos pascebat, verum etiam frumentum « sevit in terra illa et invenit in ipso anno centuplum » (ib. 26,12), et cum filiis Iacob Ioseph per somnium putabat se « ligare manipulos in agro » (ib. 37,7). Neque hisce sacrae historiae factis scientia ullo modo refragatur. Licet enim de origine ac patria variarum frumenti specierum haud facile quis certi aliquid definiat, satis communiter tamen praecipuae species in ea regione indigenae supponuntur, unde Abraham cum familia sua iussu Dei egressus est. Praeterea prima vetustissimarum nationum monumenta historica frumenti culturam florentem apud Babylonios atque Aegyptios aliosque populos testantur, atque ipsa primordia scripturae antiquissimae idem pro Babylonia confirmant.

Cf. *A. de Candolle*, Origine des Plantes cultivées 284-319; *Fr. Koernicke*, Arten u. Varietäten des Getreides (*Körnicke-Werner*, Handb. des Getreidebaues I.), Bonn 1885, praes. p. 17-9; *G. Schweinfurth* in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1891, 651; *id.* ib. 1897, 267; *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. II. 2,80-6, al. — De Babyloniis cf. *Urnina*, Inscr. I. col. 3,7-9; *Gudea*, Inscr. B, col. 1,8-11; *Entena*, Inscr. I. col. 4,1-5; *Singashid*, col. 3,15-20; *Hammurabi*, Inscr. Louvre I. col. 1,23-26 etc.; *Frd. Delitzsch*, Entstehung d. ält. Schriftsystems, Leipzig 1897, 125 s. — De Aegyptiis cf. *A. Braun* in Ztschr. f. Ethnol. IX. 1877, 295; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 387-428 etc.; *A. Erman*, Aegypten 566-91; *G. Schweinfurth* in Bull. de l'Inst. Égypt. 1884 (extr. p. 2); *id.* ib. 1886 (extr. p. 2-8) etc.; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aeg. 164-74; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, 21-6.

4. Frumentum in S. Scriptura frequentissime inter optimas terrae promissae fruges laudatur ac praesertim cum vino et oleo tamquam praecipua eius dos celebratur (Gen. 27,28. 37; Num. 18,12; Deut. 8,8; 11,14 etc.; 2 Par. 31,5; 32,28; Neh. 5,11 etc.; Iudith 11,12; Ps. 4,8; Is. 36,17; Ier. 31,12; 41,8; Os. 2,8; Ioel 2,19. 24). Ex variis Palaestinae provinciis maxime Galilaea et planities maritima a Carmelo usque ad urbem Gazam frumenti feracissima erat atque saltem ex parte hodiedum est; praeterea etiam regio transiordanica iam antiquitus optimum frumentum ferebat (2 Par. 27,5; Ez. 27,17).

Fertilitas autem soli palaestinensis maxima erat, ita ut merito Dominus in parabola evangelica semen dixerit fructum dare aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum (Matth. 13,8; cf. Gen. 26,12); quod nemo mirabitur, qui noverit etiam nostris diebus solum per tot saecula neglectum eiusdem esse fertilitatis.

5. Tanta autem copia frumenti in terra habebatur, ut Iudaei finitimis quoque nationibus cibaria praeberent, praesertim Phoeniciis, angustam in litore maris regionem inhabitantibus; quod iam in benedictione Iacobi morientis de Issachar et Aser innuitur (Gen. 49, 15. 20), et de Salomone expresse narratur, qui Hiram Tyriorum regi per singulos annos « coros tritici viginti millia in cibum domus eius misit » (3 Reg. 5,11; cf. 2 Par. 2,10. — *Eupolemos* ap. *Euseb.* Praep. evang. 9,33), iterumque de terra regis Herodis in Actibus Apostolorum refertur, quae Tyriorum ac Sidoniorum provinciam frumento suo alebat (Act. 12,20). Idem de urbibus Dor et Ioppe, in planitie maritima sitis, inscriptio *Eshmunazar,* regis Sidoniorum, testatur. — Nihilominus non defuerunt anni, quibus magna in terra fames oriretur, eo quod messis defecisset sive cessante pluvia sive locustis omnia vorantibus sive hoste cuncta vastante seu alia de causa; tunc Palaestina quoque a finitimis regionibus ac praesertim ex Aegypto alimenta sibi quaerere cogebatur, uti iam Iacobo et filiis eius videmus accidisse (Gen. 42 ss.).

Cf. *F. C. Movers,* Phoenicier II. 1,307-10; III. 1,209-14; *C. Ritter,* Erdkunde XVI. 1,283; XVII. 2,1746; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,489; *P. Schegg,* Bibl. Archaeol. 131-40.

6. Inter varias inopiae frumenti causas S. Scriptura saepius שִׁדָּפוֹן et יֵרָקוֹן commemorat; in Vulgata primum vel *aerugo* explicatur (2 Par. 6,28, LXX ἀνεμοφθορία), vel *aer corruptus* (Deut. 28,22, LXX *id.*; 3 Reg. 8,37 LXX ἐμπυρισμός), vel *ventus urens* (Am. 4,9, gr. πύρωσις; Ag. 2,18 gr. ἀφορία); alterum autem dicitur pariter *aerugo* (3 Reg. 8,37), vel *aurugo* (2 Par. 6,28, gr. ἴκτερος; Ag. 2,18, gr. *id.*; Am. 4,9, ubi cod. Amiatinus rectius *aurigo* scribit; LXX ἀνεμοφθορία; cf. Ier. 30,6) vel denique *rubigo* (Deut. 28,22, gr. ὄχρα). שִׁדָּפוֹן scilicet est morbus, quo segetes praesertim adultae et spicis ornatae (Gen. 41,6. 23. 27) flante euro (קָדִים) afficiuntur, qui in Palaestina saepe vehementissimus, ex aridis desertis adveniens « calidus et urens » plantas et segetes exsiccat (Ion. 4,8; Ez. 17,10; 19,12) atque etiam hominibus multas affert molestias. יֵרָקוֹן vero alium morbum designat, quo segetes ante tempus flavescunt et steriles manent; probabiliter est *uredo segetum* (cf. 4 Esdr. 15,13), qua scil. spicae frumenti fungis minimis invaduntur et corrumpuntur; nomine scientifico fungi isti *Puccinia graminis* Persoon vocantur (*Leunis-Frank,* Synopsis II. 1 *ed.* 3. p. 508 s. II. 3 p. 538 s.).

De aliis v. AGRICULTURA. — De morbis frumenti v. monographias cit. ap. *G. A. Pritzel,* Thesaurus litt. bot., ed. nova, Lipsiae 1872-77, p. 444.

L. FONCK.

FRUTETUM in Vulgata respondet imprimis hebr. דְּלִיּוֹת i. e. rami, LXX οἱ κλάδοι, Ier. 11,16. Praeterea frutetum dicitur pro hebr. נְצִיץ (Is. 7,19), quod alibi (ib. 55,13) *saliunca* explicatur. V. SPINA.

FUCUS semel nominatur in descriptione idoli, cuius colorem fuco (φύκει) rubicundum facere dicitur artifex (Sap. 13,14).

FUGA IESU in Aegyptum. Eius occasio narratur Matth. 2,13 s. Evenisse censenda erit post praesentationem in templo et statim post discessum magorum. Magi autem certe non advenerunt statim post nativitatem; verum adventus tempus dimetiendum potius erit secundum tempus quod indicatur Matth. 2,16; occidit enim Herodes pueros a bimatu et infra, et id secundum tempus quod exquisierat a magis; nam diligenter didicit ab eis tempus stellae quae apparuit eis (v. 7). Ex qua inquisitione itaque conclusit puerum esse aetatis plus

unius anni tempore quo pueros occidi iussit. Mandatum autem hoc ab eo esse editum mox postquam magi abierant ex Bethlehem certum videtur. Nam magos esse profectos latere non potuit, eos non esse ad regem reversos in urbem, pariter statim innotuit; quare pariter non erit dubitandum quin Herodes simul atque innotuit suos in Bethlehem satellites miserit. — Iam *Tatianus* in evangeliorum harmonia, cui nomen est diatessaron, fugam post oblationem in templo posuit; *Eusebius* quoque ex tempore quod Herodes a magis exquisierat arguit biennium elapsum esse a nativitate usque ad magorum adventum (Quaest. evang. ad Steph. qu. 16; *M.* 22, 933); idem tempus assignatur in Chronico Eus. apud S. Hieronymum (*M.* 27, 562), idem apud S. Epiphanium (Haer. 51,9; *M.* 41,904). Huic sententiae conformis est modus quo in antiqua Ecclesia adoratio magorum imaginibus repraesentatur, in quibus scil. Iesus apparet grandiusculus vel etiam sedens solus in throno (cf. *Garrucci,* Storia dell' arte tav. 213. 455; *Kraus,* Real-Encyclop. der christl. Alterth. II. p. 350).

Cur autem infans fuga debuerit subtrahi insidiis, cum alia multa Deo praesto essent subsidia, S. Chrysostomus (in homilia ad h. l.) explicat pertinere ad Dei potentiam etiam, ut hostes facile decipiat; dein cum Filius Dei voluerit apparere in infantili aetate, conveniens fuit, ut eo modo quo puerulus subtrahi solet insidiis servaretur et puerulus iam suo docet exemplo quod postea dicturus est: cum vos persecuti fuerint in una civitate fugite in aliam (Matth. 10,23). Haec fuga prolusio quaedam est persecutionis et odii in Messiam; iam portenditur Messiam a populo suo iri reiectum; iam cernitur oraculum Simeonis impleri: positus est in signum cui contradicetur. Iubetur fugere in Aegyptum; eo tempore multi Iudaeorum ea in regione incolebant, ita ut Ioseph facile ibi subsidium invenire potuerit. Sed potior ratio altius erit repetenda. Patriarchae iam, uti Abraham et filii Iacob, vitae servandae causa descenderunt in Aegyptum; urbe a Chaldaeis destructa multi ad Aegyptios confugerunt, item temporibus subsequentibus. Vetus autem Testamentum est umbra, corpus vero quod illam proiecerit umbram est Christi (Col. 2,17); quare merito illa commoratio ex alio eventu prophetice dicitur praefigurata: ex Aegypto vocavi filium meum (Os. 11,1; Matth. 2,15). Iesus hac sua commoratione regionem Deo consecrasse videtur; unde haud immerito adnotat iam S. Chrysostomus in deserto Aegypti exstitisse solitudinem quovis paradiso praestantiorem, sexcentos scil. angelorum choros humana forma, virginum coetus. Et cum regio alienigenarum id praestet Messiae quod apud suos non invenerit, merito censent *Beda Ven.*, *S. Thomas* aliique praefigurari in ea fuga transitum regni Messiae ad gentes.

Ad quam autem regionem in Aegypto sacra familia se receperit incertum est. Assignant alii terram Gessen, in qua olim Israelitae commorati erant, quae regio ex ipso situ haud incongrua videri potest. Ex traditione satis antiqua christiani indigenae locum commorationis S. Familiae venerantur in parte meridionali urbis veteris Cairo (*Maṣr el-ʿatīqah*) e conspectu Memphcos et in vico *Matariyeh* prope ruinas Heliopoleos; de qua traditione v. *M. Iullien,* L'Égypte, Lille 1891, 188-251; *id.*, L'arbre de la Vierge, *ed.* 4, Le Caire 1904.

FULLO bene dicitur hebr. כּוֹבֵס scil. pedibus calcans, qui scil. vestes sordidas lavat et pannos recentes condensat pedibus calcando adhibito nitro (cf. Ier. 2,22). Prope Ierusalem erat ager fullonis ad extremum aquaeductus piscinae superioris (4 Reg. 18,17; Is. 7,3; 36,2); de quo v. IERUSALEM III. 5. Fullones extra urbem negotiis suis vacabant; eos usos esse nitro vel sale lixivii, concludere licet ex Ier. l. c.; quibus rebus aliis usi sint, incertum est (cf. *Hartmann,* Die Hebräerin am Putztisch I. p. 159 s.). Eos vestes reddidisse candidas valde, elucet ex comparatione quam adhibet evangelista ex ore Petri: et vestimenta eius (Iesu in transfiguratione) facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere (Marc. 9,2). Etiam fons Rogel saepe explicatur fons fullonis.

FUNDA. Ea utebantur ad iaciendos lapides non solum pastores (1 Reg. 17, 40) et venatores (Iob 41,19), sed milites quoque, qui fundibularii vocabantur (4 Reg. 3,25; Iudith 6,8; 1 Mach. 9,11). Ea in arte eximii erant Beniaminitae, inter quos erant « sic fundis lapides ad certum iacientes ut capillum quoque possent percutere et nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur » (Iud. 20,16); etiam ad David cum esset in Siceleg, se adiunxerunt egregii pugnatores ex Beniamin tendentes arcum et utraque manu fundis saxa iacientes (1 Par. 12,2). Quid ipse David funda praestiterit contra Goliath (1 Reg. 17,49. 50), Sapiens quoque celebrat : numquid non occidit gigantem et abstulit opprobrium de gente? in tollendo manum saxo fundae deiecit exsultationem Goliae (Eccli. 47,5. 6) et mulieres praecinebant : percussit Saul mille et David decem millia (1 Reg. 18,7). Etiam in oppugnatione urbium fundibularii suas praestabant partes (4 Reg. 3,25). Alias hi et sagittarii praeibant exercitum (1 Mach. 9,11). Petitur quoque a funda comparatio : erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum; porro inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu et circulo fundae (1 Reg. 25,29).

FUNICULUS, FUNIS. Sub imagine tabernaculi, cuius clavi non auferentur in sempiternum et cuius funiculi non rumpentur, Isaias describit Ierusalem, civitatem Dei; utique illam urbem in qua repraesentatur regnum Dei, regnum messianum (33,20); de qua alibi quoque dicit : dilata locum tentorii tui... longos fac funiculos tuos et clavos tuos consolida (54,2). Gerere funiculos in capite signum est supplicationis et deditionis; dicunt enim servi ad Benadad, regem Syriae, qui devictus se absconderat : ecce audivimus quod reges domus Israel clementes sint; ponamus itaque saccos in lumbis nostris et funiculos in capitibus nostris et egrediamur ad regem Israel; forsitan salvabit animas nostras (3 Reg. 20,31). Funes adhibebantur ad metiendum; unde funiculus saepius intellegitur mensorius ad sortes vel hereditates mensurandas et dividendas (cf. 2 Reg. 8,2; Am. 7,17; Mich. 2, 5; Zach. 2,1. 2). Quare sensu translato dicitur pro parte, sorte, hereditate : pars Domini, populus eius; Iacob funiculus hereditatis eius (Deut. 32,9) et filii Ioseph expostulant cum Iosue : quare dedisti mihi possessionem sortis et funiculi unius, cum sim tantae multitudinis (Ios. 17,14)? cf. Ios. 19,9; Ps. 15, 6 : funes ceciderunt mihi in praeclaris i. e. funes mensorii mihi regionem praeclaram metiebantur (unde in membro parallelo : et hereditas mea praeclara est mihi; cf. Ps. 77,54; 104,11 et in Vulgata 138,3 funiculum meum investigasti i. e. partem, sortem); item 1 Par. 16, 18; Esth. 13,17. Quare funiculus etiam pro regione dicitur; Soph. 2,5 : vae qui habitatis funiculum maris et hebr. Deut. 3,4 et 4 Reg. 4,13. Funiculus seu regula et mensura etiam ponitur, ut ad eam opus destructionis exigatur : et extendam super Ierusalem funiculum Samariae et delebo etc. 4 Reg. 21,13; Lament. 2,8 : cogitavit Dominus dissipare murum filiae Sion; tetendit funiculum suum i. e. extendit regulam, ut plane destruatur et complanetur quasi ad filum, ut solo aequetur ad libellam; quae locutio illustratur Is. 34,11 hebr. : extendet super eam lineam tohu (vastitatis) et perpendiculum bohu (confusionis).

Porro funes etc. dicuntur translatione obvia de insidiis quibus homines capiuntur : funes peccatorum circumplexi sunt me i. e. laqueí; item sermo fit in hebr. de funiculis i. e. laqueis inferni (Ps. 17[18],6; cf. 2 Reg. 22,6); pariter de iis quibus animi hominum adstringuntur et capiuntur Os. 11,4 : in funiculis Adam traham eos (i. e. quibus *homo* trahi solet), in vinculis charitatis; ita sensu malo Prov. 5,22 : iniquitates suae capiunt impium et funibus peccatorum suorum constringitur; cf. Is. 5,18; simili modo Iob 36,8 vinciri funibus paupertatis. Miseriam quoque minatur Isaias, cum dicat : erit pro zona funiculus (3, 24). Demum symbolum servitutis qua cultui deae adstringuntur mulieres etiam cernitur Bar. 6,42 : mulieres circumdatae funibus in viis sedent; ad quem locum cf. *Herodotus* 1,199, ubi funiculum

per modum coronae capiti circumvolutum gerere mulieres ea occasione dicit.

FUNUS vide s. v. EXSEQUIAE et SEPULTURA.

FUR, FURTUM. Deus lege tuetur possessionem : non furtum facies (Ex. 20,15; Lev. 19,11; Deut. 5,19), tuetur quoque poenis in furem sancitis. Furem qui noctu domum ingreditur licebat occidere, non vero si orto sole hoc fecerit. Graviter animadvertebatur in eum qui iumenta vel pecora furabatur. Cum enim ea saepe in pascuis libere vagarentur et insuper heris essent quam maxime utilia, immo necessaria, opportunum erat ea graviore poena proposita tueri. Ita qui bovem vel ovem furatus occiderit vel vendiderit, reddet quinque boves pro uno, quattuor oves pro una; minore vero poena delictum expiabatur, si inventum fuerit apud eum quod furatus est vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis; duplum restituet. Si vero non habet, unde restituat, venundabitur ipse fur (Ex. 22,1-4). Furtum autem aliarum rerum vel fraudem commissam reus expiare debebat integra restitutione facta et addita insuper quinta parte pretii; ita si quis depositum acceptum negaverit, vi quidquam iniuste extorserit; rem inventam non possessori reddiderit, vel fraude aliqua damnum intulerit (Lev. 6,2 s.; Num. 5,7. 8); « sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino et erit sacerdotis » (Num. 5,8). Pro peccato suo debebat insuper offerre arietem immaculatum de grege, ut sacrificio oblato oret sacerdos ad remissionem peccati impetrandam (Lev. 6,6. 7). Principes et iudices qui munera accipiunt ad ius supprimendum et iniustitiam fovendam Isaias merito vocat socios furum (1,23); uti Osee 4,2 contribules suos furtorum accusat, ita Paulus quoque (Rom. 2,31). Capitis damnabatur qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum (Ex. 21,16). Rem sacram vel anathemate devotam furari, grave crimen reputabatur (cf. Ios. 7,24; 1 Par. 2,7). Cum Iudaeis interdictum esset concupiscere aurum et argentum idolorum, merito Paulus Iudaeis exprobrat τὸ ἱεροσυλεῖν (Rom. 2,22). Fures exclusum iri a regno Dei apostolus docet 1 Cor. 6,10; similiter iam docuit Sapiens : qui cum fure participat, odit animam suam (Prov. 29,24). — Malos doctores Christus appellat fures, quia isti sua solum emolumenta quaerunt eaque iniuste sibi vindicant; quare addit : fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat (Ioan. 10,1. 10); quo loco aperte alludit ad descriptionem malorum pastorum apud Ez. 34,2. — Ut indicet Iesus se venturum tempore quod nesciatur ab hominibus, similitudinem sumit a patrefamilias, qui vigilaret utique si sciret qua hora fur venturus esset (Matth. 24,43); unde apostolus scribit Thessalonicensibus : ipsi diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet (1 Thess. 5,2); item 2 Petr. 3,10; Apoc. 3,3; 16,15.

FURNUS (cf. s. v. FORNAX). Turris furnorum, cuius mentio fit Neh. 3,11 et 12,37, sita erat inter murum latissimum et portam vallis, fortasse prope portam anguli (cf. 4 Reg. 14,13); immo *Keil* suspicatur turrim hanc esse portam anguli (ad Neh. 3,11); inde enim optime explicari, cur in ea descriptione porta anguli non commemoretur, quae tamen porta etiam post exsilium exstiterit (cf. Zach. 14,10).

FUSUS 2 Reg. 3,29 : nec deficiat de domo Ioab... leprosus et tenens fusum; quo tamen loco פֶּלֶךְ explicari oportebit de baculo, de scipione : innixus baculo prae morbo pedum et infirmitate, uti praeter recentiores etiam iam *Mariana*, *Gordonus* aliique statuunt. Qui fusum retinent, explanant : qui vili, muliebri opificio vitam debeant sustentare. Sed cum vox iam a LXX reddatur eo loco σκυτάλῃ, certe non opus est de fuso et colo et de nendi arte cogitare. In laudibus mulieris fortis Prov. 31,19 haec nendi ars merito effertur : manum suam misit ad fortia (hebr. כִּישׁוֹר, ad colum, uti iam *Mariana*, *Gordonus* aliique ex veteribus et recentiores interpretantur) et digiti eius apprehenderunt fusum i. e. tractant lanam, diligenter operi stamina ducendi versato fuso incumbit.

G

GAAL (גַּעַל, Γαάλ), filius Obed, dux Sichimitarum contra Abimelech iudicem in apertam rebellionem prorumpentium (Iud. 9,26-41). Apud Flavium Iosephum nominatur ὁ Γυάλης (Ant. V. 7,3. 4 *ed. Niese*). Videtur fuisse homo vagus neque Sichimis oriundus, cuius adventu et armato praesidio Sichimitae animis ab Abimelech alienati audaciores effecti sunt. Reliqua vide s. v. ABIMELECH 2.

GAAS (גַּעַשׁ, Γαάς et Ios. 24,30 Γαλαάδ), mons in montanis Ephraim situs, a cuius septemtrionali parte erat Thamnathsare urbs Iosue, in cuius finibus ipse sepultus est (Ios. 24,30; Iud. 2,9; cf. Iosue 19,49. 50). Inter Gibborim davidicos recensetur Heddai (Hurai) de torrente Gaas (2 Reg. 23,30; 1 Par. 11,32) vel de vallibus Gaas illi monti subiectis; utrumque voci hebraicae satisfacit. Situs montis celeroquin ignoti nonnisi ex situ Thamnathsare urbis determinari potest; hanc esse *Khirbet Tibne* (16 km a Bethel inter septemtrionem et occidentem) ostendit *Guérin* (Samarie II. 89 ss.), qui ibidem inter multas cameras sepulcrales ex rupibus excavatas sepulcrum Iosue detexisse sibi visus est anno 1863. Contradicit *Séjourné*, cui praeplacet *Khirbet el-Fakhakhīr* 10 km aquilonem versus a *Khirbet Tibne* (Revue bibl. II. 1893 p. 608-626); v. THAMNATHSARE.

GABA v. GABAA 2.

GABAA nomen est tum oppidorum tum collium. Nomina hebraica גִּבְעָה, גִּבְעָא, גָּבַע (Vulgata: Gabaa, Gaba, Gabae, Gabee, Geba) secundum *Gesenium* (Thesaurus ling. hebr. 259. 260) derivantur a radice inusitata גָּבַע, cuius propria vis, quoad ex derivatis colligitur, erat: instar gibbi montisve elatus est, ita quidem ut modo altitudinis modo formae rotundae vis magis conspicua sit. — Satis difficilis est distinctio oppidorum et locorum, quibus in S. Scriptura nomen Gabaa (Geba) vel nomen cum Gabaa compositum tribuitur.

1. Gabaa (גִּבְעָה, Γαβαά), urbs in montanis tribus Iuda, inter decem urbes tertiae provinciae post Maon, Carmel, Ziph etc. enumerata (Ios. 15,57). Sita igitur erat a Hebrone inter meridiem et orientem. Onom. (*ed. Lag.* 128,18 et 246,55) duos viculos Gabaa et Gabatha contra orientalem plagam Daromae sitos esse dicit; horum autem nullum vestigium exstat. — Praeterea in genealogia Iuda 1 Par. 2,49 Sue vocatur pater (dominus, possessor) Gabaa (גִּבְעָא Γαιβάλ); haec fortasse eadem est quae Ios. 15,57. Sed etiam alia erat Gabatha villa 12 mil. pass. ab Eleutheropoli distans et sepulcro Habacuc prophetae celebris (Onom. *ed. Lag.* 246,67; 128,32), cui respondere videtur vicus *Djebāʿa* inter Eleutheropolim et Bethlehem; is quidem a nonnullis (*Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. III. p. 25; *Guérin*, Judée III. 382) perperam Gabaa Ios. 15,57 dicitur, quae potius in vicinia Maon, Carmel, Ziph etc. quaerenda est; sed nihil obstat quominus *Djebāʿa* sit illa Gabaa 1 Par. 2,49. S. Hieronymus quoque de Gabatha iuxta Bethlehem in tribu Iuda loquitur (Onom. *ed. Lag.* 128,21).

2. Gabaa, Gaba, Gabae, Gabee, Geba (גָּבַע et interdum גָּבַע propter pausam; LXX Γαβαά, sed etiam Γαβαέ, Γαβέ, Γαβέθ etc.), urbs inter duodecim urbes orientales tribus Beniamin recensita (Ios. 18,24), sacerdotibus tradita (Ios.

21,17; 1 Par. 6,60 [45], terminos septentrionales regni Iuda designans (4 Reg. 23,8; Zach. 14,10 hebr.). De Gaba seu Geba nostra plerique auctores interpretantur 1 Reg. 13,3 : et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quae erat in Gabaa (LXX ἐν τῷ βουνῷ) vel secundum aliquos auctores monumentum quoddam, cippum quendam a Philisthaeis in signum prioris alicuius victoriae erectum. In ulteriore historia eiusdem belli philisthaici situs rupium Boses et Sene 1 Reg. 14,4. 5 ita describitur, ut Machmas a septentrione, Gabaa (Geba) autem a meridie in latere *Wādi Suweinit* collocetur. Cum his plene concordat descriptio itineris Assyriorum Is. 10,28. 29 : apud Machmas deponunt sarcinas, transeunt transitum (*Wādi Suweinit*) clamantes : Gaba diversorium nostrum (ad pernoctandum); quare tremit Rama occidentem versus a Geba distans, fugiunt incolae Gabaa Saulis, quo Assyrii meridiem versus progressuri sunt. Propter situm rei bellicae tantopere utilem Asa rex Iuda munivit Geba Beniamin ex lapidibus et lignis, quae Baasa rex Israel muniendae urbi Rama praeparaverat (3 Reg. 15,22; 2 Par. 16, 6). Ex captivitate redierunt filii Rama et Geba 621 numero (Esdr. 2,26; Neh. 7, 30); Geba denuo a Beniaminitis habitabatur (Neh. 11,31). Eiusdem urbis mentio fit 1 Par. 8,6; 2 Par. 13,2; Neh. 12, 29. Eadem quoque intellegi videtur 2 Reg. 5,25 : Percussit (David) Philisthiim de Gabaa (sed LXX Γαβαών) usque Gezer; loco autem parallelo 1 Par. 14,16 omnes textus legunt : de Gabaon; res igitur dubia est. Loci 1 Reg. 10,5. 10. 13, de quibus etiam dubitatum est, rectius ad Gabaam Saulis referuntur; v. GABAA 5.

Nomen antiquum Geba conservat vicus *Djeba'* a *Makhmās* (Machmas) meridiem versus distans et interiecto *Wādi Suweinit* separatus.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 324 ss.; *Guérin*, Judée III. 67-70; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 9. 94; *D. Zanecchia*. La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 465. 466.

3. Gabaa Beniamin (הַגִּבְעָה אֲשֶׁר לְבִנְיָמִן, sed Iud. 20,10 גִּבְעַ בִּנְיָמִן; Γαβὰ τῆς Βενιαμίν). Maxime nota est haec urbs a scelere nefando, quod eius incolae (filii Belial) perpetrarunt in levitam eiusque uxorem a Bethlehem Iuda domum scil. ad latus montis Ephraim revertentes (Iud. 19,12. 14. 16 s.); ex contextu sita erat inter Ierusalem et Rama; habebat plateam seu forum quoddam publicum (19,15. 17. 20); inter habitatores suos numerabat 700 viros fortitudine ac dexteritate bellica egregios (20,15. 16). A Flavio Iosepho (Ant. V. 2, 8 ubi eundem eventum narrat) haec Γαβά Hierosolymis 20 stadia abesse dicitur; Rama autem Hierosolymis 40 stadia aberat (Ant. VIII. 12,3). Poena Beniaminitis ob illud scelus inflicta, urbis Gabaa expugnatio et incendium narratur Iud. 20,1-48. — De Gabaa Beniamin iterum sermo est in historia belli philisthaici 1 Reg. 13,2. 15. 16; 14,2. 16. Ex ipso textu haec eruitur series eventuum : Saul cum 2000 virorum in Machmas et monte Bethel castrametatur, Ionathas filius Saul cum 1000 viris in Gabaa Beniamin (13,2); Ionathas a Gabaa Beniamin contra Geba (*Djeba'*) progreditur ibique stationem (monumentum) Philisthaeorum destruit (13,3); Philisthaei vero undique ad arma convolantes exercitum Saul ex Machmas et Bethel eiiciunt et per fauces montium usque ad Galgala prope Iericho depellunt (13,4. 7); Philisthaeis apud Machmas castrametantibus Saul et Samuel de Galgalis Gabaam Beniamin ascendunt (13,15. 16), quam Ionathas toto tempore intermedio occupasse merito censetur; Ionathas eiusque armiger apud Geba (*Djeba'*) in saltum (*Wādi Suweinit*) descendunt et contra Machmas in septentrionali saltus latere ascendunt castra Philisthaeorum adorturi (14,1 ss.); sequitur clades Philisthaeorum.

Omnibus hisce textibus satisfieri videtur, si Gabaa Beniamin media fere inter Ierusalem et Rama agnoscitur *Tuleil el-Fūl* (*collis fabarum*); hunc situm Gabaae Beniamin vindicant plerique cum *Valentiner* in Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XII. 1858 p. 161; aliqui tamen praeferunt *Rās el-Tuwīl* inter *Tuleil el-Fūl* et *Djeba'*. Difficultas aliqua in eo est, quod speculatores Saul, cuius castra erant in

Gabaa Beniamin (14,2. 16), perturbationem ac tumultum in castris Philisthaeorum apud Machmas exortum discernere potuerint; sed supponere licet castra Israelitarum a Gabaa Beniamin per descensum montium fuisse extensa versus Geba et primam eorum stationem (*avant-garde*) ab ipso saltu non multum abfuisse, speculatores autem variis in stationibus dispositos signis vel nuntiis inter se communicasse.

De Gabaath filiorum Beniamin oriundi erant Ithai (Ethai) filius Ribai (2 Reg. 23,29; 1 Par. 11,31) et Samaa (Somaa) Gabaathites, pater Ahiezer et Ioas Beniaminitarum, qui Davidi in Siceleg fugitivo se adiunxerunt (1 Par. 12,3). Facinus indignissimum Beniaminitarum in Gabaa commissum in memoriam revocatur Os. 9,9; 10,9. De eadem Gabaa signum periculi instantis veluti de specula in regionem late personare exhibetur Os. 5,8.

Gabaa (Iud. 20,31; in textu hebraico: Gabaa in agro) ab aliis explicatur aliqua Gabaa campi distinguenda a Gabaa montis (*Cassel*: Feldgibea und Berggibea), ab aliis ipsa Gabaa Beniamin, prope quam a loco certaminis aliqua via in agrum ducebat (*Keil* ad h. l.), ab aliis Geba (*Djeba'*), ita ut Israelitae a Gabaa Beniamin fugerint partim versus Bethel, partim versus Geba. Apud *F. de Hummelauer* ad h. l. istae duae viae seu semitae explicantur duo ascensus, unus Gabaa descendens aquilonem versus, alter post descensum rursus ascendens versus Bethel; additur *in agro*, in campo scil. patenti, per quem Beniaminitae vagabantur Israelitis in saltibus adiectis delitescentibus. Ex variis hisce interpretationibus colligitur Gabaam (in agro) aut esse ipsam Gabaam Beniamin aut fortasse Geba, de qua diximus num. 1.

De Iud. 20,33 (Syrus: spelunca Gabaa; Targum Ionathan: desertum, planities Gabaa) cf. *F. de Hummelauer*.

4. Gabaa Saulis (גִּבְעַת שָׁאוּל; LXX 2 Reg. 21,6 Γαβαὼν Σαούλ, Is. 10,29 πόλις Σαούλ, alias solum Γαβαά) haud dubie eadem est quae Gabaa Beniamin, ut ex locis citandis patebit. Hoc nomen non adhibetur nisi post Saulis publicam electionem, quando abiit in domum suam in Gabaa (1 Reg. 10,26; cf. *Flav. Ios.* Ant. VI. 4,6: εἰς Γαβαθὴν ἐξ ἧς ὑπῆρχε). Brevi post nuntius affertur in Gabaam Saulis de urbe Iabes Galaad ab Ammonitis obsessa (1 Reg. 11,4). Sequuntur bellum ammoniticum, philisthaicum etc.; ob inobedientiam bello amaleeiticō admissam Saul a Deo reiectus ascendit in domum suam in Gabaa (1 Reg. 15,34). In Gabaa (scil. Saulis) sollemne concilium sub terebintho in colle (hebr.) a Saule habetur. Ad Saulem in Gabaa Ziphaei bis ascenderunt, ut Davidem in deserto Ziph latentem proderent (23,19; 26,1). Initio regni davidici septem viri de familia Saul in ipsa Gabaa Saul suspensi sunt a Gabaonitis (2 Reg. 21,6 et v. GABAON). In descriptione itineris Assyriorum Is. 10,29 incolae Gabaath Saulis fugitivi perhibentur, quoniam Sennacherib a Gaba (*Djeba'*) et Rama meridiem versus progrediens Ierusalem petit. — Multum denique lucis affundit Flavius Iosephus (Bell. iud. V. 2,1), qui iter Titi versus Ierusalem describit; a Caesarea per Samariam Titus Gophnam (*Djifnā*) pervenerat ibique noctem moratus est; inde progressus cum statum diei iter confecisset, castra posuit in loco, quem Iudaei Spinarum vallem appellabant apud vicum Gabath Saul (Γαβὰθ Σαούλ) dictum ab Hierosolymis circiter 30 stadia distantem. Ibidem Tito coniuncta est legio ex Amaunte (Nicopoli) appropinquans (l. c. V. 2,3) scil. per viam Bethoron et Gabaon; iam vero hodie quoque illae duae viae a septemtrione et ab occidente convergentes paulo supra *Tuleil el-Fūl* conveniunt. Hinc pro Gabaa Saulis citra dubium commendatur situs *Tuleil el-Fūl* vel fortasse *Khirbet Rās el-Tawil* una leuca anglica remotior ab Hierosolymis. Vallis illa Spinarum quaenam sit, utrum ad dexteram an ad sinistram itineris Titi, determinari nequit.

Loci dubii sunt 1 Reg. 10,5. 10. 13; probabilius tamen a Gabaa Saulis non differt collis Dei (10,5 LXX ὁ βουνὸς τοῦ θεοῦ, גִּבְעַת הָאֱלֹהִים), collis (10,10 LXX εἰς τὸν βουνόν, הַגִּבְעָתָה), excelsum (10,13 LXX εἰς τὸν βουνὸν, הַבָּמָה).

5. Gabaa legitur in Vulgata 1 Reg. 7,

1; 2 Reg. 6,3.4 ad determinandum situm domus Abinadab, in quam viri Cariathiarim arcam Dei intulerunt. Sed cum LXX (ἐν τῷ βουνῷ) vertendum est : in colle. omus Abinadab in colle seu loco sublimiore prope Cariathiarim vel in ipsa urbe prominens digna videbatur, quae arcae Dei hospitium praeberet. Cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 7,1.

6. Gabaa (Γαιβαί, ℵ Γαιβάν, A Ταιβᾶ) legitur Iudith 3,14 (LXX 3,10). Secundum LXX Holofernes castra posuit inter Gaibai et Scythopolin (Bethsan). Vulgata vertit : venit ad Idumaeos in terram Gabaa. Correspondere videtur vicus *Djeba'* circa 5 km a Samaria (Sebaste) septentrionem versus distans (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 155).

7. Gabaa Hachila v. HACHILA.

8. Gabaath (גִּבְעַת: Γαβαώθ, Ἰαρίμ, A Γαβαὰθ καὶ πόλις Ἰαρίμ, B Γαβαωθιαρείμ), urbs inter quattuordecim urbes occidentales tribus Beniamin enumerata (Ios. 18,28). *Dillmann* et *F. de Hummelauer* ad h. l. putant Gabaam Beniamin indicari. Alii hebraicum גִּבְעַת קִרְיַת de una aliqua urbe Gibeath-Qiriath interpretantur; sed hoc admisso numerus quattuordecim retineri nequit. Alii, supponentes nomen sequens Cariath esse corruptum ex Cariathiarim, interpretantur Gabaath collem scil. istum collem in Cariathiarim, de quo 1 Reg. 7,1; 2 Reg. 6,3. 4 (vide GABAA 3). Exploratores anglici pro Gabaath assignant *Djibia* tres leucas anglicas a *Qaryat el-'Enab* aquilonem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 43). Ceterum cf. s. v. CARIATH.

9. Gabaath filiorum Beniamin (2 Reg. 23,29; 1 Par. 11,31) v. Gabaa Beniamin (supra n. 3).

10. Gabaath Phinees (גִּבְעַת פִּינְחָס, Γαβὰρ Φινεές), urbs in monte Ephraim, in qua Eleazar filius Aaron sepultus est; nomen sortita est a Phinees Eleazari filio, cui ab Israelitis in possessionem tradita erat (Ios. 24,33). Urbem, non collem designari suadet praepositio בְּ (secus עַל exspectanda erat). Apud Flavium Iosephum (Ant. V. 1,29) vocatur Γαβαθά. Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 246,67; 128,32) eam appellant Γαβαάς, Gabiath in tribu Beniamin et indicant villam Gabatha 12 mil. pass. ab Eleutheropoli distantem et sepulcro Habacuc prophetae celebrem; sed hic situs intra fines tribus Iuda contineretur et respondere posset urbi Gabaa 1 Par. 2,49 commemoratae, ut diximus sub GABAA 2. Verum alibi Onom. (*ed. Lag.* 248,3; 130,5) meminit vici Geba 5 mil. pass. a Gophna Sichem versus distantis, ubi hodie vicus *Djībī'a* et *Khirbet Seiā*. Hunc esse situm Gabaath Phinees ostendit *Guérin,* Samarie II. 108 praesertim ex S. Hieronymo (Peregrinatio S. Paulae 15); S. Paula a Bethel Sichem versus progressa in monte Ephraim sepulcra Iosue in Thamnathsare et Eleazari in Gabaath Phinees e regione venerata esse dicitur; iamvero Thamnathsare agnoscitur *Khirbet Tibne* (*Guérin* l. c. p. 89 ss.); vicus *Djībī'a* a *Tibne* non multum abest orientem versus, in colle positus sicut *Tibne* in proclivitate montis, in mediis montanis Ephraim; pleno igitur sensu illud *e regione venerata est* verum esse probatur in hac opinione (cf. etiam *Guérin,* Judée III. 37). Recentius negavit *Séjourné* sepulcrum Iosue esse in Thamnathsare, sed intactam reliquit opinionem de situ Gabaath Phinees, cum indicationes S. Hieronymi de utroque sepulcro satis vagae sint neque situm vicinum postulent.

Cf. *S. Hier.* Peregr. S. Paulae 15 apud *Tobler et Molinier,* Itinera hieros. I. 37; *P. M. Séjourné* in Revue bibl. II. 1893 p. 625. Opinioni supra expositae de situ Gabaath Phinees, quam cum *Guérin* approbant *A. Dillmann* et *F. de Hummelauer* (ad Ios. 24. 33), opponitur traditio iudaico-samaritana a Mahommedanis quoque adoptata, Gabaath Phinees esse vicum *'Awarta* prope Sichem a meridie (cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. II. 1879 p. 11-17; VI. 1883 p. 195-199; *E. Carmoly,* Itinéraires de la Terre Sainte 1847 p. 186. 212. 386. 445); quam traditionem sequuntur *I. Schwarz,* Das heilige Land 1852 p. 118. 355; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 288.

11. Gabaath Saulis (Is. 10,29) v. Gabaa Saulis (supra n. 4).

12. In Vulgata גִּבְעָה seu גִּבְעַת saepius vertitur *collis,* ubi non urbs, sed locus editus indicari videtur :

a. Collis aquae ductus v. AMMAH.

b. Collis Dei communiter censetur esse Gabaa Saulis vel locus sacer proxime extra Gabaam Saulis situs (1 Reg. 10, 5. 10. 13); v. supra n. 4.
c. Collis Gareb v. GAREB.
d. Collis excelsus (Iud. 7,1) v. MORE collis.
e. Collis praeputiorum (Ios. 5,3), in quo Iosue filios Israel circumcidit; inde vocatum est nomen loci illius Galgala; v. GALGALA 1.
f. Collis Hachila seu Gabaa Hachila (supra n. 7).

13. Apud Flavium Iosephum (Bell. iud. III. 3,1) commemoratur Gaba urbs equitum (Γαβὰ πόλις ἱππέων) monti Carmelo adiacens, in qua equites ab Herode rege dimissi domicilium habebant. Hodie *Djeba'* non procul a litore infra Carmelum.

GABAE v. GABAA 2.

GABAEL (Γαβαήλ, A Γαμαήλ), unus ex maioribus Tobiae (Tob. 1,1 graece tantum).

GABAON (גִּבְעוֹן i. e. ad collem pertinens vel in colle exstructum; Γαβαών), urbs Hevaeorum (Ios. 11,19; cf. 2 Reg. 21,2 ubi Gabaonitae vocantur reliquiae Amorrhaeorum, quo nomine communi incolae primigenii terrae Chanaan designantur), caput urbium foederatarum, quarum incolae simulatione longi itineris Iosue et principes Israel deceperunt, ut iuramento horum principum interposito salvarentur, sed perpetuo famulatu caedendi ligna et comportandi aquas adstringebantur (Ios. 9,3-27; 11,19); foedere hoc Gabaonitarum cum Israel vehementer commotus est Adonisedec rex Ierusalem, quoniam urbs magna erat Gabaon et una civitatum regalium et maior oppido Hai omnesque bellatores eius fortissimi (10,1. 2); sed quinque reges duce Adonisedec Gabaon urbem obsidentes devicti sunt celebri illa pugna, qua Iosue soli imperavit: Sol contra Gabaon ne movearis (10,3-12). Gabaon erat terminus, a quo Iosue in prima sua expeditione Palaestinam meridionalem usque ad Cadesbarne subegit (10,41); postmodum recensetur inter 14 urbes occidentales tribus Beniamin (18,25) et sacerdotibus tradita est (21,17). Iuramentum illud, quod Iosue Gabaonitis praestitit, primus violasse videtur Saul iniustitia illa, propter quam initio regni davidici fames saeviebat et poscentibus Gabaonitis septem filii Saul in Gabaa Saul (v. GABAA 4) suspensi sunt (2 Reg. 21,1-6). Iuxta piscinam Gabaon (cf. Ier. 41,12 aquas multas, quae sunt in Gabaon) locum habuit certamen bellicum singulare inter duodecim Beniaminitas ex Abneri exercitu et duodecim bellatores davidicos, a quo vocatum est nomen loci illius Ager robustorum (LXX apprehendentium) in Gabaon; et a certamine singulari ventum est ad proelium generale, quo Abner a Ioab devictus est ac fugiens Asaelem fratrem Ioab confodit (2 Reg. 2,12-23; 3,30). Ibidem iuxta lapidem grandem, qui est in Gabaon (vide s. v. AMMAH), Amasa filius Abigail a Ioab modo perfido interfectus est (2 Reg. 20,5-10). Verum utriusque sanguinem Ioab ibidem, ubi fuderat, sanguine suo luit; fugitivus in tabernaculo Domini, quamvis cornu altaris apprehendisset, iubente Salomone a Banaia filio Ioiadae occisus est (3 Reg. 2,28-34). Illo enim tempore tabernaculum erat in excelso Gabaon; David cum arcam in Ierusalem reduceret, illud in Gabaon transtulit et Sadoc sacerdotem eiusque fratres ibidem constituit, ut super altare holocautomatis coram tabernaculo Domini iugiter mane et vespere holocausta offerrent (1 Par. 16,39. 40; 21, 29). Super altare illud in Gabaon Salomon quoque mille hostias in holocaustum obtulit cum universa multitudine Israel et cum Dominus in ipsa nocte ei appareret, sapientiam sibi postulavit et obtinuit (2 Par. 1,3-17; 3 Reg. 3,4 s.; 9,2). Templo exstructo Salomon tabernaculum illud ab excelso Gabaon accersitum una cum arca foederis in novam domum Dei intulit (3 Reg. 8,4). Ex captivitate duce Zorobabel 25 filii Gabaon redierunt (Neh. 7,25; cf. Esdr. 2,20 ubi Gebbar pro Gabaon legitur); viri de Gabaon in muris Ierusalem aedificandis opem praestiterunt (Neh. 3,7). Allusio Is. 28,21: sicut in valle quae est in Gabaon irascetur (Deus), refertur ad victoriam Iosue apud Gabaon, ubi Deus lapidibus grandinis hostes prostravit

(cf. *Knabenbauer* ad Is. 28,21). — Pro Gabaon 1 Par. 14,16 legitur loco parallelo 2 Reg. 5,25 Gabaa (sed LXX Γαβαών), fortasse Geba (v. GABAA 2). Tempore belli iudaici prope Gabaon Cestius Gallus Romanorum dux a Iudaeis clade affectus est (*Flav. Ioseph.* Bell. iud. II. 19,1); loco citato Fl. Iosephus Gabaon Hierosolymis distare dicit 50 stadiis, alibi (Ant. VII. 11,7) 40 stadiis. Nomen hodiernum est *el-Djîb*, qui vicus inter Ierusalem et Bethoron situs est a *Nebi Samwîl* septentrionem versus.

De Gabaon oriundi in S. Scriptura recensentur Samaias fortissimus inter triginta et super triginta, qui Davidi in Siceleg se iunxit (1 Par. 12,4), Meltias qui cum aliis Gabaonitis in muris Ierusalem aedificandis opem praestitit (Neh. 3,7), Hananias pseudopropheta, filius Azur (Ier. 28,1-17). Ex maioribus Saul habitabat in Gabaon Iehiel pater i. e. dominus ac possessor Gabaon cum uxore sua Maacha (1 Par. 9,35), qui 1 Par. 8,29 Abigabaon vocatur.

Cf. *Robinson*, Pal. II. 350 ss.; *Guérin*, Judée I. 385-391; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 10. 94 ss.; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 95; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 356 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte, *ed.* 4 III. 11 s.; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 15-21, qui examinat ac diiudicat rationes pro Gabaon = *Nebi Samwil* allatas a *L. Heidet* in Revue Bibl. III. 1894 p. 321-356.

GABATHON, GEBBETHON (גִּבְּתוֹן; Γαβαθών, Βεγεθών, Γεθεδάν), urbs tribus Dan (Ios. 19,44), filiis Caath levitici generis tradita (21,23); brevi post scissionem regnorum Iuda et Israel in potestatem Philisthaeorum redacta est. Eam obsederunt Nadab, secundus rex Israel (3 Reg. 15,27) et postea Amri princeps militiae Israel, qui in castris ante portas Gebbethon rex declaratus est pro Zambri usurpatore (3 Reg. 16, 15-17). Amri ab obsidione Gebbethon cessavit, ut Zambri in Thersa oppugnaret; ex 3 Reg. 16,15 merito infertur tolo tempore Baasa et Ela, regum Israel tertii et quarti, identidem de Gebbethon dimicatum esse. Philisthaeis non videtur esse erepta. Hodie fortasse *Qibbîye* inter Lyddam et *Khirbet Tibne*.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 297; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 425.

GABBATHA (Γαββαθᾶ, aramaice גַּבְּתָא) i. e. locus eminens; eo nomine designabatur locus prope praetorium in Ierusalem, ubi Pilatus sedit pro tribunali. Nomine graeco appellabatur λιθόστρωτος, quae non est explicatio nominis aramaici, sed eiusdem loci designatio non ex eius altitudine petita, sed ex eo quod solum vel pavimentum eius lapidibus vel tabulis lapideis erat stratum (Ioan. 19,13).

GABEE v. GABAA 2.

GABELUS (Γαβαήλ). **1.** Unus ex maioribus Tobit seu Tobiae senioris (Tob. 1,1 LXX).

2. Iudaeus habitans in Rages civitate Medorum, qui decem talenta argenti a Tobia seniore sub chirographo accepta Tobiae iuniori fideliter restituit (Tob. 1,17; 4,21; 5,8. 14; 9,3. 6. 8; 10,2; 11, 18; 12,3; LXX 1,14; 4,1. 20; 5,6; 9, 2. 5; 10,2). Erat Nephthalita sicut Tobias et egestate pressus (Vulgata 1,17).

GABER (גֶּבֶר, Γαβέρ), filius Uri, praefectus a Salomone constitutus in terra Galaad scil. in terra Sehon regis Amorrhaeorum et Og regis Basan (3 Reg. 4. 19) i. e. in tota terra transiordanica exceptis praefecturis a Bengaber et Ahinadab (4,13. 14) administratis.

GABIM (הַגְּבִים, Γιββείρ), vicus a septentrione Ierusalem situs, de quo in descriptione itineris Assyriorum Is. 10. 31 : habitatores Gabim confortamini (Vulgata) vel : congregabunt se (hebr. scil. non ad resistendum, sed ad fugiendum. Enumeratur post Gabaam Saulis et Anatholh. Erat igitur oppidum tribus Beniamin ab itinere Sennacherib non multum distans inter Ierusalem, Gabaam Saulis et Anatholh. Situs accuratior ignoratur. Vicus Geba 5 mil. pass. a Gophna Sichem versus distans, quem Onom. s. v. Gebin indicat, ordini enumerationis Is. 10,31 non respondet, sed referendus est ad Gabaath Phinees; v. GABAA 10.

GABRIAS (Γαβρίας), frater Gabeli (Tob. 1,14 LXX); sed 4,20 LXX pater Gabeli.

GABRIEL v. ANGELUS.

GAD (גָּד, Γάδ). **1.** Gad filius septimus Iacob patriarchae, genitus ex Zelpha ancilla Liae, frater natu maior Aser (Gen. 30,11-13; 35,26; 46,16. 18). Explicatio nominis Gad continetur verbis Liae, quae filio ex Zelpha genito dixit : Feliciter (בָּגָד secundum *Kethib;* LXX ἐν τύχῃ) et idcirco vocavit nomen eius Gad (Gen. 30, 11). Legunt quidem Massorethae בָּא גָד i. e. venit fortuna, quam lectionem commendant Targumim et Peshitta; eandem adoptarunt Aquila (ἦλθεν εὐζωνία) et Symmachus (ἦλθεν Γάδ). Verum lectio LXX traditionem antiquam videtur conservare et sensum optimum praebet : feliciter, pro felicitate mea, mihi hic eventus faustus est. Tempore quo Iacob cum filiis suis in Aegyptum descendit, septem filii Gad recensentur (Gen. 46,16; cf. Ex. 1,4; Num. 26,15-17). Genealogia filiorum Gad traditur 1 Par. 2,2; 5,11-16 simul cum descriptione sedium, quas incolebant.

2. Gad tribus Israel. Possessio Gad ab oriente Iordanis sita partem septemtrionalem regni Sehon Amorrhaei comprehendebat. Regnum Amorrhaeorum, quod inter tribus Ruben et Gad divisum est, extendebatur ab Arnone (*Wādi Mōdjib*) usque ad torrentem Iaboc (*Nahr el-Zerqā*) et insuper totam orientalem depressionem Iordanis a mari Mortuo usque ad mare Ceneroth (Genesareth) obtinebat (Deut. 3,12. 16. 17; Ios. 12,2. 3). A septemtrione torrentis Iaboc patebat regnum Og Amorrhaei dimidiae tribui Manasse attributum (Deut. 3,13; Ios. 13,29-31). Gad igitur media erat inter Ruben et Manasse transiordanicam; ipsa regionis formatione dividebatur in duas partes scil. depressionem Iordanis orientalem a mari Mortuo usque ad lacum Genesareth et regionem montanam, cuius terminum septemtrionalem indicat Mahanaim a dextera regione torrentis Iaboc (Ios. 13,26), orientalem Aroer quae est contra Rabba (Rabbath Ammon, hodie *ʿAmmān*), meridionalem Hesebon, occidentalem depressio Iordanis. Tota regio Gad uberrima erat ad pastum animalium (Num. 32,4).

De historia Gad admodum pauca tradita sunt. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Eliasaph filius Duel (Num. 1,14). Apud montem Sinai de Gad numerabantur 45 650 viri bellatores (1,24. 25), postea in campestribus Moab 40 500 viri (26,18). In castris Gad cum Ruben et Simeon ad meridianam plagam tabernaculi erat (2,14. 15); cf. ordinem itineris per desertum 10,20. Oblationes Eliasaph principis Gad in dedicationem altaris Num. 7,42-47 recensentur. Inter duodecim exploratores a Moyse in terram Chanaan missos erat de tribu Gad Guel filius Machi (13, 16). Gaditae sicut etiam Rubenitae et dimidia tribus Manasse, cum essent pastores et pecoribus abundarent, portionem suam in regione transiordanica acceperunt; nihilominus fratres suos in terram promissionis subigendam armati praecesserunt, finita autem terrae occupatione a Iosue ad sedes suas remissi sunt (Num. 32,1-36; 34,14. 15; Ios. 1, 12 ss.; 4,12; 22,1-34). Post ingressum in terram cisiordanicam Gad cum Ruben, Aser, Zabulon, Dan, Nephthali maledictionem in monte Hebal pronuntiavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,13). In territorio Gad urbs refugii designata est Ramoth Galaad (Deut. 4,43; Ios. 20,8 et v. RAMOTH GALAAD); levitis de stirpe Merari concedebantur Ramoth Galaad, Manaim seu Mahanaim, Hesebon urbs prius rubenitica, postea gaditica, Iaser seu Iazer (Ios. 21,7. 37; 1 Par. 6,63. 80. 81 hebr. 6,48. 65. 66). In cantico Debborae Gad comprehenditur nomine Galaad et carpitur, quod trans Iordanem quiescens opem non tulerit (Iud. 5,17). David fugitivo in Siceleg se adiunxerunt de tribu Gad viri robustissimi et pugnatores optimi, tenentes clypeum et hastam : facies eorum quasi facies leonis et veloces quasi capreae in montibus (1 Par. 12,8-14). Apud Gaditas praesidium sibi quaerebat Isboseth filius Saulis, rex in Mahanaim declaratus (2 Reg. 2,9). Cum autem David in Hebron rex ab universo Israel agnosceretur, de Rubenitis, Gaditis et dimidia tribu Manasse aderant 120 000 bella-

tores (1 Par. 12,37). Postmodum ipse David regno pulsus in territorium Gad se recepit (2 Reg. 17,22 s.). Iussu Davidis ministeria tum sacra tum civilia apud Rubenitas, Gaditas, et dimidiam tribum Manasse procurabantur a 2700 Hebronitis (1 Par. 26,32 et v. HEBRON 1). Inter principes tribuum tempore Davidis deest princeps Gad sicut etiam Aser (1 Par. 27,16 s.); cur desint, ignoratur. Ieroboam, primus rex Israel, ut trans Iordanem quoque regnum suum stabiliret, urbem gaditicam Phanuel munitionibus firmavit (3 Reg. 12,25). Nexus Gaditarum cum regno Israel cernitur regnante Iehu, cum Hazael rex Syriae fines orientales Israelitarum Gad, Ruben, Manasse perculeret (4 Reg. 10, 33) et regnante Ieroboam II., qui in censu filiorum Ruben, Gad et dimidiae tribus Manasse 44760 bellatores numeravit (1 Par. 5,17. 18). Brevi autem post, cum regnum Iuda regnantibus Ozia et Ioatham reflorescceret, eaedem tribus regno Iuda pro aliquo tempore videntur paruisse, ut 1 Par. 5,17 innuitur. Ex 1 Par. 5,11. 16 discimus territorium Gad orientem versus extensum esse usque ad Selcha seu Salecha (hodie *Salkhad*) urbem a meridie *Djebel Ḥaurān* sitam. Bellum quo Agareni (vide s. v.) cum Ismaelitis foedere iuncti a Gaditis, Rubenitis, Manassitis transiordanicis devicti sunt, describitur 1 Par. 5,19-22; quanto tempore ante Theglathphalasar hoc bellum fuerit, determinari nequit. A Theglathphalasar Gaditae captivi in Assyriam abducti sunt una cum Rubenitis et Manassitis transiordanicis (1 Par. 5,26); ea opportunitate usi sunt Ammonitae, ut terram Gad occuparent, quod Dominus illis exprobrat affirmans Melchom deum Ammonitarum iniuria sibi arrogasse regiones Gaditarum (Ier. 49,1). Praeterea Gad commemoratur in symbolica descriptione terrae sanctae et novae Ierusalem Ez. 48,27. 28. 34 et in Apoc. 7,5.

Ex dictis indoles Gaditarum facile deprehenditur : erant opulenti pastores et bellatores robusti. Excellentia bellica praedicitur in vaticinio Iacobaeo : Gad accinctus proeliabitur ante eum et ipse accingetur retrorsum (Gen. 49,19), quomodocunque demum hic textus in paronomasia ludens interpretandus est (*F. de Hummelauer* ad h. l.). Latitudinem pascuorum et fortitudinem bellicam effert Moyses Deut. 33,20 : Benedictus in latitudine Gad (hebr. Benedictus qui latitudinem dedit Gad i. e. Deus); quasi leo requievit cepitque brachium et verticem.

3. Gad Videns (הַחֹזֶה, ὁ βλέπων, ὁ ὁρῶν) erat propheta, qui Davidi cum lateret in praesidio Odollam, videtur se iunxisse eique auctor fuit, ut relicto praesidio veniret in saltum Haret (1 Reg. 22,5). Idem Davidi ob numeratum populum poenam a Deo infligendam intimat (2 Reg. 24,11-19; 1 Par. 21,9-19). Sine dubio regi a consiliis erat; scripsit volumen de gestis Davidis (1 Par. 29,29) et opem praestitit in constituendis ac disponendis levitis in domo Domini cum cymbalis et psalteriis et citharis, cuius rei memoria tempore Ezechiae adhuc vigens erat (2 Par. 29,25).

4. Gad (Vulgata : Fortuna, LXX δαιμόνιον) legitur in descriptione impiorum Is. 65,11 : et vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunae mensam et libatis super eam; — aliis verbis : a Domino alieni et aversi, montis Sion divinarumque promissionum obliti mensam ponunt i. e. lectisternia parant pro Gad et pro Meni libamen implent (hebr.). Gad ut nomen appellativum *fortunam* dicit (cf. Gen. 30,11 LXX ἐν τύχῃ); ut idolum (cf. Baal Gad Ios. 11,17; 12,7) explicant de deo fortunae et in eo cernunt planetam, cui a Iove nomen est, quam stellam Arabes maiorem fortunam appellabant, dum stellam cui a Venere nomen est inditum, vocant minorem fortunam; hinc fit, ut Meni de hac stella et de dea eius stellae praeside accipiant communiter. In inscriptionibus ex Phoenice et Palmyra servatis nomen Gad saepius occurrit.

Cf. *Knabenbauer* in Is. 65,11; *P. Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen bei den alten Hebraeern 1877, p. 409 ss.; *F. de Saulcy*, Numismatique de la Terre Sainte 1874 p. 4. 5. 373. 374. pl. XXIII 1-3.

5. Gad vallis 2 Reg. 24,5 : cumque pertransissent Iordanem, venerunt in Aroer

ad dexteram urbis, quae est in valle Gad scil. Ioab et principes exercitus, ut numerarent populum Israel. Videtur esse sermo de Aroer Arnonis (v. AROER 1). Textus autem hebraeus ita vertendus est, ut *Gad* ad sequentem vocem trahatur : « venerunt... in Gad et usque Iazer », quae urbs in media fere tribu Gad sita erat; in hac explicatione directio itineris indicatur ab Aroer urbe rubenitica versus tribum Gad continuati. Ex quorundam opinione vallis Gad est vallis Iaboc superioris (*Nahr ʿAmmān*).

GADARA vide s. v. GERASENI.

GADDEL v. GEDDEL.

GADDI (גַּדִּי, Γαδδί), filius Susi de tribu Manasse, explorator terrae promissae (Num. 13,12 [11]).

GADDI 1 Par. 12,8 et **GADI** 2 Reg. 23,36 in Vulgata velut nomen loci ponitur; sed in hebraico habetur הַגָּדִי i. e. Gadita.

GADDIS (Καδδίς, A Γαδδίς), cognomen Ioannis Machabaei, qui inter quinque filios Mathathiae sacerdotis primus recensetur (1 Mach. 2,2). Apud Flavium Iosephum (Ant. XII. 6,1) : ὁ καλούμενος Γάδδης (sed Ant. XIII. 1,2 : τὸν καὶ Γάδδειν λεγόμενον *ed. Niese*); Iosephus igitur ς finale pro terminatione graeca habuit, sicut etiam Syrus : Gaddi. Respondere videtur nomen גַּדִּי (cf. Num. 13,12 [11]) denominativum a גַּד (fortuna), hinc fortunatus.

GADER (גֶּדֶר, Γαδέρ), urbs cisiordanica, cuius rex recensetur inter reges 31 a Iosue percussos (Ios. 12,13). Enumeratur una cum Dabir, Herma (Horma), Hered (Arad); hinc in regione australi Palaestinae quaerenda est. Probabiliter eadem est ac Bethgader 1 Par. 2,51. Situs ignoratur neque ullum indicium adest, ex quo cum una ex urbibus Gaderoth, Gador, Gedera, Gedor certo componi possit.

GADEROTH, GIDEROTH (גְּדֵרוֹת), urbs tribus Iuda in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,41; LXX Γεδδώρ Vulgata : Gideroth), tempore Achaz regis a Philisthaeis occupata (2 Par. 28,18). LXX Γαληρώ, Vulgata : Gaderoth). Fortasse eadem est quae Cedron (1 Mach. 16,9) et Gedor (1 Mach. 15,39. 40); v. CEDRON (vol. I. col. 797).

GADEROTHITES (הַגְּדֵרָתִי, ὁ Γαδαραθείμ) cognominatur Iezabad Beniaminita (1 Par. 12,4 cf. 12,2); eius patria igitur erat Gadera seu Gedera quaedam nusquam alias nominata in tribu Beniamin. Nomen antiquum prae se fert vicus *Djedīre* prope Gabaon et Rama (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 9). *Keil* in 1 Par. 12,4 cognomen explicat de Gedera tribus Iuda (Ios. 15,36), cum non repugnet aliquas familias extra fines tribus suae habitasse. Vide s. v. GEDOR 2.

GADGAD (חֹר הַגִּדְגָּד i. e. caverna Gidgad; Vulgata : mons Gadgad, LXX τὸ ὄρος Γαδγάδ), statio Israelitarum in deserto (Num. 33,32), enumerata post Moseroth, Beneiaacan et ante Ietebatha. Eaedem quattuor stationes ordine nonnihil mutato recensentur Deut. 10,7 : Beroth filiorum Iacan, Mosera, Gadgad (הַגִּדְגֹּדָה, Γαδγάδ), Ietebatha. Conferri potest *Wādi Ghudhāghidh* ab occidente vallis *ʿAraba* (*Riess*, Bibel-Atlas Tab. II DEc); hunc situm admittit *Ewald* (Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 II. 284); *Dillmann* ad Num. 33,32 praefert regionem montis Hor.

GADI (גָּדִי, Γαδδεί), pater Manahem regis Israel (4 Reg. 15,14. 17).

GADI (2 Reg. 23,36) v. GADDI.

GADOR (גְּדֹר, Γέραρα). Tempore Ezechiae regis Iuda aliqui principes Simeonitarum profecti sunt ad introitum Gador usque ad orientem vallis (1 Par. 4,39), ut quaererent pascua gregibus suis et inventis pascuis uberrimis ibidem tabernacula sua fixerunt, postquam Chamitas inde expulerunt. Aliqui coniiciunt hanc Gador non differre a Gader urbe reguli Chananaei Ios. 12,13; v. GADER. Attamen lectio LXX Γέραρα (cod. B et A), si praeferenda est, potius suadet Geraram (*Khirbet Umm Djarrar*) a Gaza meridiem versus sitam in planitie pascuis uberrima; v. GERARA.

GAHAM (גַּחַם, Γαάμ), filius Nachor fratris Abraham, ex Roma concubina genitus (Gen. 22,24). De gente Gaham nihil innotuit. Nachoridae generatim omnes vel saltem plerique circa Hauran incoluisse dicendi sunt (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.). Regionem *Beni Djuhmu* inter fluvios *Yarmūk* et Iaboc sitam, de qua loquitur *I. L. Burckhardt* (Reisen in Syrien, Palaestina etc. *ed. W. Gesenius*, Weimar 1823 I. p. 423 ss. 449), nonnulli cum gente Gaham componunt, sed alii dubitant (*Riehm-Baethgen* Handwb. des bibl. Altert. I. 469) vel reiiciunt (v. g. *Dillmann* ad h. l.).

GAHER (גַּהַר, Γαάρ) Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,47; 7,49).

GAIUS (Γάϊος). **1.** Gaius Macedo, S. Pauli comes, quem simul cum Aristarcho plebs ephesina vi comprehendit et in theatrum secum abripuit (Act. 19, 29).

2. Gaius Derbeus, S. Pauli comes, unus ex illis septem, quos Paulus ex tertio itinere apostolico rediturus Troadem praemisit, ut inde ipsum in urbem Ierusalem comitarentur (Act. 20,4).

3. Gaio carissimo S. Ioannes epistulam suam tertiam scribit (3 Ioan. 1). Coniiciunt aliqui eundem esse, qui in Vulgata scribitur Caius (vide s. v.).

GALAAD (גִּלְעָד, Γαλαάδ). **1.** Filius Machir filii Manasse (Num. 26,29. 30; 27,1; 36,1; Ios. 17,1. 3; 1 Par. 2,21. 23; 7,14. 17).

2. Pater Iephte iudicis (Iud. 11,1. 2).

3. Gadita quidam (1 Par. 5,14).

4. Galaad (הַגִּלְעָד, ἡ Γαλαάδ), terra Galaad, mons Galaad. In Vetere Testamento Galaad sensu latissimo interdum designat totam terram transiordanicam, quatenus ab Israelitis incolebatur, in oppositione ad Chanaan terram cisiordanicam; sensu artissimo regionem inter fluvios Iaboc et *Yarmūk;* sensu autem maxime usitato regionem inter Arnonem et *Yarmūk*. Galaad hoc latiore et maxime usitato sensu accepta in duas partes dividitur per vallem fluvii Iaboc (*Nahr el-Zerqā*), a quo meridiem versus usque ad Arnonem extenditur regio *Belqā*, septentrionem versus usque ad *Yarmūk* regio *Djebel 'Adjlūn;* cf. s. v. IABOC. Duae istae partes, in quas tota Galaad per fluvium Iaboc dividitur, aperte distinguuntur Deut. 3,12. 13; Ios. 12,2.

Conspectus historiae Galaad breviter adumbrandus est. Montis Galaad prima mentio fit in historia Iacob, quem e Mesopotamia in terram Chanaan revertentem Laban assecutus est in monte Galaad (Gen. 31,21 ss.); ea occasione tumulus erectus est, quem Iacob appellavit : acervum testimonii (גַּל עֵד), unde nomen Galaad. Illinc Ismaelitae venerunt, quibus Ioseph venditus est, afferentes aromata, resinam et stacten in Aegyptum (Gen. 37,25). Erat terra uberrima ad pastum gregum, in qua Israelitae percussis Amorrhaeis multam praedam fecerunt (Num. 31,1. 29. 39. 40; Deut. 2,36; 3,10. 12. 13. 15); Ammonitae autem, qui ab Amorrhaeis ex ea regione pulsi fuerant, ad orientem Galaad circa Iaboc superiorem sedes fixerunt (Deut. 3,16), a quibus Deus arma Israelitarum prohibuit (vide s. v. IABOC et IAZER). Ex tribus refugii urbibus trans Iordanem a Moyse designatis duae erant in Galaad scil. Bosor in planitie tribus Ruben et Ramoth cum addito : in Galaad urbs gaditica (Deut. 4,43; Ios. 20,8); Ramoth in Galaad levitis de stirpe Merari concessa est (Ios. 21,37).

Moysi antequam moreretur, Dominus a Nebo culmine montis Phasga ostendit omnem terram Galaad usque Dan (Deut. 34,1); hoc loco Galaad sensu latissimo accipitur, siquidem Dan (Lais-Dan) ad radices montis Hermon sita est. In distributione terrae promissae pars inferior Galaad inter Arnonem et Iaboc seu regnum Sehon Amorrhaei regis Hesebon Rubenitis et Gaditis concessa est scil. Rubenitis ab Arnone Hesebon usque, Gaditis a Hesebon usque ad Mahanaim paulo supra Iaboc fluvium (Ios. 12,2. 5; 13, 11. 25. 31); pars superior Galaad inter Iaboc et *Yarmūk* fluvios, quae ad regnum Og Amorrhaei regis Basan pertinebat, dimidiae tribui Manasse attributa est, dummodo advertas Gaditis accen-

sendam esse regionem a Iaboc Mahanaim usque et totam depressionem Iordanis usque ad mare Galilaeae (Ios. 17,1. 5. 6). Tres illae tribus hereditatem suam transiordanicam ingressae sunt post finitam terrae cisiordanicae subiectionem (Ios. 22,9. 13. 15. 32). In cantico Debborae vituperium adversus Galaad prolatum omnes Israelitas transiordanicos comprehendere videtur (Iud. 5,17). De monte Galaad Iud. 7,3 cf. *F. de Hummelauer* ad h. l. In terra Galaad erant Havoth Iair seu oppida Iair (v. IAIR). Attamen Amorrhaei ibi adhuc praevalebant (Iud. 10, 8) et Ammonitae in Galaad fixerunt tentoria principibus Galaad bellum illaturi (Iud. 10,17. 18). In pugnis Galaaditarum cum Ammonitis primas partes egit Iephte Galaadites (Iud. 11,5. 8. 11. 29). Ammonitis devictis proelium propter querelas Ephraimitarum exarsit, quo Galaaditae occupatis Iordanis vadis fugientes Ephraimitas dialecto agnitos conciderunt (Iud. 12,4 ss.). Inimicitiis autem compositis Galaaditae cum omni Israel in Maspha Beniamin congregati sunt (Iud. 20,1) exceptis habitatoribus Iabes Galaad, qui ob infidelitatem suam gladio percussi sunt (Iud. 21,8-14). Galaaditae denuo ab Ammonitis infestati, sed egregio facinore Saulis apud Iabes Galaad liberati sunt (v. IABES 1). Cuius beneficii memores filium Saulis Isboseth regem agnoverunt (2 Reg. 2,9); quo mortuo Davidi se subiecerunt et artius adiunxerunt, praesertim postquam Ioab urbem Rabbath Ammon expugnavit (cf. 2 Reg. 11,1; 1 Par. 20,1). A facie Absalomis fugitivus David in terram Galaad se recepit ibique in saltu Ephraim prope Mahanaim Absalom regno et vita privatus est (v. EPHRAIM 4). Census regni davidici a Ioab exceptus terram Galaad comprehendebat (2 Reg. 24,6). A Salomone Galaad (latissimo sensu accepta) in tres dividebatur praefecturas (3 Reg. 4,13. 14. 19). Elias Thesbites erat de habitatoribus Galaad (3 Reg. 17,1). Achab regnante Ramoth Galaad in potestate regis Syriae detinebatur; quam urbem cum recuperare vellet, ipse Achab in proelio occubuit (3 Reg. 22,3 s.; 2 Par. 18,2 s.). In diebus Iehu omnis Galaad a Hazael rege Syriae vastata (4 Reg. 10, 32. 33; Am. 1,3), sed a Ieroboam II. regno Israel restituta est (cf. 4 Reg. 14,25). In diebus Phacee regis Israel Theglathphalasar incolas terrae Galaad in captivitatem abduxit (4 Reg. 15,29; cf. 1 Par. 5,6). Post exsilium Galaad ab ethnicis quoad maximam partem habitabatur, attamen Iudaei quoque ex captivitate reduces satis magno numero illis intermixti erant, ut apparet ex narratione bellicae expeditionis, qua Iudas Machabaeus et Ionathas Iudaeos in Galaad iugo gentium liberarunt et in Iudaeam adduxerunt (1 Mach. 5,9 s.); per Galaaditim etiam Tryphon dux Syrorum, cum nihil contra Ierusalem valeret, in Syriam rediit (1 Mach. 13,22 in textu graeco).

Reliqua quae in S. Scriptura de Galaad referuntur, multum conferunt ad huius regionis descriptionem. Greges Israelitarum in Galaad multiplicabantur et usque ad desertum Euphratis pascebantur (1 Par. 5,9. 16). Infestationes Arabum non deerant; tempore Saulis tribus arabica Agarenorum a Rubenitis feliciter reiecta et sedibus pulsa est (1 Par. 5,10); aliquo posteriore tempore iidem Agareni denuo a Ruben, Gad, dimidia tribu Manasse devicti sunt (1 Par. 5,19-22). Tempore Davidis Galaaditae ob fortitudinem bellicam celebres erant (1 Par. 26, 31). David terram Galaad suam esse magna cum fiducia enuntiat (Ps. 59[60],9; 107[108]9). A Salomone coma Sponsae, cuius caput monti confertur, describitur defluens quasi greges caprarum cingentium verticem montis Galaad (Cant. 4,1; 6,4[5]). Ieremias celebrat resinam Galaad (Ier. 8,22; 46,11) i. e. resinam lentisci seu mastichen; idem propheta arcem regiam Iuda appellat Galaad (Ier. 22,6) vel propter silvas Galaad excelsas et magnificas vel propter unguenta et aromata ex herbis pascuorum Galaad confecta. Galaad recensetur inter regiones, in quibus populus Israel post divinam de Babylone ultionem liberatus pasceturet saturabitur (Ier. 50,19). Eiusdem mentio fit Ez. 47,18, ubi propheta Iordanem terrae sanctae terminum orientalem definit. In regione Galaad (vel in urbe Ramoth Galaad ex opinione multorum interpretum) Osee increpat cultum idololatricum vel si mavis idolorum fabri-

cationem et sanguinis maculam i. e. caedes, oppressiones (Os. 6,8; 12,11). Crudelitates Syrorum (Hazael) in Galaaditas plaustris ferreis discissos atque dissectos et Ammonitarum eiusdem fortasse temporis in praegnantes Galaad perstringit Amos (1,3. 13). Latam novae theocratiae diffusionem, quae domui Iacob i. e. Iudae et Beniamin promittitur, illustrat illud : Beniamin possidebit Galaad (Abd. 19). Excellens sanctitas coetus theocratici pascuis Carmeli, Basan, Galaad fertilissimis confertur (Mich. 7, 14). Multorum denique exsulum reditu terra Galaad habitatoribus ita implenda esse praedicitur, ut ultra terminos olim occupatos sedes sint fixuri (Zach. 10,10).

Ulterior historia Galaad ex scriptoribus profanis supplenda est. Iam suprà vidimus Iudaeos a gentibus oppressos ex Galaad in Iudaeam reductos esse a Iuda Machabaeo (cf. 1 Mach. 5,45). Postea Iudaei iteratis vicibus bellum regioni Galaad intulerunt. Iam Ioannes Hyrcanus I. (135-105), qui Simoni Mach. succedebat, illuc profectus Medabam urbem post sex menses obsidionis cepit (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 9,1; Bell. iud. I. 2,6). Alexander Iannaeus (104-78) urbes Gadaram et Amathuntem expugnavit (Ant. XIII. 13,3; Bell. iud. I. 4,2), altera expeditione Galaaditis tributum imperavit et Amathuntem castellum destruxit, sed ab Obeda Arabum rege in angustias redactus fugitivus Hierosolyma rediit (Ant. XIII. 13,5; Bell. iud. I. 4,3. 4); felicius per tres annos (84-81 a. Chr.) bellum renovans urbes galaaditicas Pellam, Dium, Gerasam expugnavit et victor Hierosolymis cum honore exceptus est (Ant. XIII. 15,3; Bell. iud. I. 4,8); diem supremum obiit in Galaad ante muros Ragabae castelli, quod bello iterum renovato obsidebat (Ant. XIII. 15,5; Bell. iud. I. 4,8). Sed iam regnante Aristobulo II. (69-63) Pompeius urbes transiordanicas a Iudaeis aetate machabaica subactas, ut Gadaram, Pellam, Dium, libertate donavit et provinciae Syriae attribuit (Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7). Regnante Hyrcano II. (63-40) Gabinius proconsul Syriae Palaestinam in quinque synedria seu, ut videtur, conventus iuridicos distribuit, quorum capita erant eis Iordanem Ierusalem, Gazara, Iericho, Sepphoris, trans Iordanem Amathus (Ant. XIV. 5,4; Bell. iud. I. 8,5; pro Gazara Iosephus utroque loco citato scribit *Gadara*, sed de Gadara urbe hellenistica trans Iordanem a Pompeio provinciae Syriae attributa et libertate donata non esse sermonem per se patet). Mortuo Herode Magno, cui etiam Peraea parebat, eius filius Herodes Antipas Galilaeam et Peraeam obtinuit (Ant. XVII. 11,4), quae duae partes Decapoli veluti cuneo iniecto distinebantur. Peraea autem eiusdem fere extensionis erat ac Galaad antiqua; termini enim Peraeae erant ab occidente Iordanis fluvius, a meridie Machaerus paulo supra Arnonem, ab oriente Philadelphia seu Rabbath Ammon, a septemtrione Pella (Bell. iud. III. 3,3); rectius tamen fines Peraeae septemtrionales usque ad *Yarmūk* fluvium extenduntur, quia Gadara (hodie *Umm Qeis* seu *Mqeis*) metropolis Peraeae ab eodem Iosepho dicitur (Bell. iud. IV. 7, 3.)

Peraea a Iosepho describitur pleraque quidem aspera atque deserta et agrestior, quam ut fructus mansuetiores alat, laudatur tamen ab eodem propter solum molle et admodum ferax, irrigatum torrentibus e proximis montibus multisque aquae perennis fontibus, consitum variis arboribus, maxime vero oleis, vineis, palmis (Bell. iud. III. 3,3). Ruinae urbium aediumque romanarum, quae hodie in terra transiordanica cernuntur, florentissimum eius regionis statum aetate romanorum imperatorum fuisse demonstrant (*Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5 p. 161. 164 ss.).

5. Galaad urbs agnoscitur a multis interpretibus Ps. 6,8 et 12,11, dum alii non urbem, sed regionem Galaad intellegunt. Si prius, erit Ramoth Galaad, quam vocem vide; cf. *Knabenbauer* ad Os. 6,8. Aliqui cogitant de ruinis *Djil'ūd*, quae 10 km ab *el-Salṭ*, alii de ruinis *Djil'ūd*, quae 13 km ab *el-Salṭ* aquilonem versus inveniuntur, alii de labes Galaad.

De aliqua urbe nominis Galaad Iud. 10,17 mentionem fieri nulla ratio suadet. Neque Iud. 12,7 de aliqua urbe Galaad, in qua Iephte sepultus sit, videtur interpretandum esse, sed potius cum *Bonfre-*

rio vertendum : in urbe sua Galaaditidis (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.).

GALAADITIS (Γαλααδῖτις) 1 Mach. 5,17 s. et 13,22 appellatur regio transiordanica, quae alias (1 Mach. 8,9. 55 et alibi in Vet. Test.) terra Galaad designatur.

GALAL (גָּלָל, Γαλαάλ). **1.** Levita de filiis Asaph, incola Ierusalem post captivitatem (1 Par. 9,15).

2. Levita de stirpe Idithun (1 Par. 9, 16; Neh. 11,17; LXX Neh. 11,17 nomen omittunt).

GALALAI (גַּלָּלַי; LXX pro nominibus Malalai, Galalai, Maai corrupte legunt Γελώλ, Ἰαμά, Ἀία), levita et musicus in dedicatione muri Ierusalem (Neh. 12,35[36]).

GALATAE (Γαλάται), nomen recentius pro antiquiore Κέλτοι vel Κέλται. Iam ab ineunte saeculo quarto a. Chr. multae turbae celticae, sedibus suis in Gallia relictis; partim in Italiam irruperant, partim in Pannonia et Illyria nova sibi domicilia quaesierant. Exinde in Macedonia et Graecia praedam agebant; aliquae turmae, viginti millia hominum ducibus Leonnorio et Luthario, praedae faciendae causa Byzantium perrexerunt et inde in Asiam minorem transfretarunt ope Nicomedis regis Bithyniae qui iis uti volebat in bello contra fratrem suum (a. 279 a. Chr.). Ab iis adiutus Nicomedes victoriam reportavit. Galatae autem in tres tribus divisi, Trocmi, Tolistoboii, Tectosagi, incursionibus suis Hellespontum, Aeoliam, Ioniam et mediam Asiae minoris regionem devastabant, donec tandem ab Attalo I. rege Pergami gravi clade afflicti c. annum 229 in eo terrae tractu, cui ab iis nomen est Galatia, stabiles figere sedes cogerentur. Ita factum est, ut magna pars Phrygiae et aliquae regiones Cappadociae et Ponti nomen sortirentur Galatiae. Regio erat fertilis, irrigata ab Haly et Sangario fluminibus. Trocmorum tribus occupabat partem ad orientem et septemtrionem vergentem, cuius urbs praecipua erat Tavium; Tectosagi in media parte, in qua urbs Ancyra erat, sedem fixerunt; Tolistoboii regionem ad occidentem et meridiem spectantem, cui caput Pessinus erat, sibi elegerunt. Cum Celtis sese adiunxissent etiam Galli Graecique, regio illa etiam Gallograecia vocabatur. In bello Antiochi Magni contra Romanos regi opem tulerant; quare Manlius Vulso ditionem eorum ingressus eos devicit (anno 189 a. Chr.) et reipublicae romanae subiecit (1 Mach. 8,2) ita tamen, ut propriis suis legibus regerentur. Notum est duos Galatarum principes, Deiotarum et Amyntam, titulo regio a Romanis esse ornatos. Immo Amyntas adeo usus est favore Antonii, dein Augusti, ut praeter Galatiam etiam Pisidiam, Isauriam et partes Lycaoniae, Pamphyliae, Phrygiae, Ciliciae regno suo additas acciperet. Verum eo mortuo Romani ditionem eius exceptis partibus Pamphyliae et Ciliciae in provinciam romanam, cui Galatiae nomen inditum est, converterunt (a. 25 a. Chr.); Ancyra urbs facta est sedes proprae toris.

Non defuerunt qui Galatas originis germanicae fuisse contenderent, ita ut epistula S. Pauli ad tribum germanicam scripta ab iis censeatur; ex catholicis *Hug* in eam concessit sententiam, complures ex protestantibus : *Olshausen, Baumgarten-Crusius, Rückert, Wieseler, Holsten, Meyer, Hilgenfeld.* Verum haec opinio a nullo qui archaeologiae, philologiae, rebus celticis et germanicis studium suum impendit sustinetur; quare merito derelicta est, ita ut non opus sit argumenta quae pro ea prolata sunt refutare et ostendere pluribus, veteres, uti Livium, Iustinum, Strabonem, eos semper Gallis vel Celtis accensuisse, a Germanis distinxisse. Utrumque satis ostenderunt *Grimm* in Studien u. Kritiken 1876 p. 211 ss.; *Hertzberg* ibidem 1878 p. 625; *Cornely,* Introd. III. p. 417. — Celtis obiicit Caesar mobilitatem et levitatem ingenii, subita et repentina consilia, temeritatem innatam, ut levem auditionem habeant pro re comperta (Bell. gall. 2, 1; 3,8; 7,42); quam indolem eos cum initio rei christianae haud penitus exuisse, epistula S. Pauli sufficienter demonstratur.

I. KNABENBAUER.

GALATIA (Γαλατία), etiam Gallograe-

cia vocatur; vide s. v. GALATAE. Ex iis quae de Galatis exposita sunt, apparet Galatiam usurpari sensu strictiore et latiore. Illo sensu complectitur regionem Asiae minoris, quae sit contiuis Paphlagoniae, Ponto, Cappadociae, Phrygiae, Lycaoniae, Bithyniae i. e. Galatia proprie dicta a Galatis potissimum inhabitata. Sensu latiore designat provinciam illam quam Romani Galatiam appellabant, ita ut praeter Galatiam propriam etiam illas complecteretur partes quae regno Amyntae additae erant, scil. partes Lycaoniae, Pisidiae, Pamphyliae, Isauriam. Unde quaestio orta est, sintne « ecclesiae Galatiae » quibus epistulam scribit apostolus, ecclesiae Galatiae proprie dictae, an potius ecclesiae Lycaoniae, Pisidiae, Pamphyliae, quas apostolus in primo itinere apostolico fundaverat (Act. 13,13 s.; 14,6. 23). Plerique priorem tenent sententiam, quae ipsa appellatione, qua eos utpote Galatas alloquitur, satis commendatur; eiusmodi enim allocutio apte iis solum fit, qui natione sunt Galatae. Neque verum est, Paulum semper adoptare in nominibus regionum morem loquendi romanum; nam Syria Gal. 1,21 non adhibetur eo sensu quo provincia Syriae apud Romanos usurpatur. Insuper in ipsis monumentis publicis quae a magistratibus romanis condita sunt Galatia adhibetur non solum de provincia romana, verum saepius de regione Celtarum (exempla praebet *Sieffert* in comment. ep. ad Gal. p. 10).

Nihilominus alii, e recentioribus *Perrot, Renan, Hausrath, Weizsaecker, Zahn, Wendt, Iacobsen* (cf. *Sieffert* l. c. p. 6), *Cornely* (Introd. III. *ed.* 2 p. 416 s.), *Ramsay, V. Weber, Belser*, affirmant nomine Galatiae apud S. Paulum designari Lycaoniam etc.: quorum argumenta vide apud *Cornely* l. c. Contra eam sententiam scripserunt *Grimm* l. c., *Mager, Wieseler, Holsten, Sieffert*.

S. Petrus priorem suam epistulam dedicat electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae (1,1); unde tamen non sequitur eum has ecclesias fundasse; id quod ipsa epistula excludi videtur (cf. 1,12. 25; 5,12). Galatiae regio, Γαλατικὴ χώρα, Act. 16,6 et 18,23, de Galatia proprie dicta erit intellegenda. Nam postquam Derben et Lystram, civitates Lycaoniae (Act. 16,1; cf. 14,6) visitavit, Phrygiam et Galatiae regionem pertransiit. Frustra contrarium contendit *Ramsay*, contra quem cf. *Expositor* 1894.

I. KNABENBAUER.

GALBANUS (in Vulgata; alias *galbanum*), hebr. חֶלְבְּנָה, χαλβάνη nominatur inter quattuor aromata ad praeparandum thymiama sanctum necessaria (Ex. 30, 34) iterumque inter praeconia sapientiae (Eccli. 24,21 gr. 15), ubi eadem quattuor aromata cum aliis commemorantur. *S. Hieronymus* in priore loco cum LXX aliisque versionibus « galbanum boni odoris » coniungit: quod neque naturae galbani satis conforme videtur neque lectioni massorethicae, quae accentu distinctivo *Zāqef gatōn* haec duo membra disiungit; at accipiendo hebr. סַמִּים non pro odore bono, sed media significatione pro *acri* odore, fortassis loco textus massorethici cum antiquis versionibus legi poterit חלבן הַסַּמִּים (cf. *Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. 754 s.).

Nomen hebraicum galbani ab antiquis versionibus fere retinetur, et a recentioribus communiter admittitur significare χαλβάνην s. μετώπιον Graecorum et galbanum s. stagonitim Latinorum, scilicet succum seu lacrimam ferulae (νάρθηκος) vel panacis (πανάκους) in Syria, ac praesertim in Amano monte nascentis (*Theophr.* Hist. pl. IX. 1,2; 7,2; 9,2; *Dioscur.* Mat. med. 3,87 al. 97; *Plin.* XII. 25,126), quae frequenter commemoratur et ad varias medicinas, ad suffitum, praesertim serpentibus noxiisque animalibus fugandis, atque ad alios usus inserviebat (*Theophr.*, *Diosc.*, *Plin.* ll. cc.; *Vergil.* Georg. 3,415; *Columella* VIII. 5,18; *Plin.* XIX. 10,180; XXIV. 5,21 s.; *Pallad.* I. 35,8, al.). Non quidem suavis, sed gravis potius odoris describitur, verum etiam ab Aegyptiis aliisque populis unguentis addebatur (*Plin.* XIII. 1,8), sive « ad continendum odorem in corpore » (*Plin.* ib.), sive ut « aromatum aliorum odorem acueret » (*M. Hiller*, Hierophyt. I. 450).

De planta ipsa galbanifera diu haesitatum est, atque omnino erronee *Bubon galbanum* Linné ex Africa meridionali oriundum etiam nunc ab aliquibus auctoribus creditur. Eius loco alia potius planta vere galbanifera atque in regione orientali indigena, medio fere saeculo elapso a *Buhse* ad radices et in latere australi montis *Demavend* in Persia boreali reperta, a recentioribus communiter tamquam galbani biblici parens admittitur, scilicet *Ferula galbaniflua* Boissier et Buhse. Pars inferior caulis crassi et basis petiolorum huius plantae ex ordine *Umbelliferarum* gummi galbanum dictum exsudant.

Cf. *B. Albert. Magn.* De vegetabilibus VI. 1,21 *ed. C. Jessen* 392 s.; I. *H. Ursinus*, Arboreti bibl. cont. 236 s.; *O. Celsius*, Hierobot. I. 267-71; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. 753-6; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 3,151-3; *G. B. Winer*, Realwörterb. I. 386; *E. Boissier*, Flora orient. II. 988; *L. Haynald*, Szentirási Mezgak es Gyantak termönövenyei (De plantis biblicis gummiferis), Kolozsvárt 1879, 32-6, qui inter tabulas egregiam imaginem coloribus pictam speciei affinis (*Ferula erubescens* s. *rubicaulis* Boissier) praebet; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 115; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 219 s.

L. FONCK.

GALEA. Cum caput militis galea esset tegendum et protegendum, galeae ex aere conficiebantur. Ita saltem statuitur de galea Goliath (1 Reg. 17,5), de galea Saul (1 Reg. 17,38) et de galeis quas milites Antiochi Eupatoris habebant (1 Mach. 6,35). Quia 2 Par. 26,14 narratur Oziam regem cuncto exercitui praeparasse galeas, aliqui concluserunt ante eum non milites gregarios, sed solum reges et duces iis usos esse. At id certe ex eo loco non sequitur. Nam alias dicendum esset et clypeos et hastas et loricas et arcus et fundas militibus antea defuisse.

GALEM (Γαλέμ, A Γαλλίμ) recenseetur inter urbes quintae provinciae montis Iuda, quae desideratur in textu massorethico et Vulgata, sed conservata est in LXX Ios. 15,59 et oppida prope Bethlehem et Ierusalem continet. Coniicitur esse *Beil Djālā* prope Bethlehem (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 20; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 13).

GALGAL, GALGALA (הַגִּלְגָּל i. e. rota a rad. גָּלַל = volvere; Γάλγαλα forma pluralis), nomen complurium locorum Palaestinae.

1. Galgala contra orientalem plagam urbis Iericho, ubi Israelitae castra posuerunt prima nocte post transitum Iordanis et duodecim lapides, quos de Iordanis alveo sumpserant, erexerunt (Ios. 4,19. 20); ibidem populus, qui in deserto natus erat, circumcisus est in colle praeputiorum, a quo eventu nomen loci vocatum est Galgala secundum verbum Domini ad Iosue : Hodie abstuli (גִּלֹּתִי *devolvi*) opprobrium Aegypti a vobis (5,9); ibidem primum phase in terra Chanaan celebratum est (5,10). In Galgala erant castra Israelitarum eo tempore, quo partes Palaestinae meridionales subigebantur (9,1; 10,6. 7. 9. 15. 43; 14,6). De eadem Galgala agitur Iud. 2,1. Tempore Saulis inter praecipua sanctuaria erat Galgala; illuc enim Samuel quotannis ibat, ut Israel iudicaret (1 Reg. 7,16); ibi holocausta et victimae pacificae offerri consueverant (1 Reg. 10,8; 11, 14. 15; 13,4-15; 15,12. 21. 33). David rex mortuo Absalome ex terra transiordanica rediens Iordane traiecto Galgalam venit, quo omnis Iuda regi occurrerat (2 Reg. 19,15. 40). Vetus huius loci religio Galgalam, ut videtur, superstitioni et idololatriae commendavit, sin aliter ad hanc Galgalam referenda sunt Os. 4,15; 9,15; 12,11; Am. 4,4; 5,5, quibus locis principales idololatriae sedes commemorantur; alii tamen his locis oppidum a Silo non longe dissitum (vide infra n. 3) intellegunt, ut notat *Knabenbauer* ad Os. 4,15. Iter Israelitarum de Setim usque ad Galgalam tamquam insigne Dei beneficium in memoriam revocatur Mich. 6,5.

Notandum est in textu sacro nihil haberi, quo Galgala urbs vel oppidum fuisse suadeatur neque eam ullibi sacerdotibus vel levitis attribui, ut Bethel, Sichem etc.; erat locus castrorum et propter religionem venerandus. Quare cautius videntur recipienda esse, quae

de situ loci tradunt Flav. Iosephus (Ant. V. 1,4) : 50 stadiis a Iordane, 10 stadiis a Iericho, Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 233, 65; 102, 25) : 2 mil. pass. seu circiter 16 stadiis a Iericho (cf. l. c. 243, 88. 94; 126, 14. 22. 29). Eius nominis locum anno 1865 detexit *H. Zschokke* scil. *Tell Djildjūl* septemtrionem versus a *Wādi Qelt* et 45 minutis orientem versus a *Rīḥā*, quem situm plerique pro Galgala admittunt.

Cf. *H. Zschokke*, Beiträge zur Topographie der westlichen Iordansaue 1866 p. 26 ss.; *Pal. Expl. Fund.* Quart. Stat. 1874, p. 36; 1894, p. 182; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 173-175; 181-184; 191; *Guérin*, Samarie I. 117 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 292; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 180.

Sed alium situm pro Galgalis postulare videtur descriptio finium Iuda (Ios. 15,7) scil. ex adverso ascensionis Adommim; in descriptione termini meridionalis tribus Beniamin (Ios. 18,18) pro Galgalis scribitur גלילות (Γαλιλώθ, Vulgata : usque ad tumulos). Quare *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. p. 149. 150. 333) Galgala quaerit in faucibus Iericho, ubi duae de montibus valles iunguntur et iunctae in Arabam effunduntur : *Wādi el-Qelt* et *Wādi Tal'at el-Dām* seu ascensus Adommim; duriorem autem illam expressionem : in extremitate orientis Iericho (Ios. 4,19) emendandam esse coniicit : in extremitate faucium (מעבר) Iericho. Fatendum est has fauces, quae aquas habebant abundantes facilemque in montana accessum, aptiores fuisse pro castris, ubi Hebraei pluribus annis substituri essent, quam agrum inter Iericho et Iordanem intolerabilibus aestatis ardoribus expositum. Accedit, quod Galgala Iud. 3,19 ex contextu ad occidentem Iericho quaerenda est, siquidem Aod index a Iericho, ubi Eglon rex Moab residebat, locum idolorum seu Pesilim prope Galgala praeteriens in Seirath montis Ephraim aufugit.

2. Rex gentium Galgal recensetur inter reges a Iosue percussos Ios. 12,23. Hanc urbem Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 244, 31; 127, 24) agnoscunt in villa Galgulis 6 mil. pass. ab Antipatride contra septemtrionem. Quodsi Antipatris hodierno *Rās el-'Ain* correspondet, vicus Galgulis erit *Djildjūliye* vel ex opinione quorundam alter vicus *Qilqīliye* paulo magis ab Antipatride septemtrionem versus distans. De eadem Galgala (*Djildjūliye*) in planitie Saron interpretandus est textus 1 Mach. 9,2, ut diximus s. v. ARBELA.

Verum LXX Ios. 12,23 aliam interpretationem suggerunt vertentes βασιλέα Γεὶ τῆς Γαλιλαίας. Unde *F. de Hummelauer* ad h. l. pro גוים לגלגל corrigendum putat גי ים לגלגל = vallis maris apud Gilgal i. e. vallis inter mare Cenereth et montes Galilaeae ad occidentem maris; גלגל in hac interpretatione est aut altera forma pro גליל aut eadem forma depravata.

3. Galgala, unde Elias et Eliseus descenderunt in Bethel, ut per viam Iericho Iordanem traiicerent brevi ante Eliae assumptionem (4 Reg. 2,1), non potest esse Galgala in planitie Ierichuntina, sed a plerisque agnoscitur vicus magnus *Djildjūlyā* inter Bethel et Sichem nec procul a Silo ex montanis Ephraim supereminens; etsi enim *Djildjūlyā* (744 m) altitudine a Bethel (881 m) superetur, tamen ab isto vico montano descensus fiebat in *Wādi el-Djīb*, ut perveniretur Bethel versus. Eadem Galgala erat sedes scholae prophetarum; ibidem Eliseus pulmenti amaritudinem farina infusa abstulit (4 Reg. 4,38). Eadem quoque a plerisque agnoscitur Galgala, quae Deut. 11, 30 e regione montium Garizim et Hebal esse dicitur; alii tamen (ut *Dillmann* ad h. l.) animadvertunt nomen Gilgal (i. e. circulus lapidum) compluribus per regionem locis editis et saxosis inditum esse potuisse. Probabilius etiam domus Galgal, quae Neh. 12,29 inter regiones recensetur, ex quibus cantores ad dedicationem muri Ierusalem confluxerunt, eadem est cum hac Galgala Eliae et Elisei.

GALILAEA (Γαλιλαία). In Vet. Testamento Galilaea (Γαλιλαία) legitur, ubi in hebraico גְּלִיל i. e. circulus, regio a rad. גָּלַל (volvere) vel forma pluralis גְּלִילוֹת i. e. regiones, termini. Geliloth

Philisthaeorum commemorantur Ios. 13, 2 (sed v. *F. de Hummelauer* ad h. l.) et Ioel 3,4 (hebr. 4,4). Galil Ios. 20,7; 21, 32; 1 Par. 6,76[61] designat regionem seu planitiem, in qua Cedes Nephthali sita erat; cf. 1 Mach. 11,63 : Κάδης ἡ ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ. Galil 3 Reg. 9,11 vocatur regio septemtrionalis tribus Nephthali cum viginti urbibus, quas Salomon Hiram regi Tyriorum dono dedit. Eadem Galil 4 Reg. 15,29 tamquam distincta regio enumeratur inter regiones, quarum incolas Theglathphalasar in Assyriam transtulit. Haec regio maxime septemtrionalis Palaestinae, cuius termini accurate non definiuntur, quoad magnam partem a gentilibus (Phoenicibus) habitabatur, unde apud Is. 9,1 [8,23] vocatur גְּלִיל הַגּוֹיִם, Galilaea gentium; cf. Matth. 4,15. Tempore exsilii tota illa regio ab ethnicis occupabatur neque postea explicite docemur Israelitas reduces ibi sedem fixisse. Vestigium distinctionis in Galilaeam superiorem et inferiorem apparet Tob. 1,1 et Iudith 1,8 (graece).

Aetate machabaica Galilaea iam clare a Iudaea et Samaria distinguitur, sed paucos tantum Iudaeos numerabat ethnicis intermixtos et ab illis oppressos, quos Simon Machabaeus a iugo gentium liberatos secum in Iudaeam proprie dictam abduxit (1 Mach. 5,14 s.). Eodem tempore Palaestina in quattuor partes administrativas a Seleucidis divisa erat scil. Iudaeam, Samariam, Coelen-Syriam, Phoenicen (*Flav. Ios.* Ant. XII. 4,1. 4); Galilaea, quae non nominatur, vel ad Coelen-Syriam vel ad Phoenicen accenseri merito creditur. In Galilaea Ionathas Machabaeus Syros devicit (1 Mach. 11,63) et in dolos a Tryphone paratos incidens captus est (12,47. 49). Cum praeterea eo tempore tres civitates (νομοί) ex Samaria Iudaeae proprie dictae attributae fuisse legantur (1 Mach. 10,30. 38), omnino probabile est Samariam et Galilaeam cum re publica Iudaeorum nonnisi a Ioanne Hyrcano (135-105) eiusque successoribus coniunctas fuisse. Hyrcani filius Aristobulus I. (105-104), quamvis Graecorum amator, tamen eo praesertim amorem patriae manifestabat, quod Ituraea debellata multam eius regionis partem Iudaeae addiderit et incolas, si in sua regione manere vellent, circumcidi et ad Iudaeorum leges vivere coegerit (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 11,3 ex auctoritate Strabonis et Timagenis); vix dubium est, quin haec de Galilaea imprimis dicta valeant. Anno 47 a. Chr. Antipater a Iulio Caesare procurator Iudaeae constitutus Herodem filium suum Galilaeae praefectum (στρατηγόν) constituit (Ant. XIV. 9,2; Bell. iud. I. 10,4) eratque Galilaea pars regni, quod Augustus Herodi confirmavit. Herode I. mortuo Herodes Antipas tetrarcha Galilaeae et Peraeae constitutus est (Ant. XVII. 8,1; 11,4; Bell. iud. II. 6,3), qui has regiones usque ad a. 39 p. Chr. obtinebat; cf. Luc. 23,7. Cum autem a Caligula imperatore regno privatus in exsilium mitteretur, Herodes Agrippa I. Galilaeam cum Peraea obtinuit (Ant. XVIII. 7,1. 2; Bell. iud. II. 9,6) et usque ad mortem suam (44 p. Chr.) regebat. Ab illo autem tempore tota Palaestina, sicut iam antea Iudaea et Samaria, a procuratoribus romanis, qui legatis Syriae parebant, administrabatur (Ant. XIX. 9,1. 2; Bell. iud. II. 11,6). Is rerum status permansit usque ad bellum iudaicum; sed aliquae partes Galilaeae et Peraeae a Nerone imperatore Herodi Agrippae II. concedebantur, videlicet Tiberias et Taricheae in Galilaea, Iulias cum quattuordecim vicis in Peraea (Ant. XX. 8,4; Bell. iud. II. 13,2).

Tempore Christi Galilaea erat provincia septemtrionalis Palaestinae cisiordanicae (Luc. 17,11; Act. 9,31), quae in S. Scriptura, apud Flavium Iosephum et in Mishna constanti usu loquendi distinguitur a Iudaea et Samaria, sicuti etiam a Peraea. Complectitur territoria Aser, Zabulon, Nephthali et partem septemtrionalem Issachar. Termini sunt a meridie Samaria seu montana Ephraim, ab oriente Iordanis et lacus Tiberiadis seu mare Galilaeae (cf. Matth. 4,18; 15,29; Marc. 1,16; 7,31; Io. 6,1), a septemtrione Leontes fluvius, supra quem mons Libani assurgit, ab occidente ora phoenicia seu fines Tyri et Ptolemaidis. Intra hos limites Flavius Iosephus (Bell.

iud. III. 3,1) distinguit Galilaeam superiorem et inferiorem.

Galilaea superior secundum Flav. Iosephum protenditur a Thella vico Iordani proximo occidentem versus usque ad Meroth et a Baca vico Tyriorum finibus vicino meridiem versus usque ad Bersabe, qui vicus superiorem ab inferiore Galilaea distinguit. Quinam illi vici sint, vix cum aliqua probabilitate dirimi potest. In Mishna (Shebiith 9,2 limes Galilaeae superioris et inferioris assignatur Capharanania seu vicus Hanania, hodie *Kefr ʿAnān* ab Accho (Ptolemaide) recta linea orientem versus nec procul ab *el-Rāme* et *Ṣafed*. Superiorem igitur Galilaeam fere totam implet mons Nephthali (Ios. 20,7), qui a Libano iuxta vallem Leontis usque ad lacum Tiberiadis extenditur, orientem versus abrupte ad Iordanem descendit, occidentem versus multis vallibus hac illac sine certo ordine intersecatur et paulatim ad oram maritimam tribus Aser deprimitur. Hinc facile intellegitur, cur viae publicae Galilaeam superiorem utpote imperviam circuierint, ut magna via quae a Tyro Caesaream Philippi ducit et altera quae a lacu Tiberiadis inter montem Nephthali et Iordanem ad aquilonem vergit. Urbs principalis est *Ṣafed*, a qua tertia via per Gischalam (*el-Djīsh*) et Cedes Nephthali ad angulum rectum Leontis fluvii ducit. Aquilonem versus eminent *Djebel Hūnīn* (900 m) et *Djebel Djamle* (800 m), meridiem versus *Djebel Ṣafed* (838 m) et mons altissimus terrae cisiordanicae *Djebel Djermaq* (1199 m); cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890 Tab. 2.

Galilaea inferior secundum Iosephum l. c. extenditur a Tiberiade occidentem versus usque ad Chabulon (Χαβουλών *ed. Niese*, nunc *Kabul*; v. CABUL) in confinibus Ptolemaidis et ab Exaloth (Ἐξαλώθ *ed. Niese*, hodie *Iksal;* v. CASALOTH et CESELETHTHABOR) in planitie Esdrelon septemtrionem versus usque ad Bersabee. Alibi (Ant. XX. 6,1; Bell. iud. III. 3,4) terminum meridionalem Galilaeae inferioris fuisse dicit Ginaeam (hodie *Djenīn;* v. ENGANNIM 2) vicum in confinibus Samariae et Galilaeae. Indolem Galilaeae inferioris variae planities frugiferae et pulcherrimae, altitudine inter se distinctae, determinant. Prima est planities Ramae (*el-Rāme*) circa 400 m altitudinis habens, de qua per iuga collium descensus fit ad planitiem Ptolemaidis. Primae meridiem versus adiacet planities secunda *Sahel el-Baṭṭauf* (139-156 m) seu magna planities Asochis nuncupata (Vita 41) a vico hodie ignoto. A planitie Asochis occidentem versus fit descensus ad tertiam planitiem intra Sepphorim, Bethlehem zaburoniticam et *Shefā ʿAmr* sitam, ex qua *Wādi el-Melek* versus Cisonem inferiorem decurrit. A planitie Asochis orientem versus assurgit *Djebel Turʿān* (541 m), a quo fere usque ad litus lacus Genesareth inferioris se extendit planities vulcanica *Sahel el-Aḥmā* (circa 300 m); ad septemtrionem *Sahel el-Aḥmā* sunt cornua *Haṭṭīn* (316 m) prope vicum *Haṭṭīn* (113 m), ubi ex traditione posteriore sermo montanus Christi Domini habitus esse dicitur. Inter Sepphorim et Cisonem iuga collium ascendunt usque ad altitudinem *Nebī Saʿīn* (488 m) et *Djebel el-Sīḥ* (560 m) circa Nazareth (349 m), a quibus orientem versus sciunctus prostat mons Thabor (562 m). Denique a collibus circa Nazareth et monte Thabor usque ad montana Ephraim seu Samariam se extendit magna planities Iezrael seu Esdrelon, ex qua duae valles ad depressionem Iordanis ducunt, scil. *Wādi Sharrar* inter montem Thabor et Hermon minorem et *Wādi Djalūd* inter Hermon minorem et montes Gelboe in magnum campum Bethsan seu Scythopolis desinens. Ab occidente hanc infimam Galilaeae partem terminat Carmelus « olim quidem Galilaeorum, nunc autem Tyriorum mons » (*Flav. Ios.* l. c.). Cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1900 Tab. 2.

Galilaea inferior aptissima erat viis mercatorum et exercituum. Ab Accho (Ptolemaide) via in ipso fere limite superioris et inferioris Galilaeae ducebat Ramam (*el-Rāme*) et inde procedens apud *Ṣafed* iungebatur viae Galilaeam superiorem permeanti. Alia via ab Accho petebat Sepphorim et Tiberiadem. Frumentum ex terra transiordanica et Auranitide per viam Bethsan, Iezrael et

planitiem Esdrelon usque ad mare Mediterraneum vehebatur. Magna via mercatoria inter Aegyptum et Damascum a planitie Saron divergens et apud Mageddo planitiem Esdrelon ingressa ad lacum Genesareth ducebat et inde *Via maris* nuncupata Iordane infra lacum *Ḥūle* traiecto Damascum petebat.

In Mishna (Shebiith 9,2) Galilaea trifariam dispescitur in superiorem, inferiorem et vallem, quarum superior complectitur quidquid supra Capharananiam (*Kefr ʿAnān*), quod sycomoros non sustinet, inferior quidquid infra Capharananiam quod fert sycomoros, vallis territorium Tiberiadis. Verum haec vallis iuxta litus occidentale lacus Tiberiadis merito Galilaeae inferiori adnumeratur.

Fertilitas Galilaeae a Flavio Iosepho (Bell. iud. III. 3,2. 3) summis laudibus celebratur : universa enim culta est et passim fructuum ferax, nulla eius pars otiosa, tota pinguis et pascua et omne genus arboribus consita, ita ut ubertate sua vel minime studiosos agriculturae alliciat. Oleo quod magni aestimabatur, abundabat regio circa Gischalam in Galilaea superiore (Bell. iud. II. 21,2; Vita 13). Imprimis autem regio Gennesar seu planities iuxta litus occidentale lacus Tiberiadis describitur natura simul et pulchritudine admirabilis, proferens arbores omnigenas, poma varia, ficus, nuces, palmas, uvas, oleas, quae nullam arborem pro ubertate sua recuset et pugnantia in unum compingat (Bell. iud. III. 10,8).

Incolas Galilaeae fuisse numero copiosos ex Evangeliis satis colligitur. Teste Flavio Iosepho (Bell. iud. III. 3,2) urbes erant frequentes et crebri vici ubique populosi propter soli bonitatem; exaggerare tamen videtur Iosephus addens, vicum, qui sit minimus, supra 15000 incolarum habuisse. Copia incolarum permagna etiam ex eo colligitur, quod Iosephus exercitum ad 100 000 tironum et amplius e Galilaea conscripsit et urbes vicosque 204 esse dicit, in quibus quindecim loca munita enumerat (Bell. iud. II. 20,6; Vita 37 et 45). Indoles incolarum erat pugnax et audax; Galilaei enim tot gentibus alienigenis circumdati omni semper belli periculo resistebant neque formido unquam viros ab infantia pugnaces occupavit (Bell. iud. III. 3,2); cuius fortitudinis bellicae egregia documenta iam Zabulon et Nephthali, eiusdem regionis antiqui cultores, ediderunt tempore Debborae (Iud. 5,18). Hac indole adeo imbuti erant, ut seditionibus gauderent rerum novarum appetentes et natura apti ad mutationes (Bell. iud. I. 16,5; Vita 17); alia exempla vide s. v. IUDAS 9 (Iudas Galilaeus). Galilaei erant et haud dubie rebelles, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum (Luc. 13,1). Galilaea erat fomes seditionis, ex qua bellum iudaicum exarsit. Intra muros urbis Ierusalem a Tito oppugnatae Galilaei caedium civilium magnam partem egerunt, quorum facile princeps erat Ioannes de Gischala oriundus (Bell. iud. IV. 2,4 s.).

Mores quoque Galilaeorum in rebus minoribus non erant iidem ac Iudaeorum. Mishna commemorat discrepantias quoad iura matrimonii (Kethuboth 4, 12), quoad sponsum et sponsam (Iebamoth 4,10; Kethuboth 1,5), quoad pondera et nummos (Terumoth 10,8; Kethuboth 5,9; Chullin 11,2). Dialectus quoque Galilaeorum a iudaica discrepabat (Matth. 26,73; Marc. 14,70; Luc. 22, 59), quam discrepantiam etiam Talmudici variis exemplis illustrant; cf *Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb. col. 434 s.; *Lightfoot*, Centuria chorograph. Matthaeo praemissa cap. 87. Hinc intellegitur, cur Galilaei ab incolis Iudaeae proprie dictae minore aestimatione digni habiti sint (cf. Io. 1,46; 7,52); erant quidem incolae Galilaeae et Peraeae etiam genuino sensu Iudaei, attamen multipliciter cum alienigenis permixti, ita ut iudaismus perfectus et diuturno magisterio Scribarum ac Pharisaeorum plene imbutus in sola Iudaea viguerit.

Maximam autem gloriam huic regioni attulit Iesus Galilaeus (Matth. 26,69). In Nazareth Galilaeae puer Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines (Matth. 2,23; Luc. 2, 52). In Cana Galilaeae Iesus fecit initium signorum (Io. 2,11; 4,46. 54). Maiorem partem vitae publicae in Galilaea peregit. Capharnaum ad lacum Gene-

sareth civitas eius appellabatur (Matth. 9,1). In Galilaea erant civitates, in quibus factae sunt plurimae virtutes eius (Matth. 11,20 s.) et ibidem discipulis se manifestavit post resurrectionem suam (Matth. 28,7. 16; Io. 21,1). Duodecim eius apostoli erant Galilaei (Act. 1,11; 2,7); probabilius excipiendus est Iudas Iscariotes, cuius nomen explicatur *vir de Carioth* oppido tribus Iuda (v. CARIOTH 1 et ISCARIOTES).

Post destructionem urbis Ierusalem Galilaea erat sedes praecipua scholarum iudaicarum et rabbinorum doctissimorum. Synedrium Hierosolymis primum Iabnen seu Iamniam translatum est, postea vero Sepphorim et inde Tiberiadem migravit (*Lightfoot*, Parergon de excidio urbis etc. Sect. 3 s. et 7; Opp. II. p. 141. 144). Tiberiade in lucem prodierunt Mishna a Rabbi Iehuda Sancto compilata circa annum 190 vel ex alia supputatione 220 p. Chr. et postea circa annum 230 p. Chr. Gemara quae dicitur hierosolymitana (*Buxtorf*, Tiberias p. 21. 22). Post haec tempora autem studia litterarum in Babyloniam translata sunt, ubi Gemara babylonica prodiit. Hodie quoque cernuntur ruinae synagogarum ex saeculis 2-4, immo fortasse ex primo saeculo p. Chr. in Galilaea superiore (*Kasium*, *Kefr Birim*, *el-Djīsh*, *Meiron*, *Nabartein*, *Qedīs?*) et prope lacum Genesareth (*Tell Ḥūm*, *Keraze*, *Irbid*); cf. *Guérin*, Galilée I. 198-201; 227-231; 241 s.; II. 95; 100 s.; 357 s. (?); 429 s.; 447-449; *Survey of West. Pal.* Mem. I. p. 224 ss. 240 ss. 251 ss. 396 ss.

GALLIM. 1. Gallim (גַּלִּים), patria Phalti seu Phaltiel, cui Saul dedit Michol filiam suam, uxorem David (1 Reg. 25, 44; LXX Ῥομμᾶ); eadem recensetur inter urbes beniaminiticas, quae ab exercitibus Sennacherib Ierusalem versus properantibus terrore percellebantur (Is. 10,30; LXX Γαλλείμ). Situs ignoratur. Eusebius et S. Hieronymus (Onom. 247, 78; 129,10) mentionem faciunt vici Gallaia seu Galla prope Accaron; sed contextus Is. 10,30 omnino postulat urbem tribus Beniamin, a qua fines Accaron nimium absunt.

2. Gallim (אֲגַלִּים i. e. duo stagna; Ἀγαλείμ), locus in Moab (Is. 15,8). In descriptione vastitatis Moab ululatus eius usque ad Gallim et clamor eius usque ad puteum Elim personare dicitur. Apud Eusebium et S. Hieronymum (Onom. 228,61; 98,10) assignatur vicus Aigalleim seu Agallim 8 mil. pass. ab Areopoli (Rabbath Moab) austrum versus; ibi autem hodie non vicus eius nominis, sed urbs *Kerak* (Qir Moab) invenitur. Quibusdam eadem visa est quae Agalla ab Alexandro Iannaeo Arabibus erepta apud Flavium Iosephum (Ant. XIV. 1,4); verum editio *Niese* pro Agalla et Athone priorum editionum legit Γαλανθώνη, qua lectione supposita omnis similitudo nominum evanescit. Hodiernus igitur situs Gallim seu Eglaim nobis non innotescit. Hoc tamen merito asseri videtur ab Isaia nominari et locum in parte meridionali Moab scil. Eglaim et locum in parte septemtrionali scil. puteum Elim (v. BEER ELIM); cf. *Knabenbauer* ad Is. 15,8.

Distingue Gallim (Eglaim) ab Engallim (En Eglaim) Ez. 47,10.

GALLIO (Γαλλίων); proprio nomine appellatur Marcus Annaeus Novatus; sed postquam per adoptionem transiit in familiam Lucii Iunii Gallionis rhetoris, nomen Gallionis assumpsit. Frater erat Lucii Annaei Senecae philosophi, morum suavitate et amabilitate dulcis appellationem sortitus apud Statium et Senecam. Erat proconsul (ἀνθύπατος) Achaiae Act. 18,12, qua designatione ostendit auctor Act. se de rerum conditione bene esse edoctum. Cum enim Achaia primo fuerit provincia senatoria, dein Tiberio regnante imperatoria, sub Claudio iterum senatoria, dein alia iterum Achaiae conditio sub Nerone, alia sub Vespasiano (cf. *Tacitus*, Annal. 1,76; *Sueton.* Claud. 25; Nero 24; Vesp. 8; *Felten*, Apostelgeschichte p. 344), opus erat accurata rerum cognitione, ne magistratus romanus titulo falso designaretur. Iudaei Paulum ad eius tribunal Corinthi adduxerunt eum violatae legis accusantes. Verum simulac Gallio advertit agi de lege iudaica, eos a tribunali abegit (Act. 18,12-17). Contemptum Iudaeorum verbis suis ostendit et

eo quoque quod ei nihil curae fuit, quod Sosthenes princeps synagogae ante tribunal percutiebatur. Sicut Seneca frater, ita ipse quoque Iudaeos probabilissime habuit gentem sceleratissimam.

GALLUS (ἀλέκτωρ). **1.** In historia evangelica gallus saepius memoratur. Imprimis Dominus negationem Petri praedicens tempus indicat galli cantu (Marc. 14,30; Matth. 26,34; Luc. 22,34; Io. 13,38); praedictionem impletam pariter omnes evangelistae testantur (Marc. 14,68. 72; Matth. 26,74 s.; Luc. 22,60 s.; Io. 18,27). Similiter Christus discipulos ad vigilandum monens, gallicinio noctis partem determinat : « Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat : sero an media nocte an galli cantu, an mane » (Marc. 13,35). Etiam gallina locum in Evangelio habet, ubi Dominus charitatem cordis sui erga civitatem ingratam pulcherrima comparatione exprimit : « Ierusalem, Ierusalem..., quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti » (Matth. 23,37; cf. Luc. 13,34; gr. ὄρνις).

2. Galli cantus (ἀλεκτοροφωνία), uti in verbis Christi apud Marcum (13,35) indicatur, proprie tempus medium inter mediam noctem et auroram designat. Eo enim tempore gallos magna voce cantare omnes norunt, atque inde partitionem temporis nocturni desumi etiam scriptores profani testantur (*Censorinus*, De die natali c. 19; *Macrob.* Saturnal. 1,3; *Plin.* X. 21,46, al.; cf. *Bochart*). In Oriente autem iam circa mediam noctem galli prima vice cantare solent multoque accuratius, quam alibi, tempus suum custodiunt (cf. *Tristram*). Unde etiam veteres auctores frequenter de secundo gallicinio (Marc 14,30. 72) loquuntur. Sed cum tempus gallicinii primi fere cum media nocte coincidat, ubi simpliciter de galli cantu sermo est, illud secundum gallicinium intellegitur. Atque ita Marcus de hoc secundo gallicinio expresse loquens cum aliis evangelistis optime cohaeret.

Cf. praeter commentatores in Evang. ll. cc. (praesertim v. *I. Knabenbauer* in Matth. 26,34) *Sam. Bochart*, Hierozoic. II. 119-24, *ed. Rosenm.* II. 688-95; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 221 s.

3. Gallina, ex qua Dominus comparationem illam ad demonstrandum charitatis suae affectum desumpsit, in Evangelio Lucae simpliciter *avis* dicitur (13,34): graecus textus in utroque loco ὄρνις exhibet, quo nomine plerumque aves generatim appellantur. At haud inepte in versione Vulgata *gallina* exponitur, cum ὄρνις etiam a profanis scriptoribus (*Aristot.* Hist. anim. IX. 37 al. 50,1 etc.) sensu magis speciali pro gallinis usurpetur et comparatio illa praesertim ex obvio gallinarum exemplo vim magnam habeat (cf. 4 Esdr. 1,30. — V. *Bochart.* l. c. 125 s., *ed. Ros.* 695-7).

4. Gallum domesticum tempore Christi Domini apud Iudaeos introductum fuisse omnes concedunt, neque nugae talmudicae eum Hierosolymis defuisse probant (cf. *Reland*, *Rosenmüller*). Originem suam praecipue ducit a specie *Gallus bankiva* Temminck (= *Gallus ferrugineus* Gmelin) dicta, Indiae septemtrionalis ac vicinarum insularum indigena. Babylonii atque Persae primi eum ex India acceperunt et tamquam avem sacram venerati sunt; inde fere tempore bellorum medicorum et persicorum in Asiam anteriorem ac probabiliter etiam tunc demum in Syriam et Palaestinam videtur translatus esse.

Cf. *H. Relandi* Oratio de galli cantu Hierosolymis audito, Rotterdam 1709; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,353; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 449; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 V. 573-5; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 2, 426 s.; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausth. *ed.* 6,314-27; *O. Schrader* apud *Hehn* l. c. *ib.* 327-9.

De Babyloniis cf. *W. Houghton* in Transact. Soc. Bibl. Arch. VIII. 1884, 97-100. Apud Aegyptios figura galli in monumentis non occurrit, sed gallina inter signa hieroglyphica pro littera *w* locum accepit; cf. *F. Chabas*, Études sur l'antiq. hist., Paris 1873, 407; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs III. 319 s.

5. Ex dictis vix mirum videbitur, gallum in Vetere Testamento, si textum primigenium respicias, non commemo-

rari. Fortasse generali illa expressione *volatilium*, quae cum aliis cibis Nehemiae ad distribuendum parabantur (Neh. 5,18 צִפֳּרִים) etiam galli intellegi poterunt; cum etiam inter *aves altiles* Salomonis (3 Reg. 4,23 hebr. 5,3) locum habuisse, vix probabile videtur. Vulgata tamen quattuor aliis locis mentionem galli facit. Imprimis in libro Tobiae 8,11 « circa pullorum cantum » habet, ubi in textu graeco utrinsque recensionis secundum codicem Vaticanum et Sinaiticum (ap. *Swete*) nihil simile legitur; fortasse id quod habet Syrus « *antequam illucescat* » mentionis de pullorum cantu occasionem dedit. — Deinde in libro Iob 38,36 Dominus inter alia quaerit « quis dedit *gallo* intellegentiam? », ubi in hebraeo est שֶׂכְוִי. Rabbini eo nomine gallum domesticum intellegunt, eiusque intellegentiam in eo esse censent, quod diem a nocte discernat, vel quod laudet Dominum suum, ut vult paraphrasta chaldaeus (v. *Bochart* l. c. II. 115, *ed. Ros.* II. 682 s.); probabiliter etiam S. Hieronymus Rabbino magistro suam interpretationem debuit. At Iudaeus ille nugas videtur vendidisse, cum significationem nominis שֶׂכְוִי et interpretes et scriptores prorsus ignorent, atque gallum domesticum Iudaeis tempore libri Iob notum fuisse nulla ratione probetur. — Praeterea in libro Proverbiorum 30,31 inter « tria quae bene gradiuntur » cum leone et ariete s. hirco etiam « gallus succinctus lumbos » nominatur. Expressio hebraica זַרְזִיר מָתְנַיִם proprie « succinctus lumbos » sonat, prout etiam Symmachus vertit (περιεσφιγμένον τὴν ὀσφύν). Addendo vero *gallum* S. Hieronymus rationem habuit aliarum versionum priorum, quae prorsus praeter verba textus primigenii de « gallo qui inter feminas alacriter incedit » loquuntur (ἀλέκτωρ ἐμπεριπατῶν θηλείαις εὔψυχος LXX, similiter Peshitta, paraphrasis chaldaica; item postea versio arabica; cf. *Bochart* l. c. 116, *ed. Ros.* 684 s.); etiam *Aquila* et *Theodotion* gallum interpretati sunt (ἀλεκτρυὼν νώτῳ). Quomodo vero gallus *succinctus lumbos* vocetur, haud facile quis dixerit, neque constat, cuinam animali denominatio haec simpliciter tribuatur. Cum autem positioni inter leonem et arietem s. hircum potius animal quadrupes videatur respondere, plures cum *Bocharto* de equo exponere malunt (l. c. I. 102 *ed. Ros.* I. 40 s.), alii de cane venatico (*Frz. Delitzsch*, Comment. in Prov. l. c.) vel de zebra (*F. J. Schoder*, Hierozoici specimen 3,99 s.) vel de alio animali. De gallo autem non videtur esse sermo. — Denique in loco Is. 22,17 Vulgata *gallum gallinaceum* vocat, qui ex communi acceptione vocis hebraicae גֶּבֶר *vir* dicendus foret; id S. Hieronymus ipse in commentario h. l. testatur, addens : « Hebraeus qui nos in veteris Instrumenti lectione erudivit, *gallum gallinaceum* transtulit ». Etiam hic Hebraeus ille minus fide dignus videtur, cum גֶּבֶר tantum in Talmude aliquoties gallum significet, atque etiam tempore Isaiae nihil de gallis apud Iudaeos constet.

Cf. praeter auct. cit. *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griechen u. Römer 326-39; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 194-9; *H. B. Tristram*. Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 221-3; *J. G. Wood*, Bible Animals 421-4; *P. Cultrera*, Fauna biblica 274-8; *G. Loreta*, La Zoologia nella Bibbia 531-4.

L. FONCK.

GAMALIEL (גַּמְלִיאֵל, Γαμαλιήλ).

1. Filius Phadassur, princeps tribus Manasse (Num. 1,10; 2,20; 7,54. 59; 10, 23).

2. Legis doctor honorabilis universae plebi (Act. 5,34), secus cuius pedes Paulus apostolus se dicit eruditum iuxta veritatem paternae legis (22,3). Secundum rationem temporis idem erit Gamaliel, qui in Mishna (Orla 2,12; Rosh ha-shana 2,5; Iebamoth 16,7; Sota 9, 15; Gittin 4,2-3) Gamaliel senior appellatur, distinguendus a Gamaliel II., filio Simonis filii Gamalielis I., unus ex septem illis celeberrimis doctoribus, qui cognomine « rabban » (magister noster) honorabantur. Cum synedrium apostolos interficere vellet, Gamaliel unus ex synedristis (non praeses synedrii, ut nonnulli opinantur), consilium dedit, ut dimitterentur liberi; si opus homi-

num esset, fore ut sicut alia per se dissolveretur; si vero ex Deo, non posse dissolvi (Act. 5,34-39). Traditione christiana cf. *Clement. Recogn.* 1,65 s.) fertur rei christianae postmodum nomen dedisse.

De Gamaliele I. generatim cf. *Surenhusius*, Mishna I. 315; II. 331; III. 308. 312 n. 13,314 n. 19, 315 n. 20; *Graunii* Historia Gamalielis Viteb. 1687; *Wolf*, Biblioth. Hebraea II. 821 s.; *idem*, Curae philol. in Nov. Test. ad Act. 5,34; *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel, *ed.* 3 VI. 256 s.; *Ginsburg* apud *Smith and Wace*, Dict. of Christian Biography II. (1830), p. 602-604; *Derenbourg*, Essai sur l'histoire et la géographie de la Palestine 1867 I. p. 341 s.; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes etc. *ed.* 3 II. p. 364.

De traditione christiana cf. Epistola Luciani ad omnem Ecclesiam de revelatione corporis Stephani martyris primi et aliorum (v. 3-4) apud *Surium*, Vitae Sanctorum IV. 502 s. [3. Aug.], apud *Baronium*, Annal. ad ann. 415, apud *Migne*, 41,807 s. in tomo VII. S. Augustini, Appendix; eandem epistulam commemorat *Gennadius* Massiliensis, De scriptoribus ecclesiasticis cp. 46. 47 apud *Migne*. 58.1084. 1085. Praeterea cf. *Fabricius*, Biblioth. graeca *ed. Harles* X. 327. 725. XI. 623; *Photius*, Bibliotheca cod. 171 apud *Migne* 103, 500-501; *Nilles*, Kalendarium manuale (*ed.* 2, 1896) I. p. 232 s.

GAMARIAS (גְּמַרְיָה, גְּמַרְיָהוּ, Γαμαρίας). **1.** Filius Helciae a Sedecia rege simul cum Elasa Babylonem missus ad Nabuchodonosor; occasione huius legationis etiam Ieremias per eosdem epistulam ad exsules misit (Ier. 29,3).

2. Filius Saphan scribae, unus ex principibus in aula regis Ioakim; ex eius nomine vocabatur cubiculum in aedificio templi (Ier. 36,12. 13. 25).

GAMUL (גָּמוּל, Γαμούλ), princeps familiae sacerdotalis, cui sors vigesima secunda a Davide designata est (1 Par. 24,17).

GAMZO (גַּמְזוֹ, Γαμζώ), urbs quae cum viculis suis Achaz regi Iuda erepta est a Philisthaeis (2 Par. 28,18). Hodie vicus *Djimzū* prope Lyddam (Diospolim) inter meridiem et orientem, paulo infra viam, quae a Ioppe et Lydda Ierusalem versus ducit.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 239. 270. 271. 279; *Guérin*, Judée I. 335. 336; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 297; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 34; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 I. 103; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 98.

GAREB (גָּרֵב, Γηρέβ, Γαρήβ), heros davidicus (2 Reg. 23,38; 1 Par. 11,40); cognominatur Iethraeus seu Iethrites (v. IETHRAEUS et IETHER 6).

GAREB collis, גִּבְעַת גָּרֵב, vocatur monticulus prope Ierusalem semel commemoratus in prophetia Ieremiae (31, 39; LXX Γαρήβ), ubi vates urbem Ierusalem denuo aedificandam praedicens, primo extensionem urbis septemtrionem versus describit: « a turre Hananeel usque ad portam anguli »; deinde partem occidentalem addit: « a porta anguli funiculus mensorius ulterius extenditur recta super collem Gareb et vertitur Goah versus » (hebr.); mox latus australe ex parte vallis Ennom adiungit. Unde collis Gareb, de quo nil aliud traditum est, ab occidente Ierusalem quaerendus apparet, ibique probabiliter montem illum designat, « qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem » (Ios. 15,8; 18,16), qui altitudinem 796 metrorum attingit; sola pars australis proprio nomine hodie *Djebel abu Ṭōr* vocatur a peregrinis communiter *mons mali consilii* dictus (v. IERUSALEM II. 4).

Cum גָּרֶב speciem *leprae* significet (Lev. 21,20; 22,22; Deut. 28,27. Vulg. *scabies*), multi collem Gareb a leprosis appellatum censent, quibus ibi extra urbem (Lev. 13,46) manendum fuerit. Hodie etiam in dicto colle occidentali nova leprosorum domus (« auxilium Iesu » dicta) miseris refugium praebet.

Cf. *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 150 s. (= *Wādi Gurab*).

L. FONCK.

GARIZIM (גְּרִזִּים, Γαριζίν) et **HEBAL** (עֵיבָל, Γαιβάλ) sunt duo montes vicini amoenissima valle Sichem seiuncti, Garizim meridiem, Hebal aquilonem spectans, qui Deut. 11,30 pro Israelitis in Palaestina orientali versantibus descri-

buntur esse : trans Iordanem, post viam occasus solis seu viam, quae a meridie aquilonem versus Palaestinam occidentalem permeat, in terra Chananaei Arabam (planitiem, desertum) habitantis, e regione Galgala (v. GALGALA 3), iuxta vallem (quercus) More. In monte Garizim benedictionem fidelibus Legis custodibus promissam pronuntiarunt Iordane traiecto Simeon, Levi, Iudas, Issachar, Ioseph (Ephraim et Manasse), Beniamin, in monte Hebal maledictionem impiis intimatam pronuntiarunt Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan, Nephthali, ut Moyses antea mandaverat (Deut. 11,29; 27,12. 13; Ios. 8,33). Quod benedictio in monte Garizim, maledictio in monte Hebal pronuntiata est, *Rosenmüller* (Scholia ad Deut. 11,29) ex eo explicaverat, quod Hebal sterilis esset et saxosus, Garizim fontibus, hortis, vineis, olivetis instructus et sic ipsa utrinsque montis facies bene et male precandi ritum in eo peragendum luculenter exprimeret. Sed haec diversitas hodie saltem tanta non est, ut istam interpretationem fulcire valeat. Melius dicemus Israelitis, qui orientalium more in regionibus discernendis orientem respiciunt, montem Hebal ad sinistram fuisse, Garizim ad dexteram partem, quam faustum quid sonare ex Gen. 35,18 constat. Accedit quod in monte Hebal ex mandato Moysis Iosue primum terrae cisiordanicae altare Domino erexit, holocausta et hostias pacificas obtulit, Deuteronomium legis Moysis lapidibus insculpsit (Deut. 27,4 s.; Ios. 8,30 s.). De Hebal nihil amplius in S. Scriptura legitur.

De monte Garizim pauca addenda. Ioatham filius minimus Gedeonis in vertice quodam montis Garizim stans fabulam de arboribus regem quaerentibus Sichimitis proposuit (Iud. 9,7). In monte Garizim castellum seu munitionem fuisse, cui Antiochus IV. Epiphanes Andronicum praefecit, docemur 2 Mach. 5,23. Templi in monte Garizim exstructi mentio fit 2 Mach. 6,2 et Samaritanos *in monte hoc* adorare solitos esse dicit mulier Samaritana cum Domino colloquens (Io. 4,20. 21). Templum illud permittente Alexandro Magno Sanaballetes natione Cuthaeus, satrapa Samariae, qui post pugnam apud Gaugamelam a. 331 a Dario defeceral, exstruxit et sacerdotem eius templi constituit Manassen pontificis hierosolymitani fratrem, qui filiam Sanaballetis uxorem duxerat et ob hoc connubium a Iudaeis honore sacerdotali privatus erat (*Flav. Ios.* Ant. XI. 8,2-4; cf. XIII. 3,4). Eusebius quoque Alexandri M. aetate hoc templum a Manasse in monte Garizim constitutum esse testatur (Chronic. II. apud *M.* 19,488). Ab Antiocho IV. Epiphane templum Iovis Hospitalis (2 Mach. 6,2) vel Iovis Hellenii (Ant. XII. 5,5) cognominatum est, a Ioanne Hyrcano autem devastatum et in ruinas redactum (Ant. XIII. 9,1). Sed hodie quoque reliquiae Samaritanorum in monte Garizim pascha celebrare solent. Ab antiquo enim tempore provocant ad Deut. 27,4 quo loco in Pentateucho Samaritano Garizim pro Hebal legitur; suspicantur autem plerique critici Samaritanos textum mutasse ob dogmaticam quandam rationem scil. ut templi sui auctoritatem contra Iudaeos defenderent. Perperam quoque Samaritani montem Moria, in quo Abraham filium Isaac in holocaustum oblaturus erat, Garizim esse affirmarunt.

A communi traditione de situ Garizim et Hebal recedunt Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 242, 79; 126,4), asserentes hos montes esse iuxta Iericho non iuxta Neapolim (Sichim). Unde concludendum esse opinatur *F. de Hummelauer* (ad Deut. 11,29) praeter montes Hebal et Garizim prope Sichem fuisse alios montes eiusdem nominis Hebal et Garizim prope Iericho ex opposito Galgalae (v. GALGALA 1) et rationem ex ipso s. textu affert : « Tam Deut. 27,4 quam Ios. 8, 30 (cf. 9,6) suggerunt montes fuisse prope Iordanem in ipsa Araba ».

Garizim hodie vocatur *Djebel el-Ṭūr* (868 m), Hebal *Djebel Eslāmīye* (938 m), ille meridiem, hic septentrionem versus a Sichem (*Nāblus*) et Sichar (*el-ʿAskar*).

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 314 ss.; *F. de Saulcy*, Voyage en Terre Sainte 1865 II. 246 ss.; Voyage autour de la mer Morte 1853 II. 400 ss.; *Guérin*, Samarie I. 424 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 148. 149. 187 ss.; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2

II. 155. 156; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 521. 535-537; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 III. 37 ss.

GARMI (הַגַּרְמִי cum articulo; Γαρμί), nomen gentilicium in textu obscurissimo 1 Par. 4,19 : « Et filii uxoris Odaiae sororis Naham patris Ceila, Garmi, et Esthamo, qui fuit de Machathi ». Sub v. ESTHAMO diximus, quomodo textus hebraicus melius explicari possit. Aliam interpretationem attentat *F. de Hummelauer* (Comm. in Num., p. 202-203), qui 1 Par. 4,17-19 de Mered eiusque uxoribus interpretatur et 4,19 vertit : « Et filii uxoris iudaeae alterius : Naham pater Ceilae Garmi et Esthamo Machathi et Simon ». Idem interpres animadvertit p. 203 : « Voces articulum habentes הַגַּרְמִי et הַמַּעֲכָתִי crediderim esse appositiones ad nomina sive virorum (Naham — pro altero viro scriptum nomen urbis Esthamo) sive urbium (Ceila — Esthamo), ut ab his duobus viris non omnes duarum urbium incolae sint orti, sed aliqui tantum ». In quacunque demum interpretatione Garmi est nomen gentilicium, de cuius origine nihil innotescit.

GASPHA (גַּשְׁפָּא, LXX omitt., א Γεσφά), princeps Nathinaeorum in Ophel post instaurationem urbis Ierusalem (Neh. 11, 21).

GATHAM, **GATHAN** (גַּעְתָּם, Γοθάμ et 1 Par. 1,36 Γοωθάμ), quartus filius Eliphaz filii Esau et dux tribus cuiusdam edomiticae ceteroquin ignotae (Gen. 36,11. 16; 1 Par. 1,36).

GAULON seu **GOLAN** (גּוֹלָן, ἡ Γαυλών, ἡ Γωλάν), urbs confugii tribus Manasse transiordanicae, filiis Gerson levitici generis tradita (Deut. 4,43; Ios. 20, 8; 21,27; 1 Par. 6,71[56]). Tempore Eusebii adhuc exstabat villa pergrandis Gaulon, a qua regio circumiacens nomen sortita erat (Onom. *ed. Lag.* 242,75). Videtur esse vicus hodiernus *Sahem el-Djōlān* 18 leucas anglicas ab oriente lacus Tiberiadis situs (*Schumacher*, Across the Jordan p. 92). Apud Flavium Iosephum (Bell. iud. I. 4,4. 8; cf. Ant. XIII. 15,3) vocatur Γαυλάνη. Ab hac urbe nomen traxit provincia Gaulanitis. Apud Flavium Iosephum distinguitur Gaulanitis superior et inferior atque inferiori adscribitur Gamala urbs ad ripam orientalem lacus Genesareth sita (Bell. iud. IV. 1,1); praeterea Gaulanitis Galilaeam ab oriente terminat (Bell. iud. III. 3,1). Unde Gaulanitis eadem fere regio est ac hodie *Djōlān* scil. planities iuxta ripam Iordanis orientalem a fontibus Iordanis usque ad lacum Genesareth inferiorem protensa. Descriptionem regionis *Djōlān* exhibet *Schumacher* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. IX. 1886 p. 165 ss.; anglice The Jaulan, London 1888. Vide etiam s. v. BASAN.

GAVER (בַּעֲלֵה־הַגּוּר, ascensus Gaver, ἐν τῷ ἀναβαίνειν Γαί), ascensus iuxta Ieblaam situs, in quo Ochozias rex Iuda ab urbe Iezrael (*Zer'īn*) meridiem versus fugiens per milites Iehu apprehensus est et vulnus lethale accepit; inde vero fugam alia via usque ad Mageddo prosecutus et ibi mortuus est (4 Reg. 9,27). Ieblaam (*Bīr Bel'ame*) ad meridiem Engannim (*Djenīn*) sita est. Ochozias fugam a Iezrael per viam domus horti (בֵּית הַגָּן, Βαιθγάν) arripuit; haec igitur domus horti ex contextu non pars quaedam hortorum regiorum erat, sed potius ab ipsa urbe aliquantum distabat. Iamvero Engannim seu *fons hortorum* (*Djenīn*) non multum supra duas horas a *Zer'īn* distat. Unde domus horti videtur ipsam Engannim designare. Ascensus autem ab Engannim ad Ieblaam currum Ochoziae tantopere retardavit, ut milites Iehu tandem Ochoziam assequi potuerint.

Cf. *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 255.

GAZA (עַזָּה i. e. valida, munita; Γάζα), ex quinque urbibus praecipuis Philisthaeorum maxime meridiana et munitissima. Antiquissimi eius incolae erant Hevaei (Deut. 2,23) et Enacim, quorum reliquiae in Gaza, Geth et Azoto remanserunt (Ios. 11,22). Postea Chananaei seu Phoenices fines suos Gazam usque extenderunt (Gen. 10,19). Iosue terram promissam occupaturus usque ad eandem urbem progressus est, ipsam

tamen non subegit (Ios. 10,41; 11,22; 13,3). Tribui Iuda assignata (Ios. 15,47) et a filiis Iuda occupata (Iud. 1,18), sed brevi post a Philisthaeis recuperata est (Iud. 3,3; 13,1); introitus Gazae Iud. 6,4 extremos fines Israel indicat. Cum Samson populum Israel post quadraginta annos oppressionis de Philisthaeis ulcisceretur, Gaza erat theatrum complurium eius gestorum, triumphi ultimi ac mortis gloriosae in templo Dagon (Iud. 15 et 16). Traditio Muhamedanorum et Christianorum adhuc locum indicat, ubi ambas portae fores cum postibus et sera apprehendit humerisque impositas portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron; hic mons merito censetur esse *Dʿebel el-Munṭār* prope Gazam inter orientem et meridiem. Sepulcrum vero Samsonis, quod Muhamedani in vicinia Gazae ostendunt, teste S. Scriptura (Iud. 16,31) inter Saraa et Esthaol quaerendum est. Gaza ut urbs Philisthaeorum nominatur 1 Reg. 6,17; sed postquam David Philisthaeos subiecit, in finibus extremis regni salomonici comprehendebatur (3 Reg. 4,24). Postmodum Philisthaei denuo insurrexerunt, unde prophetae vaticinia adversus Gazam et reliquas urbes Pentapoleos pronuntiant (Am. 1,6. 7; Soph. 2,4; Ier. 25,20; 47,5; Zach. 9,5); pro aliquo saltem tempore Ezechias rex Iuda Philisthaeos devictos usque ad Gazam subegerat (4 Reg. 18,8).

In bellis Aegyptiorum cum Assyriis et Babyloniis et Macedonum cum Persis multum et acriter de Gaza urbe munitissima concertatum est. Tempore Ieremiae unus ex Pharaonibus, probabilissime Nechao II., eam expugnavit (Ier. 47,1). Alexander M. eam post obsidionem duorum mensium cepit (*Diodor.* 17,48; *Flav. Ios.* Ant. XI. 8,3. 4; *Arrian.* 2,26. 27; *Curt.* 4,6). Inde ab hoc tempore Gaza magis magisque urbs hellenistica fiebat (*Flav. Ios.* Ant. XVII. 11,4; Bell. iud. II. 6,3). Proelia Ptolemaei Lagi cum aliis diadochis de Coele Syria occupanda etiam Gazam imprimis attingebant; anno 315 a. Chr. ab Antigono capta est (*Diodor.* 19,59). Anno 312 a. Chr. Ptolemaeus Lagi Demetrio filio Antigoni apud Gazam devicto urbem in ditionem suam redegit (*Diodor.* 19,84). Post varias regnorum vicissitudines Gaza cum reliqua Palaestina in potestatem Seleucidarum transiit (198 a. Chr.). Cum in regno Syriae Demetrius II. Nicator et Antiochus VI. (cuius tutor erat Trypho) de throno decertarent (145-143 a. Chr.), Gaza Antiocho restitit; qua de re Ionathas Mach. socius Antiochi VI. urbem obsedit et omnem circa regionem vastavit; Gazaei vero missis ad Ionathan nuntiis et obsidibus amicitiam et armorum societatem Antiocho promiserunt (1 Mach. 11,61. 62; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 5,5). Praeterea secundum omnes textus (LXX, Vulgata, Syrus) Gaza a Simone Mach. expugnata est (1 Mach. 13,43-48); verum pro Gaza legendum videtur Gazara (cf. *Flav. Ios.* Ant. XIII. 6,7; Bell. iud. I. 2,2); v. GAZARA. Anno 96 a. Chr. Gaza ab Alexandro Iannaeo eversa est et a Iudaeis tenebatur (Ant. XIII. 13,3; 15,4; Bell. iud. I. 4,2). A Pompeio, cum Syriam occuparet, libertate donata (Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7 7) et a Gabinio reaedificata est (Ant. XIV. 5,3). Illo igitur tempore secundum opinionem probabilissimam vetus Gaza derelicta et nova urbs paulo magis meridiem versus exstructa est; cf. S. Hieronymi Onom. *ed. Lag.* 125,24: antiquae civitatis locum vix fundamentorum praebere vestigia, hanc autem, quae nunc cernitur in alio loco, pro illa quae corruit aedificatam. Anno 30 a. Chr. Gaza regno Herodis Magni (*Flav. Ios.* Ant. XV 7,3; Bell. iud. I. 20,3) eoque mortuo iterum provinciae Syriae adiuncta est (Ant. XVII. 11,4; Bell. iud. II. 6,3). Tempore Claudii Imperatoris Gaza a Pomponio Mela geographo commemoratur: in Palaestina est ingens et munita admodum Gaza (*Mela* 1,11). Anno 66 p. Chr. a Iudaeis rebellibus vastata est (*Flav. Ios.* Bell. iud. II. 18,1). Aetate Eusebii et S. Hieronymi (Onom. *ed. Lag.* 242,66; 125,22) erat πόλις ἐπίσημος, insignis civitas Palaestinae. S. Antoninus Martyr vel potius Anonymus circa a. 570 p. Chr. urbem describit: Gaza autem civitas splendida, deliciosa, homines honestissimi, omni liberalitate decori, amatores peregrinorum (Itiner. 33 apud *M.* 72, 910 vel apud *P. Geyer*, Itin. hier. p. 180).

Restat ex Novo Test. unicus locus Act.

8,26 : Angelus autem Domini locutus est ad Philippum dicens : Surge et vade contra meridianum ad viam, quae descendit ab Ierusalem in Gazam; haec est deserta. *Relandus* (Palaestina p. 787) haec ultima verba non de via, sed de urbe Gaza intellegit; plerique tamen rectius ea verba de via accipiunt, praesertim cum angelus Philippum non de Gaza, sed de via eunuchi iter facientis docere voluerit; vide etiam s. v. BETHSUR. — Primus episcopus Gazae fuisse dicitur Philemon, ad quem S. Paulus epistulam scripsit (*Le Quien,* Oriens christianus t. III. p. 604); in persecutione Diocletiani Silvanum Gazae urbis episcopum martyrio coronatum esse testatur Eusebius (Hist. eccl. 8,13).

Situm urbis describit Arrianus (Alex. 2,26) : « Abest Gaza a mari stadiis summum viginti et accessus ad eam est sabulosus et profundus et mare urbi propinquum limosum est ». Ab urbe distinguendus est portus Gazae, Majuma Graecis dictus, quem Constantinus M. de nomine filii sui Constantiam appellavit et urbem esse declaravit (*Euseb.* Vita Constant. 4,38; *Sozom.* Hist. eccl. 2,5), Iulianus autem isto nomine abolito iterum portum Gazae nominavit (*Sozom.* Hist. eccl. 5,3). Ceterum ea erat conditio huius portus, ut Gazaei nunquam commercio maritimo multum se dederint; florebat autem apud illos commercium mediterraneum.

Gaza probabilius eadem est, quae apud Herodotum (2,159; 3,5) Κάδυτις magna urbs Syriae appellata Sardibus haud minor esse dicitur. In inscriptionibus cuneiformibus scribitur *Khazzatu.* Urbs hodie vocatur *Ghazze,* portus *el-Mīne.*

Cf. de Gaza : *Felicis Fabri* Evagatorium, *ed. Hassler* 1843 II. p. 378-379; *Reland,* Palaestina 787-800; *Robinson,* Palaestina II. (1841) p. 634-648; *Ritter,* Erdkunde XVI. p. 45-65; *Raumer,* Palaestina *ed.* 4 p. 192-194; *Sepp,* Jerusalem *ed.* 2 p. 617-627; *Guérin,* Judée II. p. 178-211. 219-221; *Survey of West. Pal.* Mem. III. p. 234 ss. et *Conder and Kitchener,* Large Map, sheet XIX, Reduced Map, sheet 13; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land 1894 p. 181-189; Zeitschr. D. Pal. Ver. VII. 1884 p. 1-14; XI. 1888 p. 149 159; *Clermont-Ganneau,* Archaeological Researches in Palestine II. (1896) p. 379-437; *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3 II. p. 84-89; *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 98-101.

Accedunt denique monographiae *K. B. Stark,* Gaza und die philistaeische Küste, Iena 1852; *Alb. von Hörmann,* Gaza, Stadt, Umgebung und Geschichte 1876 (Programm des Knabenseminars der Diözese Brixen zu Rothholz).

GAZABAR (Esdr. 1,8 הַגִּזְבָּר cum articulo i. e. thesaurarius) v. MITHRIDATES 1.

GAZAM (גִּזָּם, Γαζέμ), Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,48); idem Neh. 7,51 scribitur in Vulg. Gezem (LXX Γηζάμ).

GAZARA seu Gazer, Gazera, Gezer, Gezeron (גֶּזֶר et saepius גָּזֵר propter pausam; Γαζέρ, Γεζέρ, Γάζαρα, Γάζηρα et aliter), urbs antiqua Chananaeorum (Ios. 12,12), cuius rex Horam, cum regi Lachis opem ferret, a Iosue percussus est cum omni populo suo (Ios. 10,33), in termino meridionali tribus Ephraim sita inter Bethoron inferiorem et mare Mediterraneum (Ios. 16,3; 1 Par. 7,28; cf. *Flav. Ios.* Ant. V. 1,22), ex qua filii Ephraim Chananaeum non exterminarunt (Ios. 16,10; Iud. 1,29; 3 Reg. 9,16), urbs levitica filiorum Caath (Ios. 21,21; 1 Par. 6,67 [52]). Usque ad hanc urbem David Philisthaeos persecutus est (2 Reg. 5,25; 1 Par. 14,16); aliud bellum cum Philisthaeis in Gazer commissum recensetur 1 Par. 20,4; loco parallelo 2 Reg. 21,18 legitur Gob pro Gazer. Illo tempore urbs Israelitis non videtur subiecta fuisse; nam Pharao eam expugnatam igne succendit et filiae suae uxori Salomonis in dotem dedit; Salomon autem eam statim reaedificavit (3 Reg. 9,15-17).

Eadem est urbs munitissima tempore Machabaeorum tum a Syris tum a Iudaeis occupata et acriter defensa (1 Mach. 4,15; 7,45; 9,52 etc.; 2 Mach. 10,32). De eadem sunt intellegenda, quae 1 Mach. 13,43-48 narrantur, quamquam LXX, Syrus, Vulgata legunt Gaza; id evincunt tum locus parallelus apud Flav. Iosephum (Ant. XIII. 6,7; cf. Bell.

iud. I. 2,2), tum alii loci de Gazara agentes (1 Mach. 13,54; 14,7. 34; 15,28. 35; 16, 1. 19. 21), qui ad 1 Mach. 13, 43-48 respicere videntur et aptius explicantur, si lectio genuina 13,43 est Gazara.

Apud Eusebium et S. Hieronymum Onom. *ed. Lag.* 244,16; 127,10 Gazara villa 4 mil. pass. a Nicopoli septemtrionem versus distare dicitur. Nunc *Tell Djezer* 10 km a Lydda meridiem versus, a Nicopoli (*ʿAmwās*) autem magis occidentem quam septemtrionem versus distans. Hunc situm omnino confirmant tum loci citati e prioribus libris Vet. Test., tum 1 Mach. 4,15; 7,45 (vide ADARSA); 14,34 (fines Gazarae et Azoti facile contigui esse poterant). In documentis *Tell el-ʿAmarna* appellatur *Gazri, Gaazri*. Medio aevo militibus christianis audiebat Mons Gisardus (*Gisart, Gissart*).

De inscriptionibus, quae limites Gezer indicant, v. Revue biblique VIII. 1899 p. 109-117. 422-427. Praeterea cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 417. 428-439; *W. Max Müller,* Asien und Europa nach altägypt. Denkm. p. 160; *Clermont-Ganneau,* Recueil d'archéologie orientale I. 351-391; III. 116-120; 264-268; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 I. 105; *Vigouroux,* La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 III. 269; *R. A. Stewart-Macalister,* The history and site of Gezer in *Pal. Expl. Fund.* Quart. Stat. 1902 p. 227-232; *id.* Report of the Excavation, of Gezer in Quart. Stat. 1902 p. 317-375; 1903 p. 7 ss. 107 ss. 195 ss. 299 ss.; *Clermont-Ganneau,* A newly discovered Hebrew and Greek inscription relating to the boundary of Gezer in *Pal. Expl. Fund,* Quart. Stat. 1899 p. 118-127; *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 39-40.

GAZER (1 Mach. 5,8) v. GAZER.

GAZERA v. GAZARA.

GAZOPHYLACIUM (גִּנְזָכָה, לִשְׁכָּה) dicitur de cubiculis, de cellis quae in atriis templi, et ad portas exstructae erant; in iis asservabantur quae ad cultum requirebantur; ibi quoque ministri sacri commorabantur; quare complura gazophylacia nomine Gamariae, Elisamae, filiorum Hanan designantur (cf. Ier. 35,4; 36,10. 20). Supellex templi et opes, thesauri, in iis pariter recondebantur, et uti ex libris Mach. discimus, etiam publica litterarum monumenta ibi asservabantur (1 Mach. 14,49 gr., Vulgata : in aerario) et praeter pecuniam ad templum spectantem ibi quoque recondebantur et custodiebantur opes et pecuniae viduarum et pupillorum (2 Mach. 3,6. 10 s.).

In Novo Test. commemoratur Marc. 12, 41; Luc. 21,1; Ioan. 8,20 et quidem uti videtur duplici modo. Designatur locus in atrio mulierum, in quo secundum rabbinos tredecim arulae positae erant ad nummos qui offerrentur suscipiendos; arulae hae vel cistae vocabantur שׁוֹפָרוֹת tubae, quia tubarum in modum formatae erant. Dein haec ipsa reconditoria pecuniarum etiam gazophylacii nomine appellabantur. Gaza vox est persica notione thesauri; גַּז apud rabbinos quoque in usu erat eadem notione. — Ex dictis elucet, quomodo dici possit Christum docuisse in gazophylacio, sedisse contra gazophylacium et vidisse quomodo turba iactaret aës in gazophylacium. — Flavius Iosephus quoque scribit de gazophylaciis in atrio mulierum templi (Bell. iud. V. 5,2; VI. 5,2 : quin et gazophylacia combusta erant, in quibus infinita pecuniae vis, infinitae etiam vestes et alia ornamenta atque ut breviter dicam, omnis Iudaeorum congesta erat opulentia; cf. Ant. XIX. 6,1).

GEBA v. GABAA 2.

GEBAL (גְּבָל i. e. montanum a rad. גָּבַל = contorsit, inde גֵּבִיל funis, finis, terminus, series montium utpote regionem terminans; Γεβάλ) recensetur Ps. 82[83], 8 inter populos seu regiones Israelitis hostiles. Eiusdem regionis nomen apud Flavium Iosephum est Gobolitis, nomen populi Gabalitae; Gobolitis et Amalecitis ut duae partes Idumaeae recensentur Ant. II. 1,2 (cf. III. 2,1); ex Ant. IX. 9,1 discimus ab Amasia rege Iuda in valle Salinarum non solum Edomitas (4 Reg. 14,7) seu filios Seir (2 Par. 25,11), sed etiam Gabalitas (Γαβαλῖται) devictos esse. Apud Eusebium (Onom. frequenter regio montana Idumaeae, quae circa Petram urbem est, Gebalene

nuncupatur (*ed. Lag.* 264,84 : ἔστι δὲ ἡ ἀμφὶ τὴν Πέτραν Γεβαληνὴ καλουμένη et cf. 277,64; 211,89); alibi tamen Eusebius vocibus Idumaeae et Gebalenes ut eiusdem valoris ac latitudinis utitur (241,48 : ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ τῇ νῦν Γεβαληνῇ καλουμένῃ et cf. 291,78; 264,87). Accedit quod Targum Ionathan ad Pentateuchum pro monte Seir seu terra Edom semper substituit montem Gabla seu Gebal (Gen. 14,6; 33,16; 36,8; Num. 24,18; Deut. 1,2; 2,1); similiter Targum hieros., Targum Chron. et Pentateuchus Samarit. non raro legunt Gebal pro monte Seir textus hebraici. — Regio igitur illa, quae in Vet. Test. terra Edom seu mons Seir vocatur, apud Iudaeos aliud quoque nomen arabicum Gebal seu montanum sortita erat, quod in usu permansit. Hodie nomine *Djebal* designatur regio montana a mari Mortuo meridiem versus patens, quae a septemtrione per *Wādi el-Ḥasā*, a meridie per *Wādi el-Ghuweir* circumscribitur.

GEBAL urbs, quae Graecis est Byblos, vide s. v. GIBLII.

GEBBAI (גַּבַּי, Γηβέ), Beniaminita, incola Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,8).

GEBBAR (גִּבָּר, Γεβέρ) legitur Esdr. 2,20 pro Gabaon (cf. Neh. 7,25).

GEBBETHON v. GABATHON.

GEDDEL (גִּדֵּל). **1.** Nathinaeus, cuius filii duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,47 Vulgata : Gaddel, LXX Γεδδήλ; Neh. 7,49 LXX Γαδήλ).

2. Familia quaedam servorum Salomonis, quae duce Zorobabel ex captivitate rediit (Esdr. 2,56 LXX Γεδήλ; Neh. 7,58 Vulgata : Ieddel, LXX Γαδαήλ).

GEDDELTHI (גִּדַּלְתִּי, Γοδολλαθεί, Γοδομαθεί) unus ex filiis Heman cantoris de stirpe Caath (1 Par. 25,4; cf. 6,33), praefectus vicesimae secundae vicis seu divisionis cantorum (25,29).

GEDDIEL (גַּדִּיאֵל, Γουδιήλ), filius Sodi, princeps ex tribu Zabulon, et unus ex duodecim exploratoribus terrae promissae (Num. 13,11[10]).

GEDELIAS (גְּדַלְיָהוּ, Γοδολίας), filius Phassur, unus ex illis principibus, qui Sedeciae regi Iuda auctores fuerunt, ut Ieremias in lacum (cisternam vel foveam) coniiceretur (Ier. 38,1). Aliqui coniectant Gedeliam esse filium illius Phassur, qui erat praefectus primarius templi et Ieremiam in nervum miserat (20,1). Sed res est incerta; nomen enim Phassur haud infrequens fuit (cf. 21,1).

GEDEON. 1. Gedeon (גִּדְעֹנִי, Γαδεωνί), Beniaminita, pater Abidan principis tribus Beniamin (Num. 1,11; 2,22; 7,60. 65; 10,24).

2. Gedeon (גִּדְעוֹן, Γεδεών), Iud. 6 ss. (cf. Hebr. 11, 32), filius Ioas Manassaei, qui incolebat Ephram civitatem cis flumen sitam. Irruebant tum quotannis in eam terrae sanctae partem Madianitae, Amalecitae desertique nomades, segetesque et greges abigebant. Gedeon ab angelo Israelis liberator designatus primum aram Baal subvertit, atque ab eo facinore nomen Ierobaal nanciscitur. Dein convocat Manassaeos cisiordanicos, Aseritas, Zabulonitas, Nephthalitas. A Deo duplici signo confortatur : vellus rore madescit, dum omnis circum humus sicca permanet; rursumque omnibus circum madentibus, solum vellus siccum reperitur. Iubente Deo ab exercitu dimittit Gedeon timidos omnes, mox praeterea eos omnes, qui prostrati e fonte biberunt, ut solos tandem trecentos secum retineat, timoris expertes fideque insignes, sed qui prae aliis pluribus aeque audacibus non ob maiorem fortitudinem maiusve robur, sed arbitrario ut ita dicam indicio essent selecti. Hi noctu tribus cuneis castra hostium ingressi, sine gladiis, faces ardentes lagenis inclusas manu gestantes, altera vero manu tubas, hostes sopitos lagenarum confractione, facium fulgore, tubarum clangore, ita terruerunt et perturbarunt, ut se fugae omnes dederint et fugientes inter se confoderint. Fugientes Gedeon trans Iordanem procul insecutus et secundo inopinantes adortus est atque fudit, captis Madianitarum quibusdam regibus Zebee et Salmana. Revertens destruxit turrim Phanuel, cuius

incolae ipsi, dum eos reges insequebatur, annonam praebere insolenter recusaverant. Vocaverat autem post primam Madianitarum cladem Gedeon Ephraimitas, qui occupatis vadis Iordanis inter alios plures etiam duos Madianitarum principes Oreb et Zeb oppresserunt. Conquesti se prius ad pugnam non esse vocatos, blandis verbis a Gedeone eo facilius compescebantur, quod tandem victoriae et praedae partem haud spernendam suis manibus arripuissent. Ephram redux Gedeon Zebee et Salmana ob trucidatos pridem eius fratres morti dat, hereditariam oblatam dominationem recusat, sed e praeda sibi expetens annulos aureos, quos auribus vel naribus insertos gesserant hostes, conficit pretiosum ephod pontificium, quo ipse et post ipsum filii induerentur in cultu Iahwe (Iud. 8.23), seclusis sacerdotibus aaronitis, ac pontificali et sacerdotali honore fruerentur. Post eius vero mortem, qui a vero sacerdotio ante defecerant, mox ipsum verum Deum deseruerunt et cum Baal foedus icerunt. Iudicis officio functus est Gedeon annis quadraginta. Genuit filios plurimos, quorum unus famosus Abimelech.

Ad typicam velleris Gedeonis rationem quod attinet, rorem Theodoretus et S. Augustinus (Lib. de peccato originali cap. 25; *M.* 44,400) interpretati sunt spiritualia dona, quae primum Hebraeis (velleri) dabantur exclusis gentibus, postea in gentes transferebantur exclusis ad tempus Hebraeis. Cf. *Orig.* (In Iud. hom. 8; *M.* 12, 983 ss.), *Aug.* (Quaestiones in Hept. VII. 49; *M.* 34, 813 s. — Enarr. in Ps. 45 et 71; *M.* 36, 521. 907), *Ps. Aug.* (De mirab. S. Scr. II. 6; *M.* 35, 2177), *Ambr.* (De viduis cap. 3 et De Sp. S. lib. I.; *M.* 16, 240. 705), *Hier.* (Epist. 58; *M.* 22, 581), *Procop.*, *Isidor.*, *Ps. Beda*, *Rhabanus*, *Rupert.* Porro cum dona spiritualia praeprimis incarnatione verbi Dei consistant, recte affirmat Ambrosius « pluviam illam Verbi rorem esse divini ». Qui ros cum in utero Virginis fuerit primum abundantissime et perfectissime receptus, rursum vellus recipiens imago est B. Virginis Mariae concipientis Verbum. Cf. *Petr. Chrysol.* (Serm. 143; *M.* 52, 583), *Bernard.* (Super missus est Homil. 2 et In Nativ. B. V.; *M.* 183, 64. 441).

3. Gedeon Simeonita ex maioribus Iudith (Vulgata Iudith 8,1 : LXX B omitt., A Γεδεών, apud *Swete* ℵ et A Γεδσών).

GEDERA (גְּדֵרָה cum articulo i. e. murus urbis, maceria vineae, caula seu mandra ovium; Γάδηρα), urbs tribus Iuda in prima serie urbium Sephelae sita (Ios. 15,36) i. e. in provincia Sephelae mediterranea septentrionali. Eiusdem urbis mentio fit 1 Par. 4,23 hebr. : Isti sunt figuli habitantes in Netaim et Gedera (Γαδιρά, apud *Swete* B Γαδαηρά, A Γαδηρά), ubi Vulgata vertit : Hi sunt figuli habitantes in plantationibus et in sepibus. Ad hanc urbem referri videntur, quae Onom. (*ed. Lag.* 245,39 : 127,32) de Gedur in tribu Iuda adnotat : « hodieque vocatur Gedrus vicus pergrandis in decimo miliario Diospoleos pergentibus Eleutheropolim ». Correspondere videtur *Khirbet Djedīre* a Diospoli (Lydda) inter meridiem et orientem nec procul ab *'Amwās* (*Conder, Wilson, Riess, Selbie, G. A. Smith*). Ex aliorum autem opinione *Qaṭra* (de quo loco diximus s. v. CEDRON in vol. I. col. 797-8) inter meridiem et orientem a Iamnia cum Gedera componi debet (*Van de Velde, Guérin, Fillion, Buhl, Legendre*).

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. III. 13; *Wilson* apud *Smith-Fulter*, Dict. of the Bible I. 1140; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 13; *Selbie* apud *Hastings*, Dict. of the Bible II. 118; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV.

Pro situ *Qaṭra* cf. *Van de Velde*, Memoir p. 313; *Guérin*, Judée II. 35; *Fillion*, Atlas géogr. de la Bible 1890 p. 26; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1898 p. 188; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 150.

GEDERITES (הַגְּדֵרִי, ὁ Γεδωρίτης) cognominatur Balanan, qui a Davide super oliveta et ficeta, quae erant in campestribus (in Sephela), positus erat (1 Par. 27.28); oriundus igitur erat de aliqua urbe nominis Geder.

GEDEROTHAIM (גְּדֵרֹתַיִם i. e. duae caulae), urbs tribus Iuda in superiore parte Sephelae sita (Ios. 15,36), una cum Gedera enumerata (LXX Γάδηρα

καὶ αἱ ἐπαύλεις αὐτῆς). Vestigium Gederothaim urbis a Gedera distinctae non exstat. *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. p. 42. 271) censet nomen Gederothaim esse epexegema Gederae adscriptum et coniicit fuisse in eadem regione duas urbes contiguas seu duas unius urbis partes, Calebitarum unam, Zaraitarum alteram, utramque Gedor vel Gedera appellatam, quaeque iunctim appellarentur Gederothaim seu duae Gedor. Cui coniecturae favet, quod in genealogiis Iuda appellatur 1 Par. 4,4 Phanuel Calebita et 4,18 Iared Zaraita pater (possessor) Gedor (גְּדוֹר, Γεδώρ).

GEDOR (גְּדוֹר, Γεδούρ), filius Iehiel pátris (possessoris, domini) Gabaon inter maiores Saul (1 Par. 8,31; 9,37).

GEDOR (גְּדוֹר) nomen urbium. **1.** Gedor tribus Iuda (Ios. 15,58; Γεδδών, A Γεδώρ), in quarta provincia montis. Tempore Eusebii et S. Hieronymi (Onom. *ed. Lag.* 245,37; 127,30) appellabatur Γίδωρα, Gadora, villa in finibus Aeliae (Ierusalem) prope terebinthum. Nunc *Khirbet Djedūr* inter Bethlehem et Hebron a via, quae has duas urbes iungit, occidentem versus distans (*Guérin,* Judée III. 380; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 313. 354).

2. Gedor 1 Par. 4,4. 18 vide s. v. GEDEROTHAIM.

3. Gedor patria Ieroham Beniaminitae cuius filii Ioela et Zabadia David in Siceleg se iunxerunt (1 Par. 12,7; בְּנֵי־הַגְּדוֹר, LXX καὶ οἱ τοῦ Γεδδώρ). *Keil* in h. l. defendit hanc esse Gedor in montanis Iuda (GEDOR 1), cum non repugnet aliquas familias unius tribus in finibus aliarum tribuum habitasse. Inter maiores Saul enumeratur Gedor filius Iehiel (1 Par. 8,31; 9,37); sed urbis beniaminiticae ab eo forte conditae mentio nullibi fit. Neque confundenda est haec Gedor (si forte erat urbs Beniamin) cum Gadera seu Gedera, cuius exsistentiam ex cognomine viri (vide s. v. GADEROTHITES) et ex nomine hodierni vici *Djedīre* cum probabilitate statuimus.

4. Gedor urbs Iudaeae (1 Mach. 15, 39. 40; Κεδρών) v. CEDRON. (vol. I. col. 797).

GEENNOM i. e. vallis Ennom (Ios. 15,8; 18,16) v. ENNOM.

GEHENNA v. ENNOM et INFERNUS.

GEHON (גִּיחוֹן, Γεὼν, Γηών), secundus fluvius paradisi (Gen. 2,13; Eccli. 24,37). LXX etiam Ier. 2,18 vertunt Γηὼν pro שִׁחוֹר, quam vocem de Nilo communiter explicant. Quae de Gehon fluvio dici possunt, vide s. v. PARADISUS.

GELBOE (גִּלְבֹּעַ, Γελβουέ) mons in tribu Issachar, qui inferiorem partem planitiei Esdrelon a campo Bethsan separat. Notissimus est clade Saulis (1 Reg. 28,4; 31,1. 8; 2 Reg. 1,6; 21,12; 1 Par. 10,1. 8); Philisthaei castrametati erant iuxta Sunam (*Sōlem*), Israelitae super fontem prope Iezrahel (*ʿAin Djālūd* vel forte *ʿAin el-Maite* ad orientem *Zerʿīn* seu Iezrahel); Philisthaei Israelitas fugatos in ipsa montana Gelboe persecuti sunt et ibidem Saulem eiusque tres filios occiderunt; cf. APHEC 4. David plangens Saulem et Ionathan montibus Gelboe tantam imprecatur sterilitatem, ut cohibitis rore et pluvia ne primitiae quidem progerminent (2 Reg. 1,21); quodsi *Wellhausen* obiicit, montes Gelboe constare sterilibus rupibus, parum ergo illis adaptari imprecationem sterilitatis, notandum est eos montes tempore Saulis non steriles, sed silvis consitos fuisse, ut ex Ios. 17,11. 15 s. merito colligitur; ceterum ut monet *F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 1,21, montes Gelboe ex licentia poetica nonnihil latius accipi poterunt scil. inclusa ea parte campi Iezrahel, ad quam se proelium porrexerat. Insuper Ios. 17,12 s. et Iud. 1,27. 28 docemur Chananaeos ex silvis illis non fuisse expulsos, sed tributarios factos ab Israelitis.

Describuntur « Gelboe montes alienigenarum in sexto lapide a Scythopoli, in quibus et vicus est grandis qui adpellatur Gelbus » (Onom. *ed. Lag.* 129,14: 247,81). Idem vicus Gelbus, qui nomen antiquum Gelboe conservat, hodie vocatur *Djelbōn.* Nomen hodiernum montis est *Djebel Fuqūʿa* usurpatum a vico *Fuqūʿa*, qui medius fere ex montanis Gel-

hoc eminet in cacumine positus. *Djebel Fuqū'a* (518 m) hodie sterilem aspectum praebet, in descensu meridionali nonnihil cultus est, septemtrionem versus autem praeruptus et saxosus.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 75. 79-88. 90. 91; *Guérin,* Samarie I. 335. 336; *Riess,* Bibel-Atlas Tab. X. Dc; *Fahrngruber,* Nach Jerusalem *ed.* 2 II. p. 163; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 588-590; *Liévin de Hamme,* Terre Sainte *ed.* 4 III. 78 ss.

GELONITES v. GILO.

GEMALLI (גְּמַלִּי, Γαμαλί) pater Ammiel exploratoris de tribu Dan (Num. 13, 13[12]).

GEMMA v. LAPIDES PRETIOSI.

GENEALOGIA. Tota narratio Geneseos innititur et quasi sustentatur genealogiis. Decies quippe recurrit eo in libro formula : hae sunt generationes; eoque modo per genealogias texitur historia ab Adam usque ad Noe enumeratis posteris Cain et Seth; pariter a Noe usque ad Abraham, enumeratis gentibus quae ex Iapheth, Cham, Sem originem ducunt. In ipsa quoque stirpe electa narratio genealogiis pertexitur, ita quidem ut posteri Ismael ante historiam Isaac, generationes Esau ante historiam Iacob enumerentur. A filiis Iacob genus illud originem ducit quocum Deus foedus sinaiticum iniit. Genus illud secundum tribus et familias quomodo a filiis Iacob descenderit, exponitur Num. 26, 5-51.

Praeter has genealogias singulari cura stemmata nobilium virorum describebantur. Ita Moysis et Aaron, Beseleel, Ooliab (Ex. 6,16 s.; 35,30. 34), Salphaad (Num. 27,1); plurima stemmata recensentur 1 Par. in primis octo capitibus. At in enumeratione maiorum varietas quaedam deprehenditur. Non raro enim membra quaedam intermedia omittuntur; ita a Levi usque Moysen solum recensentur Caath filius Levi, Amram filius Caath et pater Moysis; dum ab Ephraim usque Iosue enumerantur Thale, Thaan, Laadan, Elisama, Nun (1 Par. 7,23-27); 1 Par. 26,24 nominatur Subael qui tempore Davidis erat praepositus thesauris; sed stemma eius brevissime describitur : Subael filius Gersom filii Moysi. In genealogia Esdrae Esdr. 7,1, si conferatur cum 1 Par. 6,4-15, deprehendetur sat multa membra esse omissa (ita inter Azariam, qui dicitur filius Maraioth et Maraioth desunt sex membra). Notum pariter est in genealogia Matth. 1 inter Ioram et Oziam omissos esse tres reges (Ochozias, Ioas, Amasias). Legimus Ios. 7,1 : Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Iuda. Verum qua ratione hoc stemma confectum est? Agitur, ut deprehendatur sorte qui contra praeceptum Domini ex spoliis sibi aliquid retinuit. Iosue itaque applicuit Israel per tribus suas et inventa est tribus Iuda; quae cum iuxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare; illa per domos applicatur et reperitur Zabdi, cuius domum in singulos viros dividens Iosue invenit Achan filium Charmi. Unde quod habetur, filii Zabdi, filii Zare, nihil aliud significat nisi eum descendere ex illa cognatione seu familia quae Zare nomen gerit, ex illa domo cui est nomen Zabdi. Qua ratione in stemmate non enumerantur avus, proavus etc., sed solum ad quam domum, cognationem, tribum aliquis sit adscribendus. Sed pleraque stemmata tamen aliter esse confecta, ut revera avus, proavus etc. recenserentur certum esse videtur ex ipsa serie nominum, quibus scil. non ampla quaedam cognatio, familia, domus, sed viri privati plerumque designantur; confer v. g. genealogiam David : Phares genuit Esron, Esron genuit Aram, Aram autem Aminadab, Aminadab genuit Nahasson, hic Salmon, Salmon Booz, Booz genuit Obed, Obed Isai, Isai David. Verum hic quoque complura membra esse omissa, iam ex eo patet quod Nahasson erat princeps filiorum Iuda in egressu ex Aegypto (Num. 1,7; 2,3; 7,12; 10,14) et quod Salmon genuit Booz de Rahab, Booz autem Obed ex Ruth (Matth. 1,5).

Stemmata autem magna cura esse asservata, iam elucet ex multis illis quae in s. litteris recensentur, patet quoque ex eo quod communissime saltem patris nomen adscribitur. Qui reduces ex exsi-

lio scriptura genealogiae probare non poterant se esse ex genere sacerdotali, eiecti sunt de sacerdotio (Esdr. 2,62). Atque Flav. Iosephus quoque dicit se afferre generis sui successionem, prout eam in tabulas publicas relatam invenerit (Vita 1) et cont. Ap. 1,7 ostendit quanto studio genus sacerdotale servetur purum et impermixtum et quomodo sacerdotes in regionibus alienigenarum degentes in urbem Ierusalem mittant descripta nomina parentum et maiorum additis testium nominibus. Eius studii argumenta quoque cernuntur in genealogiis apud Matthaeum et Lucam, eo quod « ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem » (Luc. 2,3) et quod memoriae tradi potest fuisse Annam de tribu Aser, Paulum de tribu Beniamin (Luc. 2,36; Rom. 11,1; Phil. 3,5), Zachariam sacerdotem de ordine seu classe Abia (Luc. 1,5).

De genealogiis Matth. 1 et Luc. 3 haec notanda sunt; utraque est genealogia Ioseph. Fuerunt quidem qui putarent a Luca referri genealogiam b. Virginis; qui itaque Luc. 3,23 explicarent : et Iesus... erat filius, ut putabatur, Iosephi (revera autem) Heli i. e. erat nepos Heli, patris b. Virginis. Quae tamen explicatio textui non consentanea est; nam Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλεί aliter concipi nequit quam ὢν υἱός... Ἰωσὴφ υἱοῦ Ἡλεί etc. Et si Lucas dicere voluisset Iesum fuisse quidem putatum filium Ioseph, revera autem fuisse nepotem Heli, certissime id clarius expressisset. Nullum eius sententiae indicium reperitur apud interpretes ante saec. 16. (cf. *Patritius*, De evangeliis III. p. 87. 92), quamquam S. Hilarius in opusculo a Card. Maio reperto et edito (Nova Patr. bibl. I. p. 477) asserit, multos velle generationem quam enumeret Lucas deputari Mariae (cf. *Cornely*, Introd. III. p. 197).

Ut autem utriusque genealogiae diversitas explicetur, ad legem leviratus erit recurrendum, qua lege scil. quis duos patres habere poterat, alterum naturalem a quo esset genitus, legalem alterum, in cuius nomen et bona succederet. Iam Iulius Africanus (ex ineunte saeculo 3.) ad Domini secundum carnem consanguineos provocans eos haec tradidisse ait : Iacob et Heli fuisse fratres uterinos ex eadem matre Estha, quae ex priore marito Mathan (ex linea Salomonis) conceperit Iacobum, ex altero marito Matthat (ex linea Nathan) autem Heli. Cum Heli mortuus esset uxore sine liberis relicta, eius fratrem Iacob ex vidua Heli secundum legem leviratus genuisse Ioseph, qui proin filius exstiterit naturalis Iacobi ex posteris Salomonis, legalis autem Heli ex posteris Nathan (cf. *Euseb.* His. eccl. 1,7; *M.* 20,89 ss.; *Patritius* l. c. p. 94 s.; *Cornely* l. c. p. 198; *Knabenbauer* Comment. in Luc. 3,23). Eandem legem leviratus agnosces intervenisse, dum Salathiel a Matthaeo quidem filius dicitur Iechoniae, a Luca filius Neri.

Quaenam sint genealogiae quibus ne intenderent apostolus monet (1 Tim. 1,4; Tit. 3,9) aliter ab aliis concipitur vel de theogoniis gentium vel de genealogiis angelorum apud Essenos, vel de emanationibus spirituum, aeonum apud Gnosticos, vel de genealogiis Iesu vel solum de genealogiis in Vet. Test. descriptis, ex quibus occultae quaedam doctrinae deducantur. Iterum alii provocantes ad τὸ γενεαλογικόν apud Philonem cernunt declarari varias de patriarchis et Moyse narrationes et fabulas (cf. *Hort*, Judaistic Christianity 1894 p. 136).

I. KNABENBAUER.

GENERATIO, generationes. Ponitur vox in Vulgata pro hebr. תּוֹלְדוֹת et דּוֹר. Unde variam induit notionem. In Genesi enim, ubi saepius legitur : istae sunt generationes caeli et terrae, Noe, Thare, Ismael, Isaac, Esau, communiter explicant : haec est historia (cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in Genesim p. 40); alias vox designat filios, posteros, progeniem, stirpes quae ex una aliqua familia exortae sunt (Num. 1, 20 s.). Saepissime ponitur pro דּוֹר; unde significat homines qui aliqua aetate vivunt, aequales; v. g. Gen. 7,1 : te vidi iustum coram me in generatione hac. Eodemque sensu propter hebr. explicari oportet Is. 53,8 : generationem eius quis enarrabit? quasi propheta dicat : quis explicet pravitatem hominum

illius temporis (et multos ita rite explicare, vide *Knabenbauer*, Comment. in Is. II. p. 310). Dein frequenter dicitur de posteritate, de successione, qua una aetas hominum ab alia excipitur; ita Gen. 15,16 : generatione quarta revertentur huc; Ex. 3,15 : hoc memoriale meum in generationem et generationem; 29,42 : sacrificium est Domino oblatione perpetua in generationes vestras. — Dicitur porro generatio pro potestate generandi; ita Is. 66,9 (Vulgata) : si ego qui generationem ceteris tribuo sterilis ero? aliter, notione passiva Ez. 16,3 : radix tua et generatio tua de terra Chanaan i. e. ortus tuus, origo tua. Eo modo quoque accipi potest liber generationis, βίβλος γενέσεως, liber originis, quo scil. genealogia seu catalogus progenitorum describitur (Matth. 1,1; cf. Gen. 5,1). A qua acceptione non est alienum quod Hebr. 7,6 in Vulgata habetur : cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham i. e. Melchisedech qui non habet originem (genealogiam, ὁ δὲ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν) ex stirpe electa. Sensu sublimiore legitur 1 Ioan. 5,18 : sed generatio Dei conservat eum, ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ Θεοῦ τηρεῖ αὐτόν; est itaque idem ac natum esse ex Deo. Demum ponitur notione procreationis 1 Tim. 2, 15 : salvabitur autem per filiorum generationem διὰ τῆς τεκνογονίας.

GENESAR v. GENESARETH (stagnum et terra).

GENESARETH. 1. Genesareth stagnum (ἡ λίμνη Γεννησαρέτ) appellatur Luc. 5,1 lacus ille celeberrimus, qui alias vocatur mare Galilaeae (Matth. 4,18; 15,29; Marc. 1, 16; 7,31; Io. 6,1) vel mare Tiberiadis (Io. 6,1; 21,1), vel mare sine addito (Marc. 2,13 et saepius), in Vetere Testamento (Num. 34,11; Deut. 3,17; Ios. 11, 2; 12,3; 13,27) mare Cenereth (כִּנֶּרֶת, Κενερέθ) seu mare Ceneroth (כִּנְרוֹת, כִּנֶּרוֹת, Κενερώθ, Κενερώθ), denique 1 Mach. 11,67 aqua Genesar (Γεννησάρ); cf. etiam Is. 9,1 et Matth. 4,15 : via maris scil. maris Galilaeae vel Tiberiadis.

A Flavio Iosepho (Bell. iud. III. 10,7) lacus Genesar (Γεννησάρ) describitur stadiorum 40 latitudine patens, 140 longitudine, aquae dulcis et maxime potabilis, limpidus undique in arenam ad litus desinens, varia alens piscium genera, figura et sapore ab alterius loci piscibus diversa. Plinius (Nat. hist. V. 15,71) cursum Iordanis amnis describens dicit : « Ubi prima convallium fuit occasio, in lacum se fundit quem plures Genesaram vocant 16 mil. pass. longitudinis, amoenis circumseptum oppidis, ab oriente Iuliade et Hippo, a meridie Tarichea, quo nomine aliqui et lacum appellant, ab occidente Tiberiade aquis calidis salubri ». A modernis exploratoribus lacui attribuitur longitudo 21 km, latitudo maxima 12 km, profunditas circa 44 m, depressio infra mare Mediterraneum 208 m. Litori orientali imminet planities montana Gaulanitidis (plus quam 300 m alta), litori inter meridiem et occidentem planities vulcanica *Sahel el-Aḥmā* (usque ad 300 m); inter septemtrionem et occidentem colles sunt humiliores et etiam a litore remotiores, utpote per terram Genesareth seiuncti, de qua vide infra. Aspectus lacus caerulei inter montes modicae altitudinis conclusi multum abest a tristitia maris Mortui et potius amoenitatem lacuum Helvetiae aliquatenus in memoriam revocat. Aequor ut plurimum est placidum, interdum tamen ingentibus sed non diuturnis procellis exagitatum, praesertim quando venti ab aquilone et austro flantes intra circulum montium undique tenentur; Evangelistae compluries istas procellas ingentes et repentinas paucis ad verum exprimunt (Matth. 8,24; 14, 24; Marc. 4,37; 6,48; Luc. 8,23; Io. 6, 18). Navigatio frequens erat, ut ex Evangeliis discimus; pugnam navalem Romanorum, qui rates construxerant contra scaphas parvas et piraticas Iudaeorum, describit Flavius Iosephus (Bell. iud. III. 10,9); hodie paucissimae tantum cymbae piscatoriae iuxta litus cernuntur. Piscium genera adhuc sunt varia et etiam rariora, quae alias nonnisi in regionibus calidioribus inveniuntur; cf. Flavii Iosephi verba supra. Aqua est salubris ad bibendum; ab incolis litoris passim bibitur, postquam

per noctem in situlis foraminosis aëri exposita est, ut frigescat; calor enim in illa quasi pelvi montana multum praevalet propter regionis depressionem supra indicatam.

Hodie lacus vocatur *Bahr el-Ṭabarīye* ab urbe *Ṭabarīye* (Tiberias), quae sola nomen urbis meretur ex multis florentissimis, quibus olim cingebatur; v. TIBERIAS. Dimidiae horae spatio infra Tiberiadem inveniuntur thermae *el-Ḥammām;* v. HAMMOTH DOR. Prope istas thermas sicuti etiam prope aquas salsas aquilonem versus ab *ʿAin el-Ṭābigha* aqua lacus minus iucundo sapore inficitur.

Cf. *Ritter*, Erdkunde XV. 281 ss.; *Fahrngruber,* Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 186 ss.; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien, *ed.* 5 p. 280 s.; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 113 s.; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 644 ss.; *Liévin de Hamme,* Terre Sainte *ed.* 4 III. 126 ss.

2. Genesareth, Genesar terra (Γεννησαρέτ) Matth. 14,34 et Marc. 6,53 est illa regio, quae 3 Reg. 15,20 appellatur universa Cenneroth (כָּל־כִּנְרוֹת, πᾶσα ἡ Χεννερέθ). Praeterea inter civitates munitissimas Ios. 19,35 enumeratur Cenereth (כִּנֶּרֶת in pausa pro כִּנֶּרֶת, Κενερέθ). Huius urbis nullum vestigium exstat; refert quidem S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 112,30) aliquam traditionem Chennereth antiquum nomen Tiberiadis oppidi fuisse; verum tenuis illa traditio merito relinquitur, et a plerisque urbs illa Cenereth magis aquilonem versus quaeritur scil. in terra Ceneroth seu Genesareth, de qua nunc agendum est. Utrum haec regio nomen habeat a lacu an lacus a regione, dirimi non potest; neque enim constat lacum a forma citharae (כִּנּוֹר) nomen accepisse. Terra Genesareth hodie communiter agnoscitur planities *el-Ghuweir* (seu *parvum Ghōr*), quae a medio litore occidentali paulo infra *Medjdel* (Magdala, Magedan) aquilonem versus usque ad *Khān Minye* paulo infra *Tell Ḥūm* (Capharnaum) protenditur. Florentissimum eius regionis statum Flavius Iosephus elato animo describit (Bell. iud. III. 10,8) : « Gennesar autem lacum praetendit eiusdem nominis regio natura simul et pulchritudine admirabilis. Nullam enim ipsa arborem pro ubertate sua recusat atque omnigenas consevere agri cultores; aerisque temperies etiam diversis est accommodata. Nam et nuces, quae arborum maxime frigoribus gaudent, magna isthic crescunt copia; ubi etiam palmae, quae calore vigent, iuxtaque has ficus item et oleae, quibus aura mollior designata est. Naturae dixerit aliquis ambitionem esse, quae vim sibimet adhibuerit, ut in unum compingat pugnantia; annique tempestatum gratam quandam contentionem, unaquaque earum regionem illam veluti sibi propriam vindicante. Neque modo alit praeter opinionem poma varia, sed et diu conservat; nam et omnium praestantissima, uvas sane et ficus, per decem menses sine intermissione suppeditat, ceteros vero fructus per totum annum cum illis consenescentes. Ad aeris etiam temperiem accedit, quod et fonte irrigatur uberrimo, qui Capharnaum (Καφαρναούμ *ed. Niese*) ab indigenis appellatur. Hunc nonnulli venam esse Nili existimarunt, quod generat pisces Coracino (qui in Alexandrina palude alitur) similes. Longitudine autem regio iuxta litora lacus cognominis 30 stadiis extenditur et latitudine 20 ». Vix dubium est, quin haec omnia plus minusve conveniant planitiei *el-Ghuweir,* quae intra terminos supra descriptos longitudinem unius saltem horae et latitudinem 20 vel 30 minutarum habet. Maxima quidem eius pars hodie est quasi desertum alto gramine, carduis, vepribus, oleandris consitum; attamen iuxta litus adiuvante hominum manu et opera etiam gignuntur triticum, hordeum, milium, citreum, melo, palmula, malum medicum, oryza, tabacum, arundo sacchari, xylon, indigofera. Duo fontes in hac planitie sunt *ʿAin el-Tīne* iuxta *Khān Minye* et *ʿAin el-Mudauwara* paulo supra *Medjdel.* Uter est fons ille uberrimus a Flavio Iosepho (l. c.) Capharnaum dictus? Aliqui cum *Robinson* respondent : *ʿAin el-Tīne,* alii cum *F. de Saulcy : ʿAin el-Mudauwara.* Felicius, ut videtur, *V. Guérin* fontem Capharnaum

agnoscit *'Aïn Ṭābigha* (= Heptapegon seu « septem fontes ») in planitie nonnihil altiore eiusdem nominis *Ṭābigha*, quae inter *Khān Minye* et *Tell Ḥūm* extenditur; ab hoc enim fonte altiore aquae in magnam partem regionis Genesareth diffundi poterant ope aquaeductus, cuius ruinae adhuc cernuntur. Praeterea planities *el-Ghuweir* ex collibus, quibus ab occidente cingitur, tres torrentes excipit : *Wādi el-'Amūd*, *Wādi el-Rabaḍīye*, *Wādi el-Ḥammām*, qui eam irrigant et in lacum Genesareth desinunt. Urbem Genereth Ios. 19,35 *V. Guérin* agnoscit *Khirbet Abu Shūshe* iuxta *Wādi el-Rabaḍīye*, dum Talmud hieros. eam prope Ennabrim Fl. Iosephi (Bell. iud. III. 9,7) 30 stadia seu circa 5,3 km infra Tiberiadem collocat (*Neubauer*).

Cf. *Robinson*, Palaestina III. p. 535 ss.; *F. de Saulcy*, Dict. des Antiquités bibl. 1859 p. 330 s. (apud *Migne*, Encycl. III. vol. 45); *Guérin*, Galilée I. 207 ss.; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 214. 215; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2. II. 189; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 114. 225; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 651 ss.; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien, *ed.* 5 p. 283.

GENNAEUS (Γενναῖος), pater Apollonii (2 Mach. 12,2); v. APOLLONIUS 3.

GENTHON (גִּנְתּוֹן, sed Neh. 12,4 גִּנְתּוֹי), sacerdos, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,4); eius familiae princeps in diebus Ioacim pontificis erat Mosollam (Neh. 12,16); idem nomen inter signatores foederis legitur (Neh. 10,6 [7]; Γανναθών, A Γαανναθών, ℵ Ἀνατώθ).

GENTILIS v. ETHNICUS.

GENTIUM TABULA Gen. 10,1-31 est catalogus non individuorum, sed populorum, in quo recensentur « gentes, non homines » (*S. Aug.* Civ. Dei 16,3 apud *Migne* 41,481). Non omnes mundi gentes in hac tabula enumerari manifestum est. « Ne illud quidem demonstrari potest voluisse s. auctorem, sive is Moyses fuerit sive auctor eo recentior, omnium quas ipse noral gentium elenchum texere. Notissimi quippe vel Moysis tempore, maxime in Aegypto, erant Nigritae, qui et plurimi numero ibidem degebant et depicti in muris sat frequenter conspiciebantur. Desiderantur item Amalecitae et aliae quaedam gentes, quarum in Pentateucho sat frequens habetur mentio. Reapse, licet aliqua elenchi nomina nondum sint plane perspecta, affirmare tamen iam licet, auctorem solas recensere *gentes familiae caucasiae*, quae antiquitus Asiam anteriorem et adiacentes Europae et Africae tractus incolebant » (*F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 293).

Secundum triplicem rationem sacer textus Gen. 10,5. 20. 31 dicit gentes esse divisas : secundum cognationes suas (momentum ethnographicum), secundum linguas suas (momentum linguisticum), in regionibus suis (momentum geographicum). Primarium est momentum ethnographicum, uti iam indicat nativus sensus verborum *filii* et *genuit*. Exhibetur vera genealogia affinitatem gentium et ex uno capite Noe originem describens.

I. Ad familiam iaphethicam referuntur

1. Gomer, probabiliter Cimmerii, Gimirrai. A Gomer descendunt 1) Ascenez, fortasse Armenia occidentalis; 2) Riphat, Paphlagones (Rhebas fluvius Bithyniae, Rhebantia ad Bosporum Thracicum); 3) Thogorma, Armeni.

2. Magog, Scythae (?).

3. Madai, Medi.

4. Iavan, Iones vel Graeci. Ad familiam Iavan pertinent 1) Elisa, Aeoles; 2) Tharsis, probabiliter Tyrrheni (dicti antiquitus Tursani, Tyrseni, Tursni, postmodum Tursci, Tusci, Etrusci) et forte etiam Tartessii in Hispania; 3) Cetthim, sensu strictiore Cyprus, latiore insulae maris Mediterranei orientalis et etiam regiones maritimae adiacentes; 4) Dodanim, Dardanii (?) vel forte Rhodii, ut coniiciunt.

5. Thubal, Tibareni, assyr. *Tabal*.

6. Mosoch, Moschi, assyr. *Muski*, finitimi Colchis (assyr. *Kaski*).

7. Thiras, Thraces (?) vel forte Tyrrheni (Tyrseni) de genere Pelasgorum, non illi quidem italici, qui Etrusci vocantur, sed accolae maris Aegaei, piratae famosi.

II. Ad familiam chamiticam referuntur

1. Chus, Aethiopes. A Chus descendunt 1) Saba in insula Meroe (?) vel forte orientem versus in litore maris; 2) Hevila, gens Avalitarum et sinus Avalites, hodie *Zeila;* 3) Sabatha iuxta Astaboram (hodie *Atbara*) Nili tributarium vel forte in Sabbatha (Sabota) metropoli Atramitarum (Chatramotitarum); 4) Regma, Rhammanitae (?) inter Minaeos et Chatramotitas vel probabilius Rhegma urbs in litore arabico sinus Persici (hodie *Redjam* in confinibus *Oman* et *Bahrein*): ad familiam Regma pertinent a) Saba, Sabaei in Arabia felice (cuius urbs primaria erat Saba seu Mariaba) et passim in Arabia; b) Dadan in litore et insulis maris Persici; 5) Sabatacha (?).

2. Mesraim, Aegyptii, quibus accensendi sunt 1) Ludim, aegyptiace *Lutu, Rutu,* Aegyptii proprie dicti; 2) Anamim, *Anu* in tota fere valle Nili dispersi; 3) Laabim, Libyes; 4) Nephthuim, incolae Aegypti mediae (?) scil. *na-Phthah* i. e. pertinentes ad Phthah deum Mempheos; 5) Phetrusim, incolae Aegypti superioris; 6) Chasluim, Cassiotis (?) inter Pelusium et torrentem Aegypti; 7) Caphtorim, probabiliter Creta vel secundum *P. de Cara* ora maritima Phoeniciae sensu lato i. e. Palaestinae et Syriae.

3. Phuth, gens *Punt* in litore Africae Somali et in obiecto Arabiae litore.

4. Chanaan, Palaestinenses et Phoenices, e quibus enumerantur 1) Sidonii, quorum urbs in nummis dicitur mater Tyri, mater Aradi; 2) Hethaei tum extra tum intra terram sanctam, praesertim in montanis Iuda; 3) Iebusaei circa arcem Iebus (postea Ierusalem); 4) Amorrhaei, incolae montium cis et trans Iordanem; 5) Gergesaei ad occidentem Iordanis; 6) Hevaei, ramus Amorrhaeorum; 7) Aracaei circa Arcas inter Tripolim et Antaradum; 8) Sinaei iuxta Aracaeos, ab Arcis aquilonem versus; 9) Aradii incolae Aradi insulae; 10) Samaraei inter Aracaeos et Aradios; 11) Amathaei incolae Emath ad Orontem.

III. Ad familiam semiticam referuntur

1. Aelam, Aelamitae.

2. Assur, Assyrii.

3. Arphaxad, probabiliter Chaldaei. Ab Arphaxad descendunt per Sale et Heber 1) Phaleg (eiusque posteri Reu, Sarug, Nachor, Thare, Abraham); 2) Iectan in Arabia meridionali; Iectanidarum tredecim tribus recensentur : Elmodad, Saleph, Asarmoth, Iare, Adoram, Uzal, Decla, Ebal, Abimael, Saba, Ophir, Hevila, Iobab.

4. Lud, Lydi (?).

5. Aram, Aramaei, ad quos pertinent 1) Us, Trachonitis (?) et Damascus (?); 2) Hul, Armenia circa montem Masium (?); 3) Gether in Mesopotamia (?); 4) Mes, fortasse Mesanaei in regione ad Tigridis Euphratisque ora, quae postea Mesene audiebat, assyr. terra *Mas*.

GENUA FLECTERE. In oratione ad Deum quandoque ad maiorem ostendendam reverentiam flectebantur genua; ita narratur 3 Reg. 8,54 de Salomone orante in dedicatione templi : utrumque genu in terram fixerat et manus expanderat in caelum. Esdras quoque orat curvatis genibus et expansis manibus (Esdr. 9,5); cf. 2 Par. 6,13; 29, 30. Daniel autem tribus temporibus in die flectebat genua sua et confitebatur coram Deo (6,10). Isque corporis habitus tamquam signum adorationis a Deo postulatur dicente : mihi curvabitur omne genu (Is. 45,24) et qui non adoraverunt Baal, de iis dicitur : et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal (3 Reg. 19,18; Rom. 11,4). Iesus ipse in horto ante passionem positis genibus orabat (Luc. 22,41); positis genibus orat Stephanus (Act. 7,59), Petrus ponens genua oravit et oratione fusa Tabitham mortuam ad vitam revocavit (Act. 9,40); Paulus oratione habita ad presbyteros positis genibus suis oravit cum omnibus illis; pariter Tyri in litore ipse et omnes qui eum ad litus deduxerant positis genibus orarunt (Act. 20,36; 21,5). Quem orandi modum Paulus etiam in epistulis commemorat Eph. 3,14 : flecto genua mea ad Patrem Domini nostri, et Phil. 2,10 Iesu dignitatem et exaltationem ita describit, ut in eius nomine omne genu flectendum

esse dicat caelestium, terrestrium, infernorum. — Singularem orandi modum adhibuit Elias in vertice Carmeli, ut pluviam efflagitaret a Domino : pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua (3 Reg. 18,42).

Flexis genibus honor quandoque Christo quoque exhibebatur et petitio beneficii eo demissionis actu et studio ei offerebatur; ita Matth. 17,14 accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens : Domine, miserere filio meo; pariter genu flexo leprosus petit sanationem et iuvenis ille flexo genu rogat : magister bone, quid faciam, ut vitam aeternam percipiam (Marc. 1,40; 10,17).

Hominibus quoque nobilibus flexis genibus honor exhibetur. Cum in Aegypto Ioseph esset publice honorandus tamquam secundus a rege, regio curru per civitatem vectus est clamante praecone, ut omnes coram eo genu flecterent (Gen. 41,43; atque eo modo explicant אברך vocem aegyptiacam : proiice te; cf. *Gesenius-Buhl,* Handwoerterbuch *ed.* 13 p. 8; *F. de Hummelauer* ad Gen. 41, 43). Princeps, missus ad Eliam et timens similem sortem sicut acciderat aliis ante eum, curvavit genua ad Eliam et precatus est eum (4 Reg. 1,13). Coram Aman cuncti servi regis flectebant genua; Mardochaeus autem hunc honorem quem soli Deo exhibendum putavit noluit transferre in hominem (Esth. 3,2 s.; 13, 12-14). Solebant reges quoque salutari in regia dignitate flexis genibus, praesertim in oriente; quare milites regiam Iesu dignitatem ludibrio habentes genu flexo ante eum illudebant ei dicentes : ave, rex Iudaeorum (Matth. 27,29; Marc. 15,19).

GENUBATH (גֶּנֻבַת, Γανηβάθ), filius Adad; mater eius, uxor Adad, erat soror uxoris Pharaonis; quare Genubath in domo regia cum filiis regis educatus est (3 Reg. 11,20 et v. ADAD 3).

GENUS vide s. v. GENEALOGIA.

GERA (גֵּרָא, Γηρά). **1.** Quartus filius Beniamin (Gen. 46,21); sed LXX h. l. eum faciunt filium Bela primogeniti Beniamin; item 1 Par. 8,3 filiis Bela accenseturr.

2. Pater Aod iudicis ex tribu Beniamin (Iud. 3,15).

3. Beniaminita quidam, quo duce et auctore aliquae cognationes beniaminiticae ex Gabaa (Geba) in Manahath (vide s. v.) abductae sunt (1 Par. 8,5. 7); de isto eventu nihil praeterea notum est.

4. Pater Semei Beniaminitae et adversarii Davidis (2 Reg. 16,5; 19,16. 18; 3 Reg. 2,8).

Nomen Gera igitur apud posteros Beniamin perseverabat. Cf. tabulam genealogicam in Concord. Lat. huius Cursus p. 9.

GERARA (גְּרָר, Γεραρά) urbs nominatur una cum Gaza in determinando termino Chanaan meridionali ad occidentem vergente (Gen. 10,19). Abraham cum inter Cades et Sur habitaret, peregrinatus est in Geraris et cum Abimelech rege Gerarae foedus pepigit (Gen. 20,1. 2 s.), ad quem textum *F. de Hummelauer* notat Geraram non necessario *inter* Cades et Sur quaerendam esse. Postmodum Isaac primum Gerarae, deinde in valle torrentis Gerarae commoratus cum altero Abimelech rege Gerarae foedus pepigit (Gen. 26,1. 6. 17. 20. 26); cf. s. v. ABIMELECH 1. Post proelium in valle Sephata prope Maresam Asa rex Iuda Aethiopes Geraram usque persecutus est et omnes urbes per circuitum Gerarae percussit (2 Par. 14,13. 14). Vix dubium est, quin ad eandem urbem, quam loci citati extremam Palaestinae esse evincunt, etiam referendi sint Gerreni (οἱ Γερρηνοί, lect. var. Γεραρηνοί), qui 2 Mach. 13,24 (cf. 1 Mach. 11,59) terminum inter regna Seleucidarum et Aegyptiorum indicant; antiquior enim opinio, qua Gerreni comparabantur cum Gerrhon (*Ptolem.* IV. 5,11; *ed. Müller-Fischer* 5, 5) seu Gerrha (*Strabo* XVI. 2,33) urbe inter Pelusium et Rhinocoluram, merito derelicta est, quoniam ipsa Rhinocolura (*el-'Arīsh* ad ostium torrentis Aegypti) eo tempore non Seleucidarum, sed Aegyptiorum regno comprehendebatur. In Onom. (*ed. Lag.* 240,28; 124, 15) describitur : Gerara, ex cuius nomine nunc

Geraritica vocatur regio trans Daroma, procul ab Eleutheropoli 25 mil. pass. ad meridiem. Aegyptiace *Kruru* (cf. *A. Mariette*, *Maspero*, *W. M. Müller*). Hodie a plerisque agnoscitur in ruinis *Umm Djerar* 10 km a Gaza meridiem versus et iuxta torrentem *Wādi Ghazze*, qui ab hoc loco etiam *Wādi Djerar* audit (*Guérin*, *Riess*, *Survey of West. Pal.*, *Zanecchia*, *Legendre*, *Kampffmeyer*). Aliis vero Gerara videtur quaerenda esse in *Wādi Djerar* a Cadesbarne inter meridiem et occidentem (*Trumbull*, *Guthe*).

Cf. *Guérin*, Judée II. 257-262; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 389; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 296; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 197-200; *Kampffmeyer* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1892 p. 34; *Trumbull*, Kadesh Barnea 1884 p. 61-65; *H. Guthe* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 215; *A. Mariette*, Les listes géogr. des pylônes de Karnak 1875 p. 36; *G. Maspero*, Sur les noms géogr. de la liste de Thoutmos II., qu'on peut rapporter à la Judée 1888 p. 8; *W. M. Müller*, Asien u. Europa nach altaegypt. Denkm. 1893 p. 159.

GERASENI; ita habetur in Vulgata constanter Matth. 8,28, Marc. 5,1, Luc. 8,26. 37. In graeco legitur ex melioribus codicibus apud Matth. Γαδαρηνῶν, apud Marc. Γερασηνῶν, apud Luc. edidit *Tischendorf* Γεργεσηνῶν. Uti Iosephus habet (Bell. iud. IV. 7,3), Gadara est metropolis Peraeae valida et distat a Tiberiade stadiis sexaginta; hodie eo loco *Umm Qeis* oppidum situm est. Unde lectione Gadareni regio illa describitur ac nominatur ex urbe maiore. Verum Gerasa (hodie *Djerash*) haud procul a laboc septemtrionem versus sita nimis distat quam ut regio ad lacum posset appellari regio Gerasenorum. Locum quo discipuli appulerunt multi quaerunt ibi, ubi hodie exstant ruinae nomine *Kersa*, *Kursi* designatae prope lacum; eo quoque loco praecipitia sunt crebra (cf. *Schumacher*, Der Dscholan, Leipzig 1886 p. 177), quem locum Origenes quoque describere videtur eum vocans Gergesa (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2 I. p. 345). Aliter tamen de quaestione hac censet investigatione ipsius illius regionis accuratissime facta *Neumann* (Qurn Dscheradi, Freiburg i. Br. 1894); secundum ipsum urbs illa, de qua evangelistae loquuntur est Hippos, a Iudaeis Susitha vocata, hodie *Sūsiye*; regio quae hodie Dscheradi vocatur est illa de qua narratio evangelica tradit et homines qui incolebant terrae tractum inter *Wādi Semak* et *Wādi Nqēb* vocatos esse opinatur *Geradaeos*, ex quo nomine transpositione litterae unius explicatur lectio Gadareni et tenui aspiratione litterae d lectio Geraseni (cf. l. c. p. 21. 31. 44). Cum opere citato cf. *M.-J. Lagrange* in Revue bibl. IV. 1895 p. 512-522, ubi evincitur lectio *Geraseni* criticis rationibus probata, lectio *Gergeseni* errore Origenis orta et componitur illa urbs in regione Gerasenorum cum *Qal'at el-Ḥōṣn* (= Gamala) inter *Sūsige* (Hippos) et lacum Genesareth.

GERGESAEUS (גִּרְגָּשִׁי, Γεργεσαῖος), gens chanaanitica a Chanaan filio Cham descendens (Gen. 16,16; 1 Par. 1,14). Gentis huius regio promittitur Abraham posteris possidenda (Gen. 15,21). Enumeratur proinde inter illas stirpes, quas Israelitae in Chanaan ingressi delere debent (Deut. 7,1; Ios. 3,10; 24,11; Neh. 9,8). Sedes huius stirpis accuratius determinari nequit; solum ex Ios. 24,11 patet eam gentem simul cum Amorrhaeis, Pherezaeis, Chananaeis, Hethaeis, Hevaeis, Iebusaeis ad occidentem Iordanis incoluisse. Vestigium Gergesaeorum fortasse conservatur in fragmento quodam tabulae cuneiformis (K. 261 British Museum), in quo commemorantur *Kirkishāti* ac saepius designantur *rabbāti* i. e. numerosi (cf. *Pinches*). Eos tempore Iosue in Armeniam emigrasse fert traditio iudaica (cf. *Knobel*). Gergesaeos apud Alexandrum M. in Palaestina commorantem conquestos esse, quod suis sedibus pulsi terrore Iosue in Africam se recepissent, et de prioribus sedibus repetundis cum Iudaeis disputasse infelici tamen successu narratur in Talmude (cf. *Otho*). Opinantur aliqui (*Wilson*), Gerasenos, qui etiam Gadareni, Gergeseni appellantur, fortasse reliquias quasdam stirpis Gergesaeorum fuisse.

Cf. *Pinches* apud *Hastings*, Dict. of the Bible II. 178; *Knobel*, Völkertafel 1850 p. 333; *Otho*, Lexicon rabbinico-philologicum p. 30. 31; *Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible I. 1099. 1196.

GERRENI 2 Mach. 13,24 vide s. v. GERARA et GERZI.

GERSAM (גֵּרְשֹׁם, גֵּרְשֹׁם; Γηρσάμ, sed Iud. 18,30 Γηρσών, apud *Swete* B Γηρσόμ, A Γερσώμ), filius Moysis ex Sephora uxore (Ex. 2,22; 18,3); Moyses nomen filio imponens interpretatur : advena fui in terra aliena. « גֵּר advena, שָׁם ibi. Explicatio certe non est etymologica, sed mnemoneutica. Si nomen a radice גרש derivetur, habebitur significatio *exsul*, quo nomine Moyses pulchre exprimebat suae gentis desiderium eiusque repetendae voluntatem » (*F. de Hummelauer* ad Ex. 2,22). Idem 1 Par. 23,15. 16; 26,24 in Vulgata scribitur Gersom, pater Subuel seu Subael. Eiusdem mentio fit Ex. 4,24-26 tacito nomine. Praeterea Iud. 18,30 dicitur levita Ionathan filius (i. e. ex posteris) Gersam filii Moysi (*Qeri* מושה, *Kethib* מנשה).

GERSOM. 1. Filius Levi (1 Par. 6, 20. 43. 62. 71; 15,7; 2 Par. 29,12), alias Gerson; v. GERSON.

2. Filius Moysis (1 Par. 23,15. 16; 26, 24); v. GERSAM.

3. Gersom (גֵּרְשֹׁם, Γηρσών), princeps familiae sacerdotalis ex posteris Phinees, cum Esdra Babylone reversus (Esdr. 8,2).

GERSON, GERSOM (גֵּרְשׁוֹן, גֵּרְשֹׁם, גֵּרְשׁוֹם; Γηρσών, Γεδσών), filius primogenitus Levi (Gen. 46,11; Num. 3,17; 26, 57; 1 Par. 6,1. 16), pater Lobni et Semei, a quibus descendunt duae familiae Gersonitarum (Ex. 6,16. 17; Num. 3,18. 21; 1 Par. 6,17. 20; 26,57), quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense et supra 7500 (Num. 3, 22). Eorum officium describitur Num. 4,22. 24-28; cf. 7,7; 10,17. Numerati sunt a Moyse filii Gerson a 30 annis et supra usque ad quinquagesimum annum 2630 (Num. 4,38-41). Filiis Gerson assignatae sunt civitates 13 in Issachar, Aser, Nephthali dimidiaque tribu Manasse in Basan (Ios. 21,6. 27-33; 1 Par. 6,62. 71-76). Tempore Davidis ex posteris Gerson constitutus est Asaph super cantores domus Domini (1 Par. 6,39. 43) et Ioel princeps cum 130 fratribus ad transportandam arcam de domo Obededom in Ierusalem (1 Par. 15,7). De Gersonitis cf. praeterea 1 Par. 23,6-11; 26, 21; 2 Par. 29,12.

GERSONNI in Vulgata 1 Par. 26,21 est nomen patronymicum : de familia Gerson. Textus corruptione laborat.

GERZI (גִּרְזִי vel גִּרְזוּ, *Qeri* גִּזְרִי) nomen gentis, de qua David profectus de Siceleg praedas egit sicut de Gessuri et de Amalecitis (1 Reg. 27,8; LXX B omitt., A τὸν Γεζραῖον). Sedes gentis conterminae erant parti meridionali Iudaeae, ut ex responsione David ad Achis 27,10 colligitur. Unde relinquenda est opinio nonnullorum (*Grotius*, *Ewald*) incolas Gazer (Ios. 10,33) designari. Alii cum *Bonfrerio* coniiciunt esse eandem gentem, de qua postmodum 2 Mach. 13,24 nomine Gerrenorum mentio fiat, qui probabiliter ad urbem Gerara (v. s. v.) referuntur. Alii cum *Gesenio* (Thesaurus p. 301) opinantur Gerzitas ad radices montis Garizim consedisse montique nomen dedisse ac postmodum meridiem versus emigrasse.

GESAN (גֵּישָׁן, Σωγάρ), vir ex posteris Caleb filii Hesron (1 Par. 2,47).

GESSEN (גֹּשֶׁן, Γεσέμ) regio Aegypti, quae Iacob et filiis eius ad habitandum assignata est et in qua Israelitae sedes habebant usque ad exitum ex Aegypto. Regio erat una ex optimis Aegypti (cf. Gen. 45,10; 46,28. 34; 47,1 s. 27; 50,8; Ex. 8,22; 9,26). Sita erat sine dubio ad orientem Nili, cum Hebraei egressi flumen traiecisse nullo modo narrentur et urbes quae in s. litteris ei regioni attribuuntur, Ramesses, Pithom (Gen. 47,11; Ex. 1,11; 12,37) ad orientem Nili sitae sunt. Insuper LXX Γεσὲμ Ἀραβίας (Gen. 45,10) dicunt; unde indicant sitam esse in parte arabica i. e. orientali Aegypti inferioris. Comparari potest nomen vicesimi nomi (νομοῦ) Aegypti inferioris quod in monumentis repertum est esse

Kesem orientis, cui Γεσέμ LXX plane congruit. Regio haec occidentem versus confermina erat ei parti Nili quae tanitica vocatur, septemptrionem versus pertingebat usque ad eum locum quem hodie lacus *Menzaleh* occupat; in parte meridionali erat Heliopolis (cf. *Ebers*; *F. de Hummelauer* ad Gen. 45,10). — Eadem terra commemoratur Iudith 1,9: Iesse (Vulgata).

Cf. *G. Ebers*, Durch Gosen zum Sinai 1872 p. 21. 488 ss.; *G. Naville*, The shrine of Saft el-Henneh and the land of Goshen, London 1887; *idem*, The store-city of Pithom 1885; *Baedeker-Steindorff*, Aegypten 1897 p. 159; *M. Jullien*, L'Egypte 1891 p. 105-128; *Le Camus*, Notre voyage aux pays bibliques 1894 p. 131-150; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 II. p. 215-234.

GESSUR (גְּשׁוּר; Γεσσίρ, Γεδσούρ) terra seu **GESSURI**, quod proprie nomen est gentis (הַגְּשׁוּרִי; Γαργασί, Γεργεσί, Γεσιρί), etiam 2 Reg. 15,8 Gessur Syriae (hebr. Gessur in Aram). Gessuri et Machati erant termini septemtrionales regni Og regis Basan (Deut. 3,14; Ios. 12, 5); utraque regio a Iosue Manassitis in parte orientali Iordanis attributa (Ios. 13,11), sed ab Israelitis non subacta est (Deut. 3,14; Ios. 13,13); immo gens Gessur cum aliis Aramaeis foedere iuncta, ut 1 Par. 2,23 narratur, expugnavit oppida Iair, quae antea a Iair Manassita in Galaad occupata erant et postmodum sub iudice Iair Galaadite iterum ab Israelitis possidebantur (v. IAIR) et pagum Canath. Tempore Davidis Gessur erat regnum, cui praerat Tholmai rex; huius regis filia, Maacha, uxor erat David regis et mater Absalom (2 Reg. 3,3; 1 Par. 3,2); unde intellegitur, cur Absalom occiso Amnone fratre fugerit ad Tholmai regem Gessur (2 Reg. 13,37. 38; 14, 23. 32; 15,8). Praeterea legimus 2 Reg. 2,9 initio regni davidici Isboseth filium Saul constitutum esse ab Abner regem super Galaad et super Gessuri (Vulgata, Peshitta; sed hebr. הָאֲשׁוּרִי quod certe corruptum est, cum neque de Assur neque de tribu arabica Assurim ex Gen. 25,3 textus apte explicari possit neque regio quaedam alias prorsus ignota hic nominari censenda sit; LXX ὁ Θασιρί); aliqui cum *Keil* negant nostram Gessuri designari, quippe quae eo tempore proprium regem (2 Reg. 3,3) habuerit; alii affirmant (*Thenius, Ewald, Wellhausen*), praesertim cum Gessuri ex locis supra citatis inter Galaad et Hermonem sita fuerit et nostro loco cum Galaad iungatur. Quodsi hoc alterum admittatur, coniicere licebit (cum *F. de Hummelauer* ad h. l.) regem Gessur a Saule vel Abner regno fuisse eiectum, a Davide exceptum et in regnum restitutum. — Ex textibus allatis colligitur regiones Gessuri et Machati et montem Hermon fuisse terminos aquilonares Palaestinae orientalis; Machati probabilius e regione tribus Nephthali ipsum Iordanem attingebat et a monte Hermon meridiem versus extendebatur, ut s. v. MAACHA 1 dicemus: Gessuri igitur magis orientem versus a Machati quaerenda est in ea fere regione, quae hodie *Djeidūr* audit.

GESSURI (הַגְּשׁוּרִי, ὁ Γεσιρί), regio ad meridiem Pentapoleos philisthaicae (Ios. 13,2); eadem gens 1 Reg. 27,8 nominatur una cum Gerzi et Amalecitis, de quibus David ex Siceleg contra meridiem excurrens praedas egit. Coniicit *F. de Hummelauer* (ad Ios. 13,4) hanc Gessuri eundem esse tractum, in quem Philisthaei reliquias Hevaeorum (הַעִוִּים Deut. 2,23) expulerunt; commemorantur enim iidem Hevaei Ios. 13,4 [3] inter Pentapolin philisthaicam et torrentem Aegypti.

GETH (גַּת i. e. torcular; LXX Γέθ, Flavius Ios. Γίττη, Γίττα), una ex urbibus Pentapoleos philisthaeae (Ios. 13,3). Iam tempore quo Ephraim patriarcha superstes erat, indigenae Geth duos filios eius Ezer et Elad occiderunt (1 Par. 7,21). A Iosue reliquiae Enacim in urbibus Gaza, Geth, Azoto non deletae sunt (Ios. 11,22). Cuinam tempori adscribenda sit pugna, qua Beniaminitae Baria et Sama habitatores Geth fugaverint (1 Par. 8,13), dici nequit. Gethaeis arca Dei in Philisthaeam asportata, sicut etiam Azotiis et Accaronitis, causa plagarum erat (1 Reg. 5,8. 9; 6,17). Samuel urbes

a Philisthaeis captas Israelitis recuperavit ab Accaron usque Geth (1 Reg. 7,14), quibus verbis Geth et Accaron non dicuntur ipsae in potestatem Iudaeorum redactae, sed linea describitur, quae prius separaverat et nunc rursum separabat Philisthaeam et Iudaeam (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.). De Geth oriundus erat Goliath (1 Reg. 17,4. 23), quo a David percusso Israelitae Philisthaeos persecuti sunt usque ad ipsum ingressum portarum Geth et Accaron et parum abfuit, quin ipsae urbes caperentur (1 Reg. 17,52; de textu quoad vocem Geth cf. *Hummelauer* ad h. l.). Ad Achis regem Geth David exsul bis confugit (1 Reg. 21,10. 12; 27,2. 3. 4. 11; cf. Ps. 55[56],1 et vide s. v. ACHIS) et in planctu suo de morte Saulis et Ionathae duas Pentapoleos urbes Geth et Ascalon speciatim effert, quibus nuntius iste Philisthaeis gratissimus celandus sit (2 Reg. 1,20). Geth a David rege, cum iugum Philisthaeorum excuteret, expugnata est (1 Par. 18,1; cf. 2 Reg. 5,17-25; 8,1); eiusdem urbis fit mentio in summario bellorum cum Philisthaeis gestorum (2 Reg. 21,19. 20. 22; 1 Par. 20,5. 6. 7; de fluctuatione lectionis *Geth* vide s. v. GOB et cf. *F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 21,18).

De Obededom Gethaeo vide s. v. OBEDEDOM.

Gethaei duce Ethai Davidi fideliter adhaerebant contra Absalom rebellem (2 Reg. 15,18. 19. 22; 18,2). Primis regni salomonici annis iterum commemoratur Achis rex Geth (3 Reg. 2,39. 40. 41), qui forte idem est ac prior ille Achis, ad quem David bis confugerat, sed certe tributarius Salomonis. Geth a Roboam munimentis firmata est (2 Par. 11,8), regnante Ioas ab Hazael rege Syriae capta (4 Reg. 12,17), ab Ozia rege Philisthaeis erepta (2 Par. 26,6; Am. 6,2); verum non diu sub Iudaeorum imperio videtur remansisse (Mich. 1,10. 14). A priore dignitate urbis regiae ac munitae celeriter decidisse merito dicitur, quoniam prophetae recensitis aliis quattuor urbibus Pentapoleos philisthaeae eam silentio premunt (Ier. 25,20; Am. 1,6-8; Soph. 2,4; Zach. 9,5. 6).

De situ Geth iam Eusebius et S. Hieronymus nihil certi sciunt, immo erronea et repugnantia tradunt (Onom. *ed. Lag.* 244,20; 246,73; S. Hier. in Mich. 1,10) neque recentiores consentiunt. Aliis praeplacet *Khirbet Dikrīn* 7 km ab Eleutheropoli Lyddam versus (*Guérin,* Judée II. 108-113), aliis *Tell el-Ṣāfiye* paulo remotius ab Eleutheropoli in eadem directione (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 415. 440; *Riess,* Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v.); *Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 313 ss.); priorem opinionem adoptat *Legendre,* etsi velut dubiam tantum (Carte de la Palestine). De altero situ cf. *E. J. Bliss,* Report on the Excavations at *Tell el-Ṣāfi* in *Pal. Expl. Fund,* Quart. Stat. 1899 p. 188 ss. 317 ss.; 1900 p. 16 ss. et *R. A. Stewart Macalister,* The rock-cuttings of *Tell el-Ṣāfi,* ibidem 1900 p. 29 ss. Alii suspicantur Geth esse Eleutheropolin (*Beit Djibrīn,* Betogabra i. e. domus seu urbs gigantum, quae alias in S. Scriptura non memoratur; cf. *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 27-31.

GETH (Mich. 1,14 : hereditas Geth, Moresheth Gath) vide s. v. MORASTHITES.

GETH quae est in Opher v. GETHHEPHER.

GETHAIM (גִּתַּיִם i. e. duo torcularia; Γεθαίμ, Γεθθίμ), oppidum in quo Berothitae propter persecutionem a Saule urbibus Gabaonitarum inflictam (cf. 2 Reg. 21,2) refugium quaesiverunt (2 Reg. 4,3). Idem videtur esse oppidum, quod post exsilium a Beniaminitis habitabatur (Neh. 11,33). Ex hoc tamen inferri non potest hoc oppidum iam antiquitus ad tribum Beniamin pertinuisse. Poterat Gethaim vel Geth aliud nomen esse pro Gethremmon urbe levitica Danitis primitus attributa, quae a finibus Beniamin certe non longe distabat, etsi situs accuratior ignoratur; v. GETHREMMON.

GETHER (גֶּתֶר; Γαθέρ, Γατέρ), tertius ex quattuor filiis Aram filii Sem (Gen. 10,23); idem 1 Par. 1,17 cum fratribus suis inter filios Sem recensetur. Vestigium populi a Gether descendentis

nondum repertum est. Coniecturas varias referunt *Bochartus* (Phaleg. 2,10), *Winer*, Biblisches Realwb. *ed.* 3 I. 423. — Flavius Iosephus (Ant. I. 6,4) assignat Bactriam, sed perperam, ut ostendit *F. de Hummelauer* ad Gen. 10,23. 30 addens : « Si quaeras ubi tandem sedes Gether habuerit, eas illi libenter intra ipsam Mesopotamiam concederem, ea quippe regio Aramaeorum tribubus pullulabat ».

GETHHEPHER (גַּת הַחֵפֶר, גַּת חֵפֶר i. e. torcular putei; Γεθερέ, Γεθχοφέρ), urbs in descriptione finium Zabulon commemorata (Ios. 19,13), patria Ionae prophetae (4 Reg. 14,25; Vulgata : Geth quae est in Opher). Ex S. Hieronymo (Prolog. in Ionam) Geth in secundo Saphorim milliario, quae hodie appellatur Diocaesarea, euntibus Tiberiadem haud grandis est viculus, ubi et sepulcrum eius ostenditur ». His respondet vicus *el-Meshhed* prope Nazareth inter septemtrionem et orientem.

Cf. *I. Schwarz*, Das heilige Land 1852 p. 62; *Robinson*, Palaestina III. 449. 450; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 200; *Carmoly*, Itinéraires de la Terre Sainte 1847 p. 256; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 365; *Guérin*, Galilée I. 165-168; *Legendre*, Carte de la Palestine; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 272. Sed varia dubia contra hunc situm movet *F. de Hummelauer*, Comm. in Ios. p. 416-419. 422. 423.

GETHREMMON (גַּת רִמּוֹן i. e. torcular mali granati vel forte torcular excelsum; Γεθρεμμών), urbs tribus Dan (Ios. 19,45), levitis de genere Caath concessa (Ios. 21,24; 1 Par. 6,69 [54]). Ab Eusebio et S. Hieronymo dicitur villa pergrandis 12 mil. pass. a Diospoli (Lydda) Eleutheropolim versus (Onom. *ed. Lag.* 246,58; 128,23). Verum hic situs admitti nequit, quia tribus Dan non eo usque meridiem versus protendebatur. Melius congrueret vicus Getham (Γεθθάμ), qui secundum Onom. (246,74; 129,7) inter Antipatridem (*Kefr Sābā* vel forte *Rās el-'Ain*) et Iamniam erat; nullum autem vestigium eius repertum est. Aliqui insuper coniiciunt Gethremmon non differre a Gethaim.

GETHREMMON Ios. 21,25 mendose legitur pro Ieblaam q. v.

GETHSEMANI (Γεθσημανεί, Γεθσημανή), villa seu praedium (χωρίον), quo Iesus post ultimam coenam se contulit opus redemptionis oratione inauguraturus (Matth. 26,36; Marc. 14,32). Nomen communiter explicatur גת שֶׁמֶן i. e. torcular olei; aliter S. Hieronymus loco גַּת lectionem גיא supponens : vallis pinguedinum (Onom. *ed. Lag.* 61,22); recentius *Schegg* גת contractum ex גֵּדֵת assumens : locus editus pinguedinis.

Ex eo quod Iesus saepe illuc se conferre solitus erat (Luc. 22,39; Io. 18,2), merito infertur possessorem illius praedii vel fundi fuisse discipulum Christi; aliqui praeterea opinantur fuisse praedium Mariae matris Marci (cf. *Expositor*, ser. IV. vol. III. 1891 p. 222), sed hoc plane incertum est neque ex Marc. 14,51 suadetur, etsi adolescens ille amictus sindone, qui Iesum illuc secutus est, censeatur Marcus. Idem praedium describitur Io. 18,1 : trans torrentem Cedron, ubi erat hortus (κῆπος) et ex Luc. 22,39 ad radices montis olivarum fuisse indicatur. Suburbana urbis Ierusalem fuisse pulcherrima, arboribus etiam mansuetis consita, hortis lucisque ornata refert Flavius Iosephus (Bell. iud. V. 3,2; VI. 1,1). Hodie ad ripam sinistram torrentis Cedron ostenditur hortus quadratus muro cinctus, in quo octo olivae antiquissimae cernuntur, quas ex tempore Christi ibi esse multorum opinio fert. Istum hortum et singula monumenta, quibus memoria orationis et agoniae Christi adnexa reputatur, accurate describit *Ollivier*, La passion p. 64. Cf. etiam *Guérin*, Jérusalem 1869 p. 288 ss. qui omnino probabile habet illas octo olivas vel testes immediatos orationis Christi fuisse vel saltem ex seminibus testium immediatorum germinatas; hoc alterum addit propter verba Flavii Iosephi (si adeo premenda sunt), qui l. c. narrat omnes arbores prope Ierusalem in obsidione urbis caesas esse. Eundem locum haud dubie respicit Onom. (*ed. Lag.* 130,22 cf. 248,18 textum Eusebii paulo minus

distinctum) : « Gethsemani... est autem ad radices montis oliveti nunc ecclesia desuper aedificata ».

GEZEM v. GAZAM.

GEZER, GEZERON v. GAZARA.

GEZEZ (גֶּזֶז, Γεζουέ). **1.** Filius Caleb filii Hesron, ex Epha concubina genitus (1 Par. 2,46).

2. Filius Haran filii Caleb et Ephae (1 Par. 2,46).

GEZONITES (הַגִּזֹנִי, ὁ Γιζωνίτης), nomen gentilicium 1 Par. 11,33[34] : Filii Assem Gezonites. Loco parallelo 2 Reg. 23,32 legitur : *Filii Iassen* et omittitur nomen gentilicium. Gezon aliunde non innotescit. Textus LXX tam misere corruptus est (cf. *Swete*, The Old Test. in Greek II. p. 27), ut potius legendum videatur ὁ Γουνί cum cod. Alexandrino, praesertim quia textus LXX Luciani praebet 1 Par. 11,34 ὁ Γουνί et 2 Reg. 23,32 ὁ Γουνύ. Unde *Klostermann*, *Driver*, alii legere malunt הַגִּנִּי, Gunites et nomen referunt ad familiam Gunitarum de tribu Nephthali (cf. Num. 26,48). Cf. *Driver*, Notes on the Hebrew Text of the Books of Samuel 1890 p. 283. Quoad nomen Assem vel Iassen v. IASSEN.

GIBLII (הַגִּבְלִים, οἱ Γιβλίοι vel Βιβλίοι) laudantur peritissimi fabri in exstructione templi salomonici (3 Reg. 5,18 hebr. 32); in descriptione opulentiae Tyri (Ez. 27,9) senes Giblii (זִקְנֵי גְבַל) et prudentes eius (urbis) dicuntur *resarcientes rimam tuam* (hebr.) i. e. reficientes si quid rimosum esset in navi Tyriorum gubernatorum, principatum inter Phoenices gerentium. Giblii sunt incolae Gebal, quae urbs apud Graecos est *Byblos* inter Berytum et Tripolim non procul a mari in colle sita (*Strabo* XVI. 2,18); hodie *Djebeil*. — Praeterea in enumeratione regionum a Iosue subigendarum (Ios. 13,15) mentio fit eiusdem Gebal (הַגְּבָלִי, Vulgata : confinia, LXX Γαλιὰθ Φυλιστιείμ); sed ostendit *F. de Hummelauer* ad h. l. textum esse corruptum neque de Gebal seu Byblos posse sermonem esse in descriptione limitum terrae promissae.

In inscriptionibus commemorantur urbs Gubli, Gubla et incolae eius Gubblaai, Gubalai (cf. *Schrader*, Keilinschr. Biblioth. II. 148; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. p. 174), in documentis *Tell el-'Amarna* Gubla, Kubli (cf. *Schrader*, Keilinschr. Biblioth. V. 124 ss.), in inscriptionibus aegyptiacis Kupu, Kupni, Kupuna i. e. Gubl seu Byblos (cf. *W. M. Müller*, Asien u. Europa p. 188-191).

GIDEROTH v. GADEROTH.

GIEZI (גֵּיחֲזִי, Γιεζί), servus Elisei prophetae. Duabus vicibus ab Eliseo nuntius ad mulierem Sunamitidem missus est (4 Reg. 4). Idem avaritia captus munera, quae Eliseus repudiaverat, a Naaman Syro mendacio extorsit, quam ob causam ab Eliseo dimissus abiit leprosus quasi nix audita poenali sententia : Lepra Naaman adhaerebit tibi et semini tuo usque in sempiternum (4 Reg. 5). Ab eodem Giezi Ioram rex Iuda exquisivit, quaenam magnalia fecisset Eliseus; de quibus illi animo grato et veraci testimonium perhibens criminis antea commissi ignominiam expiavit (4 Reg. 8,4. 5).

GIGANTES appellantur homines proceriores et praesertim multum supra mensuram communem statura eminentes. Homines priscos qui teste Scriptura per plura saecula vitam produxerunt, etiam corporis mole insignes fuisse Gen. 6,4 indicatur : « gigantes autem erant super terram in diebus illis » i. e. a mundo condito usque ad diluvium, « et etiam postmodum, quando ingressi sunt filii Dei ad filias hominum illaeque genuerunt, isti sunt heroes antiqui, viri famosi » i. e. etiam quando filii Dei i. e. filii Seth commixti sunt maledictae stirpi Cain, non ideo degeneres robore ac mole corporis prognati sunt filii, sed etiam ipsi exstiterunt gigantes, qui quod robore ad violentiam abuterentur, magnum sibi nomen in mundo compararunt (cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in Genes. p. 218; qui demonstrat filios Dei vocari Sethitas l. c. p. 195. 212 ss.). — Etiam temporibus posterioribus sermo est de gigantibus. Ita affirmant exploratores

Num. 13,34 : ibi vidimus monstra quaedam filiorum Enac de genere giganteo; quibus comparati quasi locustae videbamur, sed uti patet, loquuntur hyperbolice; cf. Deut. 2,11. 20; 3,11. 13; item 2 Reg. 21,18 nominatur Saph de genere gigantum i. e. ex filiis Rapha (vide s. v. RAPHAIM). Ceterum vide s. v. EMIM, ENACIM, ZUZIM.

GIHON (גִּיחוֹן et גִּחוֹן; ἡ Γεών B, ὁ Γιών A). **1.** *Textus S. Scripturae.* Gihon prope Ierusalem ter in S. Scriptura commemoratur. Imprimis in libris Regum Salomon in Gihon deductus et in regem unctus esse refertur, postquam Adonias prope fontem Rogel regiam dignitatem usurpavit (3 Reg. 1,33-45). Praeterea Ezechias in Chronicis dicitur obturasse « superiorem fontem (מוֹצָא, exitum) aquarum Gihon » et eas avertisse « subter ad occidentem urbis David » (2 Par. 32,30) et Manasses narratur aedificasse « murum extra civitatem ad occidentem Gihon in convalle, ab introitu portae piscium per circuitum usque ad Ophel » (2 Par. 33,14). Ad eadem vel similia opera Ezechiae referuntur textus 4 Reg. 20,20; 2 Par. 32,3 s.; Eccli. 48,19 (hebr. 17).

2. *Situs Gihon inferioris.* Ex textibus citatis Gihon designat aquas sive ex fonte manantes sive in piscina ex aquaeductu vel ex pluviis collectas; neque ex etymologia vocis, quam ortum vel strepitum aquarum designare volunt, significatio veri fontis necessario deduci potest. Duplex autem Gihon distinguenda videtur, « superior » (הָעֶלְיוֹן) et inferior « in convalle » (בַּנַּחַל).

Pro situ inferioris Gihon determinando haec ex verbis S. Scripturae videntur constare : 1) Gihon inferior in una ex vallibus urbi adiacentibus sita erat; nam Salomon ex palatio regio ad eam deducitur (3 Reg. 1,33. 38) et magna multitudine comitante inde ascendit in urbem (ib. 40. 45), et appositio « in convalle » 2 Par. 33,14 probabiliter, quamvis non necessario, cum voce Gihon immediate praecedente est coniungenda. — 2) Vallis haec non potest esse nisi aut vallis Cedron aut vallis Hinnom; nequaquam vero vi vocis הַנַּחַל sola vallis Cedron significatur. — 3). Ex historia unctionis Salomonis et Adoniae (3 Reg. 1,9-45) sequitur, Gihon et Rogel tanto intervallo ab invicem separata fuisse, ut quae in uno loco fiebant, in altero neque videri neque facile audiri potuerint; nam finito demum convivio, cum universa multitudo in comitatu Salomonis ex Gihon in urbem ascenderet et tibiis ac tuba canerent et insonaret terra a clamore eorum, Adonias cum sequacibus suis prope Rogel sonitum et clamorem audivit neque tamen rem gestam nisi ex verbis Ionathae nuntii cognovit (l. c. 40-45). — 4) Situs autem fontis Rogel ex Ios. 15,7 s. et 18,16 s. necessario ita determinandus est, ut aut fons Dominae Mariae (*'Ain Sitti Maryam*) aut puteus Iob (*Bīr Eiyūb*) dicatur. Etiamsi vero cum opinione satis communi, quae minime videtur probari (v. ROGEL), alter hic situs putei Iob eligeretur, Gihon nullatenus fons Dominae Mariae dici posset. Nam alter locus ab altero nonnisi 650 metris distat atque aspectus hinc inde per vallem amplissimam recta via patet, ita ut quae illic fiebant, hic necessario videri et facillime audiri potuerint ac debuerint; praeterea pro maxima illa multitudine populi Salomonem comitantis (3 Reg. 1,40) locus congregationis non in angustissima vallis parte superiore, sed potius in ampla planitie infra fontem versus piscinam Siloe sita assignandus foret, id quod indoli narrationis vel maxime contrarium est. — 5) Quare opinio hodie satis communiter admissa relinquenda et situs fontis Rogel in fonte Dominae Mariae, situs vero Gihon inferioris in valle Hinnom, et quidem in parte vallis superioris, quae hodie *Wādi el-Mās* audit, quaerendus videtur ac fortasse idem dicendus erit, qui nomine « fons draconis » a Nehemia (2,13) designatur (v. DRACONIS FONS, supra, col. 116). Quamvis autem fons proprie dictus ibi hodie non exsistat, tamen variae piscinae et plures aquaeductus antiquitus certe aderant, sicut et hodie ex parte ibi habentur, et verum fontem ibidem fuisse ipsis adversariis haud improbabile apparet (cf. *Gu-*

the ap. *Herzog-Hauck*, Realencyklopädie *ed.* 3 VIII. 671 s.).

3. *Situs Gihon superioris.* Pro situ alterius Gihon, quam ipsa S. Scriptura « superiorem » appellat, ex verbis textus sacri vix quidquam certi habetur. Id unum ex hac denominatione « superioris » et ex dictis videtur constare, eam non in fonte Dominae Mariae neque in Siloe neque in valle Cedron aut Hinnom quaerendam esse. Ex naturali autem conditione locorum superior ille exitus aquarum, unde canalis subterraneus in urbem ducebatur, probabilius aut in parte occidentali aut in septemtrionali situs erat. Quodsi pressius canalem hunc « ad occidentem urbis David » (2 Par. 32,30) ductum esse consideramus, non ex occidente, sed potius ex aquilone eum ortum esse dicemus. In utraque vero parte, sive occidentali sive septemtrionali, antiquitus plures exstitisse aquaeductus et piscinas, ex ruinis superstitibus constat eaque opera saltem ex parte iam aetati regis Ezechiae adscribi posse doctis haud improbabile videtur (cf. *Furrer* ap. *Schenkel*, Bibel-Lexikon II. 464).

Ex scriptis veterum, itinerariis, commentariis nihil fere pro situ Gihon habetur. Ex versionibus Targum chaldaicum atque interpres Syrus et Arabs « Siloe » (שִׁילוֹחָא) explicant (3 Reg. 1,33. 38). — Fl. Iosephus praeter nomen Γειών (Ant. VII. 14,5 n. 355; cf. 357) nihil commemorat; cum autem Adoniam explicite « παρὰ τὴν πηγὴν τὴν ἐν τῷ βασιλικῷ παραδείσῳ » convivium suum regale habuisse referat (ib. 14,4 n. 347), profecto vix in eodem horto regio prope alterum fontem nuspiam alias commemoratum unctionem et proclamationem Salomonis collocasse dicendus erit. — In Onomastico Eusebii et S. Hieronymi praeter nomen Γειών et additum « ubi Salomon est unctus in regem » nihil de Gihon habetur (*ed. E. Klostermann* [1904] p. 72,22). Similiter in itinerariis usque ad finem saeculi XIII. ne vestigium quidem traditionis de situ Gihon invenitur; nam quod *Theodosius* (c. a. 530) dicit Geon inrigare terram Evilath et transire iuxta Hierusalem (De situ terrae sanctae c. 16, *ed. Geyer*, 145,1 s.), eamdem absentiam omnis traditionis potius ostendit. Inde ab exeunte saeculo XIII. post *Burchardum* et *Marinum Sanutum* peregrini et auctores geographi frequenter de monte, valle, fonte Gihon ad occidentem prope Hierosolyma sitis loquuntur (cf. *T. Tobler*, Die Siloahquelle und der Oelberg p. 50 s.; *K. Raumer*, Palästina *ed.* 4 p. 305 s.); unde praesertim piscina quae hodie *Birket Māmilla* audit, multis est ipsa Gihon superior, aut saltem cum ea intime connexa supponitur (*Tobler*, Topographie von Jerusalem II. 62 s.). — Denique opinio satis communiter recepta, quae Gihon dicit fontem Dominae Mariae aquaeductu cum Siloe inferiore iunctum, post auctores antiquiores Iudaeos praesertim proposita est a *K. Furrer* ap. *Schenkel*, Bibel-Lexikon II (1869) p. 463-5 et post ipsum multos fautores obtinuit.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 164-6; *id.* Neuere bibl. Forschungen p. 317-20 (male מִמַּעֲרָבָה 2 Par. 33,14 « ab occidente » explicat); Survey of Western Pal., Jerusalem p. 366; *W. M. Thomson*, The land and the book, Southern Palestine p. 447-50; *G. Grove* et *Ch. W. Wilson* ap. *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible *ed.* 2 I. 2, 1186 s.; *Giesebrecht* ap. *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch *ed.* 2 I. 529; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi I. 177-9; *F. Buhl*, Alt. Paläst. p. 93 s.; *Guthe* ap. *Herzog-Hauck*, Realencyklopädie *ed.* 3 VIII. 670 s.; *id.* Kurzes Bibelwörterbuch p. 217; *H. Lesêtre* ap. *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 239-41; *J. Döller*, Studien zum III. und IV. Buche der Könige p. 7-10.

L. FONCK.

GILO (גִּלֹה, Γηλώμ, Γωλά), urbs tribus Iuda (Ios. 15,51); recensetur in prima provincia montis. Eadem erat patria Achitophel consiliarii Davidis et asseclae Absolomis rebellis (2 Reg. 15,12). Inter heroas davidicos enumeratur Eliam filius Achitophel Gelonites (2 Reg. 23,34), qui 1 Par. 11,36 mendose scribitur Ahia Phelonites. Gilo censetur esse *Khirbet Djālā* prope *Ḥalḥūl* inter septemtrionem et occidentem (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 313). Sed obstat, quod *Ḥalḥūl* pertinet ad quartam provinciam montis Iuda ab aquilone Hebronis sitam, dum Gilo in prima provincia maxime meridionali montis recensetur.

GINETH (גִּינַת, Γωνάθ), pater Thebni usurpatoris (3 Reg. 16,21. 22).

GITH dicitur a S. Hieronymo קֶצַח, quod Isaias 28,25 cum cumino et reliquis in agro serendis enumerat, et non tribula triturandum, sed virga excutien-

33°
el-Buqei'a
Beit Djenn
el-Raime
Rama
Khirbet Hazzair
el-Mughâr
Khirbet Sellâme
Deir Hannâ
326
248
554
Râs Krumân
el-Battauf
139
Khirbet
Umm el-Ama
el-Ba'îne
156
341
el-Azeir
Djebel Tûrân
Tûrân
Wâdi Rummâne
242
el-Shedjara
Kefr Kenna
Cana?
Ain Qânâ
382
Khirbet
Umm Djebeil
360
Djebel Sîh
Ain Mâhil
el-Tire
Debûriye
Dabereth
362
140
Iksal
Ceseleth
Casaloth
Djebel el-Tôr
Mons Thabor
33°

Paris.

E. Guillot, del. sc. _ Paris.

P. LETHIELLEUX, Editor _ Paris.

Imp. Dufrénoy _ Paris.

dum describit (ib. v. 27). LXX μελάνθιον vertunt, Targum קצחא retinet, Peshitta שבבונא (s. שבובנא) habet i. e. *nigella* (*Brun*). Hanc plantam, scilicet *Nigella sativa* Linné, ord. *Ranunculacearum*, Graecis μελάνθιον seu μελάνσπερμον, Latinis *gith* (s. *git*) dictam, nomine hebraico designari auctores communiter admittunt. Semina eius nigra condimentum cibi, ac maxime panis, remedinmque gratum antiquis erat (*Columella* VI. 34,1; *Dioscur*. Mat. med. 3,83 al. 93; *Plin*. XIX. 8,167; XX. 17,182-4, al.). Etiam Aegyptiis notum exstitit (*A. Braun* in Ztschr. f. Ethnol. IX. 1877, 290), et hodie quoque in Syria et praesertim in Aegypto ad condiendum panem adhibetur. A rabbinis insuper cum cumino atque anetho aliisque herbis inter olera decimanda (Matth. 23,23; Luc. 11,42) enumeratur.

Cf. *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 118 s.; *O. Cetsius*, Hierobot. II. 70-2; *E. Boissier*, Flora orient. I. 68; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 314; *P. Schegg*, Bibl. Archaeologie 160; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausth. *ed*. 6,205.

L. FONCK.

GNIDUS, GNYDUS (Κνίδος) nominatur 1 Mach. 15,23 inter istas res publicas, quibus Romani Iudaeos sibi foedere iunctos commendarunt anno 139 a. Chr. et Act. 27,7 in itinere romano S. Pauli, qui a Myra (Vulgata : Lystra) urbe Lyciae maritima tardo cursu inter Rhodum et Asiam minorem vectus est contra Gnidum, sed prohibente vento, qui a septemtrione et occidente flabat, Cretae insulae adnavigavit. Cnidus est urbs maritima Cariae sita in peninsula Gnidia, quae inter Rhodum et Coum insulas in mare porrigitur et sinu Ceramico a septemtrione, a meridie mari Rhodio alluitur. Cernuntur hodie ruinae Cnidi in promontorio, cui nomen *Crio*.

GOATHA (גֹּעָתָה cum He paragog. i. e. Goah versus; LXX ἐξ ἐκλεκτῶν λίθων) commemoratur una cum colle Gareb in descriptione urbis Ierusalem denuo aedificandae Ier. 31,39. Quaeri debet ad latus urbis occidentale et quidem, ut videtur, meridiem versus a colle Gareb (vide s. v.). Apud Syrum Goah redditur Ramtha i. e. locus editus, collis; in Targum Ionathan autem piscina rotunda vel forte piscina vitulae. Quid tandem Goah sit, ex ipso textu non liquet. Situs accuratior determinari nequit. Relinquenda autem est opinio (*Vitringa, Hengstenberg*) Goatha esse Golgotha; obstat enim tum etymon (cf. GOLGOTHA) tum ratio topographica, ut apparet ex dictis s. v. GAREB.

GOB (גֹּב et גֹּב) assignatur locus duarum pugnarum inter milites Davidis et Philisthaeos (2 Reg. 21,18. 19). In v. 18 textus hebraicus, Vulgata, Chaldaeus legunt Gob, LXX Γέθ, Syrus Gath; loco parallelo 1 Par. 20,4 textus hebr. Gezer, Vulgata Gazer, LXX Γαζέρ, Syrus Gaza; Flavius Iosephus (Ant. VII. 12,2) Γάζαρα. In v. 19 textus hebraicus, Vulgata, Chaldaeus legunt Gob, LXX Ῥόμ, cod. A Γόβ, Syrus nullum locum assignat; loco parallelo 1 Par. 20,5 nomen loci tacetur ab omnibus. Praeterea nonnulli codices hebraici 2 Sam. 21,18 s. pro Gob legunt Nob. Cum textus adeo dubius sit, de Gob nihil statui potest. Fortasse Gob non est nisi mendum pro Geth vel etiam pro Gazer.

GODOLIAS (גְּדַלְיָהוּ, גְּדַלְיָהוּ; Γοδολίας).

1. Levita, filius Idithun in cithara prophetans, praefectus secundae classis cantorum tempore David (1 Par. 25, 3. 9).

2. Filius Ahicam filii Saphan, a Chaldaeis post expugnationem Ierusalem (588 a. Chr.) praepositus populo in Iudaea remanenti (Ier. 40,5 ss.); sedem suam figebat in Masphath oppido Beniamin antiqua religione sacro; ad eum undique confluebant reliquiae populi dispersi, ii nempe qui tempore invasionis Chaldaeorum diffugientes periculo captivitatis se subduxerant. Aliqui (v. g. *Cheyne*) contradictionem cernunt in eo quod 40,1 Ieremias cum reliquis captivis Ramam abductus et Ramae a Nabuzardan magistro militiae catenis solutus ac liberatus esse dicitur, dum 39,14 propheta de vestibulo carceris (in Ierusalem) a Nabuzardan liberatus et curae Godoliae commendatus esse legitur. Varias interpretum solutiones recen-

set *Knabenbauer* ad 39,14, inter quas maxime obvia videtur sententia *Cornelii a Lap.* et *Tirini* 41,1 s. fuse et enucleate describi, quae 39,14 breviter tantum indicata sint scil. Ieremiam carcere eductum cum aliis captivis Ramam deportatum et ibi tandem e medio aliorum catenis solutum esse. Godolias Ieremiae consilia secutus omnes adhortatur, ut ordini rerum a Chaldaeis instituto acquiescant, simul spondens se eorum causam apud Chaldaeos acturum esse ac permittens, ut messem colligant et in urbibus habitent ubicunque voluerint (40,9 s.). Sed mox Godoliae viro probo et candido insidiae parabantur ab Ismahel ex familia regia Iuda oriundo; de insidiis monitus Godolias bene quidem egit prohibens, ne Ismahel clam occideretur, at prudentiae et circumspectioni defuit totam rem pro mendacio habens neque saluti propriae populique prospiciens (40,13 s.). Ab Ismahel eiusque sociis ad convivium in Masphath invitatis interficiuntur ipse satrapa et Iudaei qui cum eo erant et satellites babylonici tribus post urbem expugnatam mensibus; corpora autem eorum proiecta sunt in cisternam illam, quam Asa rex Iuda bellum gerens cum Baasa rege Israel in media civitate Maspha fodiendam curaverat (41,1 s.). Reliquiae autem Iudaeorum, cum furorem et ultionem Chaldaeorum ob necem Godoliae satrapae timerent, una cum Ieremia eoque vetante in Aegypto refugium quaesierunt (43,5-7; cf. 4 Reg. 25,22-26).

3. Sacerdos qui uxorem alienigenam Esdra iubente dimisit (Esdr. 10,18; LXX Γαδαλία).

4. Avus Sophoniae prophetae (Soph. 1,1).

5. Vide GEDELIAS.

GOG (גּוֹג, Γούγ), Rubenita ex maioribus Beera (1 Par. 5,4).

GOG v. MAGOG.

GOLAN v. GAULON.

GOLGOTHA (Γολγοθᾶ Matth. 27,33; Marc. 15,22; Ioan. 19,17), nomen loci ubi Christus crucifixus est. Locus erat prope Ierusalem (Ioan. 19,20), extra urbem (Hebr. 13,12). Eius interpretationem optime tradit Lucas 23,33 ἦλθον ἐπὶ τὸν τόπον τὸν καλούμενον Κρανίον, Calvaria, Cranium, hebr. גֻּלְגֹּלֶת. Nomen loci veteres multi ex eo explicant quod fuerit ibi locus quo mortis rei plectebantur et quo decollatorum crania iacebant. Ita iam Hieronymus (in Comm. in Matth.) locum decollatorum vocem significare ait quam explicationem sequuntur Beda, Paschasius, Bruno astensis, Albertus Magnus, Caietanus, Maldonat, Salmeron, a Lapide, Calmet. Nomen veteres etiam referunt ad cranium Adam quem ibi sepultum esse opinabantur; ita iam Origenes, auctor carminum adversus Marcionem, Ambrosius, Epiphanius, aliique (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. 27,33). Verum patet utramque explicationem esse relinquendam. Prior iam eo refutatur, quia veteres certum locum ad supplicia inferenda non habere solebant; insuper secundum Iudaeorum leges nullatenus fieri potuit, ut crania decollatorum eo in loco publico prope urbem congesta iacerent. Altera explicatio refutatione non indiget.

Recentiorum explicatio probanda erit locum accepisse nomen cranii ex forma quae aspectui praebebatur; si locus erat aliquantulum elevatus, rotundus, facile populari loquendi modo id effici poterat, quod in collibus et montibus frequenter factum esse scimus, scil. ut appellarentur ex figura quadam et similitudine quam cum aliis rebus habere videbantur, uti v. g. a Strabone (17,3) promontorium Κεφαλαί nomine commemoratur. De situ Calvariae vide Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 272. X. 1887 p. 118. XVII. 1894 p. 221; *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1901 p. 273-299 (et cf. 1902 p. 93); 1902 p. 66 ss. 142 ss. 282 ss. 376 ss. 1903 p. 51 ss. 140 ss. 242 ss.

GOLIATH (גָּלְיָת, Γολιάθ) notissimus ille gigas Philisthaeus de Geth, in qua urbe reliquiae Enacim cum Philisthaeis coaluerant (Ios. 11,22), a Davide in valle terebinthi occisus (1 Reg. 17,4 s.; Eccli. 47,4. 5); eius caput David attulit in Ierusalem (1 Reg. 17,54), utique postquam rex arce Sion potitus est, gladium vero

in tabernaculo foederis pallio involutum post ephod reposuit, donec Achimelech pontifex illum Davidi fugitivo restituit (21,9; 22,10). Frater Goliath Gethaei erat Lachmi, quem Adeodatus (vide s. v.) seu Elchanan (vide s. v.) occidit (2 Reg. 21,19; 1 Par. 20,5). Ps. 143 inscribitur : Psalmus David adversus Goliath. Eius altitudo erat 6 cubitorum et palmi (2,984 m), lorica squamata 5000 siclorum aeris (81,850 kg); hastile hastae eius erat quasi liciatorium texentium, ipsum ferrum hastae 600 siclos ferri habebat (9,822 kg). Cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 17,4-7. Similia de gigantibus quibusdam narrant *Herodotus* 1,68; 7,117; 9,83; *Plinius* VII. 16,73 s.; *Flav. Iosephus*, Ant. XVIII. 4,5. Ceterum nostra aetate reliquiae humanorum corporum repertae sunt, quae altitudinem Goliath fere exaequant vel etiam superant (cf. *Ausland* 1839 Nr. 19,76; *Schliemann*, Mykenae, 1878, 339).

GOMER (גֹּמֶר, Γομέρ Γαμέρ). **1.** Primus inter septem filios Iaphet recensetur Gomer; eius filii nominantur Ascenez, Riphath, Thogorma (Gen. 10,2. 3; 1 Par. 1,5. 6); in exercitu Gog regis Magog ex posteris Iaphet et Cham conflato enumerantur Gomer et universa agmina eius, domus Thogorma etc. (Ez. 38,6). Gomer esse Cimmerios iam *Tirinus* et *Calmetus* censuerunt et ex recentioribus plerique admittunt. Cimmerii, gens antiquis iam nota (*Homer*. Odyss. 11,14), sedes habebant septemtrionem versus a Ponto Euxino et lacu Maeotide (*Herod.* 4,11 s.; *Strabo* III. 2,12); a Graecis autem posteriore tempore cum Cimbris confundebantur (cf. *Strabo* VII. 2,2). A Scythis pulsi in regiones Asiae minoris migrarunt (*Herod.* 1, 6. 15. 103; 4,1. 11 s. 100; *Strabo* XI. 2,5); immo veteres historiographi referunt Thraces asiaticos, Bithynios, Maryandynios, Paphlagones, Phryges origine esse Thraces (Θρᾷκες), qui antiquissimis temporibus Bosporo traiecto in Asiam minorem immigraverint atque hos ipsos esse Cimmerios (*Strabo* I. 3,21; XII. 8,7; XIII. 1,8; XIV. 1,40; *Lenormant*, Les origines de l'histoire II. 332 s.). In inscriptionibus cuneiformibus inde a tempore Asarhaddon (681-668) commemorantur *Gimirrai* i. e. Cimmerii qui saeculo 7. in Asiam minorem irruperant (*Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 62; *Schrader*, Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 157 s.). Aliqui Gomer etiam agnoscunt in Cappadocia, quam Armeni *Gamir* appellabant (cf. *Schrader-Whitehouse* II. p. 124). Ps. Ionathan et Targum hieros. Gomer Phrygiam dicunt, Flav. Iosephus Galatas (Ant. I. 6,1)

2. Gomer filia Debelaim, quam Osee propheta ex mandato Dei matrimonio sibi iunxit (Os. 1,3; cf. *Knabenbauer* ad. h. l.).

GOMOR v. MENSURAE.

GOMORRHA (עֲמֹרָה, Γόμορρα), urbs Pentapoleos in termino terrae Chanaan (Gen. 10,19), in valle Siddim (13,10) sita, cuius rex Bersa cum quattuor regibus vicinis foedere iunctus a Chodorlahomor devictus est (14,2-11). In celeberrima illa catastrophe, qua quattuor urbes Pentapoleos scil. Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim deletae sunt, nomina Sodomae et Gomorrhae coniunguntur et prae reliquis efferuntur (18,20; 19,24. 28), sicuti alias quoque saepius. Ad eandem catastrophen vel ad malitiam Gomorrhaeorum referuntur Deut. 29,23; 32,32; Is. 1,9. 10; 13,19; Ier. 23,14; 49, 18; 50,40; Am. 4,11; Soph. 2,9; Matth. 10,17; Rom. 9,29; 2 Petr. 2,6; Iudas 7.

De situ probabili vide s. v. ADAMA et SIDDIM.

GORGIAS (Γοργίας), dux Syrorum tempore Antiochi IV. Epiphanis et Antiochi V. Eupatoris, vir in rebus bellicis peritissimus. Gorgias et Nicanor a Lysia, qui pro Antiocho IV. regnum cis Euphratem administrabant, in Iudaeam missi cum Iuda Machabaeo prope Emmaus (Nicopolim) conflixerunt a. 166/165 a. Chr.; Nicanor dux maioris partis exercitus fugatus est, Gorgias vero, qui nocturna expeditione Iudam Mach. circumvenire frustra tentaverat, ubi castra Syrorum combusta esse conspexit, proelium evitans in Philistaeam se recepit (1 Mach. 3,38-4,25; 2 Mach. 8,9-36). Post hanc cladem in Philistaea remansit, ut ex proelio prope Iamniam commisso manifestum erit. Etenim Ioseph filius

Zachariae et Azarias a Iuda Mach. Hierosolymis duces relicti erant, dum Iudas et Ionathas in Galaad, Simon in Galilaea bella gerebant (1 Mach. 5,18. 19); contra mandatum Iudae Ioseph et Azarias, ut et ipsi sibi nomen facerent, Iamniam aggressi sunt; sed Gorgias ex urbe prorumpens eos devicit (1 Mach. 5,55-62). Tempore Antiochi V. Eupatoris Gorgias Ptolemaeo defuncto suffectus est praefectus Coeles Syriae et Phoenices et una cum vicinis Idumaeis frequenter Iudaeos debellabat (2 Mach. 10,12-14). Immo etiam post pacem a Lysia et Iuda initam, cum Iudaei quiete frui vellent, Gorgias cum iis manus conseruit, sed ipse in proelio fere captus est et exercitu suo fugato Maresam aufugit (2 Mach. 12,32-37).

GORTYNA (Γόρτυνα), urbs Cretae recensetur inter civitates, quibus senatus romanus (139/138 a. Chr.) Iudaeos foedere cum Romanis iunctos per epistulam commendavit (1 Mach. 15,23). Supponendum igitur est illo tempore magnum numerum Iudaeorum ibi fuisse. Sita erat in media fere insula versus litus australe iuxta Lethaeum fluvium, 50 fere stadia in circuitu habens; ad eam pertinebant duo portus Matalon et Lebena (*Strabo* X. 4,11). Eius ruinae cernuntur prope vicum *Hagia Dheka* a monte Ida meridiem versus.

GOSEM Neh. 2,19 alias in Vulgata scribitur Gossem (v. s. v.).

GOSEN (גֹּשֶׁן, Γοσόμ), oppidum in meridiana parte montis Iuda (Ios. 15,51); situs ignoratur. Praeterea terra Gosen Ios. 10,41; 11,16 enumeratur inter regiones a Iosue in Palaestina meridionali expugnatas. Haec regio sine dubio latius patebat quam fines alicuius urbis; nomen fortasse ducebat ab illo oppido; quaenam pars Palaestinae meridionalis designetur, dici nequit. Coniicit *F. de Hummelauer* ad Ios. 10,40 tractum Gosen ll. cc. suffici pro Asedoth (v. ASEDOTH 2).

GOSSEM (גֶּשֶׁם, Γησάμ), Arabs qui una cum Sanaballat Horonite et Tobia servo Ammanite aedificationem templi impedire frustra nitebatur (Neh. 2,19; 6,1. 2. 6; nomen 6,6 scribitur גַּשְׁמוּ). Gossem haud dubie accensendus est illis ducibus regionis trans flumen, qui magna cum consternatione audierunt Nehemiam advenisse, ut quaereret prosperitatem filiorum Israel (cf. Neh. 2, 9. 10); tribus enim illae ad orientem Palaestinae discursionibus praedatoriis deditae instaurationem metuebant.

GOTHONIEL (Γοθονιήλ), pater Chabri, unius ex tribus principibus seu presbyteris Bethuliae (Iudith 6,15 LXX). In Vulgata 6,11 mendose legitur: Charmi qui et Gothoniel.

De alio Gothoniel 1 Par. 27,15 v. OTHONIEL.

GOZAM (Is. 37,12) v. GOZAN.

GOZAN (גֹּזָן, Γωζάν), regio in quam reges Assyriae Phul seu Theglathphalasar et Salmanassar (vel Sargon) partem Israelitarum captivorum abduxerunt (4 Reg. 17,6; 18,11; 1 Par. 5,26). Etiam Sennacherib in altera ad Ezechiam regem legatione potentiam Assyriorum iactans gloriatur Gozan ab Assyriis captam esse (4 Reg. 19,12; Is. 37,12 ubi Vulgata legit Gozam). Eadem communiter agnoscitur, quae apud *Ptolem.* V. 17 [18],4 Gauzanitis Chaborae (*Khabūr*) flumini adiacens, in inscriptionibus cuneiformibus *Guzana* inter Euphratem et Tigridem (*Delitzsch, Schrader*), hodie *Kaushan* (*Ritter, Riess*).

Cf. *Delitzsch*, Paradies p. 184. 185; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I p. 267; *Ritter*, Erdkunde X. 248 ss.; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 14; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 III. p. 561-565; *E. Schrader*, Keilinschriftl. Bibliothek I. 208 ss.

GRABATUS (κράββατος, κράβαττος) lectus quidam vilior, qui facile portari, auferri potest sponda simplici constans, supra quam stragulum erat expansum (cf. Marc. 2,4 ss.; 6,55; Ioan. 5,8 s.; Act. 5,15; 9,33). Attamen in Vulgata Am. 3, 12 vox adhibetur de lecto maiore luxu instructo: in Damasci grabato; textum hebr. explicant: in panno damasceno lecti (strati).

GRADUS. Quindecim psalmis praefixa est inscriptio: canticum graduum

(שִׁיר הַמַּעֲלוֹת, ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν) scil. Ps. 119-133. Quae sit inscriptionis significatio, incertum est. Interpretes veteres iudaici quos sequuntur nonnulli antiquiores nomen inde explicant quod a levitis in festo tabernaculorum decantari solebant in quindecim gradibus scalae qua in templo ab atrio mulierum in atrium virorum ascendebatur. Videtur esse commentum rabbinicum, cui tamen ex recentioribus subscripsit *Hitzig*.

Alii explicant de carminibus quae cantaverint ascendentes in Ierusalem ad festa in templo celebranda, ita ut sint carmina ascensionum i. e. peregrinantium in urbem. Ter enim quotannis secundum legem se sistere debebant Israelitae Domino. Vetus opinio, quam Syrus in inscriptione complurium psalmorum indicat et quae fortasse etiam ab Aquila, Symmacho, Theodotione exprimitur (εἰς τὰς ἀναβάσεις) et a S. Chrysostomo, Theodoreto indicatur, cantica haec eorum esse statuit qui ex Babylone reduces in urbem et patriam redierint. Vario tempore turmae eiusmodi ascenderunt in urbem, uti ex libris Esdrae et Nehemiae patet. — Recentiores nonnulli vocem referre malunt ad peculiarem carminum formam; quae scil. gradatim quasi procedant, ita ut antecedentis sententiae pars ab initio subsequentis fere repeti, augeri et quasi ascendere videatur. Id quod tamen minime eodem modo in omnibus deprehenditur; neque quod in aliquibus deprehenditur, iis solis proprium est. Nam simile quid iam cernitur in cantico Debborae et in psalmis quoque aliis (exempla collegit *Riehm* ad Ps. 29, 1). Ceterum vide *Cornely*, Introd. II. 2 p. 23 s. 97.

GRAECI, GRAECIA (οἱ Ἕλληνες, ἡ Ἑλλάς). His vocibus redditur hebr. יָוָן; vide s. v. IAVAN.

Hoc loco de iisdem vocibus dicemus, prout in libris Mach. et in Novo Test. adhibentur.

Uti Dan. 8,21 rex Graecorum ille dicitur qui deiecto regno Persarum magnum quoddam regnum Graecorum in oriente condit, ita 1 Mach. 1,1 et 6,2 dicitur : Alexander primus regnavit in Graecia i. e. imperium macedonico-graecum fundavit. Simili modo vocatur regnum Graecorum regnum syro-macedonicum quod Seleucus Nicator fundavit (1 Mach. 1,11 anno 137 regni Graecorum i. e. secundum epochen vel aeram Seleucidarum; 8,18).

Quomodo Iason, summus sacerdos, Graecorum mores ludosque inducere studuerit refertur 2 Mach. 4,9 s.; 11,24; cf. 1 Mach. 1,12 s. In ipsa quippe Palaestina Iudaei habitabant permixti cum accolis qui lingua graeca et moribus graecis utebantur; eiusmodi accolae frequentes erant in regione maritima, in Galilaea (unde nomen : Galilaea gentium), in regione a Iordane orientali (in Decapoli) atque sat multae urbes maximam partem ab eiusmodi accolis habitabantur. Ita urbes Philisthaeorum et Phoenicum appellantur πόλεις Ἑλληνίδες 2 Mach. 6,8 (Vulgata : gentilium civitates), quae scil. a tempore Alexandri Magni mores graecos adoptaverint. Tales urbes praeprimis erant, ut plerumque iam ipsis nominibus panditur, Gaza, Iope, Anthedon, Apollonia, Caesarea, Ptolemais, Samaria, Scythopolis, Paneion (Paneas, Caesarea Philippi), Hippus, Gadara, Pella, Dium, Philadelphia, Areopolis etc. (cf. *Schürer*).

In Novo Testamento Graeci non una notione dicuntur. Quandoque videtur totum genus humanum designari in Iudaeis et Graecis; cf. Rom. 1,16; 2,9; 3, 9; 10,12, 1 Cor. 12,13; Gal. 3,28; Col. 3,11. Alias dicuntur Graeci omnes gentiles qui graecis moribus imbuti Iudaeis opponuntur; ita Graeci, Ἕλληνες, appellantur non solum qui in Graecia habitant (Act. 17,4. 12; 18,4), sed etiam qui degebant Iconii (Act. 14,1), Ephesi (Act. 19,10. 17 graece; 21,28 graece). Cum enim ex tempore Alexandri Magni lingua graeca moresque graeci et litterae graecae longe lateque per Asiam essent disseminata, facile nomen quoque Graecorum iis factum est commune qui natione non erant Graeci. Verum ab his omnino distinguere oportet eos qui dicuntur Ἑλληνισταί (Vulgata utique : Graeci) Act. 6,1; 9, 29. Eo nomine designantur natione Iudaei qui apud exteras nationes nati graece loquebantur, et Act. 6,1 idem nomen etiam iis ex Hel-

lenistis inditur qui iam Christo nomen dederunt; sed 11,20 Ἑλληνιστάς corrige Ἕλληνας.

De Hellenismo cf. *Droysen*, Geschichte des Hellenismus *ed.* 2, Gotha 1877-1878; *Willrich*, Juden und Griechen vor der makkabaeischen Erhebung 1895; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3. I. p. 187 ss. II. p. 21 ss. et de urbibus hellenisticis in specie II. p. 72-175; *F. de Saulcy*, Histoire d'Hérode, roi des Juifs, 1867, p. 179 ss.

De Hellenistis cf. *Lightfoot*, Horae hebr. in Act. 6,1 s. *ed. I. Leusden* II. p. 704 ss.; *Knabenbauer*, Comm. in Act. p. 111. 116-203.

GRANATUM scil. malum granatum v. MALOGRANATUM.

GRATIA. In Vetere Testamento plerumque respondet voci hebr. חֵן. Frequens est dictio invenire gratiam in oculis, in conspectu alicuius, vel Dei vel hominis i. e. consequi favorem, potiri benevolentia, bene ac benigne suscipi. Qui submisse petunt, rogant ut inveniant gratiam, ut alii sibi faveant; cf. Gen. 30,27; 32,5; 33,8. 10; 34,11; 39,4. Inde gratiam dare idem est ac favorem alicuius cuiquam conciliare; ita Deus dicitur gratiam dedisse Iosepho in conspectu principis carceris (Gen. 39,21), eodemque modo : dabo gratiam populo huic coram Aegyptiis (Ex. 3,21; 11,3; 12,36); inde factum est ut Aegyptii vasa argentea et aurea libenter traderent Israelitis. Reddere gratiam idem est ac favorem alicui praestare, ei bonum retribuere cf. 2 Reg. 2,9. Porro gratia חֵן etiam ea dicuntur quibus favor facile conciliatur; vel ea quae placent, scil. suavitas, venustas : diffusa est gratia in labiis tuis (Ps. 44,3); ut addatur gratia capiti tuo (Prov. 1,9; cf. 3,22; 4,9; 22, 11); ita Prov. 11,16 mulier gratiosa (hebr. mulier gratiae i. e. venusta) et 31,30 fallax gratia.

Sed aliae quoque voces in Vulgata verbo gratiae redduntur; ita saepius חֶסֶד; 2 Reg. 15,20 dicit David ad Ethai : Dominus faciet tecum misericordiam et veritatem, quia ostendit *gratiam* et fidem; in David ostendit amorem, pietatem, misericordiam. Item 2 Reg. 16, 17; 3 Reg. 2,7; 1 Par. 19,2; Esth. 2,9. Etiam רָצוֹן ita redditur : qui bonus est hauriet gratiam a Domino i. e. habebit beneplacitum Domini (εὐδοκίαν) Prov. 12, 2; item 14,9 : inter iustos morabitur gratia. Semel gratia ponitur pro לֶקַח (doctrina) Prov. 16,23 : labiis eius addet gratiam. Praeterea ponitur gratia, ubi legitur δωρεά Sap. 16,25, χρῆσις Eccli. 18, 7, εὐχαριστία 2 Mach. 2,28, χαριστήριον 2 Mach. 12,45.

In Novo quoque Testamento gratia, χάρις dicitur de benevolentia, favore; praecipue de Dei et Iesu Christi benignitate et favore, cui omnia beneficia debemus, ita ut propensam Dei in nos voluntatem, liberalitatem, clementiam designet quam gratuito ex mera benignitate nobis impendit. Ita gratia induit notionem, ut aliquid libere ac gratuito praestetur iis qui id minime meruerint. Unde inter se opponuntur secundum gratiam, secundum debitum. Deinde dicitur saepe gratia id quod ex gratia i. e. ex benignissima Dei voluntate datur, auxilium divinum, quo animi hominum illustrantur, ad Deum convertuntur, roborantur, ad omne bonum confortantur. Huic dono maxime proprium est, ut gratuito detur secundum illud S. Pauli : si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia (Rom. 11,6). Huic gratiae, opi divinitus praestitae, hominem oportet cooperari : exhortamur, ne in vacuam gratiam Dei recipiatis (2 Cor. 6,1); gratia Dei sum id quod sum et gratia eius in me vacua non fuit (1 Cor. 15,10). Dicitur quoque gratia ipsa illa animi conditio qua Deo grati et accepti eius gratia effecti sunt iusti; ita stare in gratia (Rom. 5,2; 2 Petr. 3,18 crescite in gratia). Uti in Vetere Testamento, ita in Novo quoque dicitur praeterea de beneficio humano; ita de eleemosynis 1 Cor. 16,3; 2 Cor. 8,6. 19; porro adhibetur notione gratiarum actionis 1 Cor. 10,30 et Luc. 17,9 : numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quae ei imperaverat? 1 Tim. 1,12 χάριν ἔχω gratias ago et 2 Tim. 1,3 et Luc. 6,32 : et si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia, et sim. v. 33. 34, ubi aliqui propter Matth. 5,46

gratiam notione remunerationis accipiunt.

I. KNABENBAUER.

GROSSUS ponitur Cant. 2,13 notione ficus immaturae quae per hiemem succrescit; LXX ὄλυνθος; at Nah. 3,12 grossi exprimunt בְּכִירִים ficus primum maturescentes, praecoces, quae in deliciis haberi solebant (cf. Is. 28,4; Os. 9, 10; Mich. 7,1). Sensu priore legitur quoque Apoc. 6,13 (ὄλυνθος). Vide FICUS.

GRYPS, auctoribus profanis ales quadrupes fabulosa (*Herod.* 3,116; *Plin.* X. 49,136; *Greif, griffon*), S. Hieronymo est avis hebr. פֶּרֶס dicta, primum post aquilam tenens locum inter aves immundas (Lev. 11,13; Deut. 14,12). Eam LXX in Lev. iuxta codicem Alexandrinum γύπα i. e. *vulturem* dicunt, codice Vaticano, Ambrosiano (F ap. *Swete*) aliisque γρύπα legentibus, id quod etiam A in Deut. habet. Ex aliis versionibus Onkelos עֵר i. e. aquilae speciem, samaritana בזאה i. e. *accipitrem,* Targ. hieros. עזדא i. e. probabiliter *aquilam nigram*, graeca veneta ἁλιαίετον interpretantur. — Cum praeter nomen nihil de פֶּרֶס in S. Scriptura memoretur, libera variis coniecturis via relicta est. Plerique etymologiam vocis a rad. פרס *frangere, findere* secuti aquilam *ossifragam* intellegunt, eamque vel *Haliaetum albicillam* Gray dicunt, in Palaestina vix inventam, vel *Pandion haliaetum* Cuvier, piscibus tantum victitantem, vel potiore aliqua ratione *Gypaetum barbatum* Cuvier (*Lämmergeier*) qui ex ossibus rostro suo robustissimo fractis medullam quaerit atque frequenter in Palaestina invenitur. Ex eadem etymologia etiam speciem *vulturis* alicuius, qui rapido volatu aera findat, peti posse monet *F. de Hummelauer* (in Lev. 11,13), vulturemque a LXX et Vulgata indicari non videtur improbabile, dummodo loco grypis fabulosi γύπα cum codice Alexandrino etiam a S. Hieronymo retentum supponas.

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. II. 185-8, *ed. Rosenm.* II. 770-3; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 2,279-81; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talm. 167; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,170-2; *J. G. Wood,* Bible Animals 333-8; *P. Cultrera,* Fauna bibl. 292 s.; *Leunis-Ludwig,* Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 422. 431; *A. E. Brehm,* Tierleben *ed.* 3 VI. 415-37; cf. 437-62; *G. Lorela,* La zoologia nella Bibbia p. 115-7.

L. FONCK.

GUBERNACULUM ponitur in Vulgata Prov. 1,5 et 20,18 pro hebr. תַּחְבֻּלוֹת qua voce iis in locis ars gubernandi, consilium prudens designatur. Eadem vox hebr. alias redditur in Vulgata gubernator (Prov. 11,14; sim. Iob 37,12), consilium (Prov. 12,5), dispositio (Prov. 24, 6). De gubernaculo navis legitur Act. 27,40 et Iac. 3,4 : ecce et naves, cum magnae sint et a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit.

GUBERNATOR legitur in Vulgata Ez. 27,8. 27-29 ubi hebr. solum de nautis sermo est; Prov. 23,34 quasi sopitus gubernator amisso clavo, hebr. sicuti iacens (dormiens) בְּרֹאשׁ חֶבֶל quam vocem communiter de fune ancorario, alii de malo, de antenna interpretantur. De Prov. 11,14 vide s. voce antecedente. Gubernator i. e. dominus nautarum Ion. 1,6 accessit ad Ionam inter tempestatem dormientem eumque monet, ut invocet deum suum. Gubernator κυβερνήτης, qui clavum tenet cursumque navis dirigit, legitur Act. 27,11; Apoc. 18,17.

GUEL (גָּאוּאֵל, Γουδιήλ), Gadita, unus ex duodecim exploratoribus terrae promissae (Num. 13.16[15]).

GUNI (גּוּנִי; Γωνί, Γουνί, 1 Par. 5,15 Γουνί). **1.** Unus ex filiis Nephthali, progenitor familiae Gunitarum (Gen. 46,24; Num. 26,48; 1 Par. 7, 13).

2. Gadita quidam nobilis (1 Par. 5,15).

GURBAAL (גּוּר־בַּעַל i. e. hospitium Baal; ἡ πέτρα), sedes Arabum, quos Ozias rex Iuda Deo iuvante devicit (2 Par. 26, 7), ex contextu inter Palaestinam et peninsulam Arabiae quaerenda, ceteroquin ignota. LXX fortasse de Petra urbe praecipua Edomitarum cogitarunt. Targum pro *Gur* legit *Gerar*.

GUTTA in Vulgata ponitur pro hebr.

אֲהָלוֹת in Ps. 44 [45], 9, uti LXX (unde hic fluxit Vulgata) στακτὴν habent; pariter in libro Ecclesiastici 24,21 pro στακτή *gutta* legitur, atque ea versio naturae huius resinae odoriferae satis convenit. Vide STACTE. De אֲהָלוֹת, quod Vulgata Cant. 4,14 bene aloe vertit, v. ALOE.

GYMNASIUM (γυμνάσιον), palaestra, locus publicus, ubi varii ludi et certamina et exercitia corporis obibantur. Iudaei qui mores Graecorum imitabantur, eiusmodi palaestram in Ierusalem aedificabant 1 Mach. 1,15[14]; cf. 4,9. 12.

H

HABA (*Kethib* וְחֻבָּה, *Qeri* וחבה i. e. et Haba; καὶ Ὠβάβ), filius Somer de stirpe Baria tribus Aser (1 Par. 7,34).

HABACUC. 1. Habacuc (חֲבַקּוּק, Ἀμβακούμ), octavus in ordine prophetarum minorum. Quo tempore prophetaverit, aliis documentis deficientibus ex eius libello colligendum erit. Eo autem discimus babylonium exercitum nondum terram Israel invasisse; immo Chaldaeos suscitari a Domino ad scelera populi Iuda ulciscenda tamquam res fere incredibilis annuntiatur (1,5). Porro inter ea quae acri reprehensione vates prosequitur nulla fit mentio idololatriae. Ex hisce itaque magna probabilitate efficitur, prophetam vaticinatum esse ultimis annis regis Manasse, quo tempore scil. a captivitate redux Manasses et a viis suis prioribus pessimis conversus (2 Par. 33, 12 ss.) idololatriam publice ac palam fieri certe pro viribus prohibuit. Eo tempore pariter intellegitur, quomodo incursum Chaldaeorum ut rem plane novam et inauditam describere potuerit Habacuc (1,5). Quare merito illud tempus assignant et veteres multi et recentiores aliqui (ita iam *Seder Olam,* « neque pauci neque indocti » apud *Sanchez;* ita communior opinio apud *Cornelium a Lapide;* ita *Kaulen*, *Trochon*, *Cornely*). Alii eum tempore Ezechiae, Iosiae, Ioakim vixisse statuerunt (cf. *Cornely*, Introd. II. 2 p. 578; *Knabenbauer* in Proph. min. II. p. 52); ad quae tamen tempora duo illa, quae dicta sunt, minime congruere videntur. De eius vita nihil notum est. Refertur quidem apud *Ps. Epiphanium* eum fuisse ex agro Βηθζοχήρ ex tribu Simeon, urbe a Chaldaeis eversa fugisse in Ostracinem, mox regressum esse in patriam (*M.* 43,417 s.); verum haec incerto auctore dicta ad fabulas iure amandantur. In libello Chaldaeos a Deo mitti ultores improbitatis populi Dei describit; verum virgam hanc qua Deus ad ultionem utatur mox a Domino iri confractum; in populo Dei iustum in fide sua fore salvum. Sublimi carmine (cap. 3) Deum iudicem describit, qui impios deiiciet, piis salutem largietur eximiam.

2. Habacuc (Ἀμβακούμ) propheta nominatur quoque Dan. 14,32, qui scil. dum messoribus cibos fert, iubetur ab angelo prandium ferre Danieli in lacu leonum apud Babylonem et ab angelo illuc transfertur. Hunc prophetam esse alium a priore, iam ratione temporis suadetur; nam, uti supra dictum est, argumento vaticinii prohibemur ne prophetam aequalem faciamus Danielis. Apud LXX titulus cap. 14 legitur : ex prophetia Ambacum filii Iesu ex tribu Levi. Fuerunt quidem qui hunc Habacuc eundem putarent cum priore (ita *S. Hieronymus, Mariana, Calmet, Vigouroux*); at nisi eum vixisse dixeris multo ultra consuetam hominum aetatem, id assumi nequit. Interpretes protestantes eam translationem rident tamquam rem portentosam, fabulosam. Rationalistas ita agere nemo mirabitur. Verum iure miraberis eos quoque ridere qui librorum sacrorum protocanonicorum Novique Testamenti auctoritatem sartam tectamque esse volunt. Sed hi monendi sunt, ut legant 3 Reg. 18,12 et 4 Reg. 2,11. 16 et Matth. 4,5. 8; Luc. 4,5. 9 et Act. 8,39. 40. Si haec non sunt monstrosa, cur illud ut absurdum traducunt?

I. KNABENBAUER.

HABER (חֶבֶר, Χαβέρ), gente Cinaeus, maritus Iahel, quae Sisaram, ducem exercitus regis Iabin, occidit (Iud. 4,11. 17. 21; 5,24). Gens Cinaeorum a Hobab cognato Moysis descendens in extremo meridie terrae Chanaan sedes fixerat (cf. Iud. 1,16); Haber autem Cinaeus septemtrionem versus profectus tabernacula tetenderat usque ad vallem Sennim iuxta Cedes Nephthali et foedus quoddam pepigerat cum Iabin rege Asor (v. IABIN 2 et IAHEL). Coniicit *F. de Hummelauer* (ad Ios. 19,33) superstite Iosue et Danitas emigrasse in Dan-Lais pagum Nephthalitarum et Nephthalitis concessum esse pagum commutatorium ad austrum lacus Tiberiadis et Cinaeos secessisse alios in extremum Negeb, alios duce Haber in istum pagum commutatorium a Nephthalitis invitatos.

HABIA (חֲבַיָּה, Ἑβειά), sacerdos, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt, sed a sacerdotio exclusi sunt, cum genus suum sacerdotale ex tabulis genealogicis demonstrare non possent (Neh. 7,63). Idem Esdr. 2,61 scribitur Hobia (חֲבַיָּה, Λαβειά).

HABITATIO PULCHRA (Mich. 1,11) v. SAPHIR.

HABOR (חָבוֹר, Ἀβώρ et 1 Par. 5,26 Χαβώρ), fluvius Mesopotamiae superioris, quo Salmanassar (vel Sargon) partem Israelitarum captivorum abduxit (4 Reg. 17,6; 18,11; 1 Par. 5,26). A plerisque agnoscitur idem, qui apud antiquos vocatur Aborrhas (*Strabo* XVI. 1,27), Aburas (*Isidor. Char.* 4), Abora (*Zosimus* 3, 12), Chaboras (*Ptolem.* V. 18,3 [*ed. Müller-Fischer* 17,3]), Chabura (*Plin.* XXXI. 3,37), hodie autem *Khabūr*. Is originem ducit a monte Masio (*Kharadja Dagh*) et apud Circesium (*Karkesia*) in Euphratem influit; a parte sinistra (orientali) recipit Mygdonium fluvium (cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 Tab. IV. et V.). Plura vide apud *Ritter*, Erdkunde X. p. 120. 139. 244. 246 s. 1148. — Aliis paucioribus praeplacet alter *Khabūr*, qui ab oriente in Tigridem superiorem influit; sed cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. 1. p. 267. Praeterea v. GOZAN. — Ab utroque fluvio *Khabūr* distinguendus est Chobar Ezechielis, qui fluvius in Babylonia quaerendus est.

Ex multorum opinione *Khabūr* tributarius Euphratis est etiam ille torrens in Mesopotamia, qui Iudith 2,24 LXX appellatur Abronas, 2,14 Vulg. Mambre (cf. s. v.).

HABSANIAS (חַבַצִּנְיָה, Λαβασείν) videtur fuisse caput alicuius familiae de genere Rechabitarum; eius nepos Iezonias tempore Ieremiae prophetae praecipuus erat inter Rechabitas (Ier. 35,3).

HACCUS v. ACCOS 1.

HACELDAMA (Ἀκελδαμάχ) i. e. ager sanguinis (chald. חַקַל דְּמָא) a Iudaeis hierosolymitanis appellatus est ager figuli, quem principes sacerdotum pro triginta argenteis a Iuda Iscariote in templum proiectis emerunt in sepulturam peregrinorum (Matth. 27,8; Act. 1,19). Ager iste figuli (ὁ ἀγρὸς τοῦ κεραμέως) omnibus notus esse supponitur, fortasse quia etiam post venditionem externa vestigia indicabant in eo fundo argillam ad vasa conficienda a figulo, qui agrum possederat, fuisse effossam.

Aliqui recentiores in narratione Evangelistae cum verbis S. Petri Act. 1,18 collata duplicem eiusdem rei traditionem deprehendere sibi videntur, sed immerito. Dicit quidem S. Petrus l. c. de Iuda: et hic quidem possedit (ἐκτήσατο i. e. acquisivit) agrum de mercede iniquitatis. Verum apostolus de re loquens cunctis nota ita id unum effert, quod Iudas pro apostolatu, ad quem vocatus erat, sibi acquisierit idque effert modo oratorio: acquisivit agrum, quia de pecunia proditoris emptus est; dein addit alterum quod sibi acquisivit: suspensus scil. cecidit pronus in terram et crepuit medius. Alii modum loquendi explicant fictione quadam iuris, quia scil. pecunia Iudae emptus sit ager, Iudam censeri posse agrum acquisivisse. Cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2 II. p. 502 et Comm. in Act. p. 34.

Ostenditur hodie locus ille *Haqq el-Dām* vocatus, a meridie urbis Ierusalem in ascensu australi vallis Benennom (Hinnom); inveniuntur ibidem camerae sepulcrales et strata terrae argillosae.

Traditio hunc situm assignans usque ad S. Hieronymum ascendit, qui Haceldama ponit ad australem plagam montis Sion (Onom. *ed. Lag.* 99,21) corrigens textum Eusebii ἐν βορείοις τοῦ Σιὼν ὄρους (l. c. 229, 87). Eandem traditionem refert S. Antoninus Martyr vel potius Anonymus circa annum 570 : « Exeuntibus nobis de Siloa venimus in agrum, qui comparatus est de pretio Domini, qui vocatur Acheldemach, hoc est ager sanguinis in quo sepeliuntur omnes peregrini. Inter ipsas sepulturas cellulas servorum Dei; viri multi virtutum. Poma et vineas inter ipsa monumenta per loca ». Circa a. 670 Adamnanus (Arculfus) « hunc parvum agellulum ad australem montis Sion partem situm saepe frequentans visitabat » et saeculo 8. ineunte Beda refert : « Porro Acheldemach ad australem plagam montis Sion peregrinos et ignobiles mortuos hodie quoque alios terra tegit, alios inhumatos putrefacit ».

Cf. *Antonini* [Anonymi] *Placentini* Itinerarium 26; *Adamnani* De locis sanctis libri tres, l. I. 19; *Bedae* Liber de locis sanctis 3; apud *P. Geyer*, Itinera hieros. p. 177. 243. 307. Praeterea v. *Robinson*, Palaestina II. 178 s.; *T. Tobler*, Topographie von Jerusalem II. 260 ss.; *Schegg*, Pilgerreise, 1867 I. p. 392; *Schick* in *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1892 p. 283-289.

HACHAMONI (בֶּן־חַכְמוֹנִי i. e. filius Hachamonitae, Vulg. filius Hachamoni; υἱὸς Ἀχαμάνι Par. 11,11; ὁ τοῦ Ἀχαμί 1 Par. 27,32). Hachamon vel Hachamoni haud dubie erat caput alicuius familiae, ad quam pertinebant Iesbaam (1 Par. 11,11) et Iahiel (27,32). Ex 1 Par. 11,11 etiam emendandus est textus corruptus 2 Sam. 23,8 : יֹשֵׁב בַּשֶּׁבֶת תַּחְכְּמֹנִי Vulg. sedens in cathedra sapientissimus (princeps); vertendum erat : Iesbaam filius Hachamoni (*F. de Hummelauer* ad h. l.).

HACHELAI (חֲכַלְיָה, Ἀχελιά), pater Nehemiae (Neh. 10,1); idem Neh. 1,1 scribitur Helchias (Χελκειά).

HACHILA (גִּבְעַת הַחֲכִילָה; Vulg. collis Hachila et Gabaa Hachila; ὁ βουνὸς ὁ Ἐχελά et τοῦ Ἐχελᾶ), collis in deserto, ubi David cum 600 viris delitescebat, quando Ziphaei eius latebras Sauli duabus vicibus indicarunt. Priore occasione (1 Reg. 23,19) David de colle descendens meridiem versus in desertum Maon se recepit (23,24. 25). Altera occasione (26,1 ss.) Saul in colle Hachila castrametatus est, David autem colle relicto penitius in desertum (Ziph) se abdidit et noctu in castra Saulis penetrans hastam et scyphum abstulit; deinde ex adversa rupe, quae sine dubio valle interiecta a colle Hachila seiungebatur, somno sopitos compellans iram divinam iis, qui regem in se incitaverant, imprecatus est et in terram Geth ad Philisthaeos abiit. Situs erat collis ad dexteram deserti (23,19) seu ex adverso (hebr. a facie) solitudinis (26,1). Ex contextu intellegendum est desertum Ziph, quod est inter urbem Ziph (*Tell Zīf*) et mare Mortuum; is igitur, qui ex colle Ziph facie ad orientem versa prospiciebat, coram se cernebat desertum Ziph et ad dexteram seu meridiem deserti collem Hachila (*F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 23, 19). A vero sine dubio aberrant Eusebius et S. Hieronymus, quibus Echela est vicus 7 mil. pass. ab Eleutheropoli distans (Onom. *ed. Lag.* 256,3; 120,15); is vicus nimium abest a Ziph et Maon nec respondet contextui biblico, quare *Relandus* (Palaestina p. 745) suspicatur Echelam confundi cum Ceila (cf. Onom. *ed. Lag.* 109,19). Ad orientem *Zīf* invenitur collis *Ḍahr el-Kōlā*, quem nonnulli (*Conder, Buhl*) cum Hachila componunt. Recentius vero *Khirbet Khoreisā* ad meridiem *Zīf* censetur esse illa arx חֹרֶשׁ (חֹרֶשָׁה), quam David in vicinia Ziph occupavit (1 Reg. 23,15. 16. 18. 19) et cuius mentio etiam fit apud Flav. Iosephum (Ant. XIV. 13,9; Bell. iud. I. 13,8; 15,4), ut *A. Schlatter* existimat; attamen non constat חרש locis citatis esse nomen proprium arcis cuiusdam, cum possit etiam significare *silvam, dumetum;* nomen proprium in ea voce latere suadent utique LXX et Flav. Iosephus (Ant. VI. 13,2) interpretantes ἡ Καινή (= חדשה).

Cf. *Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. III. 313 et apud *Hastings*, Dict. of the Bible II. 273; *Buhl*, Alt. Pal. 1886 p. 87; *A. Schlatter*, Einige Ergebnisse aus *Niese's*

Ausgabe des Josephus in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIX. 1896 p. 229.

HACUPHA (חֲקוּפָא; Ἀφεικὰ Esdr. 2, 51; Ἀχειφά Neh. 7,53), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,51; Neh. 7,53).

HADAD (הֲדַד, Χονδάν) recenseturoctavus inter filios Ismaelis (1 Par. 1, 30). Eius nomen legitur Hadar (הֲדַר vel melius הֲדַד, Χοδδάν) Gen. 25,15. Lectionem הדד confirmant Samaritanus et Flav. Josephus (Ant. I. 12,4 Χόδαμος, Χόδδας et Χόδαδος *ed. Niese*). De Hadad vel posteris eius nihil notum est.

HADAIA (עֲדָיָה, Ἐδειά, A Ἰεδιδά), pater Ididae matris Josiae regis, oriundus de Besecath (4 Reg. 22,1); v. BASCATH.

HADAR v. HADAD.

HADASSA (חֲדָשָׁה *nova* scil. urbs, Ἀδασάν), urbs tribus Juda in secunda provincia Sephelae (Jos. 15,37). Eusebius confundit Hadassa cum Adarsa seu Adazer (vide s. v.). Teste Mishna (Erubin 5, 6 cum notis Bartenorae et Maimonidis apud Surenhusium II. p. 105) Hadassa 50 habitationes numerabat eratque urbs minima in Judaea seu tota terra Juda. Hodie fortasse vicus *'Abdis* prope Ascalon orientem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. II. 409) nec procul a Magdalgad (*el-Medjdel*), quae Jos. 15,37 simul cum Hadassa nominatur. Alii (*Dillmann* ad h. l.) situm ignotum esse dicunt.

HADID urbs v. ADIADA, ADDUS.

HADRACH (חַדְרָךְ; Σεδράχ, A Σεδράκ) legitur Zach. 9,1: Onus verbi Domini in terra Hadrach; — quo nomine designantur regio et oppida, quae ad maiorem urbem seu metropolim Hadrach pertinent. Praetermissis significationibus symbolicis et coniecturis innumeris tum veterum tum recentiorum (quarum praecipuas recenset *Knabenbauer* ad h. l.) iuvat notare id, quod assyriologi ad vocem explicandam afferunt. Hadrach, quae Zach. 9,1. 2 una cum Damasco et Emath (Hamath) nominatur, videtur eadem esse urbs et regio, quae in inscriptionibus cuneiformibus *Ḥatarika, Ḥatarikka, Ḥatarakka* appellatur et cuius mentio fit simul cum Damasco, Hamath (Emath), Zoba (Soba), Zemar (Samaraei), Arka (Aracaei); expeditiones Assyriorum in terram *Ḥatarika* commemorantur ex annis 772, 765, 755 a. Chr.; ex contextu inscriptionum quaerenda est haud procul a monte Libano septemtrionem versus. — Aliqua dubia contra hanc opinionem assyriologorum, quae reliquis coniecturis de Hadrach finem imponere videbatur, movit *Wolf Baudissin* et pro comparatione cum Hadrach affert alium quendam locum in Assyria, quem Ptolemaeus (VI. 1,6) Χατράχαρτα appellat.

Cf. *Schrader-Whitehouse,* Cuneif. Inscript. and Old Test. II. p. 153. 190. 192; *Delitzsch*, Paradies p. 279; *H. Winkler,* Alttestam. Untersuchungen 1892 p. 126-134; *Wolf Baudissin* in Real-Encycl. für protest. Theol. *ed.* 2 et etiam *ed.* 3, VII. p. 300. 301, ubi opiniones variae de Hadrach enumerantur et maxima probabilitas pro Hadrach = *Hatarika* conceditur.

HADRIEL (עַדְרִיאֵל, Ἀδριήλ, Ἐσδριήλ), filius Berzellai Molathites seu de Molathi (vide s. v.), maritus Merob filiae Saul (1 Reg. 18,19; 2 Reg. 21,8 ubi pro Michol legendum est Merob); quinque filii quos Merob Hadrieli genuerat, a Gabaonitis in patibulo suspensi sunt (v. GABAON et GABAA 4).

HAERESIS, HAERETICUS. Vox graeca αἵρεσις et a verbo activo αἱρεῖν *demptionis, expugnationis*, et a verbo medio αἱρεῖσθαι *electionis, optionis* significationem habet apud scriptores profanos. Per metonymiam etiam sententia aliqua vel opinio philosophica, quam aliqui sibi tuendam ac profitendam optant, et porro ipsa quoque schola sive secta eorum qui talem sententiam reiectis aliis amplectuntur, vocabulo αἱρέσεως appellantur a Polybio, Diodoro Siculo, Cicerone, Diogene Laërtiade, aliis. Ut ex Flavio Josepho constat, illae factiones seu sectae Judaeorum, quae in rebus religiosis et politicis sua quaeque placita sequebantur, αἱρέσεις nuncupabantur (Ant. XIII. 5,9; Bell. iud. II. 8,1. 2). Pharisaei, Sadducaei, Esseni, et si qui exsi-

stebant alii. Itidem in Novo Test. pharisaicae (Act. 15,5; 26,5) et sadducaicae (ib. 5,17) αἱρέσεως mentio fit, nec ulla ipso αἱρέσεως vocabulo nota vituperii inuri sectae alicuius asseclis videtur, ut maxime ex verbis Pauli (Act. 26,5) patet. Ab Iudaeis etiam christiana religio, cum oreretur, pro tali secta seu haeresi habebatur (28,22) et utpote a falso Messia fundata contemnebatur (ib. 24,5); sed S. Paulus palam eam esse dumtaxat haeresin i. e. scholam aliquam religiosam novae alicui doctrinae inhaerentem negabat, esse eam potius τὴν ὁδὸν affirmabat, eam nempe viam ac rationem Deum colendi, quae et esset unice vera et omnibus ad salutem necessaria (ib. 24,14).

In regno messiano, in Christi ecclesia doctrinaque christiana tales haereses exsistere, nisi contemptis Christo et Spiritu veritatis ecclesiae promisso et infallibili magisterio apostolico, non possunt. Unde in Novo Test. pro re nefaria atque abominanda, pro opere carnis (Gal. 5,20), pro re perniciosa (2 Pet. 2,1) habentur, et ita solum quadamtenus prosunt, ut qui Christiani probati sint, manifestent (1 Cor. 11,19). Earum perversitas in eo potissimum sita est, quod ecclesiae ac fidei unitati essentiali (Eph. 4,5) adversantur; quo fit ut αἵρεσις evadat synonymum vocabulorum διχοστασία et σχίσμα, a quorum priore eo differre videtur, quod in re religiosa versatur, ab altero eo quod est dissidium magis diuturnum ac pertinax quo haeretici a reliquis fidelibus se separant (1 Cor. 11,18; Gal. 5,20; cf. Ioan. 7,43; 10,19). « Haereticum hominem » (αἱρετικὸν ἄνθρωπον, Tit. 3,10) S. Paulus eum nuncupat, qui doctrinam veritati contrariam propagat. Videmus igitur ab ipsa iam aetate apostolica haec vocabula *haereseos* et *haeretici* eum sensum habere coepisse, quo traditio catholica ea accipit. In versione Vulgata Act. 24,5. 14; 26,5; 28,22; Gal. 5,20; 2 Petr. 2,1 interpres graecam vocem in *sectam* vertit, reliquis locis ipsam retinuit.

F. ZORELL.

HAGAB (חָגָב, Ἀγάβ), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,46); loco parallelo Neh. 7,48 hoc nomen omissum est.

HAGABA (חֲגָבָה Esdr. 2,45; חֲגָבָא Neh. 7,48; Ἀγαβά), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt.

HAGGI (חַגִּי, Ἀγγεί, Ἀγγεί), secundus filius Gad (Gen. 46,16); idem in Vulgata Num. 26,15 scribitur Aggi et Aggitarum progenitor.

HAGGIA (חַגִּיָּה, Ἀμά), levita de stirpe Merari (1 Par. 6,30[15]).

HAGGITH (חַגִּית, Ἀγγείθ et 2 Reg. 3,4 Φεγγείθ), una ex uxoribus David, mater filii eius quarti, Adoniae, qui Davidi natus est in Hebron (2 Reg. 3,4; 3 Reg. 1,5. 11; 2,13); eadem in Vulgata 1 Par. 3,2 scribitur Aggith.

HAI. 1. Hai עַי semper cum articulo הָעַי i. e. acervus ruderum; Ἀγγαί, Γαί, sed etiam Ἀϊά, Ἀί), urbs regia Chananaeorum, quae iam tempore Abraham exsistebat (Gen. 12,8; 13,3), quam Iosue expugnavit et anathema fecit (Ios. 7,2. 5; 8,1 ss.; 9,3; 10,1. 12,9); eadem haud dubie est Aiath (עַיָּת Ἀγγαί), quae in descriptione itineris Sennacherib nominatur ante Magron et Machmas (Is. 10,28). Ex captivitate redierunt viri Bethel et Hai 223 (Esdr. 2,28) vel solum 123 (Neh. 7,32). Inter urbes a Beniaminitis post exsilium denuo inhabitatas recensentur Mechmas, Hai (עַיָּא, Ἀϊώ) et Bethel (Neh. 11,31). Locis citatis describitur esse ex latere Bethel (Ios. 12,9), iuxta Bethaven ad orientalem plagam oppidi Bethel (Ios. 7,2; cf. Gen. 12,8), a Bethel separata per vallem, in qua quinque millia virorum in insidiis positi erant (Ios. 8,9. 12), alteram vallem adiacentem habens septemtrionem versus (8,11), urbem Machmas autem meridiem versus (Is. 10,28). S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 84,1 cf. Eusebium 209,59) scribit : « Agai vix parvae ruinae resident et locus tantummodo demonstratur ». — Nunc probabilius *el-Tell* (cf. Ios. 8,28 : fecit eam תֵּל־עוֹלָם acervum aeternitatis) prope *Beitīn* (Bethel) inter

meridiem et orientem seu pleniore nomine *Tell el-Ḥadjar* i. e. collis lapidum (*Van de Velde, Wilson, D. Zanecchia* et v. infra). Aliis praeplacet *Khirbet Haiyān* haud procul a priore situ inter meridiem et orientem (*Conder, Buhl, D. Zanecchia*), aliis *Khirbet el-Kudeire* in eadem vicinia meridiem versus (*Guérin*), aliis denique minus feliciter *Khirbet el-Haiye* inter meridiem et orientem a *Makhmās* (*Krafft, H. Kitchener*).

Cf. *Van de Velde*, Memoir 1858 p. 282; *Ch. Wilson* in *Survey of West. Pal.* Mem. II. 372; *idem* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible I. p. 78; *Conder*, Tent Work in Palestine 1889 p. 253; *idem* in *Pal. Explor. Fund*, Quart. Stat. 1881 p. 254; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 177; *D. Zanecchia*. La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 469 s. 496 ss., qui in *el-Tell* agnoscit urbem antiquam Hai, in *Khirbet Haiyan* urbem Esdr. 2,28 reaedificatam, iuxta quam magnifica necropolis bene conservata cernitur; *V. Guérin*, Judée III. 59 ss. 66 provocans ad *Robinson*; sed qualem situm ex tribus vicinis *el-Tell, Kh. Haiyān, Kh. el-Kudeire Robinson* (Palaestina II. 331. 340. 368. 557. 562 ss.) urbi Hai assignaverit, non satis liquet; *Krafft*, Die Topographie Jerusalems 1846 p. 9; *H. Kitchener* in *Pal. Explor. Fund*, Quart. Stat. 1878 p. 10. 75. 132 et *Survey of West. Pal.* Mem. III. 33.

2. Hai (עַי; Γαί, Καί, codex B omittit), urbs Ammonitarum (Ier. 49,3); ex contextu patet fuisse urbem quandam praecipuam, quae ab hoste invadente prima deiiciatur et reliquis urbibus ruina sua luctum et ululatum indicet. Est plane ignota.

HALA (הֲלָה, Ἀλαέ) regio, in quam rex Assyriae partem Israelitarum captivorum abduxit (4 Reg. 17,6; 18,11 et 1 Par. 5,26, quo loco Vulgata scribit Lahela, LXX Χαάχ, A Χαλά), omnino distinguenda a Chale (Gen. 10,11. 12). A multis (cf. *Schrader, Vigouroux, Pannier*) censetur esse Chalcitis (Χαλκῖτις) Mesopotamiae iuxta Gauzanitim (v. GOZAN) in finibus fluviorum Chaboras (Habor) et Saokoras (Mygdonii) sita, de qua Ptolemaeus (V. 18,4) : « Obtinet autem eius terrae partes prope Armeniam Anthemusia, infra quam est Chalcitis et infra hanc Gauzanitis atque ad Tigridem fluvium Adiabene ». Ex inscriptionibus cuneiformibus in comparationem adducitur *Ḥa-laḥ-ḥu* urbs Mesopotamiae cum Reseph, Gozan, Nisibe enumerata; vestigium antiqui nominis prae se ferre videntur ruinae *Gla* seu *Kalah* iuxta superiorem *Khabūr* (Habor). Attamen recentissimus editor Geographiae Ptolemaei, *Curtius Theod. Fischer* (Parisiis, *Firmin-Didot*, vol. I. p. 1002) ad V. 17 [18], 4 adnotat : « Chalcitim alius nemo commemorat. Nomen corruptum esse pro certo habeo cum *Müllero*, qui Χαρρῖτις coniecit ratione parum probabili. Scribas velim Βαλιχῖτις. Regio denominata a Βαλίχα fluvio, hodie *Belīkh* (cf. *Ritter, Sachau*) ». Iamvero etiam LXX 4 Reg. 17,6 ἐν Ἀλαὲ καὶ ἐν Ἀδὼρ ποταμοῖς fluvium, non regionem innuunt. Quibus perpensis commendatur emendatio a nonnullis (*H. Winckler, Maspero*) proposita בלה pro הלה, ut sensus sit : collocavit eos in בלה (*Belīkh*) et Habor fluviis Gozan, quem sensum etiam Vulgata 4 Reg. 18,11 exprimit.

Cf. *Schrader* apud *Riehm-Baethgen*, Handwb. des bibl. Altert. I. 569 et Keilinschriften und Geschichtsforschung p. 167; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 268; *F. Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6 III. 561. 562; *Pannier* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 401; *H. Winckler*, Alttest. Untersuchungen 1892 p. 408. 109 (sed opinionem suam ipse *Winckler* dereliquit in Altorientalische Forschungen p. 292); *Maspero*, Histoire ancienne de l'Orient, 1899 III. p. 216. De fluvio *Belīkh* v. *Ritter*, Erdkunde XI. 250 ss.; *E. Sachau*, Reise in Syrien und Mesopotamien 1883 p. 230 s.

HALAA (חֲלָאָה, Ἀωδά), una ex uxoribus Assur patris (possessoris) Thecuae (1 Par. 4,5); eius tres filii recensentur (4,7; LXX nomina uxorum confundunt).

HALCATH, HELCATH (חֶלְקַת; Ἐξελεκέθ, Χελκάτ), urbs tribus Aser (Ios. 19,25), civitas levitica filiorum Gerson (Ios. 21,31); eadem 1 Par. 6,75 [60] scribitur Hucac (חוּקֹק, Ἀκάκ). Coniicitur esse hodiernus vicus *Yerkā* inter septentrionem et orientem ab Accho.

Cf. *Guérin,* Galilée II. 16,17; *J. Schwarz,* Das heilige Land 1852 p. 152.

HALHUL (חַלְחוּל, Αἰλουά), urbs tribus Iuda, in quarta provincia montis (Ios. 15,58). S. Hieronymus : est et hodie in regione ad Aeliam pertinente villa nomine Alula iuxta Chebron (Onom. *ed. Lag.* 119,7). Hodie *Ḥalḥūl* a Hebron septemtrionem versus et prope Bethsur.

Cf. *Guérin,* Judée III. 284-287, qui etiam documenta adducit de opinione rabbinica Gad Videntem ibi esse sepultum; *Robinson,* Palaestina I. 359; *Carmoly,* Itinéraires de la Terre Sainte 1847 p. 242. 388. 435; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 216. 217.

HALIAEETUS tertium inter aves immundas locum tenet (Lev. 11,13; Deut. 14,12), nomine hebraico עָזְנִיָּה et graeco ἁλιαίετος i. e. aquila maris dictus; neque alia de hac ave mentio in S. Scriptura occurrit. Onkelos עזיא explicat, quod Targ. hieros. pro פֶּרֶס habet (v. GRYPS); idem Targum hic ברגזא exponit, versio samaritana עזדה, Graecus venetus γύπα. De aliis testibus antiquis non satis videtur constare. — Nomine hebraico aquilae vel vulturis speciem significari ex contextu apparet. Quaenam vero in particulari designetur, ex solo nomine haud facile quis dixerit. Nominis etymologiam iuxta interpretationem Hebraeorum secutus *Bochartus* עזניה (cum נ epenthetico formatum) et עזיא (עזדה) Chaldaeorum ad radicem עזז revocat atque aquilam *validam* seu *valeriam,* nigram scilicet graeco nomine μελαναίετον dictam, exponit. Quam cum *Aristoteles, Plinius,* al. inter aquilas « minimam magnitudine, viribus praecipuam, colore nigricantem » describant (*Aristot.* Hist. an. IX. 22 al. 32,2; *Plin.* X. 3,6; cf. *Homer.* Il. 21,252 s.), haud improbabiliter quis eam *Pandion haliaetum* Cuvier esse dixerit, non quidem omnino minimam aquilarum, sed plerisque minorem atque in Palaestina satis frequentem. Hoc igitur sensu Hebraeorum explicatio cum LXX interpretum et S. Hieronymi auctoritate consentiens עזניה esse haliaetum probabile ostendit. Falso autem alterum haliaetum, a *Gray albicillam* dictum quis intellegeret, quae in Palaestina vix invenitur. Similem vero Pandioni speciem, omnium aquilarum palaestinensium communissimam, *Circaetum gallicum* Boie (= *C. brachydactylus* Temminck), etiam eodem nomine significari haud improbabile videtur. Aliae aquilarum species, quas *Tristram* simul comprehensas supponit, eodem vel potiore iure sub nomine נֶשֶׁר intelleguntur.

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. II. 188-90, *ed. Rosenm.* II. 774-6; *I. D. Michaelis,* Supplem. ad lex. hebr. p. 1879 s.; *E. F. K. Rosenmüller,* Handb. d. bibl. Alterth. IV. 2,281; *L. Lewysohn,* Zool. d. Talmuds 167; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,184-6; *id.* Fauna and Flora of Palest. 101. 107; *J. G. Wood,* Bible Animals 354 s.; *P. Cultrera,* Fauna bibl. 293 s.; *Leunis-Ludwig,* Synopsis I. 1 *ed.* 3 p. 431; *Ph. L. Martin,* Naturgesch. d. Thiere I. 2,516-9. 522 s.; *A. E. Brehm,* Tierleben *ed.* 3, VI. 307-11. 315-28. 332-6; *G. Loreta,* La zoologia nella Bibbia p. 117.

L. FONCK.

HALICARNASSUS v. ALICARNASSUS.

HAM, urbs praecipua Zuzim (vide s. v.).

HAMATHAEUS v. AMATHAEUS et EMATH.

HAMDAN (חֲמִידָן, Ἀμαδά), primus filius Dison filii Seir Horraei (Gen. 36, 26); idem 1 Par. 1,41 scribitur Hamram (חַמְרָן, Ἐμερών). Aliis nomen Hamran videtur esse mendosum (*Gesenius-Buhl,* Handwb. *ed.* 13), aliis autem nomen genuinum (*Dillmann* ad Gen. 36,26).

HAMMATH (חַמַּת, Αἰμάθ, Vulgata : Calor), pater domus Rechab (1 Par. 2, 55), de gente Cinaeorum secundum Vulgatam : Hi sunt Cinaei, qui venerunt de Calore patris domus Rechab. Sed *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 196. 197) hunc textum emendat : « Hi sunt hastati, quorum pater est Machmath pater Bethrechab ».

HAMMOTH DOR (חַמּוֹת דֹּאר i. e. thermae Dor; Νεμμάθ, Α Ἐμαθδώρ), civitas levitica filiorum Gerson in tribu Nephthali (Ios. 21,32). Eadem videtur

quae Ios. 19,35 appellatur Emath (חמת); Ἀμαθαδακέθ ex fusione nominum Emath et Reccath; A Ἀμάθ), eadem quoque quae 1 Par. 6,76[61] Hamon (חמון, Ναμώθ). Additum *Dor* quomodo explicandum sit, difficile dictu est. — Etymon, ut diximus, thermas indicat. Iamvero apud Flavium Ios. (Ant. XVIII. 2,3; Bell. iud. IV. 1,3) commemoratur vicus Ἀμμαθούς (*edit. Niese;* quod nomen ipse Iosephus interpretatur aquas calidas) prope Tiberiadem situs. Idem vicus apud Talmudistas audit Hamatha (חמתא); cf. *Neubauer*, Géographie du Talmud p. 207. Hodie inveniuntur eaedem thermae *el-Ḥammām* iuxta lacum Tiberiadis dimidiae fere horae spatio infra Tiberiadem (*Lightfoot, Furrer, Guérin, Buhl, Legendre*).

Verum ex iis, quae *F. de Hummelauer* de finibus Nephthali exponit, Hammoth Dor multo magis aquilonem versus quaerenda est in extremis finibus terrae promissae : « Angustiae erant prope illam inter Libanum et Hermonem, appellatae Aditus Hamath, לבוא חמת ».

Cf. *Lightfoot,* Centuria chorographica Matthaeo praemissa cp. 74, Opp. *ed. Leusden* 1699 II. p. 224-225; *Furrer* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. II. 1879 p. 55; *V. Guérin*, Galilée I. 270-273; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896, p. 114. 115; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 408; *F. de Hummelauer*, Comm. in Ios. p. 441.

HAMON 1 Par. 6,76[61] v. HAMMOTH DOR.

HAMON (חמון, Ἐμεμαών), urbs tribus Aser (Ios. 19,28). Censetur esse *Khirbet Umm el-ʿAwāmid* ad septentrionem Scalae Tyriorum (*Rās el-Nāqūra*) et prope litus maris Mediterranei (*Guérin, Buhl*); meridiem versus ab istis ruinis *Wādi el-Ḥāmūl* et *ʿAin el-Ḥāmūl* vestigium nominis antiqui Hamon prae se ferre putantur (*Van de Velde, Robinson*, qui vicum *Ḥāmūl* ceteroquin ignotum in *Wādi el-Ḥāmūl* memorant; *Buhl, Legendre*).

Sed *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,28 Hamon interpretatur fauces Emath = Hammoth Dor inter Libanum et Hermonem, praesertim cum in descriptione finium Aser punctum maxime septentrionale terrae promissae ignorari vix potuerit; ad obiectionem Hammoth Dor esse urbem Nephthali, non Aser, idem interpres respondet Hamon h. l. non dici pertinuisse ad Aser, sed terminum Aser pertigisse usque Hamon.

Cf. *Guérin*, Galilée II. p. 141-148. 173; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 229; *Van de Velde,* Memoir 1858 p. 318; *Robinson,* Neuere bibl. Forschungen p. 84; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 408-411.

HAMRAM v. HAMDAN.

HAMUEL (חמואל, A Ἀμουήλ, B omitt.), filius Masma Simeonitae (1 Par. 4,26).

HAMUL (חמול, Ἐμουήλ), filius minor natu Phares filii Iuda ex Thamar geniti (Gen. 46,12; 1 Par. 2,5) et progenitor Hamulitarum (Num. 26,21). Eius posteri 1 Par. nullibi recensentur.

HANAMEEL (חנמאל, Ἀναμεήλ), filius Sellum et patruelis Ieremiae prophetae (Ier. 32,7. 8. 9. 12); ex locis citatis apparet Sellum et patrem Ieremiae fuisse fratres; unde S. Hieronymus 32,7 ad sensum rite vertit : filius Sellum patruelis tuus; hebr. autem legitur : filius Sellum patrui tui. Iubente Domino ager Hanameel a Ieremia propheta emitur eo tempore, quo iam exsilium instat, sed emitur in signum terram palaestinensem Iudaeis a Domino non auferri, sed servari. De qua emptione agri cf. *Knabenbauer* ad Ier. 32,7 s.

HANAN (חנן, Ἀνάν). **1.** In Vulgata 1 Par. 4,20 inter filios Simon recensetur Rinna filius Hanan, sed ex hebr. intellegendus est Benhanan filius Simon ex genere Iuda.

2. Unus ex principibus cognationum Beniamin, qui Hierosolymis habitabant (1 Par. 8,23).

3. Ultimus inter sex filios Asel ex posteris Saul (1 Par. 8,38; 9,44).

4. Hanan filius Maacha, fortasse Maachathites i. e. vel ex regno Maacha (cf. 2 Reg. 10,6) vel ex urbe Abel Bethmaacha, unus ex fortissimis viris in exercitu David (1 Par. 11,43).

5. Filii Hanan recensentur inter Nathi-

naeos, qui duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,46; Neh. 7,49).

6. Levita qui Esdrae assistebat in publica legis lectione (Neh. 8,7); idem forte est, qui inter signatores foederis enumeratur (Neh. 10,10[11]).

7. Unus ex principibus populi, qui foedus cum Domino renovatum signarunt (Neh. 10,22[23]).

8. Alius Hanan (sed LXX Αὐνάν) ex iisdem principibus populi et signatoribus (Neh. 10,26[27]).

9. Filius Zachur filii Mathaniae a Nehemia constitutus super horrea, in quibus decimae frumenti, vini, olei congestae erant, ut iuvaret Selemiam sacerdotem, Sadoc scribam, Phadaiam levitam praefectos horreorum (Neh. 13,13).

10. Filius Iegedeliae hominis Dei (Vulg.), rectius homo Dei i. e. propheta, qui filios (probabilissime discipulos) suos erudiebat in gazophylacio (Ier. 35,4); additur l. c. hoc conclave fuisse prope conclave principum et super conclave Maasiae, quae descriptio aequalibus Ieremiae rem clare exhibebat, nobis autem non multum lucis affert.

HANANEEL (מִגְדַּל חֲנַנְאֵל, πύργος Ἀνανεήλ, Vulg. turris Hananeel), turris in muro Ierusalem septemtrionali iuxta turrim Emath seu Hammea posita (Neh. 3,1; 12,39), ita quidem ut a porta piscium seu a termino occidentali per turrim Hananeel et turrim Emath ad portam ovium seu terminum orientalem perveniatur (cf. *Riess*, Bibel-Atlas, Tab. VIII). Praeterea turris Hananeel designatur ut terminus urbis instaurandae (Ier. 31,38) et nova terrae complanatione exaltandae (Zach. 14,10).

HANANI (חֲנָנִי, Ἀνανί, rarius Ἀνανίας). **1.** Unus ex filiis Heman cantoris et Videntis David regis, praefectus duodevicesimae classis cantorum Domini (1 Par. 25,4. 25).

2. Propheta qui Asa regem Iuda reprehendit, quod fiduciae in Deum immemor amicitiam Benadad I. regis Damasci auro et argento sibi coëmerit (2 Par. 16,7); ob hoc vituperium propheta ab Asa in nervum missus est (16, 10). Idem fortasse est:

3. Hanani pater illius Iehu Videntis, qui contra Baasa regem Israel prophetavit (3 Reg. 16,1. 7) et Iosaphat regem Iuda reprehendit (2 Par. 19,2; 20,34).

4. Sacerdos qui tempore Esdrae duxerat uxorem alienigenam (Esdr. 10,20).

5. Frater Nehemiae, qui anno vigesimo Artaxerxis Longimani Hierosolymis Susa ad Nehemiam profectus est eumque de afflictione Iudaeorum, qui ex captivitate redierant, certiorem fecit (Neh. 1,2); idem postea a Nehemia constitutus est praefectus custodum, qui portis Ierusalem invigilabant (Neh. 7,2).

6. Levita quidam tempore Nehemiae (Neh. 12,35[36]).

HANANIA, HANANIAS (חֲנַנְיָה et חֲנַנְיָהוּ; Ἀνανία, Ἀνανίας).

1. Unus ex principibus cognationum Beniamin, qui Hierosolymis habitabant (1 Par. 8,24).

2. Unus ex filiis Heman cantoris et Videntis David regis, praefectus decimae sextae classis cantorum Domini (1 Par. 25,4. 23).

3. Unus ex praecipuis ducibus militaribus Oziae regis Iuda (2 Par. 26,11).

4. Pater Sedeciae principis cuiusdam sub Ioakim (Eliacim) rege Iuda (Ier. 36,12).

5. Filius Azur, Beniaminita, oriundus de Gabaon urbe sacerdotali ac proinde ipse forsitan sacerdos, pseudopropheta tempore Sedeciae regis Iuda (Ier. 28, 1-17). Is anno quarto Sedeciae in templo vaticinatur post duos annos contritum iri iugum babylonicum. Ieremias ad criterium de prophetis Deut. 18,22 datum provocans eius oraculum suspectum reddit. Ille vero suum vaticinium confirmat actione symbolica scil. tollens catenam seu iugum (symbolum iugi babylonici Ier. 27,2) de collo Ieremiae illudque confringens. Sed Ieremias sermone Domini accepto denuo praedicit iugum babylonicum esse subeundum et Hananiae mortem eodem anno futuram annuntiat. Mortuus est pseudopropheta eodem anno mense septimo i. e. altero post fictum illud oraculum (cf. Ier. 28, 1. 17).

6. Ierias filius Selemiae filii Hananiae erat custos portae Beniamin, quae

in muro antiquo (secundo) respondebat hodiernae portae damascenae in septemtrionali urbis parte; iste Ieremiam apprehendit dicens: ad Chaldaeos profugis (Ier. 37,12[13]). Aliqui putant istum custodem portae fuisse nepotem Hananiae pseudoprophetae (28,1 ss.) ac proin ex spiritu vindictae egisse contra Ieremiam; res forsitan ita se habet, sed est incerta.

7. Filius Zorobabel (1 Par. 3,19. 21). Suspicatur *Hervey* (*Smith-Fuller*, Dict. of the Bible I. 1275) eundem esse Ioanna (Ἰωαννάν seu Ἰωαννᾶς) filium Resa filii Zorobabel in genealogia Christi (Luc. 3, 27), Resa autem (chald. רֵישָׁא princeps) esse glossam ex margine in textum translatam et nomini Zorobabel praefixam.

8. Unus de filiis Bebai, qui uxores alienigenas duxerant tempore Esdrae (Esdr. 10,28).

9. Filius Selemiae in aedificando muro Ierusalem occupatus (Neh. 3,30).

10. Princeps domus seu arcis hierosolymitanae, quae erat a septemtrione templi; is una cum Hanani (v. HANANI 3) a Nehemia constitutus est praefectus custodum, qui portis Ierusalem invigilabant, quoniam quasi vir verax et timens Deum plus ceteris videbatur (Neh. 7,2).

11. Unus ex principibus populi, qui foedus cum Deo renovatum signarunt (Neh. 10,23[24]).

12. Princeps familiae sacerdotalis Ieremiae in diebus Ioacim pontificis (Neh. 12,12).

13. Sacerdos tuba canens in dedicatione muri Ierusalem (Neh. 12,40[41]).

HANATHON (חֲנָתֹן, Ἀμώθ, A Ἐναθώθ), urbs in termino septemtrionali tribus Zabulon (Ios. 19,14); hodie vicus *Kefr ʿAnan* ad orientem *el-Rāme* seu Ramae Galilaeae et in finibus utrinsque Galilaeae, superioris et inferioris.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 205; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 15; *Legendre*, Carte de la Palestine. Praeterea v. *J. Schwarz*, Das heilige Land 1852 p. 148; *Carmoly*, Itinéraires de la Terre Sainte 1847 p. 260. 382. 453; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 178. 189. 226; *V. Guérin*, Galilée II. 457; *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,14.

HANES (חָנֵס) legitur Is. 30,4: principes eius fuerant in Zoan (Tanis) et nuntii eius perveniunt ad Hanes (hebr.); aliter LXX ὅτι εἰσὶν ἐν Τάνει ἀρχηγοὶ ἄγγελοι πονηροί. His verbis Isaias reprehendit primores illos Iudaeorum, qui tempore Ezechiae a partibus Aegyptiorum stabant et spreto Dei consilio opem flagitaturi Aegyptios adierant. Tanis (hebr. Zoan, hieroglyphice *Tan* vel *Ta*) est urbs terrae Gosen. Textus hebraicus videtur indicare aliquos nuntios (principes) iam Tanim pervenisse, alios autem adhuc in itinere Hanes versus occupari. Unde Hanes a plerisque censetur urbs in media Aegypto inter Nilum et canalem *Baḥr Yussuf* sita, apud antiquos Aegyptios appellata *Khinensu*, assyriace *Khiniinshi*, coptice *Hnes*, apud Graecos Heracleopolis magna, apud Arabes *Ahnās* (*Schrader, Brugsch*); eadem creditur quae Ἄνυσις apud Herodotum (2,137). Duabis istis urbibus Tanis et Hanes nominatis a propheta indicatur Iudaeos auxilium efflagitasse apud reges Aegypti tum inferioris tum mediae.

Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. 103; *Brugsch*, Geogr. Inschriften altaegypt. Denkmäler I. p. 233; *idem*, Dict. géogr. de l'ancienne Egypte p. 691.

HANIEL (חֲנִיאֵל, Ἀνειήλ), princeps et dux bellicus in tribu Aser (1 Par. 7, 39). Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulgata scribitur HANNIEL.

HANNI (*Kethib* עֲנִי, *Qeri* עֲנִי; LXX omittunt, cod. A Ἰανά), levita tempore Zorobabel (Neh. 12,9). Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulgata scribitur ANI.

HANNIEL (חַנִּיאֵל, Ἀνειήλ), filius Ephod de tribu Manasse, unus ex viris ad dividendam terram cisiordanicam electis (Num. 34,23).

HANON (חָנוּן, Ἀννών, Ἀνάν), filius Naas, rex Ammon, qui legatos David ipsum de morte Naas patris consolaturos ignominiose tractavit atque tali ignominia gravissimum illud bellum ammoniticum concitavit filiis Ammon maxime exitiosum (2 Reg. 10,1-4; 1 Par. 19, 2-6).

HANUN (חָנוּן). **1.** Vir qui cum habitatoribus Zanoe portam vallis et murum Ierusalem usque ad portam sterquilinii instauravit (Neh. 3,13; LXX Ἀνούν).

2. Filius sextus Seleph in muro Ierusalem instaurando occupatus (Neh. 3, 30; LXX Ἀνώμ).

HAPHAM (חֲפָם, Ἀπφείν), filius Hir, Beniaminita (1 Par. 7,12); v. HAPPHIM.

HAPHARAM (חֲפָרַיִם; Ἀγίν, A Ἀφεραείμ), urbs tribus Issachar (Ios. 19,19). Onom. (*ed. Lag.* 94,28 et 223, 61) assignat vicum Apharca (Ἀφραία) 6 mil. pass. a Legione (*Ledjdjūn*) septemtrionem versus. Unde agnoscitur esse *Khirbet el-Farrīye* inter Legionem et montem Carmel (*Conder, Riess, Buhl*). Sed *Wilson* et *Legendre* dubia movent contra hunc situm, qui nimium occidentem versus absit a reliquis urbibus una cum Hapharaim nominatis.

Cf. *Conder* in *Survey of West. Pal.* Mem. II. 48. 58; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 15; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 210; *Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible I. 1283; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 420.

HAPHSIBA (חֶפְצִי־בָה i. e. beneplacitum meum in ea; Ἀψιβά), uxor Ezechiae et mater Manassis regum Iuda (4 Reg. 21,1); loco parallelo 2 Par. 33,1 eius mentio non fit. De eius indole nihil traditum est. Ex eo quod uxor Ezechiae regis piissimi erat, aliqui arguunt ipsam quoque eiusdem fuisse indolis et ad eam fortasse alludi verbis quibus Isaias Sion alloquitur : tibi dicetur beneplacitum meum in ea (Is. 62,4); rectius forte dicitur prophetam allusisse ad Ps. 15[16],3.

HAPPHIM (חֲפִים, Ἀμφείν) 1 Par. 7, 15 idem est ac Hapham Beniaminita 1 Par. 7,12. Nam textus 1 Par. 7,15 corrigendus est, ut legatur : Et Machir duxit uxorem sororem Hapham etc. Cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 178.

HARAD (עֵין חָרֹד, πηγὴ Ἀράδ, Vulg. fons qui vocatur Harad), fons iuxta quem Gedeon castrametatus est ante proelium, quo Madianitas confecit (Iud. 7,1). A plerisque censetur esse *'Ain Djālūd* ad orientem urbis Iezrael (*Guérin, Riess, Fahrngruber, Liévin de Hamme, Zanecchia, Buhl*).

Idem probabilius est ille fons 1 Reg. 29,1 in Iezrahel; v. APHEC 4. Praeterea v. HARODI.

Idem fons apud equites christianos medii aevi audiebat Tubania (*Guilelm. Tyr.* 22,26), apud milites Saladini (v. *Bohaeddin*, Vita Saladini p. 53) *'Ain Djalūt* i. e. fons Goliath. Traditio erronea, quae fert Goliath ibidem a Davide esse occisum, usque ad saeculum 4. ascendit (Itiner. Burdig.).

Cf. *V. Guérin*, Samarie I. 308-310; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 15; *J. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 163. 164; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 III. 79. 80; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 608; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 106; *Itiner. Burdig.*: Civitas Stradela... ibi est campus, ubi David Goliat occidit (*P. Geyer*, Itiner. hieros. p. 19).

HARAM Neh. 12,15 v. HARIM 1.

HARAM Is. 37,12. Vide s. v: HARAN 1.

HARAN (חָרָן). **1.** Urbs antiquissima Mesopotamiae septemtrionalis ad occidentem vergentis (Gen. 11,31. 32; 12, 4. 5; 27,43; 28,10; 29,4) ; ad hanc urbem Abraham primo profectus est, cum de Ur Chaldaeorum in terram Chanaan migraret; in eadem posteri Nachor fratris Abraham sedes suas fixerunt, unde etiam vocatur urbs Nachor (Gen. 24,10; cf. 27, 43). Sennacherib in altera ad Ezechiam regem legatione potentiam Assyriorum iactans gloriatur Gozan et Haran et Reseph etc. ab Assyriis fuisse subactas (4 Reg. 19,12; Is. 37,12 ubi Vulgata legit Haram). In praeclara descriptione commercii Tyriorum etiam Haran recensetur inter emporia Mesopotamiae (Ez. 27,23). — Nomen urbis est apud LXX Χαρράν (Χαρρά Ez. 27,23), apud Assyrios *Harran*, apud Graecos Κάρραι (*Ptolem.* V. 18,12 [*ed. Müller-Fischer* 17,7] et alii), apud Latinos *Carrae*, *Carrhae*, *Charra* (*Plin.* V. 24,86 Carrhas oppidum Crassi clade nobile vocat; *Dio Cassius* 40,25 et alii); erat sedes deae Lunae Sin; ab Edessa (Orfa) distabat 26 mil. pass. (Tab. Peuting. XI d); sita erat iuxta fluvium

Bilecham (*Balīḫ*, hodie *Belīkh*), qui in Euphratem influit; regio urbis describitur frumento abundans et antiquitus bene culta praesertim ope canalium ex fluvio deductorum (*Guilelm. Tyr.* 10,29; cf. *Ammian. Marc.* XVIII. 7,3 s.); commercio erat aptissima, cum illuc viae stratae ex Babylonia et a sinu Persico, altera Euphratis, altera Tigridis ripam sequens convergerent et inde iter in Palaestinam pateret; quare frequentissimus ibidem erat mercatus. Eadem urbs commemoratur Iudith 5,9 (Vulg.) et Act. 7,2. 4; sed his locis Vulgata scribit Charan.

Cf. *Ritter*, Erdkunde XI. 291 ss.; *W. Ainsworth*, Researches in Assyria, Babylonia and Chaldaea 1838 p. 153; *D. Chwolson*, Die Ssabier und der Ssabismus 1856 I. p. 301-471; *R. A. Chesney*, Expedition for the Survey of the rivers Euphrates and Tigris, 1850 I. p. 48. 106 s. II. p. 401. 426. 433. 460; *Movers*, Phoenizier II. 3,247; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. 119; Proc. Soc. Bibl. Arch XIII. 1891 p. 385-391; *F. Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6 I. p. 447 ss.; *E. Sachau*, Reise in Syrien und Mesopotamien, 1883 p. 217 ss. cum tabulis ruinarum; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1901 p. 308-310.

2. Haran (Ἀρράν), filius Caleb filii Hesron, ex Epha concubina genitus (1 Par. 2,46).

3. Haran (Neh. 10,27[28]) v. HARIM 2.

HARBONA (Esth. 1,10 חַרְבֹּנָא, Θαρρά et 7,9 חַרְבֹּנָה, Βουγαθάν), tertius ex septem eunuchis Assueri i. e. Xerxis, qui regi suggessit, ut Aman in eodem patibulo suspenderetur, quod Mardochaeo paraverat.

HAREM v. HARIM 2.

HAREPH (חָרֵף, חָרִיף, Ἀρείφ), princeps populi, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Neh. 7, 24); loco parallelo Esdr. 2,18 scribitur Iora (יוֹרָה, Ἰωρά). Idem nomen Hareph legitur inter principes populi, qui una cum Nehemia foedus renovatum signarunt (Neh. 10,19[20]).

HARES ascensus (מִלְּמַעֲלֵה הַחֶרֶס, ἀπὸ ἐπάνωθεν τῆς παρατάξεως Ἀρές, A ἀπὸ ἀναβάσεως Ἀρές, sed Vulg. ante ortum solis) videtur esse nomen loci prope Succoth ab oriente Iordanis (Iud. 8, 13 et v. SUCCOTH 2). Peshitta quoque praebet: ab ascensu חרס, Theodotion ἀπὸ ἀναβάσεως Ἀρές (vel ὄρους), Symmachus ἀπὸ ἀναβάσεως τῶν ὀρῶν, Aquila ἀπὸ ἀναβάσεως τοῦ ὀρυμοῦ. Nomen hebr. est חֶרֶס, propter pausam חָרֶס. Transscriptio Hares sequitur LXX et analogiam cum monte Hares in Vulgata Iud. 1,35.

HARES mons v. BETHSAMES 1.

HARET (יַעַר חֶרֶת, propter pausam חָרֶת; Vulg. saltus Haret; LXX ἐν πόλει Σαρίκ legentes עיר pro יַעַר; *Flav. Ios.* Ant. VI. 12,4 εἰς Σάριν πόλιν), saltus in quo David ex consilio Gad prophetae spelunca Odollam relicta se abscondit (1 Reg. 22,5; *F. de Hummelauer* ad 22, 3); erat hic saltus in terra i. e. tribu Iuda (cf. *Flav. Ios.* l. c.). Opinantur aliqui hunc saltum non differre ab ista silva ad orientem Hebron (1 Reg. 23,16. 19), de qua diximus s. v. HACHILA; sed Onom. (*ed. Lag.* 96,27; 226,21) dicit Arith ubi sedit David esse vicum Arath ad occidentem Aeliae (Ierusalem). Nomen fortasse conservatur in vico *Kharas* inter Odollam (*'Id el-Mā*) et *Ḥalḥūl* seu a Hebrone inter septentrionem et occidentem (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 305).

HARHUR (חַרְהוּר, Ἀρούρ, Ἀρούμ), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,51; Neh. 7,53).

HARIM (חָרִם). **1.** Nomen familiae sacerdotalis. Harim (Χαρήβ) erat princeps classis sacerdotalis tertiae inter 24 a Davide designatas (1 Par. 24,8). Filii Harim Babylone redierunt 1017 sacerdotes (Esdr. 2,39 codex A Ἠρέμ, B omittit; Neh. 7,42 Vulg. Arem, LXX Ἠρά). Eiusdem nomine duobus aliis locis tota familia designari videtur: Esdr. 10,21 quinque filii Harim (Ἠρά) sacerdotes uxores alienigenas dimittere iubentur et Neh. 10,5 inter sacerdotes, qui una cum Nehemia foedus renovatum signarunt, nominatur Harem (Εἰρά). Idem

nomen iam legitur in numero sacerdotum tempore Zorobabel et Iosue pontificis (Neh. 12,3 : רְחֻם, Rheum, B omittit, א Ῥεούμ, quod nomen mendo librarii pro Harim positum est) et iterum tempore Ioacim filii Iosue (Neh. 12,15 Vulg. Haram, א Ὀρέμ, B omittit).

2. Nomen familiae, cuius filii 320 duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,32 Vulg. Harim; Neh. 7,35 Vulg. Harem; LXX utroque loco Ἡράμ); nomen Harim videtur esse loci, sicut etiam nomina, quae praecedunt et sequuntur. Octo eiusdem familiae Herem (Ἡράμ) uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,31). Idem nomen (Vulg. Haran, LXX Ἡραμ) legitur inter signatores foederis (Neh. 10,27[28]). Inter eos qui Nehemiam iuverunt in muris Ierusalem aedificandis, erat Melchias filius Herem (Neh. 3,11).

HARIPH (חָרִיף, Ἀρείμ), filius Hur, filii Caleb et Ephratha, pater (possessor) Bethgader urbis Iuda (1 Par. 2,51).

HARMA urbs v. HORMA 1.

HARNAPHER (הַרְנָפֶר, Ἀναρφάρ), unus ex filiis Supha de tribu Aser (1 Par. 7,36).

HARODI (הַחֲרֹדִי, ὁ Ῥουδαῖος) cognomen Semma et Elica heroum ex triginta septem Gibborim David (2 Reg. 23,25); vide AROREITES 2. Indicari videtur urbs Harod, ex qua oriundi erant. Aliqui suspicantur talem urbem fuisse prope fontem Harad (hebr. Harod), iuxta quem Gedeon castrametatus est ante proelium, quo Madianitas confecit (Iud. 7,1); v. HARAD. Sed nulla urbs eius nominis innotescit.

HAROMAPH (הֲרוּמַף, Ἐρωμάθ), pater Iedaia tempore Nehemiae (Neh. 3, 10).

HAROSETH (חֲרֹשֶׁת, Ἀρισώθ) seu plenius Haroseth gentium erat arx munita, in qua Sisara dux militaris a Iabin rege Asor constitutus est, ut Israelitas opprimeret (Iud. 4,2); Sisara cum exercitu valido et 900 curribus in planitiem torrentis Cison profectus est (4,13); illuc eius exercitus a Barac fusus fugam arripuit (4,16). A plerisque Haroseth agnoscitur vicus *el-Ḥāritiye* ad ripam dexteram torrentis Cison (*el-Muqaṭṭa'*) situs in angustiis, quibus planities Esdrelon a planitie Ptolemaidis (Accho) seiungitur. Contextui biblico certe multo minus satisfacit opinio aliorum, qui *Tell Harra* inter lacum *Ḥūle* et Cedes Nephthali praeferunt. — Vide SISARA et BARAC.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 270; *Thomson*, The Land and the Book II. p. 143; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 678.

HARSA (חַרְשָׂא, Ἀρησά, Ἀδασάν), Nathinaeus cuius posteri duce Zorobabel de captivitate redierunt (Esdr. 2,52; Neh. 7,54).

HARUPHITES (*Kethib* הַהַרִיפִי, *Qeri* הַחֲרִיפִי; ὁ Χαραιφιήλ) cognominatur Saphatia Beniaminita, qui Davidi in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,5). Indicari videtur eius urbs patria Haruph vel Hariph. De urbe quoque intellegi potest Neh. 7,24 : filii Hareph, sicut 7,25 filii Gabaon etc. *Conder* (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 313) urbi Haruph correspondere putat *Kkirbet Kharuf* ad meridiem *'Id el-Mā* (Odollam) in montanis Iuda; hoc supposito ille Beniaminita oriundus erat ex oppido tribus Iuda.

HARUS (חָרוּץ, Ἀρούς), pater Messalemeth matris Amon regis Iuda, oriundus de Ieteba (4 Reg. 21,19).

HASABA (חֲשֻׁבָה, Ἀσουβά), unus de filiis Zorobabel (1 Par. 3,20).

HASABIA, HASABIAS (חֲשַׁבְיָה, חֲשַׁבְיָהוּ; Ἀσεβί, Ἀσαβίας, Ἀσαβία, Ἀσεβία; Vulgata etiam Hasebia, Hasebias 1 Par. 9,14; Neh. 3,17; 10,11; 12,21. 24).

1. Levita de stirpe Merari ex genere Ethan cantoris (1 Par. 6,45[30]).

2. Levita de stirpe Merari (1 Par. 9,14).

3. Levita, filius Idithun, praefectus duodecimae classis cantorum tempore Davidis (1 Par. 25,3. 19).

4. Hebronita i. e. ex posteris Hebron filii Caath, dux 1700 virorum cognationis suae, qui iussu Davidis procurabant

ministeria tum sacra tum civilia trans עֵבֶר Iordanem i. e. hoc loco in Palaestina occidentali (1 Par. 26,30). Ab hoc fortasse non differt

5. Filius Camuel princeps tribus Levi tempore Davidis (1 Par. 27,17).

6. Princeps quidam levitarum, officio fungens in sollemni paschate a Iosia rege celebrato (2 Par. 35,9).

7. Levita ex stirpe Merari, qui Esdra duce a Chasphia Hierosolyma ascendit (Esdr. 8,19) et in ipso itinere custodiam donorum pro templo oblatorum gerebat una cum Sarabia seu Serebia (8,24); idem est cum Hasebia principe levitarum Neh. 10,11[12] et 12,24.

8. Princeps dimidiae partis vici Ceilae, qui partem muri Ierusalem aedificavit (Neh. 3,17).

9. Filius Boni, levita post instaurationem (Neh. 11,15).

10. Avus Azzi episcopi levitarum, qui post instaurationem in templo ministrabant (Neh. 11,22).

11. Sacerdos ex familia Helciae in diebus Ioacim pontificis i. e. in generatione post reditum ex captivitate (Neh. 12,21).

HASADIA (חֲסַדְיָה, Ἀσαδιά), unus de filiis Zorobabel (1 Par. 3,20).

HASARSUHAL, HASERSUAL (חֲצַר שׁוּעָל i. e. pagus vulpis; Χολασεωλά, Ἀρσωλά, Ἐσερσουάλ, Ἐσερσοάλ), urbs in meridiana plaga tribus Iuda sita (Ios. 15,28), tribui Simeon attributa (Ios. 19, 3; 1 Par. 4,28), post exsilium a filiis Iuda habitata (Neh. 11,27). Situs est dubius. Aliqui coniiciunt *Khirbet Tha'lī* (ruinae vulpis), quem locum commemorat *Robinson*, Palaestina III. 862.

HASARSUSIM, HASERSUSA (חֲצַר סוּסִים, חֲצַר סוּסָה i. e. pagus equorum; Σαρσουσίν, Ἡμισουσσεωσίν), urbs tribus Simeon in plaga meridiana tribus Iuda sita (Ios. 19,5; 1 Par. 4,31). *Guérin,* Judée III. 172 suggerit ruinas *Khirbet Sūsiye* a meridie Hebron nec procul ab Esthemo et Maon sitas. Sed adverte inter urbes meridionales tribus Iuda Ios. 15,31 loco Hasersusa enumerari Sensenna. Unde concludere pronum est nomen urbis primitivum fuisse Sensenna, pro hoc autem postmodum nomen alterum *pagus equorum* substitutum esse; aetate enim salomonica mentio fit civitatum currum, equi et quadrigae ex Aegypto coemebantur; unde mutatio nominis antiqui in *pagum equorum* facile explicatur; cf. s. v. BETHMARCHABOTH et vide SENSENNA.

HASBADANA (חַשְׁבַּדְנָה, B omittit, A Ἀσαβαμά), unus e viris, qui Esdrae verba legis recitanti a latere steterunt (Neh. 8,4).

HASEBIA, HASEBIAS v. HASABIA, HASABIAS 2. 7. 8. 11.

HASEBNA (חֲשַׁבְנָה, Ἐσαβανά), princeps populi, qui una cum Nehemia foedus renovatum signavit (Neh. 10,25[26]).

HASEBNIA (חֲשַׁבְנְיָה, LXX omittunt), levita tempore Esdrae (Neh. 9,5).

HASEBONIAS (חֲשַׁבְנְיָה, Ἀσβανάμ), pater Hattus tempore Nehemiae (Neh. 3,10).

HASEM v. HASUM.

HASERIM (חֲצֵרִים, Ἀσηδώθ, A Ἀσηρώθ, Itala : Asaroth) legitur Deut. 2,23 : Hevaeos qui habitabant in Haserim usque Gazam, Cappadoces (Caphtorim) expulerunt. Verum חֲצֵרִים sunt septa i. e. pagi, viculi. Unde Hevaei incolae primigenii orae Philisthaeae designantur agricolae, qui non in urbibus et oppidis, sed in septis habitabant: v. HEVAEI 2.

HASEROTH (חֲצֵרוֹת, חֲצֵרֹת; Ἀσηρώθ et Deut. 1,1 Αὐλῶν), secunda statio Israelitarum, postquam de monte Sinai profecti sunt (Num. 11,34[35]; 13,1 [12, 16]; 33,17. 18); prima statio erant Sepulcra concupiscentiae, tertia Rethma. Haseroth communiter censetur esse *'Ain Khadra* a monte Sinai 18 horis distans inter septentrionem et orientem nec procul a sinu Aelanitico in via, quae versus *'Aqaba* (Aelath) ducit (*Burckhardt, Robinson, Stanley, Palmer, Riess, Ewald, Lagrange, Vigouroux*); huic opinioni favet tum similitudo nominis tum copia aquae, quae ibi habetur.

Praeterea Haseroth legitur Deut. 1,1

in textu illo satis vexato, quo Moyses integram regionem peregrinationis delineat: quattuor prioribus dictionibus (trans Iordanem, in deserto, in Araba, e regione maris Rubri) totam peregrinationem in memoriam revocat; deinde aliis nominibus (Pharan, Thophel, [Laban], Haseroth, Dizahab) eadem peregrinationis regio accuratius definitur.

Cf. *Burckhardt*, Reisen in Syrien, Palaestina etc. *ed. Gesenius* II. p. 808; *Robinson*, Palaestina I. 248 s. III. 160. 170; *Stanley*, Sinai and Palestine, 1866 p. 81-83; *Palmer*, The desert of the Exodus 1871 II. 312. 321. 322; *Riess*. Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 15; *Ewald*, Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 II. p. 270. 271; *Lagrange* in Revue bibl. IX. 1900 p. 276; *F. Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6 II. p. 564, 565. Sunt qui hunc situm pro Haseroth non admittant : *Dillmann* ad Num. 11,35; *H. G. Trumbull*, Kadesh-Barnea 1884 p. 314.

HASERSUAL v. HASARSUHAL.

HASERSUSA v. HASARSUSIM.

HASIM (חֻשִׁים, B omitt., A Ἀσώϑ), cognatio beniaminitica, cuius pater erat Aher (1 Par. 7,12).

HASMONAEI v. MACHABAEI.

HASOM v. HASUM.

HASOR (1 Reg. 12,9) v. ASOR 1.

HASRA 2 Par. 34,22 v. ARAAS.

HASSEMON (חֶשְׁמוֹן, LXX omitt.), urbs in meridiana plaga tribus Iuda (Jos. 15,27); enumeratur inter Molada et Bersabee. Est ignota. A quibusdam putatur eadem quae Asemona; differt autem a Hesmona (vide s. vv.)

HASSUB v. HASUB.

HASUB (חֲשׁוּב, Ἀσούϑ). **1.** Filius Phahat Moab in aedificando muro Ierusalem occupatus (Neh. 3,11).

2. Alter eiusdem temporis in alia parte muri aedificandi occupatus (Neh. 3,23).

3. Signator foederis ex principibus populi (Neh. 10,23; B Ἀσούϑ); fortasse alteruter ex prioribus.

4. Levita de filiis Merari (Neh. 11,15); idem scribitur 1 Par. 9,14 in Vulgata Hassub, LXX Ἀσώϑ.

HASUM (חָשֻׁם, Ἀσέμ, Ἡσάμ). **1.** Filii Hasum 223 duce Zorobabel de captivitate redierunt (Esdr. 2,19; sed Neh. 7,22 : Filii Hasem 328). Septem de filiis Hasom uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,33). Princeps eiusdem familiae inter signatores foederis recensetur (Neh. 10,18[19]).

2. Unus e viris, qui Esdrae verba legis recitanti a latere steterunt (Neh. 8,4; B omitt.).

HASUPHA (חֲשׁוּפָא, חֲשֻׁפָא; Ἀσουφέ, Ἀσφά), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel de captivitate redierunt (Esdr. 2,43; Neh. 7,47[46]).

HATHATH (חַתַּת, Ἀϑάϑ), filius Othoniel filii Cenez in genealogia Iuda (1 Par. 4,13).

HATIL (חַטִּיל, Ἀτειά, Ἐγήλ), unus de servis Salomonis, cuius posteri duce Zorobabel de captivitate redierunt (Esdr. 2,57; Neh. 7,59).

HATIPHA (חֲטִיפָא, Ἀτουφά, Ἀτειφά), Nathinaeus, cuius posteri de captivitate redierunt (Esdr. 2,54; Neh. 7,56).

HATITA (חֲטִיטָא, Ἀτητά, Ἀτειτά). Inter ianitores, qui duce Zorobabel de captivitate redierunt, recensentur filii Hatita (Esdr. 2,42; Neh. 7,46[45]).

HATTUS (חַטּוּשׁ; Χαττούς, Ἀττούς, Ἀττούϑ). **1.** Sacerdos, qui cum Zorobabel et Iosue ex captivitate rediit (Neh. 12,2); ab eo nomen videtur habere familia sacerdotalis, quoniam Hattus recensetur inter signatores foederis (Neh. 10,4[5]).

2. Hattus de filiis David cum Esdra ex captivitate redux (Esdr. 8,2). Idem fortasse est

3. Hattus qui 1 Par. 3,22 inter posteros Zorobabel (Vulgata, LXX) vel saltem inter posteros David (hebr.) recensetur. Textus Vulgatae et LXX 1 Par. 3,19 s. erroneam lectionem praebent, textus hebraicus ab aliis aliter explicatur et fortasse corruptus est; sed hoc saltem constat in toto contextu 1 Par. 3,19-24 nihil legi, quo liber 1 Par. aetate Esdrae et Nehemiae recentior esse demonstretur. Cf. *Cornely*, Introd. II. num. 110.

4. Hattus filius Hasebniae in aedificando muro Ierusalem occupatus (Neh. 3,10); utrum fuerit ex familia sacerdotali Hattus an levita (eius pater Hasebnia fortasse est Hasebnia levita Neh. 9,5) an alius vir eiusdem nominis, dirimi nequit.

HAVOTH IAIR v. IAIR 1 et 2.

HAZAEL (חֲזָאֵל, חֲזָהֵאל; Ἀζαήλ), rex Syriae. Cum Elias versaretur in deserto prope Horeb, dixit ei Dominus : vade et revertere in viam tuam per desertum in Damascum, cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam (3 Reg. 19,15). Uti ex 4 Reg. 8,13 colligitur, Eliseus istud Domini mandatum exsequitur annuntians Hazael : « ostendit mihi Dominus te regem Syriae fore », postquam Hazael missus erat a Benadad rege ad Eliseum, ut de aegrotatione prophetam consuleret. Hazael sequenti die stragulo madefacto Benadad regem spiritu intercluso exstinxit (4 Reg. 8,15) et se regem constituit. Quod Eliseus viso Hazael flens praedixit fore ut ille plurima mala inferret filiis Israel (l. c. v. 12), abunde impletum est. Devicit Ioram filium Achab in pugna apud Ramoth Galaad et ipse Ioram vulneratus est; Iehu quoque ab Hazael victus est; nam Dominus coepit taedere super Israel et percussit eos Hazael in universis finibus Israel a Iordane contra orientalem plagam, omnem terram Galaad et Gad et Ruben et Manasse, ab Aroer quae est super torrentem Arnon, et Galaad et Basan (4 Reg. 10,32. 33). Has igitur regiones Hazael regno Israel eripuit. Etiam Ioachaz, filio Iehu, regnante iratus est furor Domini contra Israel et tradidit eos in manu Hazael regis Syriae et in manu Benadad filii Hazael (4 Reg. 13,3) et quantopere regnum Israel a rege Syriae oppressum sit, docemur l. c. v. 7 : « et non sunt derelicti Ioachaz de populo nisi quinquaginta equites et decem currus et decem millia peditum; interfecerat enim eos rex Syriae et redegerat quasi pulverem in tritura areae ». Is in bellis facta sunt quae Eliseus praevidens deflevit dicens ad Hazael : civitates munitas igne succendes, iuvenes interficies gladio et parvulos elides et praegnantes divides (l. c. 8,12). Pugnavit Hazael quoque contra regnum Iuda; cepit enim Geth urbem, quam Roboam muniverat et quae eo tempore quoque Iudaeorum fuisse videtur; insuper direxit faciem suam ut ascenderet in Ierusalem. Qua in expeditione interfecit cunctos principes populi et ingentem egit praedam. Ut ipsam urbem Ierusalem ab expugnatione servaret, Ioas rex thesauris templi et domus regiae ad Hazael missis obtinuit ut Hazael recederet a Ierusalem (cf. 4 Reg. 12,17. 18; 2 Par. 24,23. 24). Nomine ipsius et filii eius Amos dynastiam regum Syriae designat : et mittam ignem in domum Azael et devorabit domos Benadad (Am. 1,4). Etiam in inscriptionibus cuneiformibus eius fit mentio; narrat quippe Salmanassar II. : anno 18. regni mei transivi vice decima sexta Euphraten; *Haza-ilu* de regno Damasci ad pugnam mihi obviam venit; mille centum viginti currus eius et 470 equites eius et commeatum eius cepi. Pariter narrat anno 21. regni sui se urbes Hazael regis Damasci expugnasse.

Cf. *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. 197 s.; *Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6 III. 479 s.

HAZAIA, HAZIA (חֲזָיָה, Ὀζειά), vir de stirpe Phares in genealogia Iuda (Neh. 11,5).

HAZIR (חֲזִיר, Ἠζίρ), princeps populi inter signatores foederis (Neh. 10,20 [21]). Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulgata scribitur Hezir (1 Par. 24,15).

HEBAL mons v. GARIZIM.

HEBAL (1 Par. 1,22) v. EBAL 1.

HEBDOMAS. Omnes fere nationes praeter menses et dies aliud quiddam fixum statuere cogebantur. Apud Babylonios hebdomas, apud Aegyptios Graecosque decas, apud Romanos octas in usu erat.

Tempore Patriarcharum iam vestigia inveniuntur hebdomadis. Si Noe non observasset hebdomadem, cur passus esset septem dies transire inter emissionem primae et secundae columbae et iterum septem dies inter emissionem

secundae et tertiae columbae? (Gen. 8,10. 12). Clariora hebdomadis indicia sunt in historia Iacob patriarchae. Ad quem Laban dixit Gen. 29,27 : Imple hebdomadam dierum huius copulae i. e. nuptiarum septiduum (שְׁבֻעַ quae vox idem valet ac graeca ἑβδομάς). Post eius mortem Ioseph et fratres eius celebrantes exsequias patris in area Atad impleverunt septem dies (Gen. 50,10). Ceterum quaestio de origine hebdomadis intime cohaeret cum quaestione de origine sabbati, quare vide plura s. v. SABBATUM.

Inde ab aetate Moysis in dubium vocari nequit quin Iudaei semper hebdomadem habuerint, tum ob tertium mandatum in monte Sinai promulgatum (Ex. 20,8), cuius observantiae postea iterato monebantur (Is. 56,2; 58,3; Ier. 17,24; Lament. 2,6; Ez. 20,16; 22,8) tum ob ea quae in Novi Test. libris legimus.

In omnibus Veteris ac Novi Test. libris uni tantum eique septimo sive ultimo hebdomadis diei proprium nomen inditum est sabbatum. Ceteros hebdomadis dies verisimile est distingui solitos esse numeris eo modo quo fit et in creationis descriptione et in Novi Test. libris; cf. Ex. 5,22 : die sexto; Marc. 16,2 : τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων et Io. 20,19 : τῇ μιᾷ σαββάτων, insuper Marc. 15,42 : προσάββατον. Sabbatum et in Vetere et in Novo Test. saepius totam hebdomadem designat.

Cf. *Giovanni Schiaparelli,* L'astronomia nell' Antico Testamento, Milano 1903; ed. germ. Die Astronomie in Alten Testament, übersetzt von *W. Lüdtke, Giessen* 1904, p. 114-121.

I. G. HAGEN.

HEBENINUS (minus bene *ebeninus*).

1. Hebeninus semel tantum in Vulgata occurrit Ez. 27,15, ubi Tyrii a filiis Dedan (Ῥοδίων LXX cod. B Q, Ἀραδίων cod. A ap. *Swete*) atque ab insulis vel oris multis *dentes eburneos et hebeninos* (קַרְנוֹת שֵׁן יְהֻבְנִים, *Kethib* הובנים) leguntur mercatu accepisse. *Dentes* S. Hieronymus etiam cum הבנים haud male coniungit, quia frusta ligni hebenini duritie ac splendore, licet non colore, aliquam cum dentibus similitudinem retinent; alii קַרְנוֹת solummodo ad שֵׁן referunt et הֲבָנִים « ligna seu frusta hebenina » vertunt. Nomen aliqui cum *Gesenio* (Thes. s. v.) ad אֶבֶן (= אֶבֶן) revocant et *ligna lapidea* significari volunt; at potius exoticum videtur, in linguam hebraeam, sicut postea in graecam et latinam translatum. — Versiones antiquae praeter Symmachum et Vulgatam expressionem hebraicam aut non intellexerunt, aut corruptam legerunt : LXX τοῖς εἰσαγομένοις (= הובאים), Peshitta לבונתא *thus* (= לבונה), Chaldaeus טוסין *pavones* etc.; Symmachus vero et S. Hieronymus ἔβενος, lignum hebeninum interpretati sunt, id quod post *Bochartum* et *Nic. Fullerum* auctores recentiores communiter admittunt.

Cf. *Sam. Bochart,* Hieroz. II. 140-5, *ed. Rosenm.* II. 714-20; *Nic. Fuller,* Miscell. Sacr. 6,14; *I. H. Ursinus,* Arboret. bibl. 572-5; *M. Hiller,* Hierophyt. I. 437-9; *O. Celsius,* Hierobot. I. 327.

2. Lignum hebeninum *verum* est os variarum arborum in India orientali et insula Ceylon, atque etiam in Africa orientali crescentium, ex ordine *Ebenacearum,* ex quibus praesertim *Diospyros ebenum* Retzius, *D. melanoxylon* Roxburgh, *D. ebenaster* Retzius aliaeque lignum istud pretiosissimum praebent, quod materiam operis torno facti atque intestini, nigrore, firmitate, levore, gravitate maxime insignem suppeditat. Simile, sed minoris pretii est lignum arboris *Dalbergia melanoxylum* Perottet, ex ordine *Leguminosarum,* quod ex Africa occidentali in Europam affertur. Praeterea arbor americana in insulis Antillis crescens, *Brya ebenus* De Candolle, eiusdem ordinis, lignum hebeninum viride seu falsum praestat, rubrum vero seu fuscum frutex in insula Creta indigena, *Ebenus cretica* Linné, ex eodem ordine.

Cf. *C. Sprengel,* Comment. in Dioscur. 1,129; *E. Boissier,* Flora orientalis II. 554; *Leunis-Frank,* Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 120. 134 s. 567.

3. Scriptores antiqui frequenter de ligno hebenino loquuntur, quod ex India

(*Theophr.* Hist. plant. IV. 4,6; cf. I. 5,4 s.; 6,1; V. 3,1 etc.; *Dioscur.* Mat. med. 1,129, al.) atque etiam praestantius ex Aethiopia provenire praedicant (*Herod.* 3,97. 114; *Diosc.* l. c.). *Vergilius* (Georg. 2,117) solam Indiam nigrum hebenum ferre canit, fortasse Aethiopiam intellegens (cf. Georg. 4,292; *Plin.* XII. 4, 17-20). Aegyptiis pariter lignum hoc gratum erat itemque Assyriis notum fuisse ac nomine *ushū*, quo et lignum pretiosissimum et lapis niger (dolerites) appellatur, designatum esse haud improbabiliter supponitur.

Cf. *A. H. Layard*, Monuments of Nineveh I. 55. 56 (ebur et ligna in tributum afferuntur); *Wilkinson-Birch*, Manners and customs t. 413; *V. Loret* in Recueil de travaux VI. 1885, 125-30; *id.* Flore pharaonique *ed.* 2 p. 60 s.; *A. Erman*, Aegypten 659; *P. Jensen* in *E. Schrader*, Keilinschr. Biblioth. III. 1,36 s.; *Frd. Delitzsch*, Assyr. Hdwb. 144 a.

4. Quaenam ligni hebenini species ab Ezechiele intellegatur, haud facile dixeris. Plerique indicum supponunt, eo quod filii Dedan, tribus scilicet Arabiam meridionalem Indiam versus habitantes, Tyrum illud dicantur attulisse. Sed eodem iure aethiopicum fuisse diceretur. Dubium etiam movet, quod loco Dedan LXX Rhodios habent eaque lectio pluribus (*Stade, Cornill* al.) videtur praeferenda, cum prophela in textu citato a septemtrionalibus exorsus ad meridionales progrediatur et v. 20 inter alias Arabum tribus denuo Dedanitas commemoret; Rhodios autem (ידן pro דדן, cf. Syr. דרן) facilius quis supponeret ex vicina insula Creta lignum hebeninum fuscum, quam nigrum ex remota Aethiopia aut remotiore India Tyrum attulisse. At cum in verbis propheticis hebeninum lignum ebori addatur, sicut etiam ab Herodoto (l. c.) et alibi (cf. inscript. cuneif. *Gudea*, Inscr. B col. 6,26-40; *Nabuchodonosor*, col. 9,11. — Tribut. aethiop. in sepulcro *Rekhmara* ap. *Wilkinson-Birch* op. cit. I. pl. II A et B etc.) utrumque coniungitur, nihil obstat quominus cum ebore etiam lignum hebeninum verum ex India vel Aethiopia per mercatores arabicos Tyrum allatum dicamus.

Cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,254 s.; *H. O. Lenz*, Bot. d. alt. Griech. u. Römer 550 s.; *P. Cultrera*, Flora bibl. 261; *F. Hamilton*, La botanique de la Bible 136 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8,349; *J. H. Balfour*, The plants of the Bible, *ed. nova* 117-9.

L. FONCK.

HEBER (חֵבֶר; Χόβωρ, Χάβερ, Ἄβαρ).

1. Filius Baria (Beria, Brie) quarti filii Aser, progenitor familiae Heberitarum (Gen. 46,17; Num. 26,45; 1 Par. 7,31); eius posteri enumerantur 1 Par. 7,32 s.

2. Filius Mered ex tribu Iuda, genitus ex uxore Iudaia vel potius iudaea, pater Socho urbis montis Iuda (1 Par. 4,18; Λόβεισά, A Ἀλέρ; de hoc textu vide s. v. BETHIA).

3. Princeps cuiusdam cognationis Gad in Basan (1 Par. 5,13; Ὠβήδ).

4. Unus ex posteris Elphaal de tribu Beniamin (1 Par. 8,17).

5. Unus ex posteris Sesac de tribu Beniamin (1 Par. 8,22; Ὠβδη, A Ὠβήδ).

HEBER (עֵבֶר, Ἔβερ). **1.** Filius Sale filii Arphaxad, pater Phaleg et Iectan (Gen. 10,24. 25; 11,14 s.; 1 Par. 1,18. 19. 25; Luc. 3,35). Etiam Gen. 10,21 Vulgata et LXX nomen proprium intellegunt. Attamen *Iarchi* nomen accipit tamquam appellativum : transitus; filii autem transitus interpretandi sunt Transeuphratenses (cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.).

2. Filius Elphaal in genealogia Beniamin (1 Par. 8,12; LXX Ὠβήδ).

3. Princeps familiae sacerdotalis Amoc tempore Ioacim pontificis (Neh. 12,20; B et A omitt.).

HEBRAEUS (Ἑβραῖος). Eo nomine iam appellatur Abram Gen. 14,13 : Abram Hebraeus, עִבְרִי, LXX ὁ περάτης, quam vocem plerique explicant : advena transeuphratensis. Quae explicatio si assumitur, posteri Abraham denominantur e regione, ex qua in terram Chanaan Abraham immigravit. Altera explicatione nomen derivatur ab Heber, filio Sale, ita ut Abraham eiusque posteri nominentur descendentes ab Heber. Usus nominis Hebraei, Hebraeorum in Vetere Testamento hic est : usurpatur nomen

ab alienigenis, Gen. 39,14; 41,12; Ex. 1,16; 2,6; 1 Reg. 4,6. 9 etc.; vel etiam si Israelita cum extraneis loquitur Gen. 40,15; Ex. 1,19; 2,7; 3,18 etc. vel comparatione et oppositione instituta cum alia natione extranea Gen. 43,32; Ex. 1,15; 2,11; 21,2 etc.

In libris Novi Testamenti nomen adhibetur de homine iudaicae gentis; cf. 2 Cor. 11,22 Hebraei sunt, et ego; Phil. 3,5 Hebraeus ex Hebraeis. Sed strictiore sensu usurpatur de Iudaeis Palaestinam inhabitantibus Act. 6,1, qui ita distinguuntur ab Hellenistis. Vocabula Bethesda, Gabbatha, Golgotha quae hebraica dicuntur Ioan. 5,2; 19,13. 17 ad dialectum aramaicam, quae Christi tempore lingua erat vulgaris, referenda sunt; itemque lingua hebraea Act. 21, 40; 22,2; 26,14 aramaica erit intellegenda. De antiqua lingua sacra hebraica vox adhibetur in Prologo in Eccli.; alias haec lingua vocatur lingua Chanaan (Is. 19,18) et iudaica (4 Reg. 18,26; Is. 36,11; Neh. 13,24).

Quinam sint illi Hebraei, quibus epistula ad Hebraeos missa sit, recenti tempore multum est disceptatum et vix est ulla e celebrioribus ecclesiis sive in oriente sive in occidente, quae non ab uno alterove interprete illam epistulam missam accepisse dicatur. Verum si ea ipsa quae in epistula leguntur serio examinantur, dubium esse nequit quin palma danda sit ei sententiae, quae constanti quoque totius antiquitatis suffragio commendatur, epistulam esse missam ad Iudaeochristianos palaestinenses, praeprimis hierosolymitanos. Nam vix alibi totus coetus e Iudaeochristianis constabat, nullis admixtis neophytis ethnicis; coetus iste iam ex longo tempore exsistebat (cf. 5,12); primi eius magistri et praepositi fidem martyrio testati erant (13,7); olim ipsi, ad quos scribitur, magnas experti erant persecutiones (10,32); imminet periculum, ne aliqui splendore cultus levitici in templo allecti coetus christianorum deserant. Quae omnia apprime, immo unice ad ecclesiam hierosolymitanam congruunt. Cur stante templo et vigente cultu antiquo exponi debuerit quantopere dignitate novum foedus emineat prae vetere, facile intellegitur, praesertim si consideratur aliquem teporem irrepsisse in illum coetum (cf. 2,1 s.; 6,1-4; 10,26; 12,25) et christianos persecutionibus esse obnoxios (12,1-13; 13,13).

I. KNABENBAUER.

HEBRI (עֵבְרִי, Ἀβαί), levita de stirpe Merari tempore Davidis (1 Par. 24,27).

HEBRON (חֶבְרוֹן; Χεβρών, Χεβρώμ).

1. Tertius filius Caath filii Levi (Ex. 6, 18; Num. 3,19; 1 Par. 6,2. 18; 23,12). Quattuor filii Hebron: Ieriau, Amarias, Iahaziel, Iecmaan recensentur 1 Par. 23, 19. Eadem quattuor nomina leguntur 1 Par. 24,23 in enumeratione classium leviticarum, quas David variis ministeriis designavit, sed vox וּבְנֵי illis quattuor nominibus praemittitur; itaque aut supplendum erit nomen patris Hebron post וּבְנֵי aut interpretandum erit: et filii istorum quattuor filiorum Hebron secundum familias suas sorte designati sunt ad ministeria sua; verum nomina singularum familiarum, quae ab istis quattuor filiis Hebron descendebant, in textu desiderantur neque in versionibus leguntur. — Tota familia, quae a Hebron descendit, saepius vocatur familia Hebroni seu Hebronitarum (Num. 3,27; 26,58; 1 Par. 26,23). Eius familiae princeps tempore Davidis erat Eliel (1 Par. 15,9). Ex iussu Davidis 1700 Hebronitae duce Hasabia in Palaestina occidentali et 2700 Hebronitae duce Ieria in Palaestina orientali ministeria tum sacra tum civilia procurabant, quae praeter ministeria templi levitis subeunda erant (1 Par. 26,30-32); scil. ministeria scribarum et iudicum.

2. In genealogia Iuda 1 Par. 2,42. 43 Hebron dicitur filius Maresa de genere Caleb filii Hesron et pater Core, Taphua, Recem, Samma. Ex his nominibus Maresa et Taphua alias leguntur ut nomina urbium, Core et Samma personarum, Recem personarum et urbis beniaminiticae. Hinc aliqui putarunt Hebron et alia esse forte nomina urbium. Sed cum in v. 44 addatur: Samma genuit...., Recem genuit... dubitandum non est, quin nomina sint personarum. Ceterum tex-

tus 2,42 : « et filii Maresa patris Hebron » videtur corruptione laborare; cf. *Keil* ad h. l.

3. Hebron urbs in monte Iuda (Ios. 15,54; 20,7; 21,11), aedificata septem annis ante Tanim (Zoan) urbem Aegypti (Num. 13,23[22]) et secundum Flavium Iosephum, qui annos eius ad 2 300 computari dicit, ipsa Memphi in Aegypto antiquior (Bell. iud. IV. 9,7). Ab Enacitis, qui urbem Hethitis eripuerunt, vocabatur Cariatharbe (קִרְיַת־אַרְבַּע; πόλις Ἀρβόκ, Καριαθαρβόκ, Καριαθαρβοκσεφέρ) seu civitas Arbee (v. ARBE). Etiam appellatur Mambre (Gen. 23,19; 35,27), quo nomine audiebat convallis prope Hebron et princeps Amorrhaeorum amicus Abraham patriarchae ibidem habitans (v. MAMBRE). Celeberrima est Hebron ex historia patriarcharum. Ibi Abram commoratus est, postquam Bethel reliquit (Gen. 13,18); ibi eius nomen Abram mutatum est in Abraham (17,5); ibi tres angeli a patriarcha hospitio suscepti sunt (18,1 s.), Isaac natus (21,3), Sara mortua et sepulta est (23,2-20). Erat etiam ad tempus domicilium Isaac (35,27) et Iacob (37,14). Inde Iacob cum filiis suis in Aegyptum descendit (37,14; cf. 46,1); ibi tres patriarchae eorumque uxores Sara, Rebecca, Lia (non vero Rachel) sepulti sunt (49, 30. 31; 50,13). Illuc duodecim exploratores a Moyse missi pervenerunt (Num. 13,23[22]). Iosue Oham regem Hebron interfecit, urbem in ore gladii percussit ac vastavit (Ios. 10,3-39; 11,21; 12,10) eamque tradidit in possessionem Caleb, qui Enacim incolas exterminavit (Ios. 14, 13; 15,13. 14; Iud. 1,20) et urbi nomen antiquum Hebron restituisse censetur. Erat urbs refugii (Ios. 20,7) et sacerdotum (Ios. 21,11. 13; 1 Par. 6,55. 57). Eius mentio fit in historia Samsonis (Iud. 16,3). David in Philisthaea degens senioribus Hebron amicis utebatur (1 Reg. 30,31). Novum vero splendorem adepta est urbs, quando David per septem annos et dimidium rex Iuda in ea residebat (2 Reg. 2,1. 3. 11. 32; cf. 3 Reg. 2,11; 1 Par. 29,27) ibique rex universi Israel agnitus et unctus est (2 Reg. 5,1. 3; 1 Par. 11, 1. 3; 12,23. 38); sex filii ei nati sunt in Hebron (2 Reg. 3,5; 1 Par. 3,1. 4). Ibidem Abner a Ioab occisus et sepultus est (2 Reg. 3,27. 32), Baana et Rechab super piscinam suspensi pro caede Isboseth poenas dederunt (4,12). Hebrone Absalom in apertam rebellionem prorupit (15,7-10). Roboam rex urbem munimentis firmavit (2 Par. 11,10). Post exsilium a filiis Iuda habitabatur (Neh. 11, 25); deinde in ditionem Edomitarum cessit, donec a Iuda Mach. recuperata est (1 Mach. 5,65; Vulg. Chebron; *Flav. Ios.* Ant. XII. 8,6). Postquam Romani Galilaeam subegerunt, Simon Bar Gioras genere Gerasenus, famosus iste latro et dux bellicus, urbem cepit; mox autem Cerealis unus ex ducibus Vespasiani eam expugnavit et combussit (*Flav. Ios.* Bell. iud. IV. 9,7. 9).

Distabat Hebron a Ierusalem 22 mil. pass. (Onom. *ed. Lag.* 209,69), a Bersabee 20 mil. pass. (l. c. 234,1). Hodiernum nomen est *el-Khalīl* i. e. amicus scil. Dei, quo nomine Abraham a Muhamedanis appellatur (cf. Is. 41,8; Iac. 2, 23); equites quoque christiani medii aevi urbem vocant castellum seu praesidium ad sanctum Abraham. Adnumeratur quattuor sacris urbibus Iudaeorum (Ierusalem, Hebron, Tiberias, Safed). Incolarum numerus ab aliis aliter indicatur : 18-19 000 inter quos 1 500 Iudaei (*Baedeker-Benzinger*), vel 8 020 inter quos 1 020 Iudaei (*Liévin de Hamme*); reliqui fere omnes sunt Muhamedani. Sita est ad radices et partim in ascensu montis *Djebel Dja'ābre*. Utrum antiqua urbs fuerit in monte et quo in monte posita an ad radices montis, geographi non conveniunt.

Hodierna urbs quattuor vel etiam septem partibus seu *Ḥāret* constat. Opinantur aliqui etymon Cariatharbe explicandum esse *urbs quattuor* scil. partium; sed num antiqua urbs, de cuius situ disputant, quattuor partes distinctas habuerit, plane ignoratur. Paulo aliter *Lagrange* (Le livre des Juges p. 6) : civitas quattuor scil. urbium foederatarum. S. Hieronymus etymon interpretatus est de quattuor scil. Abraham, Isaac, Iacob, Adam ibi sepultis (Onom. *ed. Lag.* 84,10); traditiones iudaicae quartum vel Adam vel Esau vel Ioseph esse dictitabant; in Vulgata Gen. 23,2; 35,27

etymon explicatur *civitas Arbe* (cf. Ios. 15,13; 21,11).

Maxima attentione dignum sine dubio est *Ḥarām* seu sacrum aedificium super sepulcra patriarcharum exstructum, quod adire licet solis Muhamedanis; ibi ex antiqua traditione erat spelunca duplex (הַמַּכְפֵּלָה, τὸ σπήλαιον τὸ διπλοῦν), quam Abraham ab Ephrone Hethaeo sibi acquisivit (Gen. 23,9 s.). Prope *Ḥarām* in eadem principali urbis parte (*Ḥāret el-Ḥarām*) duo stagna inveniuntur : *Birket el-Qazzāzīn* et *Birket el-Sulṭān* (40 m²); hoc alterum maius stagnum traditio componit cum illa piscina de qua 2 Reg. 4,12. Praeterea ostenduntur puteus Abraham, sepulcra Abner et Isai patris David et circiter 4 km aquilonem versus ab urbe sanctuarium Abraham *Ḥarām Rāmet el-Khalīl*. Dimidiae fere horae spatio ab urbe inter septemtrionem et occidentem ostenditur quercus (seu ut quidam minus recte loquuntur : terebinthus) Abraham (vide s. v. MAMBRE). Ager Hebron (Ios. 21,12) seu possessio Caleb sine dubio totum complexum convallium circa urbem comprehendebat; una autem est vallis praecipua et perlonga, quae *Wādi el-Khalīl* audit et in utroque ascensu (binas) urbis partes sibi adiacentes habet; in directione austro-orientali per urbem decurrens paulo infra urbem austrum versus deflectit. Praeterea v. Nehelescol s. v. ESCOL 2.

De difficultate, quae ex nomine Hebron contra antiquitatem Pentateuchi petebatur, vide *Cornely*, Introd. *ed.* 2 II. 1 p. 90.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 701 s.; *Guérin*, Judée III. 214-275; *Rosen* in Zeitschr. d. D. Morgenl. Gesellsch. XII. 1858 p. 477 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 305-309; *J. Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 99-106; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 160-162; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 227-242; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 99-127; *W. M. Thomson*, The Land and the Book I. (Southern Pal.) p. 268 ss.; *C. Schick*, Hebron and its neighbourhood in Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1898 p. 232-238; *Dallon*, Note on the Hebron Haram in Quart. Stat. 1897 p. 53-61; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV Buche d. Könige 1904 p. 14-17; *Baedeker-Benzinger*, Pal. u. Syrien *ed.* 5 p. 133 ss.

HEBRONA (עֶבְרֹנָה, Ἐβρωνά), statio Israelitarum inter Ietebatha et Asiongaber (Num. 33,34. 35); ex enumeratione hoc unum constat Hebrona fuisse septemtrionem versus ab Asiongaber (seu *ʿAqaba*, quae est iuxta terminum septemtrionalem sinus Aelanitici).

HEBRONI, HEBRONITAE v. HEBRON 1.

HEDDAI (הִדַּי, A Ἀθθαί, B omitt.), unus ex Gibborim David (2 Reg. 23,30), de torrente Gaas (vide s. v.). Idem 1 Par. 11,32 scribitur Hurai (חוּרַי, Οὐρεί).

HEDER (עֶדֶר, in pausa עֵדֶר, Ὤδηδ), filius Baria, Beniaminita (1 Par. 8,15).

HEDERA. 1. Hedera dicitur a S. Hieronymo planta celebris קִיקָיוֹן in historia Ionae (4,5-10), quam Symmachus, Aquila, Theodotion similiter κισσός (al. κυκεῶνα) appellarunt; LXX eandem κολοκύνθην et vetus Latina *cucurbitam* nominant, ac pariter Peshitta קראא, eandemque explicationem Mahometus pseudo-propheta in Corano sequitur (Sur. 37,146); Chaldaeus vero paraphrasta vocem hebraeam retinet. In commentario textus citati S. Hieronymus neque hederam neque cucurbitam proprie intellegendam esse declarat, sed eam « quae lingua syra et punica *elkeroa* dicitur » ; ubi codices secundum *Hitzig* habent *ciceia* loco *elkeroa*, atque ita citatur ab *I. D. Michaelis* (Supplem. p. 2185); *ciceia* autem vel *elkeroa* est *Ricinus communis* Linné, ex ordine *Euphorbiacearum*.

2. Ex verbis textus sacri habetur imprimis, prophetam sibimet umbraculum fecisse (סֻכָּה), procul dubio haud dissimile tuguriolo, quod custodes in vineis et in cucumerario sibi construebant (Is. 1,8; cf. Iob 27,18) hodieque construunt; atque cum Ionas « sederet subter illud in umbra » (v. 5), antequam planta ascendit, necessario supponendum est, tectum aliquod in tuguriolo a propheta factum neque ad hoc קִיקָיוֹן a Deo praeparatum esse, ut desuper, sustentantibus forte palis a Iona erectis, tectum formaret. At more orientali tugurium parietibus certe carebat, saltem

ex parte; unde vates, per aliquam diei partem, protectus tecto desuper, in umbra sedens, aliis horis sole percussus est (v. 8). Contra hoc autem satis protegebatur, si planta inter palos tugurioli vel iuxta eos ascenderet ac foliis sat largis solem arceret. — Deinde קִיקָיוֹן dicitur praeparatus a Deo, ut ascenderet super caput Ionae et protegeret eum, atque tam celeriter crevit, ut « filius unius noctis » appelletur (v. 10); sed a verme vel vermibus (תּוֹלַעַת collective. cf. Deut. 28,39; Is. 14,11), volente Deo, ante ortum solis percussus exaruit, ita ut etiam « filius unius noctis » periret (v. 7. 10). Absque omni miraculo verbis textus non videtur satisfieri. At convenienter talis intellegitur planta, quae velociter crescens, etiam velociter exarescit; admisso enim tunc aliquo miraculo in eo quod Deus, auctis naturae viribus, incrementum unius noctis sufficiens reddiderit ad obumbrandum caput Ionae, alia omnia absque miraculo, quamvis non absque speciali Dei providentia, explicantur.

3. S. Hieronymus locum *cucurbitae*, quae in vetere Vulgata ubique legebatur, quaeque etiam in hypogaeis primorum christianorum innumeris vicibus picta apparet (cf. Stimmen aus Maria-Laach XLIX. 1895 II. 133 s.), in nova versione, auctoritatem veterum translatorum secutus, *hederae* prudenter concessit, timens grammaticos, ne nomine hebraico latinis ignoto retento « quaedam portenta contingerent » (Comment. in Ion. 4,6. *M.* 25,1202-1204). At fugiens grammaticos, plebis admirationem magnam movit atque hedera sua celebrem illam litem cucurbitariam excitavit tantumque in ecclesiis praesertim africanis tumultum adduxit, ut « propter unius verbi dissonantiam episcopus paene sacerdotium perdidisset » (*S. Hieron.* ep. 112 al. 89 ad Augustin. n. 21 s.; cf. *S. Augustin.* ep. ad Hieron. inter epist. S. Hier. 104 al. 88 n. 5. *M.* 21,929-31; 833 s.). — Nostra vero aetate ex tribus illis candidatis *hedera* vix ac ne vix quidem patronum invenit; nam ut bene notant candidati tigurini in thesibus de phytographia sacra speciali praeside *Iohanne Gesnero* defendendis (a. 1773, pars III. p. 27) « repugnare videtur lentum huius plantae incrementum et perennitas ac persistentia maior, quam ut a radice verme laesa postridie exaruerit ». De cucurbita vero et ricino, licet periculum perdendi sacerdotium cessaverit, dissonantia tamen et controversia inter auctores remansit. *Cucurbitae* enim favent praeter alios *Tristram, Duns, J. Smith, Riehm-Baethgen* etc.; multo plures autem *ricino* suffragantur post veteres illos rei naturalis sacrae scriptores *Bochartum, Ursinum, Caryophilum, Hillerum, Celsium;* quibus assentiuntur *Michaelis, Rosenmüller, Gesenius, Cultrera,* ac reliqui auctores recentiores satis communiter, ita ut pluribus res omnino definita videatur (*Fillion*); immo iam *Bochartus* hunc in sensum scripsit : « Et iam nemo est paulo humanior, qui non habeat compertissimum, kikajon esse κρότωνα seu ricinum ». Ac re vera potissima quae pro cucurbita et contra ricinum affertur ratio falso supponit, kikajon debuisse tectum tugurioli formare, ut caput prophetae sedentis a sole protegeret, quod verbis sacris contrariari supra notavimus.

Cf. *Sam. Bochart,* Hierozoic. II. 293 s. 623, *ed. Rosenm.* III. 41 s. 523; *I. H. Ursinus,* Arboreti bibl. cont. 111 s.; *Blas. Caryophilus* (*Garofalo*), Dissert. miscell. pars I., Romae 1718, 257-74; *M. Hiller,* Hierophyt. I. 453-6; *O. Celsius,* Hierobot. II. 273-82; *I. D. Michaelis,* Supplem. p. 2185-90; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 1, 123-5; *W. Gesenius,* Thes. 1214; *P. Cultrera,* Flora bibl. 381-6; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 448-50; *J. Duns,* Bibl. Nat. Science II. 540 s.; *J. Smith,* Bible plants 56 s.; *L. Cl. Fillion,* Atlas d'hist. nat. de la Bible 16,47; *Riehm-Baethgen,* Handwbch. *ed.* 2, I. 894.

4. Rationes autem pro ricino hae fere merito afferuntur. Imprimis *Ricinus communis* Linné est arbuscula in variis Orientis regionibus satis communis, celerrime crescens atque altitudinem quattuor metrorum attingens, quae largis foliis suis iucundam umbram praebet. A vermibus percussa celerrime arescit, ita ut intra paucas horas omnia folia

concidant, sicut intra horae spatium folia decerpta marcescere experientia propria et aliena testatur. Ipsa igitur planta historiae sacrae omnino convenit. Accedit nominis hebraici cum aegyptiaco *kiki* affinitas, quo ricinus ex auctoritate veterum scriptorum ab antiquis Aegyptiis appellabatur (cf. *Herod.* 2,94; *Dioscur.* Mat. med. 4,161 al. 164; cf. 1,38; *Plin.* XV. 7,25; XVI. 22,85, al.), sicut oleum ricini in Talmude שֶׁמֶן קִיק appellatur (*Löw*). Affinis etiam videtur denominatio plantae cuiusdam assyriaca *kukkānītum* (cf. *iūquqanu. Fr. Delitzsch*, Hdwb. 327 b. 50 a). Certe antiquis Aegyptiis planta haec optime nota erat ac propter oleum ad varia remedia utile in hortis et agris frequenter colebatur.

Cf. *P. Forskal,* Flora aeg.-arab. 164; *E. Boissier,* Flora orientalis IV. 1143; *A. Braun* in Ztschr. f. Ethnol. IX. 1877, 300; *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs II. 400; *I. Löw,* Aram. Pflanzennamen n. 298; *Fr. Woenig,* Pflanzen im alt. Aeg. 337-40; *Ch. E. Moldenke,* Die in altaeg. Texten erw. Bäume 120-3; *V. Loret,* Flore pharaonique *ed.* 2, p. 49. — Cf. praeterea *H. O. Lenz,* Bot. d. alt. Griech. u. Römer 657 s.; *E. Hamilton,* Botanique de la Bible 168 s.; *J. H. Balfour,* The Plants of the Bible, ed. nova, 215-8; *A. de Candolle,* Origine des Plantes cult. 339-42; *G. E. Post,* Flora of Syria 727.

5. Ipsa *hedera*, gr. κισσός, commemoratur in historia Machabaeorum, cum Iudaei per ducem a rege Antiocho Hierosolymam missum cogerentur, in sacris dionysiacis « hedera coronati Libero circuire » (2 Mach. 6,7; cf. 3 Mach. 2,29). Libero enim, qui et Bacchus et Dionysius vocatur, praeter vitem praesertim hedera sacra erat (*Homer.* Hymn. in Dionys. v. 40; *Plin.* XVI. 34,144; 35,155; *Tacit.* Hist. 5,5 etc.), unde et thyrsum hedera redimitum gestans in veterum monumentis atque in ipsis etiam nummis civitatis hierosolymitanae in coloniam romanam redactae figuratur (*Madden*). Planta autem κισσός a Graecis dicta est *Hedera helix* Linné ex ordine *Araliacearum,* quae in Libano aliisque montibus Syriae et Palaestinae atque in planitie litorali, sicut in nostris regionibus communis est.

Cf. *O. Rudbeck* fil., De Hedera, Upsaliae 1707; *M. Hiller,* Hierophyt. I. 460-2; *P. Cultrera,* Flora Bibl. 263 s.; *F. W. Madden,* History of Jewish Coinage, London 1864, p. 215. 224. 230; *id.* Coins of the Jews, in Numismata orient. ed. nova II. London 1881, p. 252. 265. 274; *E. Boissier,* Flora orient. II. 1096 s.; *I. Löw,* Aram. Pflanzennamen n. 100; *G. E. Post,* Flora of Syria 377.

L. FONCK.

HEGEMONIDES (Ἡγεμονίδης), dux quidam Syrorum, quem Lysias in Palaestina reliquit, cum ad debellandum Philippum usurpatorem anno 162 a. Chr. Antiochiam rediret (2 Mach. 13,24). Vulgata quidem vertit : fecit eum (scil. Iudam Mach.) a Ptolemaide usque ad Gerrenos ducem et principem; sed textus graecus habet : κατέλιπε στρατηγὸν ἀπὸ Πτολεμαΐδος ἕως τῶν Γερρηνῶν ἡγεμονίδην. Videtur itaque Hegemonides nomen proprium esse et in versione syriaca velut nomen proprium exhibetur.

HEGLA (הֶגְלָה, Ἔγλά) tertia ex quinque filiabus Salphaad (Num. 26,33; 27,1; 36,11; Ios. 17,3).

HELAM (חֵילָם, Αἰλάμ), urbs inter Iordanem et *fluvium* i. e. Euphratem, apud quam Adarezer rex Soba a David devictus est (2 Reg. 10,16. 17). Vulgata solum 10,17 nomen Helam expressit. De varietate textuum lege *F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 10,16. — Situs urbis ignoratur; fortasse eadem est quae Alamatha prope Nicephorium (*Ptolem.* V. 15,25 [*ed. Müller-Fischer* 14,19]).

HELBA (חֶלְבָּה, Χεῖδά), urbs tribus Aser, ex qua Chananaei non sunt expulsi (Iud. 1,31). Est ignota. Eiusdem urbis nomen videtur latere in textu hebr. Ios. 19,29 מִחֶבֶל, Ἀπολέῖ, Vulgata de funiculo; cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.

HELBON (חֶלְבּוֹן, Χελῶν), urbs Syriae, de qua in descriptione commercii et opum Tyri legitur Ez. 27,18 : Damascenus negotiator tuus... in vino Helbon (hebr., LXX, Aquila, Theodot.); Vulgata et Symmachus : in vino pingui.

Designatur regio prope hodiernum vicum *Halbūn* circa 20 km a Damasco inter septemtrionem et occidentem in ascensu Antilibani. Vinum regionis *Hilbānu* in textibus cuneiformibus laudatur (cf. *Schrader*, *Delitzsch*) et regibus Persarum iucundi saporis erat, ut veteres tradunt (*Strabo* XV. 3,22; *Athenaeus*, Deipnosoph. I. 51[28] *ed. Teubner* 1887 I. p. 64; *Plutarch*. De Alexandri M. fortuna aut virtute II. 11, *ed. Firmin-Didot*, Plutarch. Moral. I. p. 419; *Posidonii* Apamensis Fragmenta 58 apud *Müller*, Fragm. hist. graec. III. p. 276). Eadem regio hodie quoque vini generosi ferax est.

Cf. *Ritter*, Erdkunde XVII. 2,1319-1322; *Robinson* in Zeitschr. d. D. Morgenl. Gesellsch. VII. 1853 p. 69. 70; *idem*, Neuere bibl. Forsch. p. 613. 614; *Gesenius*, Thesaurus ling. hebr. p. 464; *Movers*, Phoenizier II. 3 p. 268. 269; *L. Porter*. Five years in Damascus, 1855 II. 333 s.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. II. 121. 122; *Delitzsch*, Paradies p. 281.

HELCATH v. HALCATH.

HELCATH HA-SURIM (חֶלְקַת הַצֻּרִים) nominatur 2 Sam. 2,16 campus iuxta piscinam Gabaon. Vulgata interpretatur : Ager robustorum, LXX Μερὶς τῶν ἐπιβούλων seu portio insidiosorum (הצדים).

HELCHIAS v. HACHELAI.

HELCI (חֶלְקִי, B et A omitt.), sacerdos de familia Maraioth, tempore Ioacim pontificis filii Iosue (Neh. 12,15).

HELCIAS (חִלְקִיָּה et חִלְקִיָּהוּ; Χελκίας). **1.** Pater Eliacim praepositi domus Ezechiae regis (4 Reg. 18,18. 26. 37; Is. 22,20; 36,3. 22).

2. Pontifex, qui anno 18. Iosiae regis, cum pecuniam ad instaurandum templum ex aerario desumere vellet, librum Legis invenit et per Saphan scribam regi tradidit (4 Reg. 22,4 s.; 23,4. 24; 2 Par. 34,9 s.; 35,8; de his cf. s. v. IOSIAS 1); idem erat filius Sellum (Mosollam, Salom) de genere Sadoc et inter maiores Esdrae recensetur (1 Par. 6,13 [5,39]; 9,11; Esdr. 7,1; Neh. 11,11; Bar. 1,7).

3. Levita de stirpe Merari, unus ex maioribus Elhan (1 Par. 6,45 [30]).

4. Levita de stirpe Merari, filius Hosa, ianitor domus Domini tempore Davidis (1 Par. 26,11).

5. Pater Ieremiae prophetae, sacerdos in Anathoth (Ier. 1,1).

6. Pater Gamariae legati a Sedecia rege Babylonem missi (Ier. 29,3).

7. Unus ex maioribus Baruch (Bar. 1,1).

8. Pater Susannae (Dan. 13,2. 29. 63).

9. Aequalis Esdrae, stans ad dexteram Esdrae Legem populo explicantis, probabilius sacerdos (Esdr. 8,4).

10. Princeps classis sacerdotalis, qui duce Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,7. 21).

HELEC (חֶלֶץ, Χέλεγ, Κέλεζ), unus ex filiis Galaad et progenitor familiae Helecitarum (Num. 26,30; Ios. 17,2).

HELED (2 Reg. 23,29 חֵלֶד, B omitt., A Ἀλάφ: sed 1 Par. 11,30 חֵלֶד, Χθαόδ, A Ἐλάδ), filius Baana, Netophathites, unus ex Gibborim Davidis.

HELEM (חֵלֶם). **1.** Unus ex posteris Aser (1 Par. 7,35; Βαλαάμ ; videtur idem esse ac HOTHAM 1.

2. Unus ex tribus legatis, qui Babylone a Iudaeis exsulibus donaria in urbem Ierusalem attulerunt (Zach. 6,14; LXX appellative explicant τοῖς ὑπομένουσιν). Idem Zach. 6,10 scribitur Holdai חֶלְדַי, LXX παρὰ τῶν ἀρχόντων). Videtur fuisse binominis; alia ratio mutati nominis ignoratur.

HELEPH (חֶלֶף; Μοολάμ, A Μελέφ inclusa praepositione בין), urbs a qua terminus tribus Nephthali initium sumit (Ios. 11,33). *Van de Velde* (Memoir p. 320) proponit vicum *Beit Līf*; cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 204. Eundem situm indicant alii. Sed *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,33 animadvertit חלף induere sensum substituendi, hinc מחלף significare locum substitutionis, *pagum commutatorium* ad austrum lacus Tiberiadis Nephthalitis concessum, quia Danitae pagum circa Dan-Lais in finibus Nephthalitarum occupaverant.

HELES v. HELLES 1.

HELI. 1. Heli (עֵלִי, Ἠλί), pontifex et iudex Israelitarum (1 Reg. 1,3 ss.; 2, 11 ss.; 3,1 ss.; 4,4 ss.; 14,3). Erat de genere Ithamar, ut colligitur ex 1 Reg. 14,3; 22,20; 1 Par. 24,3 inter se collatis; cum ante ipsum alius pontifex de domo Ithamar non innotescat, summum sacerdotium per Heli a domo Eleazar in domum Ithamar transiisse censetur. Mortuus est senex 98 annorum (1 Reg. 4,15) et iudicaverat Israel 40 annis (4,18); legunt quidem LXX : 20 annis, sed aliae versiones et Flav. Iosephus retinent 40 et vix credibile esset Heli senem 78 annorum ad iudicis officium esse assumptum. Indoles pontificis in sacro textu paucis bene delineatur. Efferuntur eius fidelitas in officio, dignitas, affabilitas, sapientia sermonis (cf. 1 Reg. 1,12-17; 2,20). Sed etiam describitur nimia eius lenitas et indulgentia in filios praevaricatores (2,22-25), quam vir Dei ad pontificem divinitus missus acriter reprehendit simul praenuntians ruinam domus Ithamar (2,27-36); huius vaticinii confirmationem praebet visio Samuelis pueri (3,11-14). Verba autem, quibus Heli intimationem poenae recipit : Dominus est; quod bonum est in oculis suis faciat (3, 18), pietatem et resignationem spirant, qua culpam agnoscit, condemnationi se submittit, ab ipso Deo puniente misericordiam exspectat. Eiusdem pietatis documentum edidit moriens; tulit nuntium cladis et mortis filiorum suorum de arca Domini unice sollicitus, sed iacturam arcae comperiens subita morte opprimitur (4,17. 18). Virtutes igitur merito laudandae in Heli cernuntur, sed maiores in pontifice exigebantur, in quibus ex propria culpa deficiebat. Apposite *F. de Hummelauer* ad h. l. notat eius mortem a Samuele cum sensu pietatis, non horroris describi. De ruina domus Ithamar cf. 1 Reg. 22,16-18; 3 Reg. 2,27. 35 et v. ACHIMELECH 1 et ABIATHAR.

2. Heli (Ἡλεί, Ἠλί), pater Ioseph sponsi B. V. Mariae in genealogia Christi Luc. 3,23. In altera genealogia Matth. 1,16 legimus : Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae. Ex antiqua traditione Patrum Heli et Iacob erant fratres uterini; Heli mortuus est uxore sine liberis relicta, quare secundum legem leviratus Deut. 25,5. 6 Iacob viduam assumpsit, ut fratri suo semen suscitaret et ex ea genuit Ioseph virum Mariae; erat igitur Ioseph filius naturalis Iacobi (ex posteris Salomonis), filius legalis Heli (ex posteris Nathan). — Plura v. apud *Cornely*, Introd. III. num. 54 et *Knabenbauer* ad Luc. 3,23 et s. v. GENEALOGIA.

HELIODORUS (Ἡλιόδωρος), qui erat super negotia (ὁ ἐπὶ τῶν πραγμάτων) Seleuci IV. Philopatoris, a rege in Ierusalem missus est, ut thesauros templi raperet et Antiochiam (Syriae) afferret; sed apparitione equitis caelestis perterrefactus et a duobus iuvenibus fulgentibus, qui cum equite apparebant, flagellatus corruit; hostia autem salutari per Oniam pontificem oblata vitam servavit et Antiochiam reversus regem admonuit : Si quem habes hostem aut regni tui insidiatorem, mitte illuc et flagellatum eum recipies, si tamen evaserit (2 Mach. 3,1 ss.; 4,1; 5,18). Heliodorus censetur esse idem, qui teste Appiano (Syr. 45) brevi postea regem interfecit et regnum sibi arripere frustra conatus est.

HELIOPOLIS (אָן, אוֹן; Ἡλιούπολις), urbs celeberrima et perantiqua, metropolis nomi tertii decimi in Aegypto inferiore, praecipua sedes sacerdotum, qui ibidem templum solis celeberrimum habebant, bibliothecarum divitiis ac studio litterarum maxime florentes, quorum discipuli erant permulti philosophi graeci (cf. *Herodot.* 2,3; *Strabo* XVII. 1,29). In libris copticis appellatur *Un, On*, quod *lucem* et improprie *solem* significasse vix dubium est. In documentis hieroglyphicis appellatur *An*, *Anu* et accuratius *Anu-mhit* i. e. Anu septemtrionis, ut distinguatur ab *An-res* i. e. Anu meridiei (Hermonthis in Aegypto superiore). Inter deos, quos ibi colebant, imprimis *Atum* seu *Tum* (sol occidens) frequentissime dominus Heliopoleos nominatur, item *Ra* (sol) etsi rarius quam *Atum* (*Brugsch*). Putiphare sacerdos Heliopoleos (Gen. 41,45. 50; 46,20) iam ipso nomine sacerdos dei *Ra*

fuisse designatur (Pelipara i. e. devotus Ra). Depopulatio Aegypti exhibetur Ez. 30,17 : « Iuvenes Heliopoleos (אָוֶן) et Bubasti gladio cadent et ipsae captivae ducentur ». Ex. 1,11 : Ὧν ἡ ἐστιν Ἡλιούπολις est additamentum LXX. De Ier. 43,13 vide BETHSAMES 4. Alia est Heliopolis in Coelesyria, de qua diximus s. v. BA'ALBEK et AVEN 1 (Am. 1,5).

Cf. *Brugsch,* Geograph. Inschriften altaegypt. Denkmäler I. p. 251 s. et Dict. géogr. de l'ancienne Égypte p. 41; *Gesenius*, Thesaurus ling. hebr. p. 52; *Baedeker-Steindorff*, Aegypten *ed.* 4 p. 100-102.

HELISUR v. ELISUR.

HELLAS (Ἑλλάς) legitur 1 Mach. 8,9, quo loco rumores referuntur, qui de bellis inter Graecos et Romanos gestis ad Iudaeos allati fuerant. Qua occasione οἱ ἐκ τῆς Ἑλλάδος (Vulgata : qui erant apud Helladam) Romanos tollere decreverint, non liquet; coniecturas de aliquo fundamento illius rumoris v. apud *Keil* et *Grimm* ad h. l. Ceterum nota agi de rumoribus allatis, non de historica narratione.

HELLENISMUS, HELLENISTAE vide s. v. GRAECI, GRAECIA.

HELLES (חֶלֶץ, 1 Chron. 11,27 חֶלֶץ. in pausa חֶלֶץ; Χέλλης, Χέσλης et 2 Reg. 23,26 Σελλής). **1.** Unus ex Gibborim Davidis, Phalonites seu de Phalti (2 Reg. 23, 36 Vulg. Heles; 1 Par. 11,27; 27,10).

2. Unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda, filius Azariae et pater Elasa; enumeratur octavus inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan descendunt, quae Ieraa Aegyptio, servo Sesan, nupserat (1 Par. 2,39).

HELMONDEBLATHAIM v. DEBLATHAIM.

HELON, nomen viri et trium urbium.

1. Helon (חֵלֹן, Χαιλών), pater Eliab principis tribus Zabulon (Num. 1,9; 2,7; 7,24 29; 10,16).

2. Helon urbs 1 Par. 6,58[43] v. HOLON.

3. Helon urbs 1 Par. 6,69[54] v. AIALON 1.

4. Helon (חֶלֹן, Χελών), oppidum Moab inter oppida ex regione septemtrionali ab Arnon fluvio sita (Ier. 48,21). Onom. (*ed. Lag.* 114,3; 303, 74) : « Chelon, quae et Elon, oppidum Moab, ut in Ieremia scribitur ». Situs ignoratur.

HEM (חֵן) secundum Vulgatam Zach. 6,14 est filius Sophoniae cuiusdam hierosolymitani. Sed est appellativum, ut iam LXX indicant : εἰς χάριτα. Sensus illius loci est : coronas in templo reponi in memoriam favoris a filio Sophoniae peregrinis et hospitibus praestiti (cf. *Knabenbauer* ad h. l.).

HEMAN, nomen virorum.

1. Heman (הֵימָם, Αἰμάν), filius Lotan filii Seir Horraei (Gen. 36,22). Idem 1 Par. 1,39 scribitur Homam (הוֹמָם).

2. Heman (חֵימָן, Αἰνάν) enumeratur inter sapientes, quibus Salomon sapientior praedicatur (3 Reg. 4,31; hebr. 5,11); idem erat ex posteris Zare filii Iuda (1 Par. 2,6; Vulg. Eman; Αἰμουάν, A Αἰμάν).

3. Heman (הֵימָן, Αἰμάν), filius Ioel ex posteris Caath, cantor qui tempore Davidis coram tabernaculo ministrabat (1 Par. 6,33[18]; 15,17; 16,41; 25,6); enumeratur inter eos, qui in cymbalis aeneis concrepabant (1 Par. 15,19); sed 1 Par. 16,42 nomina Heman et Idithun cum LXX erunt delenda; nam levitae non canebant tuba, sed solum sacerdotes. Erat Heman princeps cantorum, a quorum dextris stabant Asaph eiusque filii cantores et a quorum sinistris Ethan cum cantoribus suis (cf. 1 Par. 6,39. 44; hebr. 24. 29); cantum autem comitabantur instrumentis : prophetabant (i. e. Deo laudes canebant) in cytharis et psalteriis et cymbalis (1 Par. 25,1). Appellatur quoque Heman videns regis (David) in sermonibus Dei i. e. qui vere propheta erat et saepius mandata Dei ad Davidem perferebat. Ei quoque Deus dignitatem auxit donans ei quattuordecim filios et tres filias (1 Par. 25,4. 5). Cantores nomine ac duce Heman etiam in dedicatione templi Salomonis suo fungebantur ministerio (2 Par. 5,12); ordo cantorum sub nomine filiorum Heman etiam commemoratur tempore Ezechiae regis et Iosiae regis (2 Par. 29,14; 35,15).

HEMATH v. EMATH 1.

HEMOR (חֲמוֹר, Ἐμμώρ), Hevaeus, princeps urbis Sichem et regionis eius. A filiis eius emit Iacob partem agri, in quo redux e Mesopotamia tabernacula fixerat. Postquam Sichem filius Hemor violavit Dinam filiam Iacob, Hemor rogatus a filio adiit Iacob et filios eius iis proponens, ut Dina filio suo daretur in coniugem et ut connubia iungerentur inter eos et Sichimitas. Verum filii Iacob irati propter iniuriam sororis fraudulenter postularunt, ut ad ineundum foedus assumerent circumcisionem. Consensit Hemor; ipse et filius eius idem aliis quoque persuaserunt; sed tertio die quando gravissimus vulnerum dolor est, Simeon et Levi occiderunt Hemor et Sichem (Gen. 33,19; 34,1-26). In isto agro ossa Ioseph patriarchae sepulta sunt (Ios. 24,32). Viri Hemor memoriam diu esse conservatam elucet ex Iud. 9,28, ubi viri Sichem urbis designantur tamquam viri Hemor (Vulg. Emor) patris Sichem. In oratione Stephani Act. 7,16 dicitur Abraham emisse agrum a filiis Hemor; de quo textu cf. Knabenbauer ad h. l. et vide s. v. SICHEM 2.

HENADAD (חֲנָדָד, Ἡναδάδ), caput alicuius familiae levitarum; filii eius simul cum aliis aedificationi templi praefecti erant et operam dabant (Esdr. 3,9); filius eius Bennui ad moenia exstruenda operam contulit (Neh. 3,24) et enumeratur quoque inter eos qui signatores foederis nominantur (Neh. 10,9). Alter eius (Vulg. Enadad) filius Bavai, princeps dimidiae partis Ceilae vici, pariter in aedificandis moenibus occupatus erat (Neh. 3,18).

HENOCH (חֲנוֹךְ, Ἐνώχ). Eo nomine complures viri vocantur, ex quibus celeberrimus est

1. Henoch, filius Iared et pater Mathusalae quem genuit annos 65 natus. Post eius nativitatem vixit annos trecentos (Gen. 5,18 s.; 1 Par. 1,3; Luc. 3, 37). Insigni encomio eius laudatur pietas: ambulavit cum Deo et non apparuit quia tulit eum Deus (Gen. 5,24). Cum ad reliquos omnes addatur clausula: et mortuus est, quae deest apud Henoch, satis indicatur eum non esse mortuum. Id insuper apparet, cum dicatur: quia tulit eum Deus, quae dictio pariter adhibetur 4 Reg. 2,3. 9. 10 de Elia. Et confirmatur Eccli. 44,16: Henoch placuit Deo et translatus est (in paradisum, additur in Vulg.) et 49,16: nemo natus est in terra qualis Henoch; nam et ipse receptus est a terra (ἀνελήφθη ἀπὸ τῆς γῆς, dum 44,16 dicitur sensu eodem καὶ μετετέθη). Clarissime quoque loquitur apostolus: fide Henoch translatus est ne videret mortem et non inveniebatur, quia transtulit eum Deus; ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo (Hebr. 11,5). Eius traditionis vestigium deprehenditur quoque apud Berosum, qui de Xisuthro scribit eum iam non esse visum, vocem autem ex aëre factam esse dicentem eum propter pietatem ivisse et cum diis habitare, eiusdemque honoris et uxorem eius et filiam et navis gubernatorem participes esse (cf. *Richter*, Berosi quae supersunt p. 57; *F. de Hummelauer* in Gen. 5,24). S. Iudas nos docet quomodo Henoch prophetaverit annuntians iudicium Dei in impios (Iud. v. 14. 15), quae verba ex apocrypho libro Henoch deprompta esse veteres quidem aliqui, uti Tertullianus, Priscillianus, Augustinus, Hieronymus, et recentiores non pauci affirmant; at merito id negatur. Nam verba illa in librum apocryphum potius ex epistula Iudae inserta sunt; carent enim in textu aethiopico apto nexu; illud: iudicium exercet *de iis*, non habet ad quid ex antecedentibus referatur; insuper non constat librum illum apostolica aetate iam exstitisse (cf. *Cornely*, Introd. I. n. 76, *ed.* 2 p. 222). Quare dicendum erit Iudam verba illa ex traditione Iudaeorum orali hausisse (cf. *Cornely*, Introd. III. p. 657).

2. Filius Cain; Cain aedificavit civitatem quam in honorem filii appellavit Henoch (Gen. 4,17. 18). Quandonam Cain urbem aedificaverit, cur non suum, sed filii nomen ei imposuerit, ubinam Babylonii urbem Henoch exstitisse reputaverint, vide apud *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 187-9.

3. Nepos quidam Abraham, filius Madian (Gen. 25,4; 1 Par. 1,33).

4. Filius Ruben primogenitus, uti videtur, cum ubique primo inter filios loco recenseatur (Gen. 46,9; Ex. 6,14; 1 Par. 5,3), a quo familia descendit Henochitarum (Num. 26,5).

HENOS v. ENOS.

HEPHER (חֵפֶר, Ὀφέρ). **1.** Unus ex posteris Manasse, filius Galaad et pater Salphaad, progenitor Hepheritarum (Num. 26,32. 33; 27,1; Ios. 17,2. 3).

2. Unus ex filiis Assur et Naarae in genealogia Iuda 1 Par. 4,6 (LXX Ἡφάλ).

3. Unus ex heroibus davidicis, qui cognominatur Mecherathites (1 Par. 11,36; LXX Θυροφάρ per fusionem duorum nominum) et cuius nomen loco parallelo 2 Reg. 23,34 excidit (v. AASBAI).

HER (עֵר, Ἤρ). **1.** Filius primogenitus Iuda patriarchae ex filia hominis Chananaei Sue, matrimonio iunctus cum Thamar, sed nequam in conspectu Domini, quapropter a Domino occisus est (Gen. 38,3-7; 1 Par. 2,3); mortem obiit in terra Chanaan, antequam Israel in Aegyptum descenderet (Gen. 46,12; Num. 26,19). Quae eius nequitia fuerit, non indicatur, sed fortasse colligi potest ex eo, quod matrem chananaeam habuit; Chananaei enim abominationibus idololatriae dediti erant.

2. Heri vel Her (עֵרִי, Ἠριδίς, Ἀδδεί), filius Gad, progenitor Heritarum (Gen. 46,16; Num. 26,16).

3. Filius Sela filii Iuda (1 Par. 4,21).

4. Her, qui fuit Iesu in genealogia Christi (Luc. 3,28).

HERACLITUS (Ἡρακλεῖτος), philosophus graecus, Epheso oriundus, circa annum 500 a. Chr. ad quem refertur locutio proverbialis 2 Petr. 2,22 ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου.

Cf. *P. Wendland*, Ein Wort des Heraclit im Neuen Testament [Sitzungsber. d. Akad. der Wissenschaften zu Berlin 1898 p. 788-796]; *G. A. Mullach*, Philosophorum Graecorum Fragmenta, *ed. Firmin-Didot* I. 310 ss.

HERAN (עָרָן, Ἐδέν), filius Suthala filii Ephraim, progenitor familiae Heranitarum (Num. 26,36). Eius nomen in genealogiis Ephraim 1 Par. 7,20 s. desideratur.

HERBAE. 1. Herba vel herbae in Vulgata variis nominibus hebraicis et graecis respondent : אֹרֶת, בּוֹל, דֶּשֶׁא, חָצִיר, יְבוּל, יֶרֶק, מִרְעֶה, נָזֶה, עֵשֶׂב, chald. עֲשַׂב; βοτάνη, χόρτος; quae sensu generaliore varias herbas agrestes et proventus terrae designant neque hic pluribus exponenda sunt.

2. Secundum extrinsecam inter arbores herbasque distinctionem, in S. Scriptura saepius indicatam (Gen. 1,11 s. 29; Ex. 9,25; 10,15 etc.), brevem herbarum biblicarum conspectum addimus iuxta modum, quo arbores fruticesque supra recensuimus (v. ARBORES).

Allium שׁוּם.

Anethum ἄνηθον.

Arundo קָנֶה; κάλαμος.

Borith בֹּרִית.

Caepe בָּצָל.

Calamus קָנֶה; κάλαμος.

Carectum אָחוּ; סוּף.

Cicer קָלִי.

Circulus אַגְמוֹן Is. 58,5; v. ARUNDO.

Colocynthides פַּקֻּעֹת.

Coriandrum גַּד.

Crocus כַּרְכֹּם.

Cucumeres קִשֻּׁאִים.

Cyminum כַּמּוֹן; κύμινον.

Faba פּוֹל.

Far גֶּרֶשׁ; גֶּרֶשׁ כַּרְמֶל Lev. 2,14. 16; כֻּסְּמֶת.

Fervens אַגְמוֹן Iob 41,20; v. ARUNDO.

Fistula קָנֶה.

Foenum חָצִיר; כִּיכְפוּא; עָשִׂיר; עֵשֶׂב, chald. עֲשַׂב; ἱμάτιον Eccli. 14,18 gr. 17; χόρτος.

Frumentum אֹכֶל; בָּר (בַּר); דָּגָן; חִטָּה, חִטִּים, חִטִּין, chald. חִנְטִין; כַּרְמֶל; שֶׁבֶר; ἐπισιτισμός; σιτία; σῖτος.

Fucus φῦκος.

Galbanus חֶלְבְּנָה; χαλβάνη.

Gramen יָרָק; עֵשֶׂב.

Herba fullonum בֹּרִית מְכַבְּסִים Mal. 3,2; v. BORITH.

Herbae מַלּוּחַ Iob 30,4.

Hordeum שְׂעֹרָה, שְׂעֹרִים; κριθαί.

Iuncus גֹּמֶא; סוּף.

Lactucae מְרֹרִים.

Legumina זֶרַע, זְרָעִים.

Lens עֲדָשִׁים.

Lilium חֲבַצֶּלֶת; פֶּרַח; שׁוֹשַׁן, שׁוֹשָׁן, שׁוֹשַׁנָּה; κρίνον.

Linum בַּד, בְּדִים; פֶּשֶׁת, פִּשְׁתָּה, פִּשְׁתִּים; λίνον; ὠμόλινον; lineus תַּשְׁבֵּץ Ex. 28,4.

Mandragorae דּוּדָאִים.

Mentha ἡδύοσμον.

Migma בְּלִיל.

Milium דֹּחַן; נִסְמָן.

Mundissimae בֹּר Iob 9,30; v. BORITH.

Nardus נַרְדְּ, נְרָדִים; νάρδος.

Olus יָרָק, יֶרֶק; λάχανον.

Papyrio סוּף.

Papyrus גֹּמֶא.

Pelagus סוּף.

Pepones אֲבַטִּחִים.

Porrus חָצִיר.

Purum בֹּר Is. 1,25; v. BORITH.

Refrenans אַגְמוֹן Is. 9,13; 19,15; v. ARUNDO.

Ruta πήγανον.

Scirpus גֹּמֶא.

Triticum אֹכֶל; בָּר (בַּר); גְּדִישׁ (acervus tritici); דָּגָן, חִטָּה, חִטִּים; שֶׁבֶר; σῖτος.

Vicia כֻּסְּמֶת, כֻּסְּמִים.

Zizania ζιζάνια.

Auctores de herbis biblicis tractantes v. in art. PLANTAE.

3. *Herbae* sensu magis particulari explicantur in Vulgata hebr. מַלּוּחַ, quae in libro Iob cibus hominum miserrimorum dicuntur (Iob 30,4); pro eo quod Vulgata habet « mandebant herbas et arborum cortices », ex textu primigenio proprie vertendum foret « carpentes מַלּוּחַ in frutetis » (עֲלֵי־שִׂיחַ). Cum LXX interpretibus plerique ἅλιμα exponunt, herbas scil. salsas (מֶלַח, ἅλς); ex ordine *Salsolacearum* seu *Chenopodiacearum*, quarum caules teneriores ac folia a pauperibus in salatae modum manducantur (cf. *Theophr.* Hist. pl. IV. 16,5; Caus. pl. V. 15,4; VI. 10,5; *Dioscur.* Mat. med. 1,120; *Antiphanes* ap. *Athen.* 4 p. 161, al.). Ex variis speciebus, quae ita in cibum adhibentur, in Oriente praesertim inveniuntur *Chenopodium album* Linné et *Atriplex halimus* L., illa quidem ubique, sicut in nostris regionibus, communissima, haec vero in litore maris Mediterranei et circa mare Mortuum haud rara, atque etiam in Coelesyria reperta (*Boissier, Post*). Praeter caules et folia autem nostra aetate maxime etiam semina variarum specierum Chenopodii, et praesertim tempore famis, in Rossia cibum pauperum suppeditant, atque in America meridionali (Chile, Bolivia, Peru etc.) propter hunc seminum usum *Chenopodium Quinoa* Linné, Chenopodio albo simillimum, ubique colitur et vel tritico acquiparatur. Eundem vero usum Chenopodii albi etiam antiquis notissimum fuisse, ex maxima copia seminum huius speciei concludere licet, quae in constructionibus sublimiciis helveticis inventa est atque ad panes conficiendos inservicbat. Quare verba Iob vel de caulibus ac foliis, vel de seminibus Chenopodii albi vel similis speciei satis probabiliter exponuntur.

Cf. *E. Boissier*, Flora orient. IV. 901 916; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3 p. 300. 307; *A. de Candolle*, Origine des Plantes cult. 282; *Rud. Virchow* in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1892, 506-8; *Buschan* ib. 1893, 228, qui citat *R. Forrer* et *H. Messikommer*, Praehistorische Varia (1889) p. 9; *R. A. Philippi* ib. 552 s.; *K. Halpern*, Die Bestandtheile d. Samens d. Ackermelde, Chenopodium album, etc., Halle 1893; *G. E. Post*, Flora of Syria 678. 683.

Explicatio data ceteris videtur probabilior, quae *malvam* (μαλάχη) vel *Corchorum*

olitorium L. vel « *sapida* » vel « *ex rupibus* » (בולוה) vel alia exponunt; de quibus v. plura ap. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 872-7, *ed. Rosenm.* II. 223-9; *I. H.* Ursinus, Arboret. bibl. 356 s.; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 457-9; *O. Celsius*, Hierobotan. II. 96 s.; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 1422 s. 1509-12; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 3,91-4; *E. F. K. Rosenmüller*, Comment. in Iob 30,4; *id.* Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,114 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 8, 465 s.; *F. Hamilton*, Botanique de la Bible 172; *J. Smith*, Hist. of Bible Plants 73-6; *I. Knabenbauer*, Comment. in Iob 30,4.

L. FONCK.

HERCULES (Ἡρακλῆς), deus praecipuus Tyriorum, a Tyriis vocatus *Melqart* i. e. rex urbis (מלך קרת) vel Baal Tyri i. e. dominus (conditor) Tyri, in cuius honorem quinto quoque anno agones Tyri celebrabantur. Cum Antiochus IV. Epiphanes quinquennali agoni ipse adesset, Iason impius Iudaeorum pontifex (circa 174-171 a. Chr.) Tyrum misit spectatores a Ierusalem, qui Antiochenses erant (θεωροὺς ἀπὸ Ἱεροσολύμων Ἀντιοχεῖς ὄντας i. e. incolas Ierusalem civitate Antiochensium donatos), qui agonibus interessent et trecentas argenti didrachmas in sacrificium Herculis offerrent; sed ipsis legatis, quos tanti sceleris puduit, precantibus haec pecunia non in sacrificium Herculis, sed in fabricam navium triremium erogata est (2 Mach. 4,18-20; Vulgata non legit *spectatores*, sed peccatores et omittit Ἀντιοχεῖς ὄντας). Ex scriptoribus profanis discimus a coloniis Tyriorum v. g. a Carthaginiensibus legatos Tyrum mitti solitos esse, qui magnis festivitatibus spectatores interessent et in honorem Herculis dona offerrent.

Cf. *P. Scholz*, Goetzendienst und Zauberwesen 1877 p. 197 ss. (§ 19); *Movers*, Die Phoenizier I. 385 ss.; *V. Bernard*, De l'origine des cultes accadiens, Paris 1894 p. 253 ss.

HERED (Num. 26,40) idem atque Addar (vide s. v.).

HERED urbs v. ARAD.

HEREDITAS, HERES. Solum filii ex uxoribus liberis nati heredes bonorum paternorum esse poterant. Id iam ex historia Abraham colligitur; Sara enim dicit de Ismael : non erit heres filius ancillae cum filio meo (Gen. 21,10); Isaac est heres (Gen. 24,36; 25,5); filiis autem concubinarum largitus est Abraham munera (Gen. 25,6). Similiter filii legitimi Galaad dicunt ad Iephte : heres in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es (Iud. 11,2; erat quippe Iephte filius mulieris meretricis). Filii quidem Iacob omnes videntur habiti esse pares; nam tribus secundum eorum nomina designatae non inter se gradu quodam dignitatis distinguebantur. Sed ratio esse potest quod uxores eius liberae, Rachel et Lia, ipsae marito suo famulas suas tradiderunt uxores (Gen. 30,3. 9), ut filii famularum censerentur quasi filii uxorum, sicut Rachel dicit : ut habeam ex illa filios. Inter filios heredes primogenitus ampliorem accipiebat partem, scil. duplicem eius quae aliis contingebat; atque lege provisum erat, ne filius primogenitus uxoris minus dilectae sua duplici parte privaretur in utilitatem filii uxoris dilectae (Deut. 21,15-17). Sed primogenitus propter crimen patratum suo iure excidere potuit; ita v. g. Ruben amisit primogenita (1 Par. 5,1); Esau illa vendidit, quae utique postea recuperare desideravit: at frustra; qua in re tamen peculiaris Dei ordinatio intervenit (cf. Gen. 25,23. 31; 27,34; Rom. 9,10-15). Quo ordine hereditas, si filii non adessent, ad propinquos devolvenda sit, exponitur Num. 27,8-11; et primo quidem heres est filia; ea deficiente succedunt fratres patris, qui si non adsunt, succedunt patrui. Filiae itaque tum solum heredes scribuntur, si pater non filios reliquerit; quae filiae heredes iubentur nubere viris suae tribus et cognationis, ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum (Num. 27,1 ss.; 36,6-12; Ios. 17,3). Verum poterant accipere munera a patre, cum darentur in matrimonium (cf. Ios. 15,18 s.); immo filiabus Iob data est a patre hereditas inter fratres suos (Iob 42,15). Quare videtur patribus relicta esse libertas quaedam de bonis ac possessione disponendi; id quod etiam innui videtur

dictione illa : dispone domui tuae (Is. 38,1; cf. 2 Reg. 17,23). In libris Veteris Testamenti non fit mentio testamenti scripti; verum quae quis post mortem suam fieri vult, filio mandat (cf. 3 Reg. 2,1 s.); in novo foedere testamenta scripta nota esse indicatur (Hebr. 9,17; cf. Gal. 3,15). Si quis absque liberis mortuus fuit, tamen non statim fratres eius in hereditatem succedebant; sed quando spes erat fore ut uxor mortui posset parere, frater mortui eam debuit ducere, ut suscitaret mortui semen et heredem, quae est lex leviratus (Deut. 25,5; cf. Matth. 22,24; Marc. 12,19; Luc. 20,8).

Porro terra quam Deus populo suo tradit appellatur quoque hereditas; item pars illa regionis quae alicui tribui contigit; cf. Lev. 20,24; Num. 32,18; 33,54; Deut. 3,18 etc., quibus in locis hereditas, uti re ipsa patet et ex hebr. consequitur, notione possessionis usurpatur. Eadem notione populus quoque Israel et terra Chanaan dicitur hereditas i. e. possessio, proprietas Domini Deut. 4,20; 9,26. 29; 1 Reg. 26,19; 2 Reg. 20,19 etc. Atque ipse quoque Dominus, utpote bonorum omnium largitor, dicitur pars et hereditas suorum. Ita imprimis ratione habita sacerdotum et levitarum : dixit Dominus ad Aaron : in terra eorum (filiorum Israel) nihil possidebitis nec habebitis partem inter eos; ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel (Num. 18,20) et : Dominus ipse est hereditas eorum (Deut. 18,2); similiter : sacerdotium Domini est eorum hereditas (Ios. 18,7). Dein etiam eodem nomine vocatur a piis Israelitis : Dominus pars hereditatis meae (Ps. 15,5). Inde consequitur quod filii Dei etiam appellantur heredes Dei : si autem filii et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi (Rom. 8,17; Gal. 4,7) et Christus ideo mortem dicitur deglutivisse, ut vitae aeternae heredes efficeremur (1 Petr. 3,22). Eodem modo bona caelestia, gloria aeterna dicitur hereditas; ita hereditas salutis, aeterna hereditas, divitiae gloriae hereditatis, hereditas incorruptibilis (Eph. 1,18; Hebr. 1,14; 9,15; 1 Petr. 1,4). Et quod in Vulgata dicitur Matth. 5,4 : beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, graece aptius κληρονομήσουσιν, hereditabunt (regnum scil. messianum, cuius pignus erat terra Chanaan; cf. Ps. 36,9. 11. 22. 29; Is. 57,13; 65,9).

I. KNABENBAUER.

HEREDITAS GETH vide s. v. MORASTHITES.

HEREM (Esdr. 10,31; Neh. 3,11) v. HARIM 2.

HERES ascensus (מַעֲלֵה הֶחָרֶס) ad orientem Iordanis haud procul a Soccoth (Iud. 8,13). Vulgata vertit מולמעלה החרס ante solis ortum, LXX ἀπὸ ἐπάνωθεν [τῆς παρατάξεως] Ἀρές, A ἀπὸ ἀναβάσεως Ἀρές, Aquila ἀπὸ ἀναβάσεως τοῦ δρυμοῦ, Symmachus ἀπὸ ἀναβάσεως τῶν ὀρῶν, Theodotion ἀπὸ ἀναβάσεως Ἀρές (? ὄρους).

HERI (Gen. 46,16) v. HER 2.

HERINACEUS (melius erinaceus, al. irenaceus) dicitur in Ps. 103[104], 18 hebr. שָׁפָן, quod alibi choerogryllus (v. s. v.) explicatur.

HERMA urbs v. HORMA 1.

HERMAS (Ἑρμᾶς) christianus Romae degens, quem S. Paulus salutat Rom. 16,14; eius nomen originem graecam innuit. Hunc aliqui Patres (S. Irenaeus, Tertull., Origenes) putaverunt esse auctorem libri *Pastor Hermae,* de cuius canonicitate gravis quaestio agebatur exeunte saeculo secundo, sed teste Fragmento Muratoriano (lin. 73-77) *Pastor* conscriptus est Romae ab Herma fratre Pii I. Summi Pontificis, qui circa a. 150 p. Chr. cathedram romanam occupabat et hanc sententiam multi recentiores amplectuntur aliis contradicentibus. Sed haec quaestio historiae ecclesiasticae relinquenda est. Hermas a S. Paulo salutatus in Martyrologio romano Sanctis accensetur die 9. Maii.

HERMES (Ἑρμῆς) christianus in eodem versu cum Herma a S. Paulo salutatus (Rom. 16,14). Addit *Calmetus*, Diction. : « e 72 discipulorum numero et Dalmatiae episcopus, si Graecis credamus ».

HERMOGENES (Ἑρμογένης), christianus ex Asia minore, de quo S. Paulus

ex captivitate romana scribit : Aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigelus et Hermogenes (2 Tim. 1,15).

HERMON (חֶרְמוֹן, Ἑρμών). Etymon a *Gesenio* explicatur prominens montis vertex ex arab. *khurmun*. Aliud etymon a devovendo legitur apud S. Hilarium in Ps. 133 : « Hermon mons... cuius interpretatio Anathema est... Fertur autem id, de quo etiam nescio cuius liber exstat (scil. liber Henoch 6), quod Angeli concupiscentes filias hominum, cum de caelo descenderent, in hunc montem maxime excelsum convenerint ». — In Vet. Testamento Hermon mons constituitur terminus septemtrionalis Palaestinae transiordanicae longe lateque conspicuus (Deut. 3,8; 4,48; Ios. 11,17; 12,1; 13,5; 1 Par. 5,23), ita quidem ut ipse Hermon comprehendatur intra fines Og regis Basan (Ios. 12,4) et etiam intra fines Israelitarum seu dimidiae tribus Manasse (Ios. 13,11). Ad radices montis Hermon Hevaeos habitasse docemur Ios. 11,3. De quibusdam locis modo citatis v. BAALGAD et BAAL HERMON. — Aliis nominibus Hermon vocatur Deut. 3,9 apud Sidonios Sarion (שִׂרְיֹן, Σανιών), apud Amorrhaeos Sanir (שְׂנִיר, Σανείρ); utrumque etymon explicandum videtur *thorax, lorica* a montis similitudine cum thorace vel lorica (*Gesenius*). Tertium nomen adiicitur Deut. 4,48 : Sion (שִׂיאֹן i. e. elatus, Σηών), quod cum Sion (צִיּוֹן) hierosolymitano nihil commune habet. Nomen שִׂרְיוֹן etiam legitur Ps. 29,6 hebr. : Et saltare fecit eos sicut vitulum Libanum et Shirion sicut filium unicornium (aliter Vulgata et LXX). Utrum assyriacum *Sirara* (cf. *Schrader*) sit mons Hermon necne, dubitari potest. Aliud nomen Sanir legitur Ez. 27,5 et praeterea etiam iuxta nomen Hermon ab eoque distinctum 1 Par. 5,23 et Cant. 4,8; est igitur Sanir pars Antilibani eaque septemtrionalis, quam Arabes (*Abulfedā*, Tab. Syriae *ed. Köhler* p. 164) *Sanir* appellant, a septemtrione Damasci sita inter Heliopolim (*Ba'albek*) et Emesam (*Ḥōmṣ*). Apud Assyrios Sanir legitur *Saniru* et designatur vertex in introitu Libani (*Delitzsch*, *Schrader*).

Hermon hodie vocatur *Djebel el-Sheikh* i. e. mons aetate provecti seu albis capillis ornati, alio nomine *Djebel el-Teldj* i. e. mons nivis. Ab Antilibano per profundam vallem *Wādi el-Qarn* separatur et inde per septem fere horas meridiem et nonnihil occidentem versus protenditur. Culmen tres vertices distinctos habet quorum septemtrionalis et meridionalis circa 500 passibus inter se distant et fere 2800 m supra mare ascendunt; occidentalis vertex aliis duobus circa 30 m inferior est. Hieme Hermon multa nive tegitur, quae aestate quoque in faucibus reconditis conservatur; teste S. Hieronymo (Onom. *ed. Lag.* 90,14) aestivae nives de monte Hermon Tyrum ob delicias deferri solebant et Israelitas iisdem refrigeriis fruitos esse innuitur Prov. 25,13 : sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis etc. A monte Hermon descendunt aquae Iordanis et Pharphar (*Nahr el-A'wadj*). Celebratur quoque Ps. 132[133],3 ros Hermon, cuius iucunditate illustrat Psalmista, quam iucundum sit habitare fratres in unum. Ex multis et variis arboribus, quae hodie Hermonem contegunt (ut quercus, amygdalus, prunus, cerasus, pirus, iuniperus excelsa et quae rarior est, iuniperus drupacea praeter virgulta plurima), in S. Scriptura nominatur sola cypressus de Sanir, quae a Tyriis navium tabulatis adhibebatur (Ez. 27,5); Sapientia quoque Eccli. 24,17[13] describitur exaltata quasi cypressus in monte Sion (ἐν ὄρεσιν Ἑρμών). Leones et pardi cubilia habebant in Sanir et Hermon (Cant. 4,8); leones quidem disparuerunt, sed inveniuntur pardus, ursus syriacus, lupus, vulpes aliaeque ferae. In Ps. 88 [89],13 Thabor (in terra cisiordanica) et Hermon (in terra transiordanica) cum aquilone et meridie associantur, ut enarrent gloriam Creatoris.

Ruinae, quae in vertice meridionali cernuntur, vestigia sunt templorum Baal, quibus mons et tota circum regio abundabant. Huc spectat quod Eusebius (Onom. *ed. Lag.* 217,49) auditu compertum refert Hermonem ab ethnicis sacrum haberi; hunc Eusebii locum reddit S. Hieronymus (l. c. 90,21) : « Dicitur

esse in vertice eius insigne templum, quod ab ethnicis cultui habetur, e regione Paneadis et Libani ». Ad hunc cultum falsorum numinum respicere videtur S. Hilarius in Ps. 133 : « Certe hodie gentes montem hunc profana religione venerantur et interpretationem nominis sui, quod est Anathema, ipsa illa impiae superstitionis sede testantur ».

Prospectus a vertice Hermon latissime patet; orientem versus complectitur planitiem Damasci et magnam partem Syriae, meridiem versus extenditur usque ad *Djebel Ḥaurān* et montana Moab, magnifico circuitu fertur super lacum Tiberiadis, Samariam, Galilaeam usque ad Carmelum, attingit oram maritimam a Carmelo Tyrum usque, conquiescit in Libano, Coele Syria, Antilibano.

A monte Hermon, cuius mentio est in S. Scriptura, distinguendus est Hermon minor, hodie *Djebel Daḥī* (c. 560 m) inter montes Gelboe et Thabor. Nomen *Hermon minor* ex multorum opinione originem debet falsae interpretationi Ps. 88[89],13, quo loco Thabor et Hermon una nominantur et mons alter in vicinia Thaboris quaerendus videbatur.

Cf. *Gesenius*, Thesaurus ling. hebr. s. v.; *Reland*, Palaestina I. p. 322-326; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I. p. 146. 173; *Delitzsch*, Paradies p. 104; *V. Guérin*, Galilée II. 290-295; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899, II. 740. 741; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 110 s.; *Merrill*, East of Jordan p. 431; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 39; *Baedeker-Benzinger*, Pal. u. Syrien *ed.* 5 p. 323 ss.; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 117.

HERMONIIM (חֶרְמוֹנִים, Ἑρμωνιείμ) Ps. 41[42],7 est forma pluralis vocis חֶרְמוֹן significans montana Hermon.

HERODES (Ἡρώδης; in inscriptionibus reperitur Ἡρωιδης et Etymologicum magnum habet sub eo nomine ἔχει τὸ ι προςγεγραμμένον, quam scribendi rationem adoptarunt *Lobeck, Westcott* et *Hort* : Ἡρῴδης; cf. *Schürer* Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3 I. p. 375; *Gregory*, Prolegomena p. 109; nomen quippe contractum est ex Ἡρωιδης. Verum iota subscriptum in codicibus uncialibus non habetur, sicuti etiam in inscriptionibus iunioribus et in nummis non reperitur, in quibus itaque constanter scribitur Ἡρωδης). In Novo Testamento quattuor viri eius nominis commemorantur : Herodes qui dicitur Magnus, Herodes Antipas, Herodes Agrippa I., Herodes Agrippa II., de quibus itaque ea tractanda sunt, quae ad res in sacris libris narratas spectant. De Herode Philippo v. PHILIPPUS 7.

I. **Herodes Magnus**, filius Antipatri Idumaei, postulantibus Antonio et Octaviano a senatu romano rex Palaestinae nominatus est circa finem anni 40 a. Chr. Adiutus a Romanis anno 37 expugnavit Ierusalem et occiso Antigono adversario regnum capessivit. Exorto inter Antonium et Octavianum bello stetit a partibus Antonii. Antonio in pugna ad Actium devicto Herodes Rhodum navigavit et Octavianum Caesarem adiit sine diademate veste et cultu privato; verum qua erat prudentia ita sibi Octavianum conciliavit, ut Octavianus ei diadema imponeret et postea etiam regno eius adderet regionem fertilem circa Iericho (quam scil. antea debuerat Cleopatrae cedere) et Gadara et Hippon et Samariam et Gazam et Anthedona et Ioppen et Stratonis turrim (cf. *Flav. Ios.* Bell. iud. I. 20,1-3; Ant. XV. 6,7). Ex eo tempore Herodes iam non potest censeri rex socius, sed rex restitutus, qui regnum suum debuit gratiae et amicitiae Caesaris. Omnes enim reges qui Antonium adiuverant, si iis regna reddebantur, ab Augusto in ordinem regum restitutorum redigebantur (cf. *Suetonius*, Octav. 48). Erat igitur rex titulo amici Caesaris et quidquid possidebat ex sola gratia Caesaris possidebat. Eiusmodi reges amici, vel, uti quoque appellabantur, socii non aequo foedere, generatim censebantur procuratores Caesaris, vocantur apud Strabonem ὑπήκοοι, inservientes apud Tacitum, in fide et clientela apud Sallustium (cf. *Aberle*, Theolog. Quartalschrift 1874 p. 668). Quae res attendenda est; inde enim patet omnino falsum esse quod aliqui contendunt descriptionem ab Augusto imperatam (Luc. 2,1) non potuisse extendi ad Palaestinam quippe

quae Herodi regi *socio* esset attributa (*Schürer* l. c. p. 525. 526). Verum in quantum Herodes subiectus fuerit nutui et arbitrio Caesaris, ex aliis quoque satis elucet : debebant Iudaei iurare se Caesaris rebus fauturos esse (Ant. XVII. 2,4); non inveniuntur nummi ab Herode cusi nisi aerei, uti *Schürer* l. c. p. 403 concedit; iam vero si ei non concedebatur ius cudendi nummos aureos et argenteos, documento est eum fuisse Caesari subiectum; porro sine venia Caesaris ei non licuit bellum gerere, neque in filios rebelles animadvertere; debuit tributum solvere; testamentum eius debuit auctoritate Caesaris confirmari; insuper si teste Philone (legat. ad Cai. 36. 40) sacrificium quotidianum pro Augusto in templo offerebatur, eo ipso profitebantur Iudaei se esse Augusto subiectos (cf. Esdr. 6,10; Bell. iud. II. 17,2; *Wieseler*, Beitraege p. 92; *Knabenbauer*, Comment. in Lucam p. 108 ss.).

Cum ad eum venissent magi ab oriente dicentes : ubi est qui natus est rex Iudaeorum? turbatus est et omnis Ierosolyma cum ipso (Matth. 2,2. 3). Quae narratio plane congruit eius moribus. Neque enim erat inscius suam dominandi rationem multis esse exosam. Quare ab initio regni caedibus in adversarios saevire non cessabat. Ita urbe politus quadraginta quinque viros nobiles ex iis qui a partibus Antigoni steterant interfecit; mox Aristobulum, fratrem Mariammes uxoris suae, in balneo exstinguendum curavit, dein Hyrcanum II., immo etiam uxorem Mariammen interemit et Alexandram, Hyrcani filiam, et filios Babae et Costobarum; ultimis quoque vitae annis saeviebat in eos quos sibi insidias struere suspicabatur; ita filios suos Alexandrum, Aristobulum, Antipatrum perimi iussit (*Flav. Ios.* Ant. XV. 1,2; 3,3; 6,3; 7,4-6. 8; 7,10; XVI. 11,2-7; XVII. 7); pariter occidit multos pharisaeos qui fore praedixerunt ut ipse et eius progenies decreto Dei imperium amitterent aliosque ex sua familia qui cum iis consenserant (l. c. XVII. 2,4). Qui igitur tot caedes commisit, suspicione inductus ne quis sibi thronum eriperet, is profecto etiam eo modo egisse censendus est quo apud Matthaeum narratur. Simulatione usus a magis postulat, ut sibi puerum regem quem reperissent indicarent. Tum quo certius eum perimeret, omnes pueros a bimatu et infra (secundum tempus stellae a magis visae) in Bethlehem et regione circumiacente occidi iussit (Matth. 2,8-16). De hac puerorum caede Iosephus quidem nihil refert; verum eius silentium facile explicatur. Nam ea quae ad Christum spectant generatim silentio premit; dein inter ceteras regis crudelitates haec caedes paucorum infantium non tanti aestimari potest, ut eius memoria debuerit ceteris rebus gestis inseri; insuper ultimo Herodis tempore tot saeviliae eius et furoris insani documenta edita sunt, ut eius rei memoria maioribus illis facinoribus deleta esse videatur (cf. *Knabenbauer*, Comment. in Matth. *ed.* 2 l. p. 113).

II. **Herodes Antipas**, filius Herodis Magni et Malthaces, cum regnum Herodis patris divideretur, titulo tetrarchae accepit Galilaeam et Peraeam. Duxerat uxorem filiam Aretae regis Arabum; verum captus amore Herodiadis, uxoris fratris sui Philippi, filii Herodis ex Mariamme filia Simonis pontificis, filiam Aretae eiecit et Herodiadem incestis nuptiis sibi copulavit. De quo scelere a Ioanne Baptista reprehensus Herodes eum tenuit et posuit in carcere in arce Machaerunte (cf. *Flav. Ios.* Ant. XVIII. 5,1. 2). Mortem Baptistae Herodias postulabat; diutius resistebat Herodes, partim timens populum, qui Ioanni ut prophetae adhaerebat, partim sciens eum virum sanctum quadam eius reverentia et timore retinebatur, ne mulieris odio caedem concederet, immo libenter Ioannem audiebat eiusque monitis de multis quae fecerat reddebatur anxius (ἠπόρει, Marc. 6,20; cf. Matth. 14,5). Sed odium et astutia muliebris exploravit opportunitatem qua induceretur licet reluctans, ut censorem molestum interimeret; de qua occasione narrant Matth. 14,6 et Marc. 6,21. Herodes vino et voluptate temulentus insanam dedit puellae saltatrici promissionem : quidquid petieris, licet dimidium regni mei etc., eamque iuramento firmavit et falso pudore ductus ne verbum retractare videretur,

impiae postulationi mulieris acquievit.

Quomodo de eo facinore conscientiae stimulis agitaretur, plane apparuit cum audiens de Iesu miraculis existimaret Ioannem a mortuis resurrexisse (Matth. 14, 2; Marc. 6,14; Luc. 9,7); aulicis autem varia de illo miraculorum patratore indicantibus quaerebat Iesum videre (Luc. 9,9), neque tamen vidit; immo mox Iesum quoque interimere voluisse videtur; Iesus enim pharisaeis id affirmantibus respondit : dicite vulpi illi etc. (Luc. 13,32). Iesum tandem vidit, cum Pilatus Iesum captivum ad eum mitteret, ut de Galilaeo princeps Galilaeae sententiam ferret; at quia Iesus multis eius interrogationibus ne unum quidem verbum reposuit, eum sprevit cum aulicis et illusit indutum veste alba et remisit ad Pilatum (Luc. 23,11). Uti cedens postulationi Herodiadis sanguine Ioannis fuso crimine se maculavit, ita eiusdem mulieris importunitate exitium ei paratum est. Nam illius ambitione inductus ab Imperatore Caligula titulum sibi regium expetiit; sed accusatus apud Imperatorem damnatus est perpetuo exsilio, Lugduno Galliae oppido ei ad habitandum assignato (cf. *Flav. Ios.* Ant. XVIII 7, 2). Vide s. v. HERODIAS.

III. **Herodes Agrippa** I. filius Aristobuli et Berenices (filiae Costobari et Salomes, Ant. XVIII. 5,4) et nepos Herodis Magni, Romae educatus convictore quotidiano et familiari usus est Druso, Tiberii Imperatoris filio. Mortua matre Berenice facultates suas partim luxuriose vivendo prodegit partim immodica largitione profudit; ad inopiam redactus Roma decessit. Ope Herodiadis sororis suae ab Herode Antipa aliquid nactus est subsidii; inimicitiis autem cum eo exortis se contulit Antiochiam ad Flaccum, qui tunc Syriam administrabat. Mox repetiit iter romanum, propter plurimum aes alienum a creditoribus vexatus. Ab Imperatore Tiberio in secessu Caprearum benigne susceptus familiaritatem iniit cum Caio Caligula et apud eum plurimum in gratia profecit; quare sperans fore ut a Caligula divitiis et beneficiis iuvaretur dixit se Deum precari ut Tiberius Caio omnino digniori quam primum imperio cederet. Id quod Tiberio nuntiatum est, qui Agrippam vinciri et in carcerem detrudi iussit. Verum post sex menses Tiberius obiit et Caligula Agrippam non solum vinculis solvit, sed etiam tetrarchiam Philippi et Lysaniae et titulum regium ei contulit et pro catena ferrea ei auream eiusdem ponderis donavit. Et cum Antipas a Caligula esset exsilio multatus, Agrippa tetrarchiam eius pariter accepit circa annum 40 p. Chr. (cf. Ant. XVIII. 6,1 s.).

Agrippa qui eousque vitam satis dissolutam degerat, cum rex Hierosolyma pervenisset, victimas pro gratiarum actione immolavit, ita ut nihil lege praescriptum omiserit, unde et multos nasiraeos tonderi praecepit et illam catenam auream intra conseptum templi supra gazophylacium suspendit, ut documento esset Deum solere ea quae ceciderant erigere (Ant. XIX. 6,1) et se legis observantem exhibuit; « libenter et assidue Hierosolymis degebat et patriorum institutorum custos erat religiosus adeoque se ipsum in omnibus mundum servabat neque diem unquam unum intermittebat quin sacrificium ex lege offerret » (l. c. 7,3). Hac ostentatione pietatis Iudaeorum animos qui Idumaei imperium aegre ferebant sibi conciliare ac devincire studuit. Eadem ratione Christianos persequi et vexare coepit; nam Act. 12,1 misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia; occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio; videns autem quia placeret Iudaeis, apposuit ut apprehenderet et Petrum etc., qui eius potestati miraculo estereptus. Quam mortem obierit narratur Act. 12,20-23, atque simili modo refert *Iosephus* (Ant. XIX. 8,2) : in urbe Caesarea spectacula edidit in honorem Caesaris; secundo spectaculorum die veste indutus tota ex argento admirabili opere contexta processit in theatrum primo diluculo. Ibi argentum solarium radiorum ictibus illustratum mirum in modum resplendescebat; moxque adulatores alii aliunde acclamabant Deum appellantes dicentesque : propitius nobis esto et licet hactenus te veluti hominem reveriti sumus, in posterum te mortali sorte maiorem habebimus. At rex neque illos obiurgavit neque impiam eorum adulationem

reiecit... moxque cordicitus dolebat; accesserunt ventris cruciatus a principio vehementissimi... continuis per quinque dies ventris doloribus confectus vitam finivit annum agens 54. Post eius mortem a Caesare missus est Cuspius Fadus qui Iudaeae totiusque regni praeses esset (Ant. XIX. 9,2); Palaestina a procuratore romano deinceps administrabatur attributa provinciae Syriae.

IV. **Herodes Agrippa** II., filius Agrippae I., cum pater diem obiret, annos natus erat septemdecim. Claudius Caesar quidem in animo habuit ei regnum tradere paternum; at liberti et amici dissuaserunt monentes periculosum esse adolescentulo committere tantum regnum (Ant. XIX. 9,2). Claudius postea c. an. 50 ei dedit parvum regnum ad montem Libanum, regnum scil. Chalcidis, quod Herodes, eius patruus, tenuerat. Verum mox, anno 53, pro hoc regno accepit tetrarchiam Philippi (i. e. Batanaeam, Trachonitidem, Gaulanitidem) et tetrarchiam Lysaniae (Abilam) et eparchiam Vari (Bell. iud. II. 12,8; Ant. XX. 7,1), quae quaedam ad montem Libanum regio fuisse videtur. Praeterea a Nerone Imperatore accepit partem quandam Galilaeae, Tiberiadem et Taricheas, Iuliada Peraeae urbem et vicos quattuordecim in vicinia eius positos (Ant. XX. 8,4) et Abilam in Peraea (Bell. iud. II. 13,2). De eo eiusque sorore Bernice mentio fit Act. 25,13. Cum enim Agrippa venisset Caesaream ad salutandum Festum, procuratorem Iudaeae, Festus, ignorans quid de Paulo Romam scriberet, Agrippam consuluit. Agrippa ipse Paulum videre cupiebat et coram Agrippa et Festo Paulus de vita sua et doctrina Christi reddidit rationem (Act. 23,13-26, 32). Paulus argumentatione sua id effecit, ut Agrippa diceret : in modico suades me christianum fieri. Festo autem dicebat; dimitti poterat homo hic, si non appellasset Caesarem. Ceterum vide s. v. BERNICE.

I. KNABENBAUER.

V. **Schema chronologicum dynastiae herodianae.**

1. *Initia dynastiae.* Cf. *Flav. Ios.* Ant XIV. 1,3-16,4; Bell. iud. I. 6,2-18,3.

Annis 67-63 a. Chr. (687-691 ab U. c.) Aristobulo II. regnante Antipater, filius Antipae (Antipatri) praefecti Idumaeae tempore Alexandri Iannaei et pater Herodis Magni, favet partibus Hyrcani II., qui erat frater Aristobuli II.

Anno 63 (691) Pompeius Hierosolyma occupat.

Annis 63-40 (691-714) Hyrcano II. regnante ad honores ascendunt Antipater eiusque filii Phasael et Herodes. Post pugnam ad Pharsalam (die 9. Aug. anni 48) et mortem Pompeii (die 28. Sept. anni 48) Hyrcanus II. et eius amicus Antipater statim partibus Caesaris favent.

Anno 47 vel 46 (707 vel 708) Phasael Hierosolymis, Herodes in Galilaea duces (στρατηγοί) constituuntur. Herodes Coelesyriae praeficitur a Sexto Caesare Syriae praeside et iterum a Cassio (post necem Caii Iulii Caesaris die 15. Martii anni 44).

Anno 43 (711) Antipater veneno interficitur.

Post pugnam ad Philippos (autumno anni 42) Phasael et Herodes coram Antonio a Iudaeis accusantur, sed ab eodem Antonio tetrarchae Iudaeae nominantur autumno anni 41.

Anno 40 (714) magna invasio Parthorum. Hyrcanus II. mutilatur et captivus abducitur; Phasael morte violenta abripitur; Antigonus filius Aristobuli II. rex et pontifex declaratur. Herodes aufugiens ad Antonium et Octavianum Romam contendit et a senatu romano rex Iudaeae creatur.

Annis 40-37 (714-717) Antigono regnante Herodes bellum gerit, in quo ipsius frater Ioseph ab Antigono victus occiditur; anno 37 dum Hierosolyma obsidet, Herodes Samariam profectus nuptias celebrat cum Mariamme nepti Hyrcani II.; Hierosolyma expugnat (circiter mense Iulio). Antigonus Antiochiae securi percutitur ex mandato Antonii (cf. Ant. XV. 1,2).

2. *Regnum Herodis Magni.* Cf. *Flav. Ios.* Ant. XV. 1,1-XVII. 8,1; Bell. iud. I. 18,4-33,8.

Anno 37 (717) Herodes primos amicorum Antigoni interficit.

Anno 36 (718) Hyrcanus II. a Parthis dimissus ad Herodem rediit et honoricentissime excipitur.

Anno 35 (719) ineunte Herodes Aristobulum III., Mariammes uxoris suae fratrem, pontificem constituit et exeunte eodem anno mox post festum tabernaculorum Ierichunte in piscinam immersum occidit.

Anno 34 (720) Ioseph, maritus Salomes sororis Herodis, necari iubetur. Cleopatra, cum ab Antonio oram phoeniciam Tyro ac Sidone exceptis et partes Arabiae ac Iudaeae impetrasset, Herodem invisit.

Anno 31 (723) post victoriam Octaviani Augusti ad Actium (die 2. Sept.) illius partes tuetur Herodes contra gladiatores Antonii.

Anno 30 (724) Herodes Hyrcanum II. occidit, Rhodum contendit ad Augustum ab eoque rex confirmatur, Augustum in Aegyptum proficiscentem apud Ptolemaida honorifice excipit; autumno eius anni in Aegyptum iter facit et ut amicus colloquitur cum Augusto, qui ei Iericho restituit eiusque regno addit Gadaram, Hippon, Samariam, Gazam, Anthedona, Ioppen, turrim Stratonis (Caesaream Palaestinae).

Anno 29 (725) exeunte Mariamme uxor Herodis supplicio capitis afficitur.

Anno 28 (?) Alexandra filia Hyrcani II. et mater Mariammes supplicio punitur.

Anno 25 (729) morte multantur Costobarus, secundus maritus Salomes sororis Herodis, et filii Babae, qui cum familia Hasmonaeorum videntur coniuncti fuisse.

Anno circiter 24 (730) Herodes uxorem ducit Mariammen filiam sacerdotis, quem eodem tempore pontificem nominat.

Anno 23 (731) Alexander et Aristobulus filii Mariammes prioris Romam mittuntur.

Anno 20 (734) Pheroras, frater Herodis, tetrarcha Peraeae nominatur.

Anno 18 vel 17 Herodes primum iter romanum instituit et filios reducit.

Anno 14 (740) incipiunt discordiae inter Herodem et filios Mariammes, Alexandrum et Aristobulum. Antipater, filius Doris, primae uxoris Herodis, patri reconciliatus ad aulam regiam iterum admittitur.

Anno 13 (741) Antipater Romam mittitur.

Anno 12 (742) Herodes secundum iter romanum instituit cum filiis suis Alexandro et Aristobulo, quos coram Augusto accusat. Aquileiae Augustus litigantes reconciliat. Antipater cum illis in Iudaeam revertitur.

Anno 10 vel 9 Herodes tertium iter romanum instituit.

Anno 8 (?) Herodes Alexandrum et Aristobulum in vincula coniicit, litteris eos laesae maiestatis apud Caesarem accusat eoque annuente, ut de filiis pro arbitrio statueret, illos Samariae (Sebaste) strangulari iubet.

Anno 6 (?) Antipater Romam proficiscitur. Herodes primo testamento successorem sibi constituit Antipatrum vel, si hic ante ipsum moriatur, Herodem (Philippum) filium Mariammes alterius.

Anno 5 (749) Pheroras frater Herodis moritur; Antipater in Iudaeam revertitur, accusatur, in vincula coniicitur. Herodes morbo correptus secundo testamento successorem sibi constituit Antipam filium natu minimum ex Malthace Samaritana genitum.

Anno 4 (750) Herodes, potestate ab Augusto accepta de filio supplicium sumendi, Antipatrum interfici iubet; tertio testamento Archelaum, filium natu maiorem Malthaces Samaritanae, regem constituit, eius fratrem Antipam tetrarcham Galilaeae et Peraeae, Philippum filium Cleopatrae Hierosolymitidis tetrarcham Gaulanitidis, Trachonitidis, Batanaeae, Paniadis; quinto post occisum Antipatrum die Herodes Ierichunte moritur.

3. *Successores Herodis Magni.* Cf. *Flav. Ios.* Ant. XVII. 9,1-XX. 9,7; Bell. iud. II. 1,1 ss.

Annis 4 a. Chr. — 6 p. Chr. Archelaus ethnarcha administrat Iudaeam, Samariam, Idumaeam; Romam vocatus ab Augusto in exsilium mittitur Viennam Galliarum urbem.

Annis 6 p. Chr.-41 p. Chr. Iudaea a procuratoribus romanis administratur.

Annis 4 a. Chr.-34 p. Chr. Philippus, filius Cleopatrae, tetrarcha administrat Batanaeam, Trachonitidem, Auranitidem, Gaulanitidem, Paniadem et Ituraeam (Luc. 3,1). Philippo mortuo tetrarchia haec provinciae Syriae attributa est annis 34-37 p. Chr.

DOMUS HERODIANA.



Indicantur typis maioribus nomina biblica (v. g. HERODES), in parenthesi [ ] coniuges.


HERODES MAGNUS
[1. Doris
2. Mariamme (neptis Hyrcani II.)
3. Mariamme (filia pontificis)
4. Malthace Samaritana
5. Cleopatra]
Antipater † 4 a. Chr. [Filia Antigoni Hasmonaei]
Alexander † 7 a. Chr. [Glaphyra]
Aristobulus † 7 a. Chr. [Berenice]
Salampsio [Phasael]
Cypros [Antipater filius Salomes]
Herodes PHILIPPUS [HERODIAS]
SALOME [PHILIPPUS]
ARCHELAUS [Glaphyra]
ANTIPAS [1. Filia ARETAE 2. HERODIAS]
Olympias [Ioseph]
PHILIPPUS † 34 p. Chr. [SALOME]
Herodes rex Chalcidis † 48 p. Chr.
HERODIAS [1. Herodes PHILIPPUS 2. ANTIPAS]
AGRIPPA I. † 44 p. Chr.
[1. Mariamme
2. BERENICE]
Aristobulus [SALOME]
Berenicianus
[Cypros]
AGRIPPA II. † 100 p. Chr.
BERENICE [1. Herodes rex Chalcidis 2. Polemon rex Ciliciae]
DRUSILLA [1. Azizus rex Edessae 2. FELIX procurator]

Annis 4 a. Chr.-39 p. Chr. Herodes Antipas tetrarcha Galilaeam et Peraeam administrat.

Anno 39 p. Chr. Antipas a Caligula in exsilium perpetuum mittitur Lugdunum Galliae oppidum.

Anno 37 p. Chr. Herodes Agrippa I. filius Aristobuli filii Herodis Magni a Caligula tetrarchiam Philippi (et Lysaniae) cum titulo regio impetrat.

Anno 39 vel probabilius 40 p. Chr. Agrippa I. etiam tetrarchiam Herodis Antipae a Caligula accipit.

Anno 41 p. Chr. Agrippa I. a Claudio imperatore rex confirmatur et insuper Iudaeam ac Samariam accipit.

Anno 44 p. Chr. Herodes Agrippa I. moritur.

Annis 44-66 p. Chr. Palaestina a procuratoribus romanis administratur.

Anno 48 p. Chr. Herodes rex Chalcidis, frater Agrippae I., moritur.

Anno 50 p. Chr. Herodes Agrippa II. filius Agrippae I. a Claudio accipit Chalcidem in Libano, regnum patrui sui Herodis.

Anno 53 p. Chr. Agrippa II. Chalcidi renuntians a Claudio accipit tetrarchiam Philippi (Batanaeam, Trachonitidem, Gaulanitidem) et tetrarchiam Lysaniae (Abilam), quibus postea Nero imperator aliquas partes Galilaeae et Peraeae addidit.

Annis 66-73 in magno bello iudaico Agrippa II. est fidelis socius Romanorum.

Anno 100 p. Chr. Agrippa II. moritur eiusque regnum provinciae Syriae attribuitur.

HERODIANI (Ἡρωδιανοί) ex ipso nomine sunt ii qui a partibus dynastiae herodianae stabant, asseclae et fautores familiae herodianae, qui itaque hanc dynastiam idumaeam et proin alienigenam et moribus gentilium deditam populo iudaico dominari volebant. Quaerunt, fuerintne amici vel inimici Romanorum. Opus erit distinctione. Cum totam regionem iudaicam vellent subesse Herodi, certe Romanorum dominationem abolere cupiebant; sed cum penes Romanos esset, quantum de regno Herodis Magni vellent eius posteris concedere, certe parati quoque erant Romanis adulari, si adulatione et simulata subiectione ad id quod volebant pertingere possent. Cum alienigenae familiae faverent, a pharisaeis aemulatoribus legis, odio habebantur. Verum quo isti erant inflammati odio in Iesum, minime dubitabant cum Herodianis consilium inire adversus Iesum, ut eum perderent (Marc. 3,6). Uti Herodes Antipas Ioannem Baptistam carcere inclusserat, ita sperant pharisaei fieri posse ut per Herodianos, amicos Herodis, ipse Herodes induceretur ad manus in Iesum iniiciendas, qui in eius ditione versabatur. Pariter pharisaei mittunt discipulos suos cum Herodianis in urbe ad Iesum, ut interrogent : licetne dari tributum Caesari (Matth. 22,16; Marc. 12,13). Si enim Iesus sua responsione accusationem apud procuratorem evaderet, in odium incideret et invidiam apud Herodem, quippe qui subiectionem Romanis esse praestandam profiteretur.

I. KNABENBAUER.

HERODIAS (Ἡρωδιάς), filia Aristobuli et Berenices, soror Agrippae I., neptis Herodis Magni, matrimonio iuncta erat Herodi Philippo, viro privato, filio Herodis Magni et Mariammes filiae Simonis pontificis. Mulier ambitiosa conditione humili mariti minime contenta facile aures praebebat Herodi Antipae, qui iter Romam facturus apud fratrem Philippum diverterat. Antipas amore mulieris captus ei proposuit, ut statim atque ipse Roma rediisset ad se veniret; illa consensit et ita nuptiae illae incestae initae sunt, de quibus Ioannes Baptista Herodem Antipam reprehendit. Reprehensione ea Herodias in furorem acta est simulque timuit ne tandem Antipas monitis Baptistae quem reverebatur obsequens se dimitteret. Quare omni conatu Ioannem interimere studuit. Diu Antipas mulieris importunitati se opposuit et Ioannem tuebatur ne ab ea interficeretur (Marc. 6,20), donec tandem astutia muliebri Herodias opportunitatem nacta est qua odium letale expleret et per filiam saltatricem peteret caput Ioannis Baptistae (cf. Matth. 14,8; Marc. 6,24). Demum Herodias sua ambitione

Antipam perdidit; eum enim instigavit, ut Romam proficisceretur regium titulum ab Imperatore efflagitaturus. Superba enim mulier ferre non poterat Agrippam fratrem nomine regio esse honoratum, dum suus maritus solum tetrarcha appellaretur.

Verum Agrippa nuntium misit ad Imperatorem Caligulam et Antipam rebellionis accusavit, ad quam iam plurima sibi arma comparasset. Cum is se copiam armorum sibi parasse negare non posset, tetrarchia spoliatus et Lugdunum in exsilium missus est. Herodias sua sponte eum in exsilium secuta est animum eo in infortunio ostendens generosum, cum nollet eum deserere quem sua ambitione perdiderat.

I. KNABENBAUER.

HERODIO. 1. Herodio seu herodius appellatur in Vulgata avis, quae inter immundas atque vitandas a lege recenseturet hebr. חֲסִידָה nominatur (Lev. 11,19). In Deuteronomio idem nomen hebr. a S. Hieronymo *onocrotalus* redditur (Deut. 14,18), herodius vero ibidem pro hebr. כּוֹס ponitur, quod noctuae speciem designat (v. NOCTUA). Pennis eiusdem avis in libro Iob pennae struthionis comparantur, ita ut in significatione vocis חֲסִידָה i. e. *pia* lusus verborum habeatur (Iob 39,13). Praeterea in Ps. 103 (104), 17 abietes (בְּרוֹשִׁים, Vulgata *dux est eorum;* cf. S. *Hieron.* ep. 106 ad Sun. et Fret., *M.* 22,861) dicuntur domus herodii, cum avis haec nidum suum in arboribus altis collocet. Denique in prophetia Ieremiae חֲסִידָה primum inter aves migratorias locum tenet, a S. Hieronymo hic *milvus* dicta (Ier. 8,7), et in visione Zachariae alae duarum mulierum, quas vidit propheta, quasi alae חֲסִידָה describuntur, ubi S. Hieronymus iterum *milvum* interpretatur. — Similis confusio in versione huius nominis apud seniores apparet; quippe in Lev. et Ps. ἐρωδιόν (Lev. cod. B* A αρωδιος, item A in Ps.), in Deut. πελεκᾶνα, in Iob et Isaia ἀσιδά, in Zach. ἔποπος exponunt. Pariter reliquae versiones aliae ab aliis dissentiunt, quamvis quaedam in eadem interpretatione secum ipsis sint constantiores : Peshitta ubique חורבא i. e. *ciconia* (*Brun* otis) reddit, excepto textu Iob, ubi *veniens* habet; Aquila item ubique ἐρωδιόν vertit, eundemque nominant Theodotion in Lev., Deut., Zach. et Symmachus in Zach.; idem Symmachus in Ps. et Ier. ἰκτῖνον i. e. *milvum*, in Iob κύκνον interpretatur (pro quo *Bochartus* ἰκτῖνον legendum censet); Onkelos vero in Pentateucho et Targum ibidem et in Iob atque Ier. חוריתא דיתא חוריתא vel simpliciter חוריתא exponunt, quod alii *milvum album,* alii *ciconiam* explicant; iidem vel alii Chaldaei in Zach. נשרא i. e. *aquilam,* in Ps. יתיא vel יתא i. e. fortasse *milvum*, et Samaritanus in Pentatencho סנונית i. e. *hirundinem* habent. Denique versio graeca veneta in Lev. et Deut. ἐρωδιόν proponit, quem saltem in Lev. ex LXX pariter retinent versio coptica aliaeque.

2. In tanto veterum dissensu sane mirum non est, recentiores quoque in diversas partes abiisse. At aliis avibus reiectis, plerique de duabus tantum in dubio versantur, utrum scilicet חֲסִידָה sit potius *herodius* i. e. ardea (germ. *Reiher,* gall. *héron*), an vero *ciconia*. Hanc quidem praesertim *Bochartus* tuetur, eumque multi nostra aetate sequuntur; ardeam praefert *Michaelis* pluribusque defendit *Oedmann*. Argumentum praecipuum pro ciconia ex etymo vocis חֲסִידָה habetur, quae *piam* avem designat : fama vero antiquissima, iam *Aristophani* (Aves 1353) et *Stagyritae* (Hist. Anim. IX. 14 al. 13,1) nota atque a *Plinio* (X. 23,63) aliisque confirmata, pietatem ciconiae prae ceteris avibus laudat eique nomen *avis piae* prae ceteris tribuit (*S. Ambros.* in Hexaem. 5,16). At similiter ardeae pietatem laudat *Aelianus* (Hist. anim. 3,23). — Omnia autem in S. Scriptura memorata aeque bene de ciconia atque de ardea praedicari poterunt. Nam utraque avis inter migratorias (Ier. 8,7) magnitudine reliquis praestat atque in Palaestina variis speciebus invenitur (*Ciconia alba* Linné et *C. nigra* L.; *Ardea cinerea* L., *A. purpurea* L., *A. alba* L. etc.), utraque magnas alas habet (Zach. 5,9) et pennas varii coloris, qui-

bus pennae struthionis comparari possint (Iob 39,13), atque nidum suum etiam in arboribus collocat (Ps. 103 [104], 17), quamvis ciconia turrium ac domorum ruinas, ubi adsint, ardea vero in Palaestina loca paludosa praeferat (*Tristram*). Utraque avis praesertim parvis reptilibus, piscibus aliisque bestiolis, etiam venenosis, vescitur, unde ratio impuritatis legalis facile apparet. Cum praeterea ciconia et ardea ad eundem ordinem *Ciconiarum* pertineant atque eandem fere habeant magnitudinem similemque vivendi morem, satis difficile erit determinare, utra potissimum nomine hebraeo designetur, nec improbabiliter utraque eodem comprehenditur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 327-34, *ed. Rosenm.* III. 85-96; *I. D. Michaelis*, Suppl. ad lex. hebr. p. 857-61; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 5,58-66; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,319-21; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Römer 373-6; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 169-72; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8,241-9; *id.* Fauna and Flora of Pal. 109-12; *J. G. Wood*, Bible Animals 468-74. 478-84; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 321-3; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3, p. 479. 486 s.; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 VI. 480-93. 506-17; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 2, 548-50. 556-8; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 125 s. — Etiam Assyriis et Aegyptiis ciconia et ardea bene notae erant; cf. *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. VIII. 1884, 88-91; *J. Dümichen*, Hist. Inschr. II. tab. 29; *id.* Resultate I. tab. 3; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 114; III. 325 s.

L. FONCK.

HERODION (Ἡρωδίων), vir christianus Romae, quem S. Paulus Rom. 16, 11 salutat ut cognatum suum (συγγενῆ μου) i. e. contribulem. Cf. Acta Sanct., April. I. p. 471.

HESEBON (חֶשְׁבּוֹן: Ἐσεβών, Ἐσεβών), urbs principalis Sehon regis Amorrhaeorum, qui Moabitis austrum versus repulsis usque ad ripam Arnonis dexteram regnum suum extendit (Num. 21,25-34; Deut. 4,46; Ios. 12,5; 13,27); utrum ipsa Hesebon urbs Moabitarum fuerit necne, ex locis citatis dirimi nequit. In potestatem Israelitarum transiit post pugnam apud Iasa (Num. 21,23; Deut. 2,32), qua Sehon a Moyse devictus mortem oppetiit (Num. 21,25; Deut. 1,4; 2,24. 26. 30; 3,2. 6; 29,7; Ios. 9,10; Iud. 11,19. 26; Neh. 9,22; Iudith 5,20 LXX 15). Sita erat in regione uberrima ad pastum animalium, quam Gaditae et Rubenitae pecoribus abundantes a Moyse sibi efflagitarunt (Num. 32,3). Tradita est Rubenitis (Ios. 13,10. 17. 21), qui eam reaedificarunt (Num. 32,37); sed cum in confinibus Ruben et Gad sita esset (Ios. 13,26), postea Gaditis attributa est, qui eam levitis de stirpe Merari concesserunt (Ios. 21,37; 1 Par. 6,81[66]). Tempore Isaiae a Moabitis recuperata erat et saepius in propheticis oraculis contra Moab editis commemoratur (Is. 15,4; 16,8. 9; Ier. 48,2. 34. 45; 49,3). De illustri Sponsae laudatione Cant. 7,4: oculi tui sicut piscinae in Hesebon cf. *Gietmann* ad h. l. — Putant aliqui Hesebon esse eandem quae 1 Mach. 5,26 Casphor et 5,36 Casbon appellatur (v. CASPHOR); sed dubitari debet, num Iudas Machabaeus, qui in regione transiordanica aquilonari potissimum dimicabat, eo usque austrum versus abierit. Flavius Iosephus ulteriora fata Hesebon enarrat (Ant. XIII. 15,4; XV. 8,5; Bell. iud. II. 18,1). Tempore Eusebii vocabatur Esbus (Ἐσβοῦς) et describitur urbs insignis Arabiae in montibus contra Iericho 20 mil. pass. a Iordane distans (Onom. *ed. Lag.* 253,27; 117,32). Cernuntur hodie ruinae *Hesbān* in colle positae infra *Wādi Hesbān* et ab oriente huius loci piscina magna arefacta et magnam partem diruta, cuius aspectu piscina in Hesebon Cant. 7,4 in memoriam revocatur.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 719 s.; *Seetzen*, Reisen *ed. Kruse* I. 407. IV. 220 s.; *Burckhardt*, Reisen *ed. Gesenius* II. 623 s. 1063; *Ritter*, Erdkunde XV. 1176-1181; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 262; *De Saulcy*, Voyage en Terre Sainte I. 279 s.; *Duc de Luynes*, Voyage autour de la Mer Morte I. 147; *Kuhn*, Die städtische u. bürgerl. Verfassung des röm. Reichs II. 337. 386 s.; *Haldesheimer*, Beiträge zur Geographie Pal. (1886) p. 65 s.; *Survey of East. Pal.* Mem. I. 104-109; *E. Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes *ed.* 3 II. 155 156; *Bädeker-Benzin-*

ger, Palaestina u. Syrien *ed.* 5 p. 173; *F. Buhl*, Alt. Pal. 266; *D. Zanecchia*, La Palaestine d'aujourd'hui 1899 II. 90. 91.

HESER urbs (3 Reg. 9,15) v. ASOR 1.

HESLI (Ἐσλεί) in genealogia Christi (Luc. 3,25).

HESMONA (חַשְׁמֹנָה, Σελμωνά), statio Israelitarum inter Methca et Moseroth (Num. 33,29. 30). Situs determinari nequit, nisi in quantum Moseroth statio proxime sequens prope montem Hor fuisse iure asseritur.

HESRAI (*Kethib* חֶצְרַי, *Qeri* חצרי; Ἀσαραί), vir fortissimus in exercitu Davidis de oppido et monte Carmel in montanis Iuda (2 Reg. 23,35). Idem 1 Par. 11,37 scribitur Hesro (חֶצְרוֹ, Ἡσερέ).

HESRO v. HESRAI.

HESRON, ESRON (חֶצְרוֹן, חֶצְרֹן; Ἀσρών, Ἀσρώμ, Ἀσωρών, Ἀσερών, Ἐσερών), nomen virorum et urbium. **1.** Filius Ruben, progenitor familiae Hesronitarum (Gen. 46,9; Ex. 6,14; Num. 26, 6; 1 Par. 5,3).

2. Filius Phares filii Iuda patriarchae (Gen. 46,12; 1 Par. 2,5. 9. 18. 21. 24. 25; 4,1), progenitor alterius familiae Hesronitarum (Num. 26,21), recensitus in genealogia David (Ruth 4,18. 19) et Christi (Matth. 1,3; Luc. 3,33).

3. Oppidum in termino meridionali tribus Iuda inter Cadesbarne et Addar (Ios. 15,3). Putant aliqui oppidum Hesron latere in villa Addar (חֲצַר־אַדָּר), quae Num. 34,4 inter Cadesbarne et Asemona legitur et duo oppida vicina uno nomine comprehendi (*Dillmann* ad h. l.). Situs nonnisi generali aliquo modo determinari potest; vide s. v. ADAR 1.

4. De Ios. 15,25 : Carioth Hesron haec est Asor v. CARIOTH 1.

HETH, HETHAEUS (חֵת vel חִתִּי, Χέτ vel Χετταῖος), gens a Chanaane prognata (Gen. 10,15; 1 Par. 1,13). Tempore Abrahae Hethaei erant in Hebron Gen. 23 (cf. 25,9 s.; 49,29 s.; 50,13). Esau duxit Hethaeas uxores (Gen. 26,34; 36, 2; 27,46). Hethaei Num. 13,30 dicuntur, uti Iebusaei et Amorrhaei, montana incoluisse (cf. Ios. 11,3). Aevo mosaico videntur utique Hethaei e potioribus fuisse terrae sanctae populis. Ubi enim recensentur populi, quorum fines Hebraeis sint cessuri, Gen. 15,19 quidem populi vel temere vel ordine geographico recensentur; in Exodo autem Hethaei nonnisi 33,2 et 34,11 (item Ios. 11, 3; 24,11) *tertium* post Chananaeos et Amorrhaeos, secus *secundum* inter illos locum obtinent (Ex. 3,8. 17; 13,5; 23, 23. 28; cf. Ios. 3,10; 11,2; Iud. 3,5; Esdr. 9,1; Neh. 9,8; cum 3 Reg. 9,20 cf. 2 Par. 8,7; nonnihil aliter Iudith 5, 20). *Primum* locum obtinent Deut. 7,1; 20,17; Ios. 9,1; 12,8. Tamen nullus eorum rex nominatim effertur, nulla gentis pars exterminata narratur; ut credideris Hethaeos illos nativas sedes habuisse extra terrae sanctae limites, nonnisi aliquos in ipsam ramos protendisse, qui ab Hebraeis pressi ad suos se receperint (cf. Iud. 1,26). Qui superfuerunt, cum aliarum gentium reliquiis a Salomone facti sunt tributarii (3 Reg. 9,20; 2 Par. 8,7). Hethaeos Davidis heroas habes 1 Reg. 26,6; 2 Reg. 11,3 s.; 23,39; 3 Reg. 15,5; 1 Par. 11,41.

Quod de Hethaeorum extra terram sanctam nativis sedibus dicebamus, egregie confirmatur Ios. 1,4 (cf. tamen LXX), ubi tota regio a mari Mediterraneo ad Euphraten « terra Hethaeorum » audit. Item 2 Reg. 24,6 secundum probabilem textus emendationem regio ad aquilonem terrae sanctae (v. HODSI) « terra Hethaeorum » appellabatur. Reges Hethaeorum et Syriae 3 Reg. 10,29 et 2 Par. 1,17 Salomoni equos divendebant. Inter gentes finitimas, e quibus sibi Salomon uxores selegit, 3 Reg. 11,1 fuerunt etiam Hethaei. Syri 4 Reg. 7,6 ab obsidenda Samaria desistunt, veriti ne reges Hethaeorum et Aegyptiorum Israelitis opem laturi prope adsint.

Confirmantur eadem monumentis Aegyptiorum. Thotmes III., 18ae dynastiae pharao, anno regni 33. dona accepit a principe gentis Cheta, quae tum prope Amanum montem videtur incoluisse. Verum iam sub Thotmes IV. prope Orontem flumen incolebat ad septentrionem Emath. Ramses I., cum Sapalelem regem Cheta subigere non posset, foedere illum sibi copulavit. Ramsis filius Seti I., qui

primus 19ae dynastiae pharao scribitur, secundo regni anno cum eodem Sapalele dimicavit, sed postea cum eius nepote Mautenure pacem composuit. Cuius successor Ramses II. anno regni quinto obvium habuit eundem Mautenure, cui se sociaverant Aradii, Gergesaei, Aramaei aliique plures. Duorum dierum proelio illum devicit prope Cades ad Orontem. Sed anno regni 21. eius fratri Chetasar honestissimam pacem concessit, perpetuum mutuae defensionis foedus constituit, filiam accepit uxorem, quam postmodum Chetasar in Aegypto invisens honorifice est receptus. Sexaginta fere annis post gentes plures terra marique advectae Syriam et Phoeniciam subegerunt, Hethaeorum plures ut sibi sociarentur adegerunt, sed a Ramse III., 20ae dynastiae pharaone, anno regni 8. in ipsis Aegypti confinibus contritae sunt. Haec est suprema gentis Hethaeorum in documentis Aegyptiorum mentio. Fuit ea gens praepotens, quam ne valentissimi quidem pharaones frangere potuerant. De cuius moribus cf. *Fr. Lenormant*, Les origines de l'histoire II. 267 ss., Parisiis 1884; et *W. M. Müller*, Asien u. Europa p. 319 ss., Leipzig 1893.

Est praeterea perquam probabile fuisse Hethaeos socios vel etiam duces infinitae illius bellatorum multitudinis, qui Hyksos appellantur et extrema 14a dynastia in Aegyptum irruperunt eique diu imperaverunt. Praeter alia momenta, quae apud *C. A. de Cara* (Gli Hyksôs o re pastori di Egitto, in Civiltà Cattolica ser. XIII. vol. VI. ss., Romae 1887 ss.) collecta et discussa reperies, illud est potissimum, numen supremum gentis Cheta fuisse Set vel Sutekh, eundem nomine deum qui in Aegypto inferiore coleretur tamquam advenarum ex Asia advectorum numen. Ubi aliqui suggerunt Aegyptios scribas, a quibus solis hanc numinis appellationem accepimus, numinis nativo apud Hethaeos nomini substituisse eius numinis nomen, quod etiam in Aegypto inferiore ab Asianis potissimum coleretur. Verum, donec hi auctores aliquod suae opinionis argumentum proferant, tutius tuebimur, ideo idem utrobique nomen haberi, quod idem cum Asiani in Aegypto tum in Syria Hethaei numen coluerint. Porro, uti singulae fere Chanaanitidis et Phoeniciae civitates suum habebant Baal, ita singulae Hethaeorum civitates suum habebant Set vel Sutekh.

Novum cum Hethaeorum tum Hebraeorum rebus lumen affuderunt recenter in Aegypto apud *Tell-el-ʿAmarna* repertae epistulae characteribus cuneiformibus exaratae, aequales Amenhotep III. et IV., qui pharaoni Thotmes IV. immediate successerunt, quae pandunt, quibus artibus pharaones Hethaeos, ne rursum Aegyptum adorirentur, praevenerint, immo fortasse iam antea eorum ex Aegypto eiectionem machinati fuerint. Hethaeos et a sociis et etiam inter se diviserunt, foedera cum quibusdam civitatibus stabilientes, civitatum discordias foventes, reges Babyloniae aliosque sibi foederibus et coniugiis devincientes, qui Hethaeos, si opus esset, a tergo adorirentur. His artibus hi, magis fortasse quam pharaonum armis, ut Aegypto primum, Chanaanitide postmodum excederent, compulsi sunt. His factum est, ut Hethaei illi etiam, qui in Chanaanitide aliquas retinuerant civitates, ad suos in Syriam se recipere, quam Hebraeis obstinatius resistere maluerint. Hinc tandem effectum est, ut Hebraeis tractus montanos Chanaanitidis primum occupantibus, aditum vero Phoeniciae et Syriae secus mare Mediterraneum minime occludentibus nequaquam se obiecerint Aegyptii; Chananaei quippe tanto minus contra Aegyptios quidquam erant molituri, quod sibi ab Hebraeis timerent. Mox interiectis Philisthaeis Aegyptii ab Asia penitus excludebantur. Ita providebat Deus, ut firmas radices agere posset Hebraeorum res publica.

Idem Hethaei vel Cheta in Assyriorum monumentis vocantur *Chatti*. Pluribus ante 18am Aegyptiorum dynastiam saeculis, Sargon I. rex Accad bellum habuit cum Hethaeis. Tempore Theglathphalasar I. c. 1100 imperabant ab Euphrate ad Libanum, pluresque Asiae Minoris populos habebant tributarios. Caput imperii erat Gargamis seu Charcamis (Ier. 46,2), postea Europus (*Djerābīs*) dicta, ad Euphraten sita, ab Assyriis necessario occupanda, quod clavis esset Syriae, Phoeniciae, Palaestinae. Quare

eius regem Sangar subegerunt reges Assyriae Assurnasirpal (884-859) et Salmanassar II. (859-825). Anno 738 Theglathphalasar (III.) II. regnum Emath in provinciae assyriacae ordinem redegit; item Sargon 717 regnum Gargamis et 708 regnum *Kummucha* seu Commagenem.

Linguam Hethaeorum quae fuerit ignoramus. Inscriptiones nondum sunt explicatae, sola praesto sunt nomina propria. Causatur *F. Lenormant* l. c. p. 270 ss. nomina quae S. Scriptura habeat Hethaeorum esse prorsus semitica, nomina a monumentis tradita neque semitica esse neque arica. Nomina hethaea recenset Scriptura novem (Gen. 23,8; 26,34; 36,2. 4; 1 Reg. 26,6; 2 Reg. 11,3), non omnia certae lectionis; potuerunt Hethaei Chananaeis permixti nominibus vocari hebraeis aut sono hebraea imitantibus; Urias = « lumen Iahwe » certe non erat nomen hethaeum. Ita vero transcriptionibus assyriacis et imprimis aegyptiis transformantur et deformantur nomina, ut de eorum nativa indole vix certi quidquam statui possit. Neque necesse est, omnes tribus vasta Hethaeorum foederatione sociatas origine fuisse chamitas aut eadem lingua usas esse.

Cf. praeter ea, quae supra allegata sunt, praesertim *F. Vigouroux*, Mélanges bibl. *ed.* 2 p. 329 ss.; *C. de Cara*, Gli Hethei-Pelasgi, Roma 1894; *A. H. Sayce*, The monuments of the Hittites in Trans. Soc. Bibl. Arch. 1881 (July); *idem*, The Hittites 1888; *idem*, The races of the Old Test. 1891; *W. Wright*, The empire of the Hittites 1884; *L. de Lantsheere*, Hittites et Omorites, Bruxelles 1887; *idem*, De la race et de la langue des Hittites in Compte rendu du congrès scientifique international des catholiques 1891 p. 171 ss.; *Ed. Meyer*, Gesch. des Altert. I. p. 213 s.; *P. Jensen*, Grundlagen für eine Entzifferung der (ḫatischen oder) cilicischen (?) Inschriften in Zeitschr. d D. Morg. Gesellsch. XLVIII. 1894 p. 235-352. 429-485; *idem*, Hittiter u. Armenier 1898.

HETHALON (דֶּרֶךְ חֶתְלֹן, Vulgata : via Hethalon, LXX nomen proprium non exprimit, sed vertit) Ez. 47,15; 48,1. Terminus septemtrionalis terrae sanctae describitur a mari magno i. e. Mediterraneo per viam Hethalon, qua venitur in Sedada, Emath, Berotha etc. Unde via Hethalon ea censeri consuevit, quae ad septemtrionem Libani a mari Mediterraneo versus planitiem Emath ducit et quodammodo est introitus Emath (cf. Num. 13,22; Ios. 13,5; Iud. 3,3; 4 Reg. 14,25). *Furrer* proponit *Ḥeitela* inter *Nahr el-Kebīr* et *Nahr ʿAkkār*. Verum ex opinione, quam *I. P. van Kasteren* defendit, terminus septemtrionalis ab Ezechiele descriptus quaerendus est infra Libanum et Hermonem maiorem ab ostio Leontis fluvii (*Nahr el-Qāsimiye*) orientem versus et nomen Hethalon conservatum videtur in *ʿAdlūn* a Leonte aquilonem versus inter Tyrum et Sidonem.

Cf. *Furrer* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 27; *I. P. van Kasteren* in Revue bibl. IV. 1895 p. 27.

HETTHIM (Iud. 1,26) terra i. e. Hethaeorum; v. HETH.

HEVA (חַוָּה, Εὔα, *Eva*), prima mulier et parens generis humani : et vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium (Gen. 3,20; חיה, חוה vivere). Postquam Adam creatus est, Dominus Deus ei providit adiutorium simile Adamo, « non est bonum esse hominem solum » (Gen. 2,18). Ex Dei creatoris consilio genus humanum debuit propagari, homo socialis est; quare duplici ratione opus creationis hominis nondum erat absolutum antequam exsisteret mulier. Quare dicitur : non est bonum. Ipso autem modo, quo producta exhibetur Heva, conditio designatur mulieris, quam apostolus declarat : caput mulieris est vir; mulier gloria est viri, at cum esse scribatur ex viro et simul cum eo integrum constituat principium propagationis generis, est socia viri, non serva; « nam sicut mulier de viro, ita vir per mulierem » (1 Cor. 11,3. 7-12). « Immisit Dominus Deus soporem in Adam; cumque obdormisset tulit unam de costis eius et replevit carnem pro ea et aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem et adduxit eam ad Adam » (Gen. 2,21. 22). Nota quae ad ea verba scribit S. Augustinus (de Gen. c. Manich. 12) : « Sive ergo ista figurate

dicta sint, sive etiam figurate facta sint, non frustra hoc modo dicta vel facta sunt; sed sunt plane mysteria et sacramenta, sive hoc modo quo tenuitas nostra conatur, sive aliquo alio meliore, secundum sanam tamen fidem, sunt interpretanda et intellegenda ». Cf. *F. de Hummelauer* et *Hoberg* ad Gen. 2,21. Sopor ille a LXX dicitur ἔκστασις atque probabile est Adam in illa conditione vidisse istud symbolum formationis Hevae; statim enim rei conscius exclamat : hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea; haec vocabitur virago quoniam de viro sumpta est (Gen. 2,23). Et quid hac Hevae ad Adam adductione Deus instituerit, sacer auctor declarat : quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una (cf. Matth. 19,5). Instituitur matrimonium a Deo ipso quasi nymphagogo, sed tamquam monogamia. Quod aliqui recentiores opinantur Adam fuisse creatum androgynum, utraque narratione Geneseos excluditur : 1,27 masculum et feminam creavit eos (אֹתָם) et 2,21. Esse mulierem sociam viri, etiam indicatur eo quod utrique aeque benedicit Deus : benedixitque illis Deus et ait : crescite et multiplicamini et replete terram et subiicite eam et dominamini etc. (Gen. 1,28).

Verum a muliere initium factum est peccati (Eccli. 25,33); serpens Hevam seduxit ἐξηπάτησεν valde decepit astutia sua (2 Cor. 11,3). Et serpens ille, homicida ab initio, diabolus (Sap. 2,24) mulierem aggreditur tamquam quae facilius expugnetur : cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi? i. e. (ut iam Suarez explicat) ut ex nullo ligno comederetis. Hamum quem tentator proiecit Heva iam eo ipso fere arripit quia respondet explicans Deum solum prohibuisse esum fructus unius arboris in medio paradisi « ne moriamur » (illud *forte* quod habet Vulgata neque in hebraeo neque in graeco habetur; quare non iam hic cum aliquibus Heva est accusanda quasi comminationem Dei in dubium vocasset). Diabolus, pater mendacii, pro sua natura impudenter mentitur : nequaquam morte moriemini. Dein praeceptum datum esse affirmat, quo ab aliqua scientia arcerentur, atque eo modo loquitur quo insinuet ac si Deus illis eam invideret scientiam : scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri et eritis sicut Elohim scientes bonum et malum (Gen. 3,4. 5). Atque initium omnis peccati est superbia (Eccli. 10,15) et in superbia initium sumpsit omnis perditio (Iob 4,14). Nam hisce tentatoris verbis Heva concepit appetitum similitudinis cum Deo et superbe id suo conatu acquirere voluit quod promittebatur ipso nomine arboris scientiae boni et mali (Gen. 2,17). Vidit itaque mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile — hebr. verti omnino potest : et desiderabile ad scientiam scil. dandam; cf. הַשְּׂכִיל Prov. 1,3; 21,16; Ier. 3,15 — proin ipsa arboris forma et fructus pulchritudine egregia bonum illud quod nomine contineri videbatur posse acquiri suadebatur. Suggestione itaque daemonis in talem superbiam excitata tulit de fructu illius et comedit, deditque viro suo qui comedit. Verum statim deprehendit quam insigniter decepta sit suggestione diaboli et sua ipsius superbia : pudore et confusione suffunduntur ambo; rebellione in Deum facta etiam in se ipsis ordinem illum et plenam appetitus subiectionem a gratia iustitiae originalis procedentem turbarunt et amiserunt. Consuerunt folia ficus et fecerunt sibi perizomata et sese absconderunt a facie Dei. In qua absconsione proditur quoque lumen intellectus esse obfuscatum. Interrogata a Deo mulier vere fatetur : serpens me decepit; sed plenius dicendum erat ex sua ipsius superbia factum esse ut serpens potuerit decipere. Peccatum sequitur alia quoque poena : multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios et ad virum erit desiderium tuum (secundum hebr. cf. 4,7 appetitus, Cant. 7,10 conversio, ita redditur תְּשִׁיקָה, LXX ἀποστροφή, ἐπιστροφή) et ipse dominabitur tui (Gen. 3,16). Iustam itaque incurrit superbiae poenam

ipso pudore, illo ad virum desiderio quo suam fatetur infirmitatem, et dominatione viri cui subditur; commodi vero sensuum poenam luit doloribus partus. Sed dum Deus iuste punit misericorditer quoque remedium apponit : semen mulieris conteret caput serpentis. Promittitur fore ut tandem per natum de muliere plena de diabolo victore victoria reportetur et proinde damnum per eum illatum reparetur. Qua promissione accepta Adam vocat nomen uxoris suae : Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium. Ea enim promissione etiam continebatur poenam mortis non statim exactum iri, verum manere benedictionem datam pro generis humani propagatione.

Ex narratione Gen. 3,4 s. et verbis Hevae v. 13 etiam intellegitur quod scribitur 1 Tim. 2,14 : Adam non est deceptus οὐκ ἠπατήθη, mulier autem decepta in praevaricatione facta est ἐξαπατηθεῖσα γέγονε. Nam, ut *Estius* explicat, proprie nemo decipitur nisi a decipiente i. e. ab eo qui proprie et formaliter decipit, quod non facit nisi qui fallendi animo falsum ei persuadet; hoc modo serpens mulierem decepit; mulier autem etsi falsum viro persuasit hoc fecit decepta, non decipiens, quia non faciebat animo fallendi; putabat enim verum esse quod suadebat.

Heva cum pareret primum filium laetabunda exclamat : possedi (nacta sum, vel produxi) hominem per Dominum, vel cum Domino, ope Domini; ex קניתי nomen Cain explicatur. Rursumque peperit fratrem eius Abel הֶבֶל quam vocem saepe exponunt halitum, quasi Heva iam vitam mortalem esse fluxam exprimere voluisset. Verum recentiores vocem interpretantur potius *filium* derivatione ex lingua assyriaca deprompta. Dubium non est quin uti Adam, ita Heva quoque poenitentia acta veniam et salutem sit consecuta (cf. Sap. 10,2).

I. KNABENBAUER.

HEVAEI, nomen gentilicium.

1. Hevaei (חִוִּי, ὁ Εὐαῖος), gens Gen. 10,17; 1 Par. 1,15 Chanaane orta, e sola hucusque S. Scriptura nobis nota. Videntur pars aliqua fuisse eius gentis, quae generatiore nomine Amorrhaei i. e. montium incolae appellabatur, cum Gabaonitae et Sichemitae Hevaei (Ios. 11, 19; Gen. 34,2) iidem 2 Reg. 21,2 et Gen. 48,22 dicantur Amorrhaei. Ubi terrae sanctae gentes enumerantur, vix non semper Hevaei paenultimum locum obtinent, agmen claudentibus Iebusaeis : Ex. 3,8. 17; 13,5; 23,23; 33,2; 34,11; Deut. 7,1; Ios. 9,1; 12,8; 20,17; 24,11; Iud. 3,5; 3 Reg. 9,20; 2 Par. 8,7. Alio loco leguntur Gen. 10,17; 1 Par. 1,15; Ex. 23,28; Ios. 3,10; Iudith 5,20. Omittuntur Gen. 15,19 ss. (nisi ibi fortasse sub alio nomine lateant) et Neh. 9,8. Hemor Hevaeus tempore Iacob Gen. 33, 18 ss. erat princeps Salem, urbis Sichimorum, cuius filius Sichem Dinae stuprum intulit. Lectio « Hevaei » Gen. 36,2 incerta (cf. v. 20). Hevaei Ios. 11,3 habitantes ad radices montis Hermon in valle (v. 8) Maspha foedere iuncti sunt labin, regi Asor, et cum eo a Iosue devicti. Quod factum attingitur Ios. 9,1; 24,11. Gabaonitae Hevaei Ios. 9 dolo apud Iosue effecerunt, ut incolumes servarentur; perpetuis tamen angariis fuerunt addicti. Quos contra promissa interimere aggressus est Saul (2 Reg. 21); in cuius rei poenam fames sub Davide saeviit, donec divino oraculo monitus rex septem viros domus Saul illis tradidit extremo supplicio perimendos. Post Iosuen supererant Hevaei Iud. 3,3 in Libano, a monte Hermon usque ad urbem Emath seu Hamath. Tempore David 2 Reg. 24,7, qui Tyro pergebant in Bersabee, transibant per terram primum Hevaeorum, dein Chananaeorum. Quorum reliquias 3 Reg. 9,20; 2 Par. 8,7 Salomon fecit tributarios.

2. Hevaei in Vulgata et Εὐαῖοι in versione graeca etiam scribuntur ii, qui Deut. 2,23 et Ios. 13,4[3] scribuntur עִיִּים. Quos eandem esse gentem atque Hevaeos חִוִּים, nullo argumento demonstratur. Habitaverunt illi in tuguriis, non in urbibus munitis, in ea quae postmodum fuit Philisthaea. Quos expulerunt Philisthaei e Creta insula advecti, non tamen deleverunt, cum tempore Iosue tradantur incoluisse ad

meridiem pentapoleos usque ad torrentem Aegypti.

3. Hevaei (4 Reg. 17,31) incolae urbis Ava; v. AVA.

4. Hevaeus redditur in Vulgata Ios. 13,21 nomen proprium Evi (vide s. v.).

HEVILA, HEVILATH (חֲוִילָה; Εὐΐλά, Εὐειλά, Εὐΐλάτ). **1.** Terra Hevilath quam circuit Phison fluvius paradisi et in qua inveniuntur aurum optimum, bdellium, lapis onychinus (Gen. 2,11. 12); v. PARADISUS.

2. Secundus inter quinque filios Chus filii Cham (Gen. 10,7; 1 Par. 1,9). Vestigium gentis cushiticae Havila prae se ferre videntur sinus Avalites (κόλπος Αὐαλίτης seu Ἀβαλίτης) et gens Avalitarum (Ἀβαλῖται) a meridie freti *Babel-Mandeb* in litore Africae (*Ptol.* IV. 7,10. 27. 39 [*ed. Müller-Fischer* 7,3. 10. 11]; cf. *Plin.* VI. 29,174); sinus Avalites hodie *Zeila* appellatur ab urbe eiusdem nominis.

Cf. *Gesenius*, Thesaur. p. 452; *F. de Hummelauer* ad Gen. 10,7; *Knobel*, Völkertafel 1850 p. 261. 262; *Lenormant*, Histoire ancienne de l'Orient 1881 I. p. 267.

3. Unus ex tredecim filiis Iectan filii Heber (Gen. 10,29; 1 Par. 1,23).

Iectanidae Arabiam meridionalem incolebant (v. IECTAN). Nihilominus Hevila Iectanidarum eadem gens esse potest, quae Hevila cushitica Gen. 10,7 et ipsa exsistentia Hevilae africanae et arabicae innuit Cushitas cum Iectanidis in unam gentem coaluisse, quam aeque Cush et Iectano progenitam scribere fas fuit, ut notat *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 333. Huic genti tum nomine tum situ correspondet regio *Khaulān* in *Yemen* (*Bochart, Rosenmüller, Knobel*). Eiusdem gentis ut videtur, mentio fit Gen. 25,18: Habitavit (Ismael) ab Hevila usque Sur, quae respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios, hebr. verte: usque ad murum, qui est ad introitum Aegypti, si pergas Assyriam versus; et 1 Reg. 15,7: Percussit Saul Amalec ab Hevila donec venias ad Sur, quae est e regione Aegypti. Complures interpretes arguunt his saltem locis designari aliquam Hevilam non in austro, sed inter septentrionem et orientem Arabiae, unde *Gesenius* intellegit Χαυλοταίους Strabonis (XVI. 4,2) Nabathaeis et Hagrensibus vicinos, ad sinum Persicum habitantes, in cuius litore *Niebuhrius* Chawilae oppidum regionemve recenset. Neque profecto mirum videri potest, quod eadem gens variis in locis vestigia sua reliquit. Attamen alii interpretes (ut *Rosenmüller, Knobel*) putant etiam Gen. 25,18 Hevilam in austro Arabiae seu *Khaulān* in *Yemen* intellegendam esse.

Cf. *Gesenius*, Thesaurus ling. hebr. p. 452; *Niebuhr*, Beschreibung von Arabien 1772 p. 342; *Bochart*, Phaleg 2,28; *Rosenmüller*, Scholia in Gen. 10,29 et 25,18 et Bibl. Altert. III. p. 157. 158; *Knobel*, Völkertafel 1850 p. 186.

HEZECHIEL (יְחִזְקֵאל, ὁ Ἐζεκήλ), sacerdos, cui vicesima sors in ministerio Domini a David designata est (1 Par. 24,16).

HEZECI (חִזְקִי, Ἀζακί), unus ex posteris Elphaal de tribu Beniamin (1 Par. 8,17).

HEZECIA v. EZECHIAS 4 et 5.

HEZION (חֶזְיוֹן, Ἀζίν), rex Syriae (Aram), pater Tabremon et avus Benadad I. (3 Reg. 15,18).

HEZIR (חֵזִיר, ὁ Κηζείν), sacerdos cui decima septima sors in ministerio Domini a Davide designata est (1 Par. 24,15). Idem nomen hebr. gerit Hazir (vide s. v.).

HIEL (חִיאֵל, Ἀχιήλ), oriundus de Bethel, qui in diebus Achab urbem Iericho munimentis firmare aggressus est, sed iuxta imprecationem Iosue (cf. Ios. 6,26) graves huius facinoris poenas luit; etenim cum fundamenta iaceret, eius primogenitus Abiram morte sublatus est et cum portas poneret, Segub filius novissimus eandem sortem primogeniti subiit (3 Reg. 16,34). Appellatur בית הָאֵלִי, quod nomen gentilicium Arabs et Syrus perperam reddiderunt domum idolorum, maledictionis, sed recte LXX ὁ Βαιθηλίτης.

HIERAPOLIS (Ἱεράπολις), urbs

Phrygiae maioris (*Ptol.* V. 2,26 [*ed. Müller-Fischer* 2,17]; *Plin.* V. 29,105), Colossis et Laodiceae vicina (Col. 4,13 et v. EPAPHRAS). Sita erat ad septemtrionem Lyci fluvii, qui in Maeandrum incidit, in regione terrae motibus facile concussa (*Strabo* XII. 8,17; *ed. Cas.* 579). Iuxta urbem erant aquae calidae et Plutonium scil. sub parvo supercilio montis supra incumbentis foramen modicum, oppletum nebuloso et crasso vapore (*Strabo* XIII. 4,14; *ed. Cas.* 629), Matris tantum Magnae sacerdoti innoxium (*Plin.* II. 93,208). Ruinae urbis cernuntur apud vicum *Pambūk Kalessi.*

Cf. *Chandler,* Trav. in Asia Minor, 1817 I. 264 s.; *Hamilton,* Researches in Asia Minor, 1842 I. 507 s.; *W. M. Ramsay,* Cities and Bishoprics of Phrygia I. 1 p. 84 s.; *C. Humann, C. Cichorius W. Judeich, Frz. Winter,* Altertümer von Hierapolis, Berlin 1898.

HIEREMIAS scribitur in Vulgata Ps. 64,1; 136,1 pro Ieremias.

HIERONYMUS (Ἱερώνυμος), unus ex praefectis regionum, qui in Iudaeos saevire pergebant (2 Mach. 12,2), postquam Lysias tutor Antiochi V. Eupatoris pace cum Iuda Mach. composita in Syriam rediit (12,1; cf. 11,1-15).

HIN v. MENSURAE.

HINNULUS dicitur imprimis de catulis cervi et capreae (Cant. 2,9. 17; 4,5; 7,4; 8,14); v. CAPREA, CERVUS. — Semel S. Hieronymus hebr. יַעֲלַת-חֵן vertit *gratissimus hinnulus* (Prov. 5,19); יַעֲלָה est feminina forma nominis יָעֵל, quod probabiliter ibicem designat; v. IBEX.

HIR (עִירִי, Ἤρ), primus ex filiis Caleb filii Iephone (1 Par. 4,15). Nomen hebr. probabilius est עִיר et Waw additum potius ad nomen proprium sequens trahendum est ut Waw copulativum.

HIR (עִיר, Ὤρ, B Ῥαώμ), Beniaminita, pater Sepham et Hapham et Maachae, quam Machir uxorem duxit (1 Par. 7,12). Cf. *F. de Hummelauer,* Comm. in Num. p. 178. 185.

HIRA v. IRA 3.

HIRAM, nomen proprium, quo in Vulgata nomina diversa hebraica redduntur.

1. Hiram (עִירָם, Ζαφοίν) enumeratur ultimus inter undecim duces Edomitarum, qui Horraeis exstirpatis totam regionem Edom occupaverant (Gen. 36, 43; 1 Par. 1,54). In lectione LXX Ζαφοίν *Ewald* putat nomen ducis duodecimi צִפּוֹ ex Gen. 36,11. 15 latere, unde concludit in textu primigenio duodecim nomina adfuisse (Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 I. p. 530); sed haec ratio vix sufficiet ad numerum duodenarium tribuum Edom stabiliendum. Inter reges, qui Sennacherib tributum solvebant, commemoratur *Airammu mat Uduummaai* (*Taylor* Cylinder 2,54); eundem esse nostrum Hiram regionis Edom censet *C. I. Ball* in *Smith-Fuller,* Dict. of the Bible I. 1441.

2. Hiram (חִירָם, חִירוֹם, חוּרָם; Χειράμ, Χιράμ), rex Tyri, qui ligna cedrina et artifices Hierosolyma misit ad aedificandam domum regis David amici sui et iterum ad aedificandam domum Domini et domum regis Salomonis, quocum foedus pepigerat. Classis Salomonis cum classe Hiram coniuncta commercium agebat. Nautae Salomonis a nautis Tyriorum adiuti de Asiongaber in sinu Aelanitico usque in Ophir navigabant indeque aurum, ligna thyina, gemmas pretiosas afferebant. Neque vinculum foederis remissum est, cum Hiram illas viginti civitates Chabul a Salomone sibi donatas illi redderet, quod minus sibi placuissent. Cf. 2 Reg. 5,11; 3 Reg. 5,1 ss.; 9,11 ss.; 10,11. 12; 1 Par. 14,1; 2 Par. 2,1 ss.; 8,2. 18; 9,10. 21; de civitatibus Chabul vide s. v.

Ex testimonio *Dii* Phoenicum historiographi et *Menandri* Ephesini (apud *Flav. Iosephum,* Ant. VIII. 5,3; cont. Ap. 1,17. 18) Hiram (Εἴρωμος) erat filius Abibali regis et annos 34 regnavit vita ad annum quinquagesimum tertium producta, plurima templa exstruxit ac donariis ornavit, Tyrum urbem ampliorem reddidit aggeribusque munivit, in bello prospera fortuna usus est, cum Salomone certamen solvendi aenigmata subiit, quo in certamine Hiram primum

victus magnam pecuniae vim pro mulcta Salomoni pependit, postea vero per Abdemonem Tyrium quendam non solum aenigmata proposita solvit, sed alia proposuit, quae ipse Salomon solvere non valens multum pecuniae regi Hiram pependit. Epistulas quoque Salomonis ad Hiram et Hiram ad Salomonem exhibet Flav. Iosephus (Ant. VIII. 2,6-8) asserens harum epistularum exemplaria apud Tyrios quoque in publicis tabulariis conservari. Quod *Tatianus* (adv. Graecos 37, *M.* 6,880) ex historiis Phoenicum referl Hiram regem filiam suam Salomoni in matrimonium dedisse, aliunde non confirmatur; inter mulieres alienigenas, quas Salomon adamavit, recensentur 3 Reg. 11,1 Sidoniae, non vero Tyriae.

Ex testimonio Menandri de 34 annis regni Hiram (Ant. VIII. 5,3) difficultas chronologica oritur, quae illud Menandri assertum dubium reddit. Discimus enim ex 3 Reg. 6,1 et 9,10 templum Salomonis aedificari coeptum esse anno quarto regni Salomonis, et opere viginti annis post completo regem Hiram adhuc superstitem fuisse. Regnavit igitur Hiram una cum Davide ad summum per decem annos, immo si Flav. Iosephus (Ant. VIII. 3,1; cont. Ap. 1,18) recte asserit templum aedificari coeptum esse anno duodecimo regni Hiram, solummodo per octo annos. Iamvero David domum cedrinam aedificavit regnante Hiram, illa aedificata cogitavit de templo exstruendo, adulterium cum Bethsabe commisit, Salomonem genuit. Ergo Salomon adhuc infans regnum adeptus esset; hoc autem admitti nequit, etsi ignoramus quot praecise annos natus Salomon regnare coeperit. Unde patet longius tempus requiri pro regno Hiram quam Menander assignat.

Fuerunt qui duos reges Hiram distinguerent, amicum Davidis et amicum Salomonis. Contra quos iam *F. C. Movers* (Phönizier II. 1 p. 147 ss.) urget 2 Par. 2,3 Hiram amicum Salomonis exhiberi eundem, qui fuerit amicus Davidis. Ipse *Movers* existimat in libris Samuelis non servari ab auctore sacro ordinem chronologicum et eo tempore, quo David domo cedrina aedificata de templo exstruendo cogitaverit, Salomonem iam natum fuisse; eandem opinionem approbat *J. F. Stenning* apud *Hastings*, Dict. of the Bible II. 389 b. Verum obstat, quod Nathan propheta, qui templum a Salomone exstructum iri Davidem docet, loqui videatur de Salomone nondum nato, sed nascituro; neque haec difficultas a *Movers*, qui eam ipse sensit, sufficienter soluta dici potest (l. c. p. 149).

Nomen Hiram regis hodie quoque connectitur cum sepulcro Hiram, *Qabr Ḥīrām* (vel *Ḥairān*, ut alii se audivisse affirmant) una hora et 45 minutis a Tyro inter meridiem et orientem; monumentum est phoenicium, sed inscriptionibus carens, quare antiquitas certo determinari nequit. Cf. *Baedeker-Benzinger*, Pal. u. Syrien *ed.* 5 p. 288.

A nostro Hiram distinguendus est alter Hiram rex Tyri, qui per viginti annos regnavit et cuius anno decimo quarto Cyrus rex Persarum imperium accepit (*Flav. Ios.* cont. Ap. 1,21).

3. Hiram (חִירָם vel חִירָם, Χιράμ), artifex a rege Hiram Salomoni missus ad perficiendam variam templi supellectilem (3 Reg. 7,13-45; 2 Par. 2,13. 14; 4, 11-16); habebat patrem Tyrium, matrem autem Danitam, quae etiam vidua de tribu Nephthali vocatur et hinc priorem maritum Nephthalitam habuisse censenda est. Singularis titulus אָב (in contextu אָבִי et אָבִיו) ei tribuitur 2 Par. 2, 13 et 4,16 i. e. pater, magister, consiliarius.

HIRAS (חִירָה, Εἰράς) Odollamites, amicus Iuda patriarchae (Gen. 38,1. 12. 20). Pro *amico eius* (רֵעֵהוּ) Vulgata et LXX reddunt *pastorem eius* (רֹעֵהוּ).

HIRCANUS (Ὑρκανός), filius Tobiae cuiusdam, vir valde eminens, qui magnos thesauros in aerario templi depositos habebat eo tempore, quo Heliodorus templum direpturus ex Syria advenit (2 Mach. 3,11). Apud Flav. Iosephum (Ant. XII. 4,2 s.; 5,1) commemorantur filii Tobiae, qui ex sorore Oniae II. pontificis nati erant et postmodum Menelao impio pontifici adhaerebant et

inter illos unus Iosephus nomine, qui ex fratris sui filia genuit Hyrcanum, virum in perturbationibus publicis illius temporis satis celebrem. Noster igitur Hircanus 2 Mach. 3,11 a nonnullis censetur unus ex illis filiis Tobiae, ab aliis (*Grotius, Calmet, Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch des Bibl. Altert. s. v.) Hyrcanus filius Iosephi filii Tobiae; in hac altera interpretatione ellipsis : Hircanus Tobiae (τοῦ Τοβίου) suppleri debet addendo : *nepos*, cum tamen ex communi usu loquendi supplendum sit *filius* scil. Tobiae vel ut *Ewald* (Gesch. des Volkes Israel *ed.* 3 IV. p. 353) opinatur, filii illius Iosephi etiam vocabantur filii Tobiae scil. ab avo suo. *E. Schürer* (Gesch. des jüd. Volkes *ed.* 3 I. p. 195. 196) coniiciens inter filios Ioseph unum nomine Tobiae fuisse genealogiam familiae Tobiae hoc modo construit :



HIRCUS v. CAPER.

HIRSEMES urbs v. BETHSAMES 1.

HIRUNDO. **1.** Vox *hirundo* in Vulgata tribus nominibus textus primigenii respondet. In libro Tobiae dicuntur « ex nido hirundinum dormienti calida stercora super oculos » incidisse (Tob. 2,11), ubi textus graecus nomine generaliore στρουθία utitur, quod varias aves minores, velut passeres et hirundines aliasque significat. Deinde in epistula Ieremiae ad ostendendam idolorum vanitatem inter alia exempla additur « supra corpus eorum et supra caput eorum volant noctuae et hirundines », ubi in graeco habetur χελιδόνες (Baruch 6,21). Denique bis hebr. סוּס vel סִיס (*Qeri* Ier. 8,7) a S. Hieronymo hirundo exponitur, scilicet in prophetia Ieremiae, ubi cum ciconia, turture, grue inter aves migratorias nominatur (Ier. 8,7), et in cantico Ezechiae, ubi gemitus aegrotantis voci hirundinis pipientis comparatur (כְּסוּס עָגוּר Is. 38,14, Vulgata *sicut pullus hirundinis;* de עָגוּר cf. CICONIA). — Ex versionibus antiquis LXX et Theodotion vocem hebraicam in utroque loco similiter ut Vulgata χελιδών i. e hirundinem explicant; Symmacho סִיס in Ier. est *cicada* (*S. Hieron.* in Ier.), in Is. autem pariter χελιδών, eandemque avem Arabs designat; Targum chaldaicum, si ordinem vocum consideras, סִיס *gruem* (כורכיא) et עָגוּר *hirundinem* (סנונית) appellat; at haud improbabilis videtur explicatio *Bocharti*, ordinem vocabulorum a paraphrasta esse inversum, ita ut ipse quoque cum reliquis סִיס *hirundinem* interpretetur, quamquam Hebraei ex verbis Ionathae occasionem sumpserint gruem exponendi. Idem de versione syriaca simplici videtur dicendum esse, quae in verbis Ezechiae simpliciter *hirundinem* (סנונית) exponit, item in epistula Ieremiae pro gr. χελιδών, in altero vero Ieremiae loco (8,7) inverso ordine *gruem* et *hirundinem* habet (כורכיא וסנונית).

2. Satis igitur magnus interpretum antiquorum consensus quoad hirundinem habetur. Ac certe imprimis χελιδών sine dubio est vera hirundo, cuius variae species regionem orientalem frequentant (*Hirundo Savignii* Stephens, *H. rustica* Linné, *H. rufula* L., *Chelidon urbica* L., *Cotyle riparia* L., *C. rupestris* L., al.,

omnes ex ordine *Passerum*). Haud inepte vero etiam στρουθία libri Tobiae, quae Syro item sunt aves sensu generali (צפרא), quaeque in muro fuisse textus graecus et syriacus dicit, a S. Hieronymo hirundines vocantur, quamvis aliae aves minores a significatione vocis graecae non debeant excludi. Praeterea etiam סיס, quae ipso nomine vocem hirundinum per aerem volantium videtur imitari, aliquo modo hirundinibus certe adnumeranda est. At duo videntur obstare, quominus ipsas verae hirundinis species eo nomine intellegamus : nam hirundines in Palaestina ex parte tantum migrare solent, multis in calidioribus terrae partibus remanentibus; unde minus apte a Ieremia inter aves migratorias tamquam exemplum adducerentur. Deinde nomen *sīs* ab hodiernis quoque terrae incolis usurpatur non ad ipsam hirundinem (arab. *sunānā*), sed speciem affinem designandam, quae nomine scientifico nunc *Cypselus* audit (germ. *Mauerschwalbe*, gall. *martinet*, angl. *swift*), olim a Linneo *Hirundo* dicta. Huius quoque generis variae species vere migratoriae in Palaestina inveniuntur (*Cypselus apus* Illiger, *C. melba* Ill., *C. affinis* Gray), hirundinibus in habitu exteriore, volatu, vocibus satis similes, quamvis ad alium ordinem *Cypselomorpharum* pertineant. Probabiliter in S. Scriptura variae aves similes eodem nomine appellantur. — Alio denique nomine hebraico plerisque vera hirundo videtur designari, scil. דְּרוֹר, quod bis tantum occurrit et in Vulgata semel *passer* (Prov. 26,2), alia vice *turtur* dicitur (Ps. 83[84],4); de quo v. PASSER.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 59-68, *ed. Rosenm.* II. 602-14; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,340 s.; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Röm. 298-302; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 206-9; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8,204-8; *id.* Fauna and Flora of Pal. 60-3. 82-4; *J. G. Wood*, Bible Animals 381-91; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 267 s.; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3, p. 360. 386; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, IV. 518-33; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia 224-6. — Etiam in monumentis assyriacis et aegyptiis hirundo haud raro occurrit; cf. *Frd. Delitzsch*, Assyr. Thiernamen 101 s.; *H. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. VIII. 1884, 72-4; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 114; III. 319.

L. FONCK.

HISPANIA (Ἱσπανία, Σπανία). Aliqua regio meridionalis Hispaniae in Vetere Testamento commemoratur nomine Tharsis (vide s. v.), Hispania scil. baetica, cui flumen Baetis nomen dedit. Iudas Machabaeus inter alia de rebus gestis Romanorum etiam fama accepit : quanta fecerunt in regione Hispaniae et quod in potestatem redegerunt metalla argenti et auri quae illic sunt et possederunt omnem locum consilio suo et patientia (1 Mach. 8,3); atque Romani post bellum secundum punicum diuturnis et aeribus pugnis Hispaniam sibi subiicere adnitebantur. Apostolus Paulus in Hispaniam proficisci statuit, postquam in Asia et Macedonia et Graecia coetus Christianorum fundaverat. Proficisci voluit per Romam et a Romanis sperabat se iri illuc deductum (Rom. 15,24. 28). Eum iter illud post priorem suam captivitatem revera suscepisse, documento est quod habet Clemens romanus (epist. I ad Cor. cap. 5) Paulum venisse usque ad occidentis terminum (ἐπὶ τὸ τέρμα τῆς δύσεως); accedit Fragmentum Muratorianum (lin. 37. 38), quo efficitur de « profectione Pauli ab urbe ad Hispaniam proficiscentis » medio saeculo secundo in ecclesia romana nullum dubium fuisse.

Multitudinem et praestantiam metallorum in Hispania (1 Mach. 8,3) celebrat Posidonius rhetor (apud *Strabonem* III. 2,9; *ed. Cas.* 147) quasi instinctu quodam poetico raptus : non enim dives modo, inquit, terra illa est, sed et infra se opes habet conditas; et revera apud istos homines infra terram non Hades, sed Pluto (sive Dis *quasi* dives) habitat. Quae Posidonius de Hispania meridionali (Turdetania), eadem Plinius (III. 3,30) de universa Hispania testatur : Metallis plumbi, ferri, aeris, argenti, auri tota ferme Hispania scatet, citerior et specularis lapidis, Baetica et minio; sunt et marmorum lapicidinae. Cf. *Diod. Sic.* 5,35; *Flav. Ios.* Bell. iud. II. 16,4.

HOBA (חוֹבָה, Χοβά), quae est ad laevam i. e. ad septemtrionem Damasci, urbs ad quam usque Abraham persecutus est Chodorlahomor eiusque socios (Gen. 14,15). *Eusebius* (Onom. *ed. Lag.* 301,32) asserit locum Χωβά in illis regionibus suo tempore exstitisse, quem Ebionitae incoluerint. Censetur esse vicus hodiernus *Qābūn* ad radices Antilibani dimidia fere hora a Damasco septemtrionem versus (*Furrer*) vel minus probabiliter vicus *Ḥoba* 20 horis a Damasco septemtrionem versus (*Wetzstein*). — Hoba nostra a nonnullis supponitur esse Choba (Iudith 15,5 graece), quare v. CHOBA 2.

Cf. *Furrer* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 40; *Wetzstein* apud *Franz Delitzsch*, Genesis 1887 p. 561.

HOBAB (חֹבָב, Ὀβάβ, Ἰωβάβ), filius Raguel Madianitae et frater Sephorae, uxoris Moysis, cognatus Moysis (חֹתֵן), a Moyse inductus est, ut Israelitis se adiungeret ductor viarum per desertum: « noli nos relinquere; tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus et eris ductor noster; cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi » (Num. 10,31. 32). Filii eius et posteri habitabant cum filiis Iuda (Iud. 1,16) sub nomine Cinaeorum (cf. Iud. 4,11). Sacerdos Madian, cuius filiam Moyses duxit uxorem, appellatur modo Raguel, modo Iethro (cf. Ex. 2,16. 18-21; 3,1; 4,18; 18,1), quare probabilissimum est sacerdotem illum duo habuisse nomina et Iethro nomen esse dignitatis. Alii nodum ita solvere malunt, ut Raguel faciant patrem Iethro et avum Hobab et Sephorae; sed prior sententia facilius accommodatur ad Ex. 2,16. 18. 21; Num. 10,29. Post egressum ex Aegypto Iethro adduxit ad Moysen uxorem et duos filios eique sapiens dedit consilium ad gubernationem populi (Ex. 18,1-23). Iethro abiit in regionem suam; Hobab autem Israelitas comitatus est (cf. Ex. 18,27; Num. 10,31. 32; Iud. 1,16); quare nullo modo audiendi sunt qui Iethro eundem esse velint atque Hobab; neque obstat quod uterque dicitur חֹתֵן Moysis; nam vox latiore significatu de cognato adhibetur (cf. חָתָן).

HOBIA v. HABIA.

HOD (הוֹד, Ὠδ), unus ex filiis Supha de tribu Aser (1 Par. 7,37).

HODES (חֹדֶשׁ, Ἅδα), uxor Saharaim Beniaminitae, quae in regione Moab septem filios genuit, principes in familiis suis (1 Par. 8,9).

HODSI (אֶרֶץ תַּחְתִּים חָדְשִׁי, Vulgata: terra inferior Hodsi, LXX γῆ Θαβασὼν ἥ ἐστιν Ἀδασαί) in censu populi per Ioab facto recensetur inter terram Iazer in Galaad et Dan silvestria seu Lais-Dan (2 Reg. 24,6). Textus sine dubio corruptus est. Legendum videtur אֶרֶץ הַחִתִּים קֶדֶשָׁה terra Hethaeorum usque Cades; cf. *F. de Hummelauer* ad h. l. qui defendit intellegendam esse Cades seu Cedes tribus Nephthali, dum alii (*Vigouroux, Driver*) praeferunt Cades urbem principalem Hethaeorum ad Orontem fluvium sitam haud longe ab Emesa (*Ḥöms*) meridiem versus. Emendationem textus supra propositam confirmat recensio Lucianea: εἰς γῆν Χεττιεὶμ Καδής.

De urbe Cades Hethaeorum seu *Qodshu* in hieroglyphis aegyptiacis vide *Lepsius*, Denkmäler, Abth. III. 158. 159. 164; *W. Max Müller*, Asien und Europa nach altaegypt. Denkmälern 1893 p. 213 s. — Cf. *Vigouroux*, Dict. de la Bible II. 367-369 et eiusdem Mélanges bibl. *ed.* 2 p. 340 ss. 351 s.

HOLDA, OLDA (חֻלְדָה, πρὸς Ὀλδαν), prophetis, uxor Sellum custodis vestium (sive sacerdotalium sive regiarum), quam Iosias rex per legatos consuluit de libro Legis ab Helcia sacerdote reperto (4 Reg. 22,14; 2 Par. 34,22); habitabat in Ierusalem in Secunda i. e. in parte quadam urbis secunda seu urbe inferiore in colle Acra sita (cf. Soph. 1,10; *Flav. Ios.* Ant. XV. 11,5: ἡ ἄλλη πόλις). Eo igitur tempore i. e. anno 18. Iosiae regis haec prophetis maxima fruebatur auctoritate, immo maiore, ut videtur, quam Ieremias qui anno 13. Iosiae ad munus propheticum vocatus est admodum iuvenis. Aliqui interpretes censent eo tempore Ieremiam ab urbe Ierusalem abfuisse.

HOLDAI חֹלְדַי. 1. Princeps turmae 24000 virorum, quae mense duodecimo regi ministrabat, Netophathites, de stirpe Gothoniel vel potius Othoniel (1 Par. 27,15).

2. Vide HELEM 2.

HOLOCAUSTUM, HOLOCAUTOMA. Actus praeclarissimus religionis i. e. cultus et adorationis Dei est sacrificium, quo Deus tamquam supremus rerum omnium dominus agnoscitur et colitur eiusque gratia efflagitatur. In holocausto, uti nomen dicit, victima tota igne sacrificali consumebatur, quo ritu integra hominis ad Deum subiectio perfecte significatur. Prima holocausti mentio fit post diluvium (Gen. 8,20), sed iam sacrificium Abel ita describitur, ut holocaustum fuisse videatur (Gen. 4,4), Abraham iussus est holocaustum offerre et obtulit holocaustum arietem pro filio (Gen. 22,2. 13), Iob quoque offerebat holocausta (Iob 1,5; 42,8).

De quibus, quo ritu, quando holocausta sint offerenda, lege mosaica accurate determinatur. Offerri poterant animalia immaculata masculina de armento, de pecoribus (ovibus, capris); in turturibus et columbis genus masculinum non exposcitur (Lev. 1,3. 10. 14). Ritus is est: ponet manum (offerens) super caput hostiae et acceptabilis erit atque in expiationem eius proficiens; immolabitque coram Domino et filii Aaron sacerdotes offerent sanguinem eius fundentes per altaris circuitum, detractaque pelle hostiae artus in frusta concident et intestinis pedibusque aqua lotis frusta cum capite et adipe adolebit sacerdos super altare (Lev. 1,4 ss.); sacerdos qui offert habebit pellem victimae (Lev. 7,8). Ritus in offerendis columbis describitur Lev. 1,14-17. Simul cum holocausto fertum quoque offerendum erat.

Lege praescribebantur haec holocausta: singulis diebus, mane et vespere agnus anniculus erat offerendus cum ferto ex simila oleo conspersa et vino (Ex. 29,38-42; Num. 28,3-8); die vero sabbato duo agni cum ferto pariter duplicato (Num. 28,9. 10). Praeterea calendis, diebus septem sollemnitatis azymorum et die pentecostes offerri debebant diebus singulis vituli duo, aries unus, agni anniculi septem, similiter cum ferto Num. 28,11-31. Porro primo die et decimo die mensis septimi et ultimo die festi tabernaculorum offerri debebant vitulus unus, aries unus, agni anniculi septem cum ferto (Num. 29,1-11. 35-38; singulis septem diebus festi tabernaculorum suus quoque assignatur numerus holocaustorum: duo arietes, agni duo et vituli tredecim die primo, duodecim die altero, undecim die tertio et ita porro (Num. 29,13-34) cum fertis. Insuper eiusmodi sacrificia praescribebantur puerperis Lev. 19,6-8, leprosis mundatis Lev. 14,4 s., iis qui variis laborant immunditiis Lev. 15,14. 15. 29. 30, Nasiraeis Num. 6,10-21.

Offerebantur quoque holocausta ad arbitrium piorum in dedicatione tabernaculi Num. 7,2 s., in translatione arcae 1 Reg. 6,14; 2 Reg. 6,17; 3 Reg. 8,5; 1 Par. 16,1 etc., in dedicatione templi 3 Reg. 8,64; 2 Par. 7,5, et generatim relinquebatur pietati singulorum, ut in quovis eventu vel laeto vel tristi Dei favorem sibi sacrificio conciliarent; id quod factum esse plurima demonstrant exempla (cf. Ios. 8,31; Iud. 6,26; 11,31; 20,26; 1 Reg. 7,9; 13,9; 15,12; 3 Reg. 3,4; 1 Par. 29,21; 2 Par. 29,27; Esdr. 6,17; 8,35; Iudith 16,22 etc. etc.). Verum prophetae sedulo monebant non haec sacrificia per se Domino placere, sed Deum requirere obedientiam animorum, pietatem, devotionem: ita Samuel: numquid vult Deus holocausta et victimas et non potius ut obediatur voci Domini? melior est enim obedientia quam victimae et auscultare (obedire) magis quam offerre adipem arietum (1 Reg. 15,22); cf. Ps. 39,7 s.; 49,8 s.; 50,18. 19; Is. 1,11 s.; Ier. 6,20; et 7,22 docet bona foederis esse obedientibus promissa et in liberatione ab Aegypto foedus esse initum promissione obedientiae a populo data Ex. 19,5. 6. Quae admonitiones eo magis necessariae erant, quo proniores erant Iudaei ritibus et caerimoniis externis acquiescere et praestationibus illis legalibus confidere quasi in iis solis cardo rerum verteretur (cf. Luc. 18, 11. 12).

I. KNABENBAUER.

HOLOFERNES (Ὀλοφέρνης), dux regis Assyriorum et princeps militiae eius, qui, uti in libro Iudith 2,4 etc. narratur, cum ingenti exercitu egreditur ad terras regi Assyriorum subiiciendas, qui demum contra Iudaeos belligerans Bethuliam (vide s. v.) obsidet, sed a Iudith interimitur, cum ebrietate oppressus dormiret. Nomen Holofernes multis videtur originem prodere persicam (cf. Dataphernes, Artaphernes, Tisaphernes etc.). Neque id mirum videri potest; cum enim Persae diu Assyriis (postea Medis) essent subditi, nobiles Persarum variis functos esse muneribus in regno assyriaco per se liquet (cf. *De Moor*, Le livre de Iudith p. 37). Nomen hoc Holofernes vel Orophernes in historia quoque profana reperitur; cf. *Polyb.* III. 5,2; XXXII. 20,4. 9; XXXIII. 12,2. 3. 9; *Appian.* Syr. 47; *Diodor. Sic.* 31,19. 32. 34.

HOLON, OLON, HELON (חֹלֹן, חֵילֹן; Χαλού, ἡ Γελλά, Σελνά), urbs sacerdotalis (Ios. 21,15; 1 Par. 6,58 hebr. 43, LXX 57), quae in prima seu meridiana provincia montis Iuda recensetur (Ios. 15,51). Situs est ignotus.

HOMAM v. HEMAN 1.

HOMICIDIUM. Cura singulari providetur vitae hominis; nam ut quivis deterreatur a caede, iam in primordio statuitur lex : quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius (Gen. 9,6); proinde sanctione gravissima cavetur ne quis vitam alterius impetat; simulque ratio affertur sublimis, cur homini non competat ius in alterius vitam : ad imaginem quippe Dei factus est homo. Porro eadem lex ac sanctio repetito inculcatur; ita in decalogo : non occides (Ex. 20,13; Deut. 5, 17); dein : qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur (Ex. 21,12; Lev. 24,17, et qui percusserit mulierem praegnantem ita ut mors sit subsecuta, reddet animam pro anima (Ex. 21,23) et : ne polluatis terram habitationis vestrae quae insontium cruore maculatur, nec aliter expiari potest nisi per eius sanguinem qui alterius sanguinem fuderit (Num. 35,33). Immo quo magis declararetur horror homicidii, ipsum quoque animal quod hominem occidit iubetur occidi (Gen. 9,5) et bos qui cornu percusserit virum aut mulierem si mortui fuerint, lapidibus obruetur et non comedentur carnes eius; immo si herus cognoverit bovem esse cornupetam neque tamen eum recluserit isque occiderit aliquem, et bos lapidibus obruetur et dominum eius occident (Ex. 21,28. 29). Iterum poena mortis proponitur : si quis ferro percusserit et mortuus fuerit percussus, si lapidem iecerit et ictus occubuerit, si ligno percussus interierit, percussoris sanguine vindicabitur; propinquus occisi homicidam interficiet, statim ut apprehenderit eum interficiet. Atque ei qui ex odio alteri insidias struxerit eumque occiderit nihil profuerunt civitates refugii; verum arripient eum de loco effugii tradentque in manu proximi, cuius sanguis effusus est et morietur (Num. 35,16-21; Deut. 19,11-13); immo ab altari meo avelles eum ut moriatur (Ex. 21,14; cf. 3 Reg. 1,50; 2,28). Sed si quis fortuito, sine insidiis et absque odio, alium occidisset, ille defendebatur a vindicta; nam pro eo constituebantur urbes refugii; ibi a senioribus causa eius diiudicabatur, et innocentia eius statuta securus ibi degebat. Mortuo demum sacerdote magno licuit ei in terram suam regredi. Quodsi autem ante mortem pontificis extra fines urbis refugii fuerit inventus, potuit ultor sanguinis absque noxa eum interficere (Ex. 21,13; Num. 35,11-28; Deut. 19,1-13). Civitates refugii decernuntur Ios. 20,1-9. Si quis autem servum suum vel ancillam percusserit virga et mortui fuerint in manibus eius, « vindicta vindicabitur » (hebr. Ex. 21,20) i. e. conveniente poena a magistratu illius severitas reprimenda erit; si autem servus uno alterove die supervixerit, non subiacebit herus poenae; nam ipso damno punitur (Ex. 21,21).

I. KNABENBAUER.

HOMO. Constare hominem corpore ex rebus iam exstantibus formato et anima a Deo immediate producta quae vitam det, in narratione de creatione Adam (vide s. v.) clare docetur. Digni-

tas hominis ipsa illa narratione iam satis effertur; imprimis vero verbis Dei : faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (Gen. 1,26), quae similitudo uti in anima rationali et immortali relucet, ita quoque cernitur in dominatione : et praesit universae terrae (Gen. 1,26. 29; cf. 1 Cor. 11,7 vir imago et gloria Dei est, mulier gloria viri, cui scil. vir dominatur). Hominem fuisse creatum ad immortalitatem, satis declaratur Gen. 2,17 et Sap. 2,23. 24; item fuisse creatum ea animi conditione, ut appetitus inferiores plane subiecti essent rationi, elucet ex Gen. 2,25 et Eccli. 7,30 : hoc inveni quod fecerit Deus hominem rectum. Culpa autem sua ex felici illa conditione excidit, quam psalmista celebrat : minuisti eum paulo minus ab angelis; gloria et honore coronasti eum etc. Ps. 8,6-9. Merito itaque pergit Sapiens : ipse se infinitis miscuit quaestionibus (Eccle. 7, 30; hebr. 7,29 : ipsi quaesierunt multa commenta). Ut autem homo malas refrenet concupiscentias, Deus leges statuit et scelera variis poenis et iudiciis prosequitur, cuius rei exempla iam habentur in Cain, in diluvio, in lege de homicidio (Gen. 9,6), in decalogo etc. Hominem libero arbitrio esse praeditum et ei opem praestari a Deo, ut possit bene agere, iam consequitur ex eo quod Deus homini praecepta et adhortationes dat vel lege scripta et per legatos missos vel ipsa natura rationali magistra (Rom. 2,14) : si volueris mandata servare, servabunt te; apposui tibi aquam et ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita et mors, bonum et malum; quod placuerit ei, dabitur illi (Eccli. 15,16-18).

Perperam aliqui asserunt à S. Paulo doceri trichotomiam, cum corpus, animam, spiritum commemoret (cf. 1 Thess. 5,23). Sed attendi oportet in enumeratione oratoria ea posse distincte efferri quae aliquo modo varie sese manifestent; unde spiritus et anima referri possunt ad varias unius animae vires et facultates et appetitus; alias spiritus etiam dicitur mens hominis gratia Spiritus sancti illustrata et imbuta.

Quae sit Dei in genus humanum providentia et cura, brevissime Sapiens declarat : misereris omnium, quia omnia potes et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam; diligis enim omnia quae sunt et nihil odisti eorum quae fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti et fecisti (Sap. 11,24. 25) et sublimi modo explicatur : sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret (Ioan. 3,10), quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit (Rom. 8, 32) et : vult Deus omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire (1 Tim. 2,4); pariter eo quod Iesus docuit Patrem esse Deum et tamquam Patrem invocandum.

I. KNABENBAUER.

HON (אוֹן, Ἀών), filius Pheleth de filiis Ruben erat cum Core, Dathan, Abiron inter eos qui surrexerunt contra Moysen et conquesti sunt, quod Moyses et Aaron sibi arrogarent auctoritatem (Num. 16,1 ss.). Eius mentio in subsequenti narratione et in interitu Core, Dathan, Abiron et ducentorum quinquaginta virorum iam non fit; unde forte concludere licet eum mox a rebellione recessisse et cum Deo esse reconciliatum, antequam alii iusto Dei iudicio absumerentur. Probabilius vero textus hebr. ita emendandus est, ut tres tantum archirebelles habeantur et tertius Abiron dicatur filius Eliab filii Pheleth (vel potius Phallu) filii Ruben; cf. *F. de Hummelauer*, Comment. in Num. ad h. l.

HONOR. In commercio hominum inter se ratio communissima honoris exhibendi consistit in salutatione. Consuetus salutandi modus erat : pax tecum (Iud. 19,20; 1 Par. 12,18); David iussit salutari Nabal modo sollemniore : sit fratribus meis et tibi pax et domui tuae pax et omnibus quaecumque habes sit pax (1 Reg. 25,6). Alias utebantur quoque verbis : Dominus tecum, Dominus vobiscum (cf. Iud. 6,12; Ruth 2,4) et cum Booz ita messores salutasset, isti respondent : benedicat tibi Dominus. Quod in Vulgata legitur : saluta verunt se verbis pacificis, ex hebr. est interrogare de salute (pace, scil. quomodo valeat; cf. Gen. 43,27; Ex. 18,7; Iud. 18,

15). Sensu altiore Christus suos salutat : pax vobis eosque iubet pacem aliis apprecari, illam videlicet pacem quam ipse dat et quam mundus nequit dare (cf. Ioan. 14,27). Cum autem salutationes et variae interrogationes fieri solerent prolixius, si erat festinandum, iniungebatur : neminem per viam salutaveritis i. e. non brevis illa formula consueta interdicebatur, sed solum ne maius temporis spatium collocutionibus insumeretur (cf. 4 Reg. 4,29; Luc. 10,4). Hanc honoris et caritatis significationem omnibus exhiberi vult Christus : si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt (Matth. 5,47)?

Ad maiorem honoris significationem salutationi addebatur profunda corporis inclinatio, immo prostratio; ita Abraham se prosternit in terram (Gen. 18, 2; 23,7), item Lot (Gen. 19,1); immo Iacob coram Esau quem timet sibique vult reconciliare, « adoravit pronus in terram septies » (Gen. 33,3) i. e. se prostravit; Abigail cum vidisset David descendit de asino et procidit coram David super faciem suam et adoravit super terram et cecidit ad pedes eius (1 Reg. 25,23). Ad honoris significationem Rebecca conspecto Isaac descendit de camelo (Gen. 24,64); item si quis sedebat, ad honorem alteri exhibendum surgendum erat; ita senes honorandi erant : coram cano capite consurge et honora personam senis (Lev. 19,32) et cum Bethsabee mater Salomonis intraret ad Salomonem, rex Salomon surrexit in occursum eius adoravitque eam positusque est thronus matri regis quae sedit ad dexteram eius (3 Reg. 2,19); etiam Iob se honoratum dicit, quia cum procederet ad portam civitatis, senes assurgentes stabant (Iob 29,8). In ratione loquendi honor alteri exhibebatur, cum loquens se diceret servum alterius : domine, ne transeas servum tuum (Gen. 18,3; cf. 19,2); ita Iacob quoque loquitur ad Esau : parvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo (Gen. 33,5) et Miphiboseth loquitur ad David : quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei (2 Reg. 9,8; cf. 4 Reg. 8,13). Quomodo honorari debeat quem rex voluerit honorari, exponit Aman (Esth. 6,8 ss.).

Rex qui victor redibat a pugna canticis et choreis honorabatur (cf. 1 Reg. 18,6. 7). Cum rex novus proclamaretur, buccina cecinerunt et clamaverunt : vivat rex (3 Reg. 1,40); etiam unusquisque tollens pallium suum posuit sub pedibus regis incedentis (4 Reg. 9,13), qui honor Christo quoque exhibitus est; in tali pompa festiva flores quoque ramique spargebantur et facularum luminibus et cantibus celebritas habebatur (2 Mach. 4,22; Matth. 21,8). Baltassar rex, filius Nabonidi, honoravit Danielem : indutus est Daniel purpura et circumdata est torques aurea collo eius et praedicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno (Dan. 5,16. 29). Uti iam apparet ex 3 Reg. 2,19, qui honorandus erat, collocabatur ad dexteram (cf. Ps. 44,10; 109,1). Genua curvare, quae est saepius exhibitio adorationis Deo factae (3 Reg. 8,54; Esdr. 9,5; Is. 45,24), princeps ille quinquagenarius etiam timore perculsus coram Elia non dubitavit (4 Reg. 1,13).

I. KNABENBAUER.

HOPPHA (חֻפָּה, Ὀχχοφφά, A Ὀφφά), sacerdos, cui tertiadecima sors in ministerio Domini a Davide designata est (1 Par. 24,13).

HOR (הֹר הַהָר). **1.** Mons Hor (Ὤρ τὸ ὄρος) in quo Aaron mortuus est, castrametatio Israelitarum, qui de Cades ad montem Hor in extremis finibus terrae Edom situm profecti sunt et inde in stationem Salmona per viam, quae ducit ad mare Rubrum, ut terram Edom circumirent (Num. 20,22. 25. 27; 21,4; 33,37. 38. 41; Deut. 32,50). Flavius Iosephus ex antiqua traditione collocat montem excelsum, in quo Aaron mortuus est, prope « locum quem Arabes metropolim suam putarunt, qui prius quidem Arce (Ἄρκη) nominatus est, nunc vero Petra appellatur » (Ant. IV. 4,7). Idem tradunt Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 303, 88; 144,14) : « Or mons... iuxta civitatem Petram, ubi usque ad praesentem diem ostenditur rupes, qua percussa Moyses aquas populo dedit ».

Ibi hodie quoque *Djebel Nabī Harūn*, mons prophetae Aaron, ostenditur.

Verum hanc traditionem erroneam esse contendunt et ex ipsis textibus allatis eruunt recentiores (*Knobel, F. de Hummelauer, Trumbull, Guthe, Lagrange*), qui montem Hor potius prope Cadesbarne quaerendum recte censent vel ut *Lagrange* accuratius definit : occidentem versus a valle *ʿArabu*, meridiem versus a Negeb, septemtrionem versus a Cades, in extremitate occidentali vel septemtrionali terrae Edom.

Cf. *Knobel* ad Num. 20,22 s.; *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 238; *H. Clay Trumbull*, Kadesh Barnea 1884 p. 127 s.; *Guthe* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885, p. 213. 214; *Lagrange* in Revue bibl. VIII. 1899 p. 376-378 et IX. 1900 p. 280-282.

2. Hor (τὸ ὄρος τὸ ὄρος, Vulg. mons altissimus), mons in termino septemtrionali terrae Chanaan inter mare Mediterraneum et introitum Emath (Num. 34,7). A plerisque introitus Emath aquilonem versus a Libano quaerebatur et mons Hor in extremo Libano septemtrionali (cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 27). Sed *I. P. van Kasteren* terminum septemtrionalem terrae promissae infra Libanum et Hermonem maiorem ligit atque montem Hor censet esse extremum Libanum meridionalem seu *Djebel el-Shuqīf*, introitum vero Emath planitiem inter *Nahr Liṭāni* et *Nahr Hāsbānī*, quae hodie *Merdj ʿAyūn* audit. Atque huic monti, qui fere directe 570 m supra *Nahr el-Qāsimiye* assurgit, optime convenit interpretatio etymologica *Relandi*, qui Hor non nomen proprium, sed appellativum esse suspicans explicat τὸ הר ההר assurgere montis. Quodsi eaedem voces non Hor mons, sed forsan Hor montis vertendae essent, corresponderent in eadem regione vel *Khirbet Hur* ad meridiem fluvii *Qāsimiye* vel *Khirbet Hurā* ad orientem anguli recti, quo fluvius versus mare Mediterraneum flectitur.

Cf. *Reland*, Palaestina 1714 p. 119; *I. P. van Kasteren* in Revue bibl. IV. 1895 p. 27-29 et tabulam geogr. p. 24.

HORA. Horae ut partis diei in nullo libro ante exsilium scripto mentio fit. Postea vocabulo שָׁעָה, quod proprie significare oculorum obtutum plerique lexicographi censent, hora designabatur. Saepius illa vox in libro Danielis occurrit, ut in illo Nabuchodonosoris decreto Dan. 3,6 : « Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora (i. e. statim) mittetur in fornacem ignis ardentis ». Eadem significatione vox legitur 4,30 et 5,5. Daniel ipse, ut explanaret somnium regis Nabuchodonosor, coepit intra semetipsum tacitus cogitare quasi una hora (Dan. 4,16) vel potius : tunc Daniel obstupuit כְּשָׁעָה, quam vocem aliqui etiam recentiores cum LXX, Theodotione, S. Hieronymo vertunt : circiter per unam horam (*Trochon, Hitzig, Zoeckler, Meinhold*), alii : quasi per unum momentum (*Rohling, Keil*); sed cum ex una parte Daniel vix per horae spatium coram rege constitisse censendus sit, ex altera parte longior momento mora requiratur, ut rex Danielem conturbatum adverterit et monendum esse duxerit ne timeat, contextui maxime consonum est ea voce notionem alicuius morae vel generatim alicuius partis temporis ingeri (cf. *Knabenbauer* ad Dan. 4,16).

Centum circiter et viginti annis ante exsilium Hierosolymis horologium solarium exstitisse notum est, quod Ezechias piissimus rex a patre suo Achaz hereditarium acceperat et in quo plus viginti gradus erant. Regi enim cum esset morti proximus, Isaias propheta iussu Domini dixit : « Praecipe domui tuae : morieris enim tu et non vives ». Sed propheta antequam « egrederetur mediam partem atrii », a Deo remissus est, ut declararet regem sanatum iri dieque tertio templum Domini ascensurum esse. « Cui » signum petenti, quo praedictionem veram esse intellegeret, « ait Isaias : Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est : Vis ut ascendat הֵרֵךְ umbra decem lineis (מַעֲלוֹת) an ut revertatur (יָשִׁיב) totidem gradibus? Et ait Ezechias : Facile est umbram crescere (לִנְטוֹת) decem lineis : nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum de-

cem gradibus. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum et reduxit umbram per lineas, quibus iam descenderat (יָרְדָה) in horologio Achaz retrorsum decem gradibus » (4 Reg. 20,1-11; cf. Is. 38,8; Eccli. 48,26, graece 48,23). Quo portento etiam Merodach Baladan, rex Babyloniorum, aliquam causam praetendit, ut ad regem mitteret legationem principum Babylonis, qui interrogarent de portento, quod acciderat super terram (2 Par. 32,31; cf. 4 Reg. 20,12 s.). Cur eiusmodi causam praetendere potuerit, quasi vellent Babylonii certiores fieri de solarii miraculo, facile intellegitur ex Herodoti verbis (2,109) : « Nam polum quidem et gnomonem et duodecim diei partes a Babyloniis Graeci acceperunt » (πόλον μὲν γὰρ καὶ γνώμονα καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον οἱ Ἕλληνες).

Ex iis quae in sacris libris narrantur, non constat quale fuerit illud solarium regis Achaz. Apud Herodotum l. c. polus videtur fuisse clavulus axi caelesti parallelus, gnomon vero virga aliqua erecta.

Vitruvius, qui in castris Iulii Caesaris militans machinis bellicis praefectus erat, in suo opere : De Architectura, *ed. Hermann Müller-Strübing,* Lipsiae 1867, lib. IX. cap. VI. (IX.) multa et varia enumerat solaria, ut : « Hemicyclium excavatum ex quadrato ad enclimaque succisum Berosus Chaldaeus dicitur invenisse; scaphen sive hemisphaerium Aristarchus Samius, idem etiam discum in planitia; arachnen Eudoxus astrologus, nonnulli dicunt Apollonium ». Praeterea commemorat : « plinthium... πρὸς τὰ ἱστορούμενα... πρὸς πᾶν κλῖμα... pelecinum... conum... pharetram... conarachnen... conicum plinthium... antiboreum... viatoria pensilia... ».

Apud *Graevium,* Thesaurus Graec. Ant. (vol. IX. p. 1278) concha hemicyclia memoratur.

Magnum gnomonem eumque in publico positum describit Plinius (XXXVI. 10,72) : « Ei (obelisco), qui est in campo (Martio), divus Augustus addidit mirabilem usum ad deprendendas solis umbras dierumque ac noctium ita magnitudines, strato lapide ad longitudinem obelisci, cui par fieret umbra brumae confectae die, sexta hora paulatimque per regulas, quae sunt ex aere inclusae, singulis diebus decresceret ac rursus augesceret, digna cognitu res ».

Neque plus certi affirmari potest de graduum vi ac potestate quam de forma solarii regis Achaz. Omnia enim quae diximus solaria non partes modo diei indicant, verum anni etiam tempora. Nam ut gnomonis umbra meridie brevior est quam sole vel oriente vel occidente, ita etiam longior est hiemis tempore quam aestatis. Quare non necesse est gradus quos diximus intellegantur partes diei. Sed si sunt partes diei, inter solis ortum et occasum, modo Ezechias solarium bene intellexerit, plus viginti gradus erant.

Quibus praemissis addere iuvat, quae *Knabenbauer* ad Is. 38,8 adnotat : « Voce ipsa *graduum,* dein quod umbra dicitur descendere, sese extendere, quod LXX habent ἀναβαθμοὺς οὓς κατέβη ἡ σκιά, eorum commendari videtur sententia, qui censent in fastigio collis rotundi columnam vel obeliscum fuisse positum, ita ut eius umbra in gradus (per quos quaquaversus ascendebatur ad summitatem) proiiceretur et variae diei partes ex longitudine et loco umbrae indicarentur... Nostro autem loco Chaldaeus praebet *umbram lapidis horarum,* qua expressione potius horologium alio modo constructum innuitur, quod ad horologia solaria accedat. Atque revera voces aeque bene ad gnomonem eiusque caesuras, quibus horae indicantur, adaptari possunt. Nam caesurae illae et lineae, per quas umbra gnomonis transit, possunt *gradus* vocari; totum autem horologium facile ex parte hac idem nomen per synecdochen sortiri poterat. Neque obstat, quod de descensu umbrae sermo fit; cum enim *descendere* dicatur de diei tempore ad finem vergente, eadem vox ad umbrae motum, qualiscumque demum in horologio apparebat, facile applicabatur (cf. Iud. 19,11)... Cum autem viginti gradus commemorentur, gradus vel lineae non horis, sed minoribus temporis spatiis correspondebant ». — Prae-

terea vide *Adolf Muller,* Bibel u. Gnomonik [Eine apologetische Studie über die Sonnenuhr des Königs Achaz] in periodico Natur u. Offenbarung XLVIII. 1902 p. 257-273. 340-355. 405-419, ubi egregie refutantur, quae *Camillus Flammarion* astronomus contra miraculum in S. Scriptura narratum protulerat (in Revue d'Astronomie populaire de Météorologie et de Physique du globe 1885 p. 321 ss.); etiam A. *Muller* animadvertit (l. c. p. 410 verbis S. Scripturae omnino satisfieri, etsi horologium Achaz non solarium proprie dictum fuisse supponatur, sed chronometrum quoddam valde simplex et imperfectum.

Certi aliquid scimus de horis tempore Christi. In parabola patrisfamilias ultimi operarii circa horam undecimam conducti esse et unam horam laborasse dicuntur (Matth. 20,1-12). Ioannes (1,39) decimam diei horam commemorat et Iesus, antequam Lazarum a morte ad vitam revocaret, discipulos suos interrogabat : « Nonne duodecim sunt horae diei? » (Io. 11,9). Ex quibus intellegitur finito labore diurno fuisse horam duodecimam.

Quae dicta sunt, mutabiles inconstantesque horas videntur indicare. Idem ex aliis auctoribus colligitur. *Vitruvius,* De Architectura lib. IX. cap. v. (VIII.) ea, quae de horologiorum rationibus et umbris gnomonum aequinoctiali tempore exponit, his verbis absolvit : « Omnium autem figurarum descriptionumque earum effectus unus, uti dies aequinoctialis brumalisque itemque solstitialis in duodecim partes aequaliter sit divisus ». Etiam ex Vergilii Georg. lib. I. apparet horas diei certis tantum anni temporibus, puta tempore autumni et veris, inter se aequales esse :

« Libra die somnique pares ubi fecerit horas » (v. 208).

Erant igitur pro latitudine geographica urbis Ierusalem horae tempore aestatis decem fere minutis longiores nostris horis, hiemis autem tempore totidem minutis breviores.

Praeter hanc diei in duodecim horas partitionem etiam altera in quattuor partes nonnullis videtur in usu fuisse, cum horarum tertiae, sextae, nonae saepe, reliquarum ut decimae, undecimae rarissime mentio fiat. In parabola de denario diurno (Matth. 29, 1. 3. 5) paterfamilias, ut conduceret operarios, exiisse dicitur primo mane, deinde circa horam tertiam, iterum autem circa sextam et nonam horam; quodsi hora undecima additur hoc factum est propter id, quod praecipue hac parabola intenditur. In narratione Passionis Christi hora tertia (Marc. 15,25) et hora quasi sexta (Io. 19,14) commemorantur. S. Petrus in ea, quam die pentecostes habuit, oratione, dicit horam esse diei tertiam (Act. 2,15). Petrus et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam (Act. 3,1). Petrus cum hospitaretur apud Simonem coriarium in Ioppe, ascendit in superiora, ut oraret circa horam sextam (Act. 10,9) et Cornelio centurioni apparuit angelus hora nona (Act. 10,30). His tribus locis horae sexta et nona manifeste dicuntur esse horae precationis. Trium autem precandi temporum iam in veteribus libris mentio fit, at ibi nondum hora tertia, sexta, nona dicuntur. Psalmista Deum precabatur vespere et mane et meridie (Ps. 54,18). Daniel « fenestris apertis in coenaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua et adorabat » (Dan. 6,10). Iudaei qui ex captivitate redierant, legerunt in volumine legis Domini Dei sui quater in die et quater confitebantur et adorabant Dominum Deum suum (Neh. 9,3) vel ut textus hebraicus habet רְבִיעִית הַיּוֹם i. e. quartam diei partem. Haec autem tribus precandi temporibus facta diei divisio, quae iam in Veteris Test. libris nititur, hodie quoque in officio ecclesiastico adhibetur. Sed utrum hae tres horae tertia, sexta, nona designent accuratas temporis particulas an etiam tempora interiecta, ex paucis sacrarum litterarum locis vix ac ne vix quidem diiudicari potest.

Ut ipse dies, ita nox etiam in complures partes dividebatur. In vigilia matutina (Ex. 14,24 : אשמרת הבקר factum est, ut Dominus interficeret exercitum Aegyptiorum. Gedeon et trecenti viri, qui erant cum eo, ingressi sunt in par-

tem castrorum Madian incipientibus vigiliis noctis mediae (Iud. 7,19 : רֹאשׁ הָאַשְׁמֹרֶת הַתִּיכוֹנָה i. e. initio custodiae mediae, ex quibus verbis complures interpretes inferunt ab antiquioribus Hebraeis tres vigilias noctis esse numeratas). Saul ingressus est media castra Ammon in vigilia matutina (1 Reg. 11, 11). Psalmista ad Dominum precatur Ps. 118,148 : Praevenerunt oculi mei ad te diluculo, sed hebr. 119,148 : Praevenerunt oculi mei vigilias (אַשְׁמֻרוֹת). Et Ieremias hortatur : Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum (Lament. 2,19).

Quot fuerint vigiliae, ex Veteris Test. libris certo cognosci nequit, quamquam constat eas saltem tres fuisse. Sub Romanorum imperio quattuor vigilias in usu fuisse ex libris Novi Test. colligitur. Iesus quarta vigilia noctis (τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτός) venit ad discipulos ambulans super mare (Matth. 14,25). Herodes rex Petrum apprehensum in carcerem misit tradens quattuor quaternionibus militum custodiendum (Act. 12,4); singuli quaterniones singulas videntur egisse vigilias. Nomina autem quattuor vigiliarum continentur verbis Christi apud Marc. 13,35. 36 monentis : « Vigilate ergo, nescitis enim, quando dominus domus veniat : sero an media nocte an galli cantu an mane (ὀψὲ ἢ μεσονυκτίον ἢ ἀλεκτοροφωνίας ἢ πρωί), ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes ». Quibus verbis quattuor vigilias significari intellegitur ex simili apud Luc. 12, 38 loco : « Et si venerit (dominus) in secunda vigilia et si in tertia vigilia venerit et ita invenerit : beati sunt servi illi ». Quodsi hoc loco secunda vigilia mediae nocti confertur, id ostendere videtur tres priores vigilias dictas esse vigilias noctis, quartam autem vigiliam matutinam.

I. G. HAGEN.

HORAM (הֹרָם, Ἐλάμ) rex Gazer, qui cum omni populo suo a Iosue percussus est, cum opem ferret urbi Lachis, quam Israelitae oppugnabant (Ios. 10,33; cf. 12,12). Utrum ante an post expugnatam Lachis Horam advenerit, ex textu non efficitur; fortasse Iosue, qui altero iam die post coeptam obsidionem Lachis expugnavit, celeritate sua consilium Horam irritum fecit et post devictos reliquos reges Horam sero adventem facile superavit.

HORDEUM. 1. Hordeum (שְׂעֹרָה, κριθή) ab horridis spicis dictum, inter species frumenti in S. Scriptura frequenter commemoratur. Quaenam vero ex variis hordei culti speciebus potissimum designetur, ex sacro textu non elucet. Quodsi ex iis quae hodie in Palaestina et Syria coluntur speciebus antiquas determinare liceret, *Hordeum distichum* Linné et *H. vulgare* L. (tetrastichum) et *H. hexastichum* L. nominandae forent; ultimum licet rarius cultum commemoratur a *C. Ritter*, Erdkunde XVII. 1,681. Tres istae species etiam antiquis cognitae erant (*Theophr.* Hist. pl. VIII. 4,2; *Plin.* XVIII. 7,78). Hordeum tetrastichum et hexastichum frequenter in monumentis aegyptiis inveniuntur, atque in antiquissimis constructionibus subliciis H. hexastichum communiter, interdum etiam H. distichum occurrit. Hordeum distichum in Arabia petraea ac circa montem Sinai et in aliis Asiae anterioris partibus spontaneum crescere dicunt (*A. de Candolle*, *Woenig*); alii (*C. Koch* apud *Boissier; Post*) potius *H. ithaburense* Boissier in Arabia petraea et in monte Thabor ac prope Damascum, atque alibi haud raro inventum, typum spontaneum H. distichi suspicantur. Satis certo autem hordeum in Asia anteriore censetur indigenum.

Cf. *O. Heer*, Pflanzen der Pfahlbauten, Zürich 1865, ed. sep. p. 4-6. 11-13; *A. de Candolle*, Origine des plantes cult. 294-7, qui immerito negat, Hordeum vulgare in monumentis aegyptiis inventum esse; *E. Boissier*, Flora orient. V. 686; *G. Schweinfurth* in Berichte d. d. botan. Ges. zu Berlin 1884, 362. 370; *id.* in Bull. de l'Instit. Égypt. 1886, ed. sep. p. 2; *Fr. Körnicke*, Die Arten u. Varietäten d. Getreides (in *Körnicke-Werner*, Handb. d. Getreidebaues I.), Bonn 1885, 19. 129-91; *Leunis-Frank*, Synopsis II. 2 *ed.* 3, p. 859-61; *Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 168-70; *V. Loret*, Flore pharaon. *ed.* 2, 23 s.; *O. Schrader* in *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausth. *ed.* 6,539 s.; *Engler-Prantl*, Na-

türl. Pflanzenfam. II. 2,86-8; *L. Wittmack* in Sitz.-Ber. d. Ges. naturf. Freunde 1896, 70-5.

2. In S. Scriptura hordeum in Aegypti (Ex. 9,31) ac Palaestinae agris frequenter cultum exhibetur (Deut. 8,8; Ruth 3,2. 15. 17; Iob 31,40; Is. 28,25; Ioel 1,11 etc.); adeo commune erat, ut in lege de consecratione agri solum hordeum in exemplum adducatur (Lev. 27, 16). Etiam postea magna abundantia praesertim in Palaestina et in regione transiordanica crescebat; unde Salomo Hiramo, Tyriorum regi, cum tritico etiam hordei coros viginti millia misit (2 Par. 2,10. 15) et Ammonitae Ioathamo regi decem millia coros hordei in tributum annuum solvebant (ib. 27,5); Davidi quoque trans Iordanem fugienti « frumentum et hordeum » cum reliquis cibariis oblata sunt (2 Reg. 17,28; cf. 14,30; 4 Reg. 7,1. 16. 18; 1 Par. 11,13; Ier. 41,8). Frequenter etiam messis hordeacea commemoratur, quae statuto tempore omnibus noto quotannis habenda in describendis temporibus et eventibus adhibebatur (Ruth 1,22; 2 Reg. 21,9; Iudith 8,2); nostra aetate fere mense Aprili vel primis Maii diebus habetur et tribus fere hebdomadis ante messem triticeam finita est; in planitie vero hierichuntina iam mense Martio fieri solet.

Cf. *E. Robinson*, Palaestina II. 597. 649 s. 668; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 420 s., etc. Cf. *Plin.* XVIII. 7,80.

3. Inter primitiàs frugum, quae in Lege generaliter tantum praecipiuntur, Ezechiel expressius etiam hordeum commemorat (Ez. 45,13). Farina autem hordeacea in panificium utilissima erat (Iud. 7,13; 4 Reg. 4,42; Ez. 4,9. 12; cf. 13,19; Io. 6,9. 13. — Cf. *Plin.* XVIII. 7,74; 11, 103; XXII. 25,135), ac pariter hodie est (*Tristram* l. c. 421 s.); quare a pauperibus hordei spicae in agro post messores colliguntur (Ruth 2,3 ss. 17. 23). Licet autem « antiquissimum in cibis hordeum » censeatur (*Plin.* XVIII. 7,72), tritico tamen vilius aestimatur cibusque pauperibus cum brutis communis habetur (3 Reg. 4,28 hebr. 5,8. — Cf. *Hom.* Il. 5,196; *Plin.* XVIII. 7,74; XXVIII. 20, 264; *Flav. Ios.* Bell. iud. V. 10,2; *Athen.* 7 p. 304, al.). Inde cibus iste contemptibilis evasit, ideoque fortasse farina hordeacea in sacrificio zelotypiae offerenda erat (Num. 15,15; cf. Os. 3,2), eodemque sensu plerisque panis hordeaceus in somno Madianitae imago est populi hebraici reliquis nationibus contemptibilis (Iud. 7,13); quod alii potius tamquam symbolum populi agriculturae dediti intellegunt (*P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 133). — Pretium hordei duplo vel triplo minus habebatur quam tritici : ita 4 Reg. 7,1. 16. 18 « modius similae (triticeae) uno statere, et duo modii hordei statere uno » fuisse in porta Samariae referuntur, pretio sane minimo propter abundantem ex castris Syrorum praedam. In Apocalypsi 6,6 vero audivit vates vocem dicentium « Bilibris (χοῖνιξ) tritici denario, et tres bilibres hordei denario », ita ut pretium tritici triplo maius sit. Quodsi ex appretiatione in lege statuta (Lev. 27,16) valorem hordei determinare liceret, unum chomer i. e. circa 360 litra (Vulg. *triginta modii*) tempore Moysis fere uno siclo (argenteo = c. 2,50 *Mark*) stetisse diceremus, quod pretium esse agni iuxta appretiationem sacram in Mishna asseritur (Menach. 13,8; cf. *P. Schegg* l. c. 137 s. Aliter *Fr. de Hummelauer*, Comm. in Levit. p. 345).

4. Praeter panem aliosque cibos ex hordeo, sicut ex tritico praesertim etiam polenta parabatur (v. POLENTA). Praeterea Aegyptii aliique populi antiqui ex hordeo cervisiam coquebant, monumentis antiquitatis usuque nostrae aetatis celeberrimam. Qui potus a rabbinis aliisque etiam antiquis Iudaeis haud ignotus fuisse atque in S. Scriptura nomine שֵׁכָר *sicera* inter alia intellegi censetur (cf. Is. 19,10 LXX ζύθον, massoreth. שְׁכָרֶיהָ, Vulg. *lacunas*): at de hoc ex sacris libris nihil certi videtur constare.

Cf. *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausth. *ed.* 6,141-53; *O. Schrader* ib. 157 s.; *Death*, The beer of the Bible, London 1887 (cit. ib.). — De hordeo praeter auctores superius et in art. FRUMENTUM citatos cf. *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Contin. 101 s.; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 121-4; *O. Celsius*, Hie-

robot. II. 239-47; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,85-8; *P. Cultrera*, Flora bibl. 96-102; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 222; *J. Smith*, Hist. of Bible Plants 23 s.; *J. H. Balfour*, The plants of the Bible, ed. nova, 211-3.

L. FONCK.

HOREB (חֹרֵב et חוֹרֵב, Χωρήβ), mons Dei, ubi Dominus Moysi oves Iethro pascenti in rubo ardente apparuit (Ex. 3,1); sed eadem apparitio Act. 7,30 facta esse legitur in deserto montis Sina. Idem designatur desertum iuxta montem Dei, quo Iethro se contulit ad Moysen (Ex. 18,5). Ibidem in monte Horeb Deus apparens iubet Moysen aliquando sacrificare « in monte hoc » (Ex. 3,12), quo mandato sacrificia in Sinai offerenda indicari videntur. Vitulus aureus Ps. 105[106],19 in monte Horeb confectus esse dicitur, Ex. 32,1 ss. in monte Sinai, sed etiam Ex. 33,6 pro Sinai legitur Horeb. Accedit quod mons legislatione mosaica celeber designatur Sinai in libris Ex. Lev. Num., sed Horeb in Deut. (1,2. 6. 19; 4,10. 15; 5,2; 9,8; 18,16; 29,1; uno loco 33,2 legitur Sinai) et compluribus libris iunioribus (3 Reg. 8,9; 2 Par. 5,10; Mal. 4,4 [3,22]). Nomina Sinai et Horeb esse synonyma indubie evincit parallelismus Eccli. 48,7 : in Sina — in Horeb, quo theophania Eliae 3 Reg. 19,8 in monte Horeb concessa celebratur. Relinquenda igitur est opinio Sinai esse nomen unius montis, Horeb nomen totius tractus montani. — Attamen uno loco Ex. 17,6 Horeb a Sinai distinguitur; etenim Israelitae, antequam in desertum Sinai venirent, castrametati sunt in Raphidim prope petram Horeb. Unde inferendum videtur ab altiore tractu montano Sinai distinguendum esse tractum minus altum septemtrionem versus protensum, cui speciale nomen Horeb sensu artiore tribuebatur. Alias Horeb et Sinai convertuntur. V. SINAI.

HOREM (חָרֵם; LXX nomina Magdalel et Horem in unum confundunt Μεγαλαα-ρίμ), urbs munita (Ios. 19,38) inter illas, quae Ios. 19,35-38 post descriptionem finium Nephthali inseruntur et arces Tyriorum esse censentur (*F. de Hummelauer* ad 19,35). Coniicitur esse *Hara* inter lacum *Hūle* et Tyrum (*Van de Velde, Legendre, Buhl, Conder*) vel *Harra* inter lacum *Hūle* et Cedes Nephthali (*Zanecchia*).

Cf. *Van de Velde*, Memoir 1858 p. 322; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 1753. 1754; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 233; *Conder* apud *Hastings*, Dict. of the Bible II. 415; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 714.

HORI (חֹרִי, Χορρί, Χορρί), filius Lotan filii Seir Horraei (Gen. 36,22; 1 Par. 1,39); uti nomen et genealogia indicant, pertinebat ad Horraeos, Troglodytas, quibus nomen fuit, ut videtur, a חור specu.

HORMA. 1. Horma seu Harma, Herma, Arama (חָרְמָה i. e. anathema, devotio a חרם *devovere;* Ἑρμάν, Ἑρμάθ, Ἑρμά, Ἱερμούθ) eadem est urbs, quae primitus vocabatur Sephaath (צְפַת, Σεφέθ). Erat urbs regia Chananaeorum, prope quam Israelitae Palaestinam contra Dei voluntatem ingressuri ab Amalecitis et Chananaeis caesi sunt (Num. 14,45: Deut. 1,44; priore loco cum articulo הַחָרְמָה unde Targum Ionathan : usque ad internecionem); ibidem postea cum a Cades per exploratorum viam i. e. per desertum Sin ad montem Hor progrederentur, regem (urbis) Arad devicerunt eiusque urbes anathemati devoverunt (Num. 21,3). A Iosue expugnata (Ios. 12,14), deinde a Iuda et Simeon denuo percussa et anathemati devota est (Iud. 1,17). Recensetur inter urbes maxime meridianas tribus Iuda immediate ante Siceleg (Ios. 15,30), postea Simeonitis attributa est (Ios. 19,4; 1 Par. 4,30); ad eandem David in Siceleg moratus dona misit de praeda Amalecitis erepta (1 Reg. 30,30).

Ex textibus citatis colligitur Horma fuisse inter Cadesbarne et Arad. Nominis Horma hucusque nullum vestigium repertum est. Verum nominis antiquioris Sephaath Iud. 1,17 indicium aliqual cernitur in *Sebata, Esbata, Sebaita*, quae ruinae inveniuntur circa 40 km ab *ʿAïn Qadīs* aquilonem versus et circa 26 km a *Khalasa* (Elusa) meridiem versus. Atque

hic situs locis biblicis melius congruere videtur, quam saltus montanus *el-Sufe* in via Hebrone Petram versus, quem *Robinson* (Palaestina III. p. 1071) cum Sephaath-Horma componit.

Cf. *Rowlands* apud *Williams*, The Holy City 1849 I. 464; *Palmer*, Desert of the Exodus 1871 II. p. 373-380 et germanice Wüstenwanderung p. 286-292; *Ritter*, Erdkunde XIV. 1085; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 16; *Lagrange* in Revue bibl. IX. 1900 p. 282.

2. Horma (הָרְבִּיָּה cum articulo i. e. excelsa, Ῥαμά), urbs tribus Aser (Ios. 19,29). Censetur esse vicus *Rāme* 16 km a Tyro inter meridiem et orientem (*Guérin*, *Zanecchia*) vel alius vicus *Rāme* 5 km a Tyro inter meridiem et orientem (*Van de Velde*, *Robinson*, *Dillmann* ad h. l.). Verum *F. de Hummelauer* ad h. l. pro הרבה corrigit היבה i. e. occidentem versus et rationem addit : quia verbum שוב (revertitur) in descriptionibus finium semper adscriptam habet determinationem directionis. Terminus Aser describitur ab extremo aquilone revertens occidentem versus, mox rediturus ad austrum.

Cf. *Guérin*, Galilée II. 125; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 708; *Van de Velde*, Memoir p. 342; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 81. 82.

HOROLOGIUM Achaz (מַעֲלוֹת אָחָז i. e. gradus Achaz; LXX ἀναβαθμοί, βαθμοί) vide s. v. HORA.

HORONITES vide s. v. SANABALLAT.

HORRAEI, HORRHAEI (הַחֹרִי, Χορραῖοι), prisci habitatores regionis Seir. Nomen accepisse videntur ex more habitandi in specubus (חר, חור), quibus regio illa abundat; erant igitur Troglodytae. Iam nominantur Gen. 14,6 (in Vulgata Chorraei); tempore igitur Abraham in montanis Seir a mari Mortuo usque ad El Pharan seu Aelath portum sinus Aelanitici habitabant. De origine Horraeorum certi nihil scimus. Videntur ramus aliquis magnae Hethaeorum (v. HETH) familiae fuisse. Recensentur Gen. 36,20-28 et 1 Par. 1,38-42 filii et nepotes Seir principis cuiusdam Horraeorum, Gen. 36,29. 30 septem tribus Horraeorum, quarum duces erant septem filii Seir. Familia Esau cum familia Seir Horraei matrimoniis coniuncta erat (Gen. 36,2 ss. et v. SEIR 1; adverte Gen. 36,2 pro Sebeon Hevaeo probabilius legendum esse *Horraeum*). Postmodum vero Edomitae Horraeos exstirparunt (Deut. 2,12. 22; hebr. 2,12 scribuntur חרים); recensentur Edomitarum post subactos Horraeos reges et duces Gen. 36,31-43 et 1 Par. 1,43-54.

HORTUS. Hortorum cultura apud Hebraeos minime erat ignota. Mentio fit hortorum olerum (Deut. 11,10; 3 Reg. 21,2), multitudinis hortorum (Am. 4,9) et fructuum eorum (Am. 9,14) et Ieremias exsules quoque in Babylonia adhortatur : plantate hortos et comedite fructum eorum. Ecclesiastes quoque dicit : feci hortos et pomaria et consevi ea cuncti generis arboribus (2,5). Talis horti amoenitas describitur Cant. 4, 12 s., hortus scil. malis punicis ornatus, in quo florent cyprus, nardus, crocus, calamus, myrrha, aloe, cinnamomum cum lignis thuris et qui fonte aquarum ubertim irriguus est; cf. Cant. 5,1; 6, 10. Hortus bene irriguus imago est fecunditatis et prosperitatis (Is. 58,11; Ier. 31,12); hortus absque aqua vastitatem et miseriam delineat (Is. 1,30). Uti Israelitae quandoque accusantur sub omni ligno viridi idololatriae dedisse operam (Ier. 2,20), ita in hortis quoque cultui eiusmodi vacabant; cf. Is. 1,29; 65,3; 66,17 et insuper cf. 3 Reg. 14,23; 4 Reg. 16,4; 17,10. In hortis etiam quandoque mortui sepeliebantur; ita Manasses sepultus est in horto domus suae, in horto Oza; item Amon (4 Reg. 21,18. 26). Ioseph ab Arimathaea in horto suo sibi e petra exciderat monumentum, ubi Christus sepultus est (cf. Matth. 27, 60; Ioan. 19,41). Iesus saepius se contulit in hortum Gethsemani trans torrentem Cedron, ibique oravit, in quo horto etiam ante passionem oravit et ex quo captivus abductus est (Ioan. 18,1.2). Hortulani quoque mentio habetur Ioan. 20,15.

HOSA, nomen locorum (?) et personarum.

1. Hosa (חֹסָה, Ἰασίφ), urbs tribus Aser (Ios. 19,29), in descriptione terminorum Aser iuxta Tyrum enumerata. *Conder* eam agnoscit in *Khirbet Ezziya* a Tyro meridiem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. I. 51); *Wilson* (in *Smith-Fuller,* Dict. of the Bible I. 1393) hunc situm valde dubium esse censet. Alii alia coniiciunt. Sed *F. de Hummelauer* ad h. l. emendat חפה vel היפה i. e. ad litus maris; terminus Aser iam litori adhaeret, secus litus decurrit.

2. Hosa (חוֹשָׁה, Ὠσάν) legitur in genealogia Iuda 1 Par. 4,4 : Ezer pater Hosa. Utrum Hosa sit nomen personae an loci, ex textu erui nequit; fortasse utrumque est. Vide etiam HUSATHITES.

3. Hosa (חֹסָה, Ὀσσά, Ἰοσσά), levita ex posteris Merari, ianitor templi tempore Davidis (1 Par. 16,38; 26,10. 11.16).

HOSANNA. Vox deprompta est ex Ps. 118,25 הוֹשִׁיעָה נָּא, LXX σῶσον δή; proin : opitulare quaeso. Cum Iesus sollemni modo in urbem Ierusalem intraret, turbae clamabant : hosanna filio David i. e. opem divinam adprecantur, ut scil. ei a Deo salus ac felicitas obtingat, ut Deus in altissimis, caelitus, de throno suo salutem det. Psalmus ille cum ad magnum Hallel pertineat in coena paschali recitari solebat; praeterea in neomeniis quoque et in festo encaeniorum, si rabbinis est fides adhibenda. Pariter cani solebat hosanna in festiva pompa habita diebus septem festi tabernaculorum, uti asseritur in tractatu mishnico de tabernaculis (cf. *Surenhusius* II. p. 274); et verbis illis Ps. 118,26 (hebr.) sacerdotes Israelitas ad templum adeuntes salutare consueverunt, uti refertur (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2 II. p. 213 s.). Quare explicatur, cur turbae eo modo Iesum salutarint; cf. Matth, 21,9 s.; Marc. 11, 9. 10; Ioan. 12,13. Modus scribendi antiquus ὡσαννα fuit, uti *Tischendorf* edidit et confirmatur codicibus latinis : ozanna, ossana, ossanna; *Wordsworth* pro Matth. et Marc. nullum affert codicem latinum qui prabeat hosanna; pro Ioan. duo codices Vulgatae (foro-iuliensis et toletanus) habent hosanna. Cum tempore Christi certe forma aramaica in usu esset אוֹשַׁעְנָא, scriptio ὡσαννα, osanna utique videtur esse genuina.

HOSIEL (חֹזִיאֵל, Ἰειήλ, A Ἀζιήλ), unus ex filiis Semei, levita de stirpe Gerson tempore Davidis (1 Par. 23,9).

HOSPES, HOSPITALITAS. Iam ex tempore patriarcharum nobis praeclara exempla hospitalitatis modique recipiendi peregrinos offeruntur. Ita Abraham cernens tres viros ab ostio tabernaculi iis occurrit, salutat, invitat ut sibi praestent gratiam intrandi ad se servum ipsorum; aquam ad pedes lavandos affert et panes carnesque uxorem parare iubet (Gen. 18,2 ss.). Similiter Lot invitat et recipit viros quos putat; immo cum illi vellent in platea manere, « compulit eos ut diverterent ad eum » (Gen. 19,3) et hospites suos tuetur ab aggressoribus; immo potius filias duas vult tradere opprobrio, « dummodo viris istis nihil mali faciatis quia ingressi sunt sub umbra culminis mei » (Gen. 19,8). Adeo sacrosancta habetur incolumitas et vita hospitum. Etiam Rebecca ei quem hominem habet peregrinum offert hospitium : « palearum et foeni plurimum est apud nos et locus spatiosus ad manendum » (Gen. 24,25). Raguel autem reprehendit filias, quia Moysen non invitassent : « quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem » (Ex. 2,20). Lege quoque Israelitae iubentur advenis et peregrinis sese exhibere benevolos : « sit inter vos (advena) quasi indigena et diligetis eum quasi vosmetipsos » (Lev. 19, 34; cf. Deut. 10,19; 26,11). A quo officio hospitalitatis utique longe recesserunt Gabaa incolae Beniaminitae, ita ut levita dicat : nullus sub tectum suum nos vult recipere (Iud. 19,18). Verum homo senex, qui ut peregrinus ibi habitavit, praeclare praestat quod illi neglexerant : « ego praebebo omnia quae necessaria sunt, tantum quaeso ne in platea maneas; introduxitque eum in domum suam et pabulum asinis praebuit, ac postquam laverunt pedes suos recepit eos in convivium » (Iud. 19,20. 21) et pariter, uti Lot, hospitem suum ab iniuria tuetur quam pessimi illi cives

inferre ei volunt. Peccatum quoque Aegyptiorum ex eo auctum esse Sapiens indicat, quia bonos hospites quos antea cum laetitia receperant, postmodum in servitutem redigebant (Sap. 19,13. 15). Eximium hospitalitatis exemplum praebet Iob (31,32).

Hospitalitas repetito praecipitur in libris novi foederis. Ipse Iesus tamquam unam ex causis cur aeterna vita obtingat benedictis affert : hospes eram (ξένος) et collegistis me, dum maledicti etiam eo inbentur discedere ab ipso in ignem aeternum : quia hospes eram et non collegistis me (Matth. 25,35. 43). Unde doctrinae Christi insistens Paulus Romanos monet, ut hospitalitatem (φιλοξενίαν) sectentur (Rom. 12,13) et Hebraeis scribit : hospitalitatem nolite oblivisci (Hebr. 13,2) monens aliquos in eius virtutis exercitio meruisse angelos hospitio recipere; et ecclesiae praepositos, episcopos, inter alia iubet esse hospitales (φιλόξενους, 1 Tim. 3,2 ; Tit. 1, 8). Quae hospitalitas cum Christifideles persecutionibus et bonorum spoliationibus essent expositi plane erat necessaria, quare Petrus quoque scribit, ut sint hospitales invicem sine murmuratione (1 Petr. 4,9). Quid hospes haud immerito exspectare possit, Iesus pharisaeo exponit (Luc. 7,44 s.).

Hospes, ξένος, peregrinus abest a domo, a patria. Cum patria nostra, ubi est Pater noster, sit caelum, hospites sumus ac viatores hisce in terris. Eo modo iam de se sensisse patriarchas scribit apostolus « confitentes quia peregrini et hospites sunt super terram; qui enim haec dicunt significant se patriam inquirere » (Hebr. 11,13. 14). — Si vero gentes dicuntur hospites testamentorum ξένοι, tamquam alieni a foedere Dei et expertes promissionum foederis designantur. — Demum ξένος, hospes is quoque dicitur, qui aliquem hospitio excepit; ita Paulus scribit : salutat vos Gaius hospes meus (Rom. 16,23).

I. KNABENBAUER.

HOSPITALIS cognominatur 2 Mach. 6,2 Iupiter (vide s. v.).

HOSTIA. In Vulgata hac voce explicatur קָרְבָּן Lev. 1,2; 4,23; 9,7; saepius quoque עֹלָה Lev. 1,4. 6; 4,33; 9,13; Deut. 12,14; 2 Par. 1,6 (vide s. v. HOLOCAUSTUM); etiam מִנְחָה donum, sacrificium ferti 2 Par. 32,23; Ps. 95,8; item אִשֵּׁי יהוה hostias Domino (offerre) Lev. 21,21 et קָדָשִׁים 2 Par. 35,13. Sed frequentissime declaratur זֶבַח sacrificium cruentum, quatenus ab holocausto distinguitur. Eiusmodi sacrificia sunt hostiae pacificae (שְׁלָמִים), gratiarum actionis vel laudis (תּוֹדָה), hostia pro peccato (חַטָּאת), hostia pro delicto (אָשָׁם).

Hostiae pacificae et gratiarum actionis laudisque et quas pro sua quisque pietate vel voto offerre volebat, describuntur Lev. 3,1 ss.; 7,12 ss.; 9,4; 22,18 ss. Victimam sumere licebat de bobus marem sive feminam, item de pecoribus; pro oblatione voluntaria etiam bovem et ovem aure et cauda amputatis (Lev. 22, 23). Modus oblationis usque ad aspersionem sanguinis idem est qui in holocausto observabatur (Lev. 3,2); partes pingues in altari holocaustorum adolebantur Lev. 3,3-5. 9-11. 14-16; 9,18 s.; pectusculum et armus dabantur sacerdoti Lev. 7,31. 32; 10,14; reliqua caro ad epulas sacrificales adhibebatur Lev. 7,15 s.; 22,30. Epulis sacrificalibus, ad quas homo quasi a Deo invitatur, significatur Dei in hominem benevolentia et quaedam bonorum divinorum cum homine communicatio (cf. 1 Cor. 10, 18. 20).

In hostia pro peccato invencus erat immolandus in consecratione sacerdotum et levitarum Ex. 29,10. 36; Num. 8,8; in die expiationis Lev. 16,3; si sacerdos peccaverit delinquere faciens populum Lev. 4,3 et si totus populus ex ignorantia peccaverit Lev. 4,13. Hircus autem debuit offerri in noviluniis et diebus festis pro populo Num. 28,15. 22. 30; 29,5. 11. 16 ss.; item hircus pro peccato offerebatur in dedicatione tabernaculi Num. 7,16. 22. 28 et templi tempore Esdrae (Esdr. 6,17); item si peccaverit princeps Lev. 4,22 ss. Si vero quis de

populo terrae per ignorantiam peccaverit, capram vel ovem, agnam, debuit offerre Lev. 4,28. 32; 5,6; ovem autem anniculam nasiraeus, agnum leprosus pro peccato iubentur offerre (Num. 6, 14; Lev. 14,13). Demum victima praescribebatur pro peccato turtur vel pullus columbae pro muliere post partum Lev. 12,6, pro seminifluo Lev. 15,14 et haemorrhoissa Lev. 15,29, pro nasiraeo qui propter mortuum immundus factus est Num. 6,10. 11; item turtur vel pullus columbae tamquam hostia pro peccato dari potuit a pauperibus pro peccato ignorantiae et a leproso pauper, qui scil. ob pauperiem capram vel ovem offerre non poterant Lev. 5,7. 8; 14,22; immo si pauper ad expiationem non poterit offerre duos turtures aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato similae partem ephi decimam Lev. 5, 11. 12.

Modus offerendi pro peccato iuvencum is est, ut de sanguine septies aspergatur contra velum sanctuarii et de eodem sanguine ponatur super cornua altaris thymiamatis et reliquus sanguis effundatur ad basin altaris holocausti; de sanguine aliarum victimarum ponebatur solummodo ad cornua altaris holocausti et reliquus sanguis pariter ad eius basin effundebatur. Dein partes pingues in altari cremabantur. Caro autem earum hostiarum quarum sanguis in sanctum (vel die expiationis in sanctum sanctorum) inferebatur, simul cum pelle, capite, intestinis extra castra (civitatem) igne absumebatur; caro vero aliarum hostiarum a sacerdotibus in loco sacro comedebatur (cf. Lev. 4,5-6,23; 16,27). Ritus offerendi columbam describitur 5,8 ss.

In hostia pro delicto victima erat aries (Lev. 5,15. 18. 25; hebr. 19,21) vel agnus (Lev. 14,12; Num. 6,12 hebr.). Ritus oblationis describitur Lev. 7,1-7; sanguis funditur per gyrum altaris; partes pingues adolentur super altare; caro a sacerdotibus in loco sancto comeditur. Sacrificium pro delicto erat offerendum, si quis in iis quae Domino sancta sunt peccaverit, ergo in primitiis, decimis (Lev. 5,15); dein in variis peccatis contra rem et proprietatem proximi (Lev. 6,1 ss.; 5,20 hebr.; Num. 5,8 hebr.) item si quis servam alterius vi oppresserit (Lev. 19,20. 21). Praeterea leprosus mundatus et nasiraeus qui in mortuo erat pollutus, eiusmodi sacrificium offerre iubentur (Lev. 14,12; Num. 6,12 hebr.).

Sacrificium autem acceptissimum Deo Patri obtulit Christus, qui « tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (Eph. 5,2); ipse enim ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit et unam pro peccatis offerens hostiam (προσενέγκας) sedet in dextera Dei (Hebr. 9,26; 10,12).

Cum hostiam seu sacrificium offerre sit cultum Deo exhibere excellentissimum, per facilem vocis translationem etiam alii modi Deum honorandi, quibus homo Deo sese devovet eique quasi aliquid de se offert, hostiae nomine designantur quandoque; ita monemur : per ipsum (Christum) offeramus hostiam laudis semper Deo Hebr. 13,15 et S. Petrus spirituales hostias offerre nos iubet (1 Petr. 2,5). Huic cognatum est, ut obsequium Deo exhibitum eodem nomine appelletur; quare monet apostolus, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem (Rom. 12,1). Pariter obsequium aliis per eleemosynam praestitum idem sortitur nomen; ita apostolus ea quae ipsi Philippenses miserant vocat hostiam acceptam, placentem Deo (Phil. 4,18) et Hebr. 13,16 scribit : beneficentiae nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus.

I. KNABENBAUER.

HOTHAM (חוֹתָם). **1.** Filius Heber de familia Baria in tribu Aser (1 Par. 7, 32; LXX Χωθάν); videtur idem esse qui 7,35 scribitur Helem; v. HELEM 1.

2. Pater Samma et Iediel heroum in exercitu Davidis, Arorites (1 Par. 11,44; LXX Κωθάν); v. ARORITES 3.

HOZAI (חוֹזַי, in pausa חוֹזָי), propheta quidam ignotus, in cuius sermonibus scripta erant oratio et exauditio et peccata Manasse regis, antequam poenitentiam ageret (2 Par. 33,19). LXX vertunt τῶν ὁρώντων legentes חוֹזִים.

HUCAC urbs 1 Par. 6,75[60] v. HALCATH.

HUCUCA (חוקק; Ἰακανά, A Ἰκόκ), urbs in confinibus Zabulon et Nephthali (Ios. 19,34). Onom. (*ed. Lag.* 235,82; 134,7) eam collocat in tribu Nephthali ac simul in confinio trium tribuum, id est in tribu Zabulon ad australem plagam, in tribu Aser ad occidentem, porro in tribu Iuda ad solis ortum (?); sed de Iuda ad Iordanem contra ortum solis Ios. 19,34 et de emendatione huius textus v. IUDA 3. — A plerisque Hucuca agnoscitur hodiernus vicus *Yāqūq* 10 km a Capharnaum occidentem versus.

Cf. *Robinson*, Palaestina III. 883; Neuere bibl. Forschungen 104; *I. Schwarz*, Das heilige Land p. 144; *Guérin*, Galilée I. 354 ss.; *G. A. Smith*. Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I et VI; *Legendre*. Carte de la Palestine; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 16; *D. Zanecchia*. La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 712; *F. de Hummelauer* ad h. l.

HUL (חול, Οὖλ et 1 Par. 1,17 codex A Οὖδ), secundus filius Aram filii Sem (Gen. 10,23; 1 Par. 1,17). Eius posteris Flav. Iosephus (Ant. I. 6,4) Armeniam assignat i. e. ut *F. de Hummelauer* (Comm. in Gen. p. 331) censet, circa montem Masium tractum ab Aramaeis occupatum.

HUMANITAS. Ea voce exprimitur φιλανθρωπία, amor, benevolentia, benignitas in homines; cf. Esth. 16,11 (graece 8,13); 2 Mach. 4,11; 6,22; 14,9; Act. 28,1. Dicitur quoque de benevolentia ac clementia Salvatoris Tit. 3,4.

HUMERALE (Lev. 8,7; Eccli. 45,10) vide s. v. EPHOD (col. 188).

HUMERUS. Cum humero onera gestantur, humerus quoque dicitur ad servitutem exprimendam vel subiectionem, ita de Issachar: supposuit humerum suum ad portandum (Gen. 49,15); cf. virga humeri et onus (Is. 9,4; 10,27). Atque ut necessitas servitutis declaretur, dicitur: inclinate humerum vestrum (Bar. 2,21), dum e contra rebellio et contumacia exprimitur: ipsi dederunt humerum recedentem i. e. (hebr.) rebellem Neh. 9,29 et Zach. 7,11: avertunt scapulam (humerum) recedentem i. e. morem gerere recusabant. E contra uno humero servire Soph. 3,9 ii dicuntur qui virtute concordi, uno consensu Deo serviunt. Insignia dignitatis, uti purpura, pallium, aliquo modo sceptrum quoque, humero geruntur; quare principatus super humerum factus esse dicitur; vel consideratur principatus tamquam onus quoddam regiminis quod quasi humero sustentatur (Is. 9,6) et eodem sensu Is. 22,22 dabo clavem David super humerum eius; clavis enim est symbolum potestatis traditae.

Demum uti humerus dicitur de latere aediticii, de latere montis (hebr. Ios. 15, 8. 10; 18,12 etc.), ita quoque de regione; v. g. Is. 11,14 humerus Philisthiim versus mare explicatur a multis de regione mare versus descendente; similiter Ez. 25,9 aperiam humerum Moab i. e. latus vel aditum ad Moab, fines Moab.

Quia humero onera sustentantur, etiam humerulus dicitur de parte vasis qua vas fulciri et portari videtur (3 Reg. 7,30. 34); humeruli vestibuli Ez. 41,26 dici videntur parietes laterales vestibuli.

HUMILIS, HUMILITAS. In Vulgata ponitur humilis pro שָׁפָל i. e. depressus, exiguus, ignobilis; ita 2 Reg. 6,22 ero humilis in oculis meis; Iob 5,11 ponit humiles in sublime; Prov. 29,23 humilem spiritu suscipiet; Ps. 137,6; Is. 57,15; Ez. 17,14; 21,26; 29,14 etc. Deinde ponitur pro דַּל, דַּכָּא i. e. contritus, afflictus, miser; ita Ps. 10,18 iudicare pupillo et humili; Ps. 33,19 humiles spiritu salvabit et Ps. 73,21; pro עָנִי miser, pauper, mitis; Ps. 17,28 populum humilem salvum facies; Ps. 81,3; Is. 10, 2; pro עָנִי afflictus Am. 2,7; pro עָרְעָר inops, pauper Ps. 101,8 et 4 Reg. 19,26 humiles manu קִצְרֵי יָד impotentes, debiles. In Eccli. et in Novo Testamento humilis ταπεινός; plerumque habetur.

Inde iam varia vocis notio colligitur. Dicitur scil. de locis depressis, de conditione misera et afflicta, sed etiam de animo demisso, qui de se modeste sentit et iudicat omnemque fastum et superbiam a se longe amandat; cf. Eccli. 3,21; 10,18; 12,6; 13,10. 25. 27; 25,31;

29,11; 1 Mach. 14,14; Matth. 11,29; Luc 1,52; Rom. 12,16; 2 Cor. 7,6; 10,1; Iac. 1,9; 4,6; 1 Petr. 5,5 : superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam.

Humilitas plerumque עָנִי explicat; inde potissimum significat afflictionem, miseriam, oppressionem; cf. Deut. 26,7; Ps. 9.14 vide humilitatem meam de inimicis meis; Ps. 24,18; 30,8; 118,50. 92 etc.; etiam עֲנָוָה i. e. modestia, animi demissio Prov. 15,33 et Prov. 11,2 צָנוּעַ depressus, modestus. Graece κάκωσις, ταπείνωσις plerumque ponitur, quibus vocibus pariter exprimitur conditio afflicta, ignobilis, sed etiam mentis habitudo ab elatione aliena. — Eadem notione usurpatur *humiliari* (hebr. התענה, נכנע, נדל), praesertim de oppressione hostili; cf. Iud. 3,30; 4,23; 8,28; 11,33; 1 Reg. 7,13; 2 Reg. 8,1; 1 Par. 17,10; 18,1; 20,4; 2 Par. 13,18; dein etiam de subiectione quae hero debeatur; ita dicitur ad Agar : revertere ad dominam tuam et humiliare sub manu illius. Praeterea adhibetur vox de oppressione virginis vel mulieris; ita Deut. 21,14; 22,24. 29; Iud. 19,24. Sed etiam usurpatur de animi demissione et contritione; ita Achab qui propter Domini minas « scidit vestimenta sua et operuit cilicio carnem suam ieiunavitque et dormivit in sacco et ambulavit demisso capite » dicitur humiliatus coram Domino (3 Reg. 21,27-29) et principes Israel et rex agnoscentes culpam suam et iustam Domini poenam sibi esse inflictam dicuntur humiliati (2 Par. 12,7; cf. 32,26; 34,27). Atque generatim qui se Deo subdit suae sibi conscius infirmitatis et afflictiones patienter fert, humiliare se dicitur; humiliavit quoque Christus semetipsum factus obediens i. e. animo et voluntate humana se plane Deo subiecit (Phil. 2, 8). Dicitur denique humiliari, qui ex dignitate et conditione seu statu nobili deiicitur, secundum illud : qui se exaltat humiliabitur (Luc. 18,14).

HUPHAM (חוּפָם, LXX omitt.), unus ex filiis Beniamin, progenitor familiae Huphamitarum (Num. 26,39). Idem Gen. 46,21 scribitur Ophim.

HUR (חוּר, Ὤρ). **1.** Vir insignis, qui cum Aarone sustentabat manus Moysis orantis, dum Israelitae pugnarent contra Amalec (Ex. 17,10. 12) et quem Moyses in montem Dei ascensurus senioribus proposuit, ut ad eum et Aaronem quaestiones exortas referrent (Ex. 24, 14).

2. Filius Caleb filii Hesron, ex Ephratha genitus (1 Par. 2,19) et avus Beseleel artificis (Ex. 31,2; 35,30; 38,22; 1 Par. 2,20; 2 Par. 1,5). Eius posteri enumerantur 1 Par. 2,50 s.; 4,1-4. Flav. Iosephus (Ant. III. 6,1) illum Hur, qui cum Moyse et Aaron commemoratur (v. HUR 1), eundem esse pronuntiat atque filium Caleb et avum Beseleelis idque cum aliqua probabilitate; quo iure autem eundem Hur fecerit maritum Mariae, sororis Moysis (Ant. III. 2,4), non apparet. De loco 1 Par. 2,20 : « Porro Hur genuit Uri et Uri genuit Beseleel » vide s. v. BESELEEL et CALEB 2.

3. Unus ex quinque regibus Madianitarum, qui a Moyse devicti sunt (Num. 31,8) et cum Sehon rege Amorrhaeorum foedere iuncti erant (Ios. 13,21); LXX Οὔρ.

4. Pater Raphaia tempore Nehemiae (Neh. 3,9).

5. Nomen Hur etiam latet in Benhur (3 Reg. 4,8); v. BENHUR.

HURAI v. HEDDAI.

HURAM (חוּרָם, Ὤρ(μ), nonus filius Bale primogeniti Beniamin (1 Par. 8,5).

HURI. 1. Huri (חוּרִי, Σουρεί), Simeonita, pater Saphat exploratoris (Num. 13,6[5]).

2. Huri (חוּרִי, Οὐρεί), Gadita, pater Abihail principis (1 Par. 5,14).

HUS (עוּץ, Οὖζ, Ὤς).

1. Filius Aram (Gen. 10,23; 1 Par. 1, 17; Vulg. Us Gen. 10,23), progenitor tribus alicuius aramaeae, cui Flav. Iosephus (Ant. I. 6,4) Trachonitidem et Damascum assignat.

2. Filius primogenitus Nachor ex Melcha (Gen. 22,21). Utrum fuerit progenitor alicuius tribus, non constat; cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.

3. Filius Disan ex posteris Seir Horraei (Gen. 36,28; 1 Par. 1,42).

4. Terra Hus (Iob 1,1 LXX Αὐσίτις; Ier.

25,20 Vulg. Ausitis, hebr. הָעוּץ; Lament. 4,21). Ubinam terra Hus, patria Iob, sita fuerit, non constat inter omnes. Ex Ier. 25,20 et Lam. 4,21 aliqui coniiciunt terram Hus prope fines aegyptiacos et Edom sitam fuisse, sed immerito. Imprimis ex Iob 1,3 certum est Iobum filiis orientis accenseri, quo nomine potissimum Arabes designantur. Deinde regio Hus ita collocatur, ut facile et Sabaei ex parte septentrionali Arabiae et Chaldaei latrones irruere potuerint (Iob 1,15. 17). Apud LXX in additamento ad calcem libri addito eadem regio in finibus Idumaeae et Arabiae esse dicitur. Simili modo Alexander Polyhistor ex Aristaeo refert Iobum sedem sibi in Ausitide regione apud ipsum Idumaeae et Arabiae confinium delegisse. Apud Ptolemaeum (V. 19[18],2) commemorantur Aisitae (*ed. Müller-Fischer* Ausitae) in orientalibus deserti Arabiae finibus versus Euphratem. Onom. Eusebii et S. Hieronymi (*ed. Lag.* 268,100; 108,19) domum Iob in Astaroth Carnaim fuisse ex traditione refert. In Peregrinatione S. Silviae Aquitanae (n. 13; apud *P. Geyer*, Itin. hier. p. 36 et cf. p. 35. 39) legitur: « Carneas autem dicitur nunc civitas Iob, quae antea dicta est Dennaba [?] in terra Ausitidi, in finibus Idumeae et Arabiae ». Secundum S. Ephraem Syrum « Iobi patria urbs fuit in finibus Idumaeae et Arabiae in terra Mathanin, quam postmodum Moyses interfecto rege Og dimidiae tribus Manassis ditioni adiecit positaque erat e regione Iordanis orientem versus ». *Barhebraeus* autem in suis Scholiis nomine Ausitidis omnem terram ab introitu Aegypti usque ad Damascum comprehendi censet.

Recentiores cum *Wetzstein* Iobi patriam ibi fuisse contendunt, ubi usque ad nostra tempora monasterium, quod Iobi vocatur, exstat i. e. prope *Nuwā* in regione *Nuqra* in *Ḥaurān*. Aliqui terram Hus aliquantum magis orientem versus quaerunt in regione *el-Tellul* ad orientalem plagam montium *Ḥaurān* (*W. Fries*), alii vero inter septentrionem et orientem ab *Ḥaurān* scil. prope Tadmor-Palmyram (*Friedr. Delitzsch*).

Cf. *Alexander Polyh.* fragm. 12 ex Aristaeo de Iobo apud *C. Müller*, Fragm. Hist. Graec. III. 220; *Müller-Fischer*, Ptolemaei Geogr. Vol. I., Parisiis, *Firmin-Didot* 1883-1900, p. 1013; *S. Ephraem Syr.* Prol. in Iob, Opp. omnia, Romae 1740, II. p. 1. 2; *Barhebraeus*, Scholia in Iobum ex eius Horreo mysteriorum apud *Kirschium*, Chrestom. syr. *ed. Bernstein*, p. 187; *Wetzstein* apud *Delitzsch*, Commentar zu Hiob *ed.* 2 p. 551-604: Das Hiobskloster im Hauran und das Land Uz; *W. Fries* in Studien und Kritiken XXVII. 1854 p. 299 ss.; *Friedr. Delitzsch* in Zeitschr. für Keilschriftforschung II. 1885 p. 87-98; *Knabenbauer*, Comm. in Iob p. 34.

HUSAM (חוּשָׁם, חוּשָׁם. Ἀσόμ), rex Edom de terra Themanorum, qui post Iobab regnavit, antequam filii Israel regem haberent (Gen. 36,34; 1 Par. 1,45. 46).

HUSATHITES seu de Husati (הַחֻשָׁתִי, הַחֻשָׁתִי; ὁ Ἀστατωθεί, ὁ Ἀθεί, Θωσαθεί, ὁ Ἰσαθεί) cognominatur Sobochai, unus ex heroibus Davidis (2 Reg. 21,18; 23,27; 1 Par. 11,29; 20,4; 27,11; pro Sobochai 2 Reg. 23,27 mendose legitur Mobonnai). Fortasse hoc nomen patronymicum referendum est ad Hosa in genealogia Iuda 1 Par. 4,4; v. HOSA 2.

HUSI (חוּשַׁי, Χουσεί), pater Baana, praefecti salomonici (3 Reg. 4,16). Probabilius est idem, qui alias in Vulgata scribitur Chusai (vide s. v.).

HUSIM. 1. Husim (חֻשִׁים, Ἀσόμ), filius Dan (Gen. 46,23). Idem Num. 26,42 scribitur Suham (שׁוּחָם, Σαμεί), a quo familia Suhamitarum.

2. Husim (חוּשִׁים, חֻשִׁים; Σωσίν, Ὠσιμέν), altera ex uxoribus, quas Saharaim Beniaminita dimisit, mater Abitob et Elphaal (1 Par. 8,8. 11). Vulgata 1 Par. 8,11 scribit Mehusim, confundens praepositionem מִן seu מִ cum nomine proprio. Sed *F. de Hummelauer* (Comm. in Num. p. 186. 187) vertendum esse putat 1 Par. 8,8: Saharaim genuit in regione Moab de concubina sua (anonyma) Mehusim et Baria, duos hos.

HUZAL (1 Par. 1,21) v. UZAL.

HYACINTHUS. 1. Hyacinthus dici-

tur imprimis color hebraice תְּכֵלֶת dictus, i. e. purpurae species caerulea seu potius violacea, quae ad cortinas, vela, ephod, vestes pontificias et regias aliaque adhibebatur (Ex. 25,4; 26,1 ss.; 2 Par. 2,7. 14; 3,14; Ier. 10,9; Ez. 23,6; 27,7. 24 etc.). V. PURPURA.

2. Praeterea hyacinthus vocatur gemma graece ὑάκινθος appellata, quae undecimum fundamentum civitatis caelestis in Apocalypsi constituit (Apoc. 21, 20). In S. Scriptura eo nomine hoc uno loco commemoratur; nam quae in Vulgata Cant. 5,14 dicitur hyacinthus, in textu primigenio est תַּרְשִׁישׁ, quam S. Hieronymus alibi melius *chrysolithum* exposuit (v. CHRYSOLITHUS). At haud improbabiliter alio nomine in Vetere Testamento eadem gemma appellari censetur, scil. לֶשֶׁם, a senioribus et S. Hieronymo λιγύριον, *ligurius* vocata, quae in rationali pontificio primum tertii ordinis locum occupavit (Ex. 28,19; 39,12). Nomen ligurii seu potius *lyncurii* (λυγγούριον et λυγκούριον) ex fabula antiqua huic gemmae inditum est, quasi ex lyncis urina terra cooperta oreretur (*Theophr.* De lapid. (Fragm. II.) 5,28; *Plin.* VIII. 38,137; XXXVII. 3,52 s.); de quo *Plinius*: « ego falsum id totum arbitror nec visam in aevo nostro gemmam ullam ea appellatione » (XXXVII. 3,53). Merito igitur loco huius nominis fabulosi in Apocalypsi *hyacinthus* commemoratur, quae gemma et antiquis notissima et nostra etiam aetate in honore est. Colore quidem amethysto vicina a *Plinio* describitur, ea tamen differentia notata, « quod ille emicans in amethysto fulgor violaceus diluitur hyacintho, primoque aspectu gratus evanescit antequam satiet » (XXXVII. 9,125); Aethiopiam praecipue et Indiam hyacinthos mittere idem auctor testatur (ib. 126). Probabiliter hyacinthus ille antiquorum eiusdem mineralis species est, quae etiam nunc hyacinthus seu *zircon* nobile vocatur, quae licet non ad primum gemmarum ordinem pertineat, satis magni tamen aestimatur et potissimum ex India orientali, insula Ceylon et provincia Cambodja, in nostras regiones affertur. Color variat, plerumque in fulvum vel subrubrum transiens, vel etiam gemma translucida est et coloris expers, quales prope S. Mariam ad lacum inveniuntur; reliquae quoque huius generis gemmae, intenso calori et lumini expositae, colorem amittunt et haud raro loco pretiosi adamantis falso supponuntur. Hanc vero gemmam nomine לֶשֶׁם designari, post S. Epiphanium aliosque recentiores communiter admittunt; nomen hebraicum *Fr. Hommel* idem esse censet cum aegyptiaco *neshem* (Altisr. Ueberlief. 283).

Cf. *S. Epiphan.* De 12 gemmis n. 7; *Fr. Rueus*, De gemmis 2,12; *J. Braun*, De vestitu sacerd. Hebr. II. 14 n. 544-56; *J. J. Bellermann*, Die Urim u. Thummim, Berlin 1824, 49-52; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,37 s.; *K. E. Kluge*, Handb. d. Edelsteinkunde, Leipzig 1860. 292-9; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 668-71; *Naumann-Zirkel*, Elem. d. Mineralogie *ed.* 13, p. 480 s.; *M. Bauer*, Lehrb. d. Mineral., Berlin u. Leipzig 1886, p. 345 s. — Gemmarii haud raro etiam granatum coloris hyacinthini pro hyacintho vendunt.

L. FONCK.

HYADES v. STELLAE.

HYAENA. 1. Eccli. 13,18 textus graecus cum hebraeo legit τίς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα (hebr. צבוע); in Vulgata (v. 22) eius loco habetur: « quae communicatio *sancto homini* ad canem? », confusione exorta vel ex εὐσεβῆ in versu praecedenti, vel ex lectione corrupta ἁγίῳ pro ὑαίνῃ; Peshitta cum textu graeco concordat (אפעא). Sensus est, quod sicut nulla est pax neque communicatio, sed inimicitiae perpetuae inter hyaenam et canem, ita dives impius pauperem vexat et opprimit (cf. versum s.). Quae hyaenae et canibus in Oriente optime conveniunt; nam hyaenae in agris locisque desertis morantes noctu etiam ad domos et pagos procedunt et morticinis ossibusque cadaverum vescuntur, canes vero orientales in statu semisilvestri in vicis et circa urbes victitantes ex iisdem morticinis cibum sibi conquirunt; unde naturaliter inimicitiae perpetuae nascuntur, in quibus hyaena, cane maior ac fortior, tamquam dives pauperis oppressor victor exsistit. Praeterea hyaena

etiam canibus insidiatur, ut carnibus ossibusque occisorum vescatur, multaque de inimicitiis hyaenae ad canem narrant scriptores profani (*Aristot.* Hist. an. VIII. 7 al. 5,2; *Plin.* VIII. 30,106 etc.). Magno autem numero hyaenae (*Hyaena striata* Linné, ord. *Carnivora*) in Palaestina et Aegypto inveniuntur atque etiam antiquitus inveniebantur multisque fabulis et superstitionibus tum penes antiquos tum apud hodiernos incolas famosae sunt, simul omnibus ob figuram, odorem, victum odiosae ac detestabiles.

2. Multi auctores cum LXX interpretibus etiam Ier. 12,9 nomine צָבוּעַ hyaenam intellegunt, quippe quae in textu hebr. Eccli., sicut in lingua hebraica posteriore (צְבוֹעַ et in arabica *ḏab'* sive *ḏabu'*) eodem vel simili nomine appellatur. Licet nomen fortasse satis conveniens appareat, obstat tamen contextus, qui de avibus loquitur atque עַיִט צָבוּעַ potius cum S. Hieronymo avem variis coloribus pictam intellegendam esse innuit (v. Avis discolor s. v. AVES n. 4). — Nomen vero צְבוֹעַ pro hyaena occurrere videtur in nomine proprio vallis גֵּי הַצְּבוֹעִים (1 Reg. 13,18 Vulg. *Seboim*) et loci צְבוֹעִים in tribu Beniamin (Neh. 11,34, Vulg. *Seboim*); v. SEBOIM.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 830-41, *ed. Rosenm.* II. 163-79; *I. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 2064 s.; *Fr. I. Schoder*, Hierozoici Specimen I. 123-8; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 2, 147-50; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Röm. 123-6; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talmuds 76 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8,107-9; *id.* Fauna and Flora of Pal. 19 s.; *J. G. Wood*, Bible Animals 62-4; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3. p. 186 s.; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugeth. 307-10. 327. 381; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, II. 1-16. — Etiam in monumentis Assyriorum et Aegyptiorum haud raro hyaena occurrit; cf. *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 328; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 78 fig. 346; 90 fig. 356 n. 15; 92 fig. 357 n. 3 et 6; III. 284 s.; *A. Erman*, Aegypten 510-2 (ex Papyro Anastasi I).

L. FONCK.

HYDASPES (Iudith 1,6 graece) v. IADASON.

HYMENAEUS (Ὑμέναιος), vir haereticus quem Paulus iis accenset, qui bonam conscientiam repellentes circa fidem naufragaverunt. Eum simul cum quodam Alexandro tradidit satanae, ut discat non blasphemare 1 Tim. 1,19. 20. Poena ab apostolo inflicta eum non ad resipiscentiam adduxit; immo eius errore alii quoque seducti sunt; nam 2 Tim. 2,17. 18 scribit: « sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem esse iam factam et subverterunt quorundam fidem ». Hic itaque doctrinam de resurrectione carnis reiecit, eam de sola animi regeneratione quae fiat in baptismo explicans, fortasse abusus verbis Pauli Rom. 6,4: ut quomodo Christus resurrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus vel Col. 3,1: si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt sapite.

HYPOCRITA. In Vulgata haec vox legitur Iob 8,13; 13,16; 15,34; 17,8; 20, 5; 27,8; 34,30 et Is. 9,17 et 33,14; quibus locis exprimitur hebr. חָנֵף, qua voce generatim designatur homo impius et improbus; LXX ἀσεβής, ἄνομος, παράνομος, sed etiam ὑποκριτής, quam notionem vox in dialecto aramaica induit. Etsi itaque hypocrita in libris Iob et Isaiae sensu latiore de viro iniquo explicari debet, tamen in libris novi foederis significatione simulatoris retineri debet. Eiusmodi simulatores pietatis, cum sint scelerum pleni, describit Christus scribas et pharisaeos (Matth. 6,2 ss.; 15,7; 22, 18; 23,14 ss.; cf. 24,51). Iure quoque simulator appellatur, qui cum ipse graves habeat defectus, studium prae se fert minimum alterius naevum corripiendi (Matth. 7,5; Luc. 6,42). Praeterea vide Marc. 7,6; Luc. 12,56; 13,15. — Sapiens quoque monet Eccli. 1,37: Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, μὴ ὑποκριθῇς ἐν στόμασιν (serviliter secundum hebr. בבני) ἀνθρώπων.

HYSSOPUS 1. Hyssopus in textu hebraico ubique est אֵזוֹב; item apud LXX interpretes et in textu graeco Novi

Testamenti semper ὕσσωπος legitur, quod etiam Graecus Venetus in locis Pentateuchi exhibet. Similiter Chaldaeus omnibus in locis אדובא interpretatur, sicut Peshitta ܕܘܒܐ, pro quo in hodierno textu syriaco 3 Reg. 4,33 ܠܘܒܐ i. e. sempervivum, herba scil. parietaria, legitur, sed fortasse cum *Bocharto* ܕܘܒܐ legendum erit (Hieroz. I. 588 *ed. Rosenm.* I. 672). In versione arabica similiter *zūfā'* in Ps. 50[51],9 et Hebr. 9,19, ac pariter in aethiopica *'azāb;* in Pentateucho autem Arabs in Polyglottis vulgatus (*Saadias*) *ṣa'tar* i. e. thymum vel origanum interpretatur.

2. Usus hyssopi praesertim in immolatione Agni paschalis (Ex. 13,22) atque in lustrationibus sacris a Lege praecipitur (Lev. 14,4. 6. 49. 51. 52; Num. 19, 6. 18. Cf. Ps. 50[51],9; Hebr. 9,19), in quibus fasciculo hyssopi sanguine tincto leprosus vel domus infecta vel aliae res lustrandae aspergebantur. Praeterea bis tantum hyssopus in S. Scriptura occurrit, ubi in laudibus sapientiae Salomonis « hyssopus quae egreditur de pariete » tamquam lignorum (הָעֲצִים) minimum « cedro quae est in Libano » opponitur (3 Reg. 4,33 hebr. 5,13), et cum in Evangelio Ioannis spongia aceto plena ori crucifixi Domini oblata narratur « hyssopo circumposita » (ὑσσώπῳ περιθέντες Io. 19,29), cuius caulis ab aliis Evangelistis *arundo* sive *calamus* dicitur (περιθεὶς καλάμῳ Matth. 27,48; Marc. 15,36).

3. Quaenam planta nomine hyssopi in S. Scriptura intellegatur, celebris est inter auctores veteres et recentiores quaestio. Octodecim candidatos ex regno vegetabili cl. *O. Celsius* in Hierobotanico enumerat, de quibus qui plura scire cupit, eius doctissimam commentationem adeat (Hierobot. I. 407-48), vel etiam alios auctores infra citandos. Similis inter recentiores invenitur dissensus, cum alii eandem in omnibus textibus plantam supponant, alii diversam velint hyssopum Legis, Salomonis, Evangelii. Favent alii *Hyssopo officinali* Linné (*Kinzler, Riehm-Baethgen*) vel *H. orientali* Adams (*Cultrera*); ex eodem ordine *Labiatarum* alii assumunt genus *Origani,* quoad species in varias partes abeuntes, alii *Satureiam thymbram* Linné praeferunt, vel *Salviae* vel *Marrubii* vel *Thymi* vel *Thymbrae* vel *Micromeriae* speciem vel aliam labiatifloram. Ad alium omnino ordinem transeunt, qui cum *Royle, Tristram, Balfour* hyssopum dicunt *Capparim spinosam* Linné vel qui *Sorghum vulgare* Persoon eligunt (*J. Smith*) vel *Parietariam officinalem* Linné vel *Musci* speciem (*Hamilton*) vel cum *Kitto* et *Knight Phytolaccam decandram* L. designant, ex America orientali oriundam atque ultimis saeculis in varias regiones introductam (*E. Boissier,* Flora orient. IV. 895).

Cf. *Lev. Lemnius*, Herb. bibl. explicatio c. 26; *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 587-94, *ed. Rosenm.* I. 670-8; *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Contin. 126-8; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 41-6; *W. Gesenius*, Thesaurus 57 s.; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,108-11; *C. Sprengel*, Comment. in Diosc. 3,27; *P. Cultrera*, Flora bibl. 173-7; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 455-8; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 215 s.; *F. Hamilton*, Botanique de la Bible 161 s.; *J. Smith*, Bible Plants 214-20; *I. H. Balfour*, Plants of the Bible, ed. nova, 44-7; *A. E. Knight*, Bible Plants and animals 33-5; *G. Henslow*, The Plants of the Bible 34-6; *Riehm-Baethgen*, Handwbch. *ed.* 2, II. 1799-1801.

4. In tanto scriptorum veterum ac recentiorum dissensu probabilius tenendum videtur imprimis אֵזוֹב certe plantam significare, cui nomen ὕσσωπος et *hyssopus* conveniat; id ex auctoritate S. Pauli Apostoli (Hebr. 9,19) et ex consensu veterum interpretum indubie constat. Neque ulla apparet ratio, cur in aliquibus textibus hanc, in aliis omnino aliam alterius ordinis plantam eodem nomine indicatam intellegamus. Deinde satis certe etiam constat, nomine *hyssopi* a veteribus (*Columella* VII. 5,22; XII. 35 s.; *Dioscur.* 3,27 al. 30; 5,50; *Plin.* XXV. 11,136; XXVI. 4,23, al.) designari plantam ex ordine *Labiatarum* et ex tribu *Satureinearum*, ac probabilius species eius generis, quod a Linneo *Origanum* dictum est. Eam quam idem auctor *Hyssopum officinalem* vocavit plantam hyssopum biblicam dicere vetat quod in ditione orientali non invenitur

nisi in regionibus Tauriae et Caucasi ac Transcaucasiae Persiaeque borealis (*E. Boissier*, Flora orient. IV. 584 s.); eam autem antiquitus in Palaestina aut Aegypto exstitisse nulla ratione probatur. Etiam auctores rabbinici *Maimonides*, *Abulwalides*, *Tanchum*, al. (cf. *I. Löw*, Aram. Pfl. n. 93 et 193) Origani speciem interpretantur, eandemque *Saadias* nomine *ṣa'tar* intellegit. Variae autem Origani species hodie in Syria, Palaestina, Aegypto inveniuntur (octo apud *G. E. Post*, Flora of Syria 615-8; 23 species orientales ap. *Boissier* l. c. 546-54); antiquitus etiam *Origanum maiorana* Linné frequenter in Aegypto colebatur (*Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 227; *V. Loret*, Flore pharaon. *ed.* 2 p. 55). Ex his *Origanum maru* L. potiore iure hyssopi biblici nomen et locum videtur obtinere; nam et in muris rupibusque Palaestinae communiter crescit et maiorem praeceteris altitudinem trium vel quattuor pedum attingit et in basi fruticosum ad *ligna* licet minima pertinet ac firmitatem arundinis habet; praeterea ab Arabibus nomine *za'tar* specialiter appellatur et in Talmude (tract. Shabb. 109 b) expresse pro hyssopo commemoratur (*Boissier* l. c. 553; *Post* l. c. 517; *Löw* l. c. n. 193). Quare dictis S. Scripturae optime videtur convenire, cum non modo sicut reliqui candidati usui in Lege praescripto aptetur, sed et lignis propter basem fruticosam recte adnumeretur (3 Reg. 4,33) et calamum sat longum ac firmum ad porrigendam Crucifixo spongiam aceto plenam habeat. Neque opus est, in narratione S. Ioannis, qui eodem verbo (περιθεὶς) atque alii Evangelistae utitur, ad aliam explicationem longius petitam et verbis ipsis contrariam confugere, quasi milites in supremo calamo arundineo herbam hyssopi atque in hac herba tamquam sustentaculo spongiam posuerint: ubi certe non spongia hyssopo sed hyssopus potius spongiae circumposita haberetur; multo autem minus contradictionem aliquam inter Ioannem et synopticos adstruere oportet.

Cf. praeter auctores citatos *Cl. Saumaise*, De hyssopo in cruce Christi epistulae tres ad Thomam Bartholinum, Lugduni Bat. 1646; *id.* Responsio in quaestionem Reverovicii de Hyssopo Evangelii, Roterodami 1654; *Ov. Montalbanus*, Dell' Issopo di Salomone, Bologna 1671; *G. W. Wedel*, De Hyssopo I-III, Ienae 1692; *Blas. Caryophilus* (*Garofato*), Dissertat. miscell. pars I., Romae 1718, 167-256 (origanum esse); *G. S. Volta*, Lettera sull' Isopo, in Opusc. scelti 5,397-408.

L. FONCK.

I

IAASIA (יַחְזִיָּה, Λαζειά), filius Thecue, aequalis Esdrae (Esdr. 10,15).

IABEL (יָבֶל, Ἰωβήλ), filius Lamech, pater habitantium in tentoriis atque pastorum, ex Ada matre genitus (Gen. 4, 20); eius frater ex eadem matre natus erat Iubal pater canentium cithara et organo (4,21). Ut notat *Bochartus* (Hieroz. I. lib. 2. cp. 44 *ed. Rosenmüller* I. 517), Iabal non fuit primus auctor cogendi pecoris; nam Abel fuerat pastor ovium et haud dubie patrum plurimi idem vitae institutum secuti fuerant; at vitae pastoriciae Iabal aliquid insigne ex opinione *Bocharti* addidit, nempe ut greges e loco in locum migrarent pro ratione pascuorum et sub tentoriis tamquam in caulis ab inclementia caeli se protegerent. Sed haec artificiosius excogitata sunt a *Bocharto*. Iabel enim non dicitur pater *omnium* habitantium in tentoriis, sed describitur artem pastorum exercens, quam a parentibus didicerat.

IABES. 1. Iabes seu Iabes Galaad (יָבֵשׁ, etiam יָבֵישׁ, plerumque cum addito גִּלְעָד; Ἰαβεῖς Γαλαάδ, Ἰαβίς), urbs in terra Galaad. Prima urbis mentio fit Iud. 21,8-14; cum eius incolae Israelitis cum tribu Beniamin bellum exitiale gerentibus opem ferre neglexissent, anathemate puniti sunt exceptis 400 virginibus, quae viri thorum nescierant et Beniaminitis superstitibus ad servandam tribum traditae sunt. Postmodum autem Saul Beniaminita cum universo Israel urbem Iabes Galaad, quam Naas Ammonites oppugnabat, ab interitu servavit (1 Reg. 11,1-11). Neque beneficii accepti immemores erant Iabesitae; post funestam pugnam ad montem Gelboe cadavera Saulis eiusque filiorum, quae Philisthaei in muro Bethsan affixerant, viri fortissimi Iabes Galaad nocturno itinere ablata combusserunt et ossa sepelierunt sub terebintho (Vulgata in nemore) prope Iabes (1 Reg. 31,11-13; cf. 1 Par. 10,11-12). Quod facinus insignis gratitudinis David legatis in Iabes missis collaudavit (2 Reg. 2,4. 5) et postea ad finem perduxit asportatis ossibus Saul eiusque filiorum de Iabes in Sela urbem Beniamin, ubi in sepulcro Cis patris Saul ea condidit (2 Reg. 21,12).

Situs in S. Scriptura indirecte tantum determinatur, quatenus 1 Reg. 11,8. 9 a Bezech Issachar itinere fere unius diei (ut videtur) et 31,12 a Bethsan itinere unius noctis abesse dicitur. Flavius Iosephus (Ant. VI. 5,1; 14,8) dicit Ἰαβίς esse urbem primariam Galaaditarum, quae viros corpore robustos animoque feroces alat. Tempore Eusebii ostendebatur vicus trans Iordanem 6 mil. pass. a Pella super montem euntibus Gerasam (Onom. *ed. Lag.* 268,81; 134,17). Nomen conservari creditur in *Wādi Yābis*, qui torrens ab oriente in Iordanem desinit haud longe infra *Beisān* (Bethsan). Utrum urbs antiqua quaerenda sit in ruinis *el-Deir* a meridie torrentis *Yabīs* (*Robinson*) an prope *Kefr ʿAbīl* a septemtrione eiusdem torrentis, dubium est.

Cf. *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 418 s.; *Guérin*, Samarie I. 290; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890 p. 211; *Schumacher*, Across the Iordan p. 278 s.; *Oliphant*, Land of Gilead p. 174 (Iabes = *Miryamin*); *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 602. 603; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 259.

2. Iabes (יַעְבֵץ, Ἰάβης), oppidum in quo habitabant cognationes scribarum (1 Par. 2,55), qui inter filios Salma tribus Iuda ultimi recensentur et in tres ramos distinguuntur scil. canentes atque resonantes et in tabernaculis commorantes (Vulgata) seu in Thirathaeos, Shimeathaeos, Suchathaeos (hebr.); iidem referuntur ad Cinaeos (cf. Iud. 1, 16) et cum Rechabitis eundem progenitorem Chammath (חַמַּת, Vulgata Calor) habuisse dicuntur. Totus textus satis obscurus est. Vide s. vv. CINAEI et RECHABITAE.

3. Iabes (יַעְבֵץ, Ἰγαβής) nominatur in genealogia Iuda 1 Par. 4,9 : Fuit Iabes inclytus prae fratribus suis et mater eius vocavit nomen illius Iabes dicens : Quia peperi eum in dolore (עֹצֶב). Ad nomen iterum alluditur in voto, quo Iabes immunitatem a dolore pro se a Deo Israel impetrat (4,10). Ex textu non liquet, utrum nexum habeat cum Cos (4, 8), cuius vel filius vel frater fuisse a nonnullis putatur neque certo affimari potest eum esse patrem seu dominum oppidi Iabes (n. 2). Quomodo Talmudici nomen Iabes explicaverint, refert *Buxtorf* (Lex. chald. talmud. rabb. 965. 966).

4. Iabes (יָבֵשׁ, Ἰαβίς), pater Sellum regis Israel (4 Reg. 15,10, 13.14).

IABIN (יָבִין, Ἰαβίν), duo reges Asor.

1. Prior Iabin erat rex praepotens et caput foederis, quo reges chananaei in Palaestina septemtrionali et media coniuncti Israelitis terram promissam occupantibus restiterunt. Iosue illos ad aquas Merom devicit, deinde civitatem Asor captam incendio delevit ac regem gladio percussit (Ios. 11,1-11). Sed Asoritae urbem eversam mox reaedificarunt, ut ex sequentibus (n. 2) elucet.

2. Tempore Debborae alter erat Iabin, rex Asor, qui totis viribus id agebat, ut regiones progenitori suo per Iosue ereptas recuperaret et potestatem priorem restitueret. Is per Sisaram ducem militarem, qui in arce Haroseth gentium residebat, Israelitas potissimum septemtrionales in servitutem viginti annorum redegit; habebat enim in exercitu suo nongentos currus falcatos (hebr. ferreos), quibus Hebraei pedites resistere non valebant. Etiam hic Iabin alios reges chananaeos foedere iunctos habuit. Cum eodem amicitiam vel, si mavis, aliquod veri nominis foedus inierat parva gens Haber Cinaei, qui eo tempore haud procul a Cedes Nephthali tentoria fixerat. Sed post insignem cladem Sisarae a Debbora et Barac inflictam filii Israel in dies fortiores facti sunt et potestatem Iabin paulatim ad nihilum redegerunt (Iud. 4,2-24; 5,19; Ps. 82[83],10).

IABNIA (יַבְנִיָּה, Ἰαβνήρ), urbs (2 Par. 26,6) v. IAMNIA.

IABOC, IEBOC (יַבֹּק; Ἰαβώχ, Ἰαβόκ), fluvius qui ab oriente in Iordanem influit et terram Galaad, si latiore sensu accipitur (v. GALAAD 4), mediam fere intersecat. Iuxta ripam eius Iacob patriarcha cum angelo luctans benedictionem ac nominis mutationem adeptus est (Gen. 32,22). Idem fluvius erat terminus septemtrionalis Ammonitarum, quorum fines antiquitus inter Iordanem, Arnonem, desertum orientale fluviumque Iaboc continebantur (Iud. 11,13). Postea vero Schon Amorrhaeus totum hoc territorium occupans Ammonitas orientem versus in desertum Iaboc superioris, Moabitas genere et amicitia cum Ammonitis coniunctos meridiem versus in ripam Arnonis sinistram reiecit; unde illo tempore Iaboc erat terminus inter regna Schon regis Hesebon et Og regis Basan (Ios. 12,2; Iud. 11,22). Haec Amorrhaeorum regna Moyses destruxit; quodsi igitur terminus orientalis, a quo Deus arma Israelitarum prohibuit, indicantur terra Ammon et Iaboc torrens (Num. 21,24; Deut. 2,37), intellegendus est Iaboc superior (*Nahr 'Ammān*), qui prope urbem Rabbath Ammon (*'Ammān*) originem ducens vallem desertam percurrit, quam Ammonitae a Schon Amorrhaeo antiquis sedibus pulsi incolebant. Unde etiam terminus orientalis tribus Gad dicitur esse Iaboc (Deut. 3, 16) i. e. Iaboc superior. Ex his intellegitur quo sensu Iaboc Deut. 3,16 et Ios.

12,2 terminus filiorum Ammon vocetur. Nomen illi est *Nahr ʿAmmān* usque ad castellum *Qalʿat el-Zerqā;* ibi vero cursum suum, qui hucusque inter septentrionem et orientem spectabat, magis magisque ad occidentem inflectit et novum quoque nomen *Nahr el-Zerqā* (fluvius seu torrens caeruleus) assumit. Brevi post a parte dextera recipit tributarium *Wādi Djerash* (Gerasa) et occidentem petit, donec montibus relictis ad meridiem vergens Iordani coniungitur prope pontem *Damiye* et e regione montis *Qarn Ṣarṭabe. Nahr el-Zerqā* hodie separat provinciam meridiei *Belqā* a provincia septentrionis *ʿAdjlūn.*

Medio aevo Iaboc magis aquilonem versus quaerebatur. Sed secundum Onom. Eusebii (*ed. Lag.* 263,80) Iaboc fluit inter Amman i. e. Philadelphiam et Gerasam (addit S. Hieronymus *ed. Lag.* 130,31 : in quarto eius miliario) et ultra procedens Iordani fluvio commiscetur.

Cf. *Chr. Cellarius,* Notitiae orbis antiqui l. 3. c. 13, Leipzig 1806, II. p. 650; *F. de Saulcy,* Dict. des antiquités bibl. 1859, col. 365; *Riess,* Bibl. Geogr. p. 30 et Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 16; *V. Ancessi,* Atlas bibl. 1877 p. 15; *J. Fahrngruber,* Nach Jerusalem *ed.* 2 II. p. 126. 127; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 596. 597; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 121. 122; — Opiniones erroneas medio aevo praevalentes enumerat *L. Heidet* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible III. 1056-1058.

IACAN (1 Par. 1,42) v. ACAN et BENEIAACAN.

IACAN (Deut. 10,6 Beroth filiorum Iacan) v. BENEIAACAN.

IACHAN (יַעֲקָן, Ἰωαχάν, A Ἰαχάν), princeps cuiusdam cognationis Gad in Basan (1 Par. 5,13).

IACHANAN v. IECNAM.

IACHIN (יָכִין; Ἀχείν, Ἰαχείν, Ἰαχίν).

1. Quartus inter sex filios Simeonis (Gen. 46,10; Ex. 6,15), progenitor Iachinitarum (Num. 26,12). Eius loco legitur 1 Par. 4,24 Iarib (יָרִיב, Ἰαρίβ), quod haud dubie corruptum est ex Iachin. In enumeratione Num. 26,12 et 1 Par. 4,24 Iachin (Iarib) est tertius inter quinque filios Simeonis; omissus enim est Ahod tertius filius, fortasse quia eius posteritas iam fere exstincta erat.

2. Princeps vigesimae primae classis sacerdotalis tempore Davidis (1 Par. 24, 17).

3. Sacerdos post exsilium Hierosolymis habitans (1 Par. 9,10; Neh. 11,10) vel probabilius familia sacerdotalis.

IACHIN columna v. COLUMNAE.

IACIM (יָקִים, Ἰακείμ). **1.** Beniaminita de filiis Semei (1 Par. 8,19).

2. Princeps duodecimae classis sacerdotalis tempore Davidis (1 Par. 24,12).

IACOB. 1. Iacob (יַעֲקֹב, Ἰακώβ), filius Isaac et Rebeccae, quasi « plantae prehensor » dictus, quod fratris Esau plantam manu tenens ex utero prodierit. Porro Esau factus est venator, Iacob pastor; hic matri, ille patri carior. Huic prae fratre primatus Gen. 25,23 fuerat promissus. Quod ipsi indubie igitur erat obventurum, id fraude praeripere studuit Iacob, et ita infinitis se implicuit quaestionibus. Revertentem de venatione atque exhaustum, ut sibi primogeniturae iura pro lentis edulio divenderet, induxit. Postea fratris nomen, vocem pellemque hirsutam ementitus, hoedulum ferens a Rebecca venationis instar conditum, patris caecutientis benedictionem, quam primogeniturae iura consequebantur, furatus est. Iacobo, quo fratris iram evaderet simulque uxorem suae stirpis nancisceretur, suasit Rebecca, ut ad fratrem Laban in Haran Mesopotamiae proficisceretur. Iacob igitur in Bethel visione scalae renovatisque divinis promissionibus recreatus venit in Haran. Cui Laban pactus est, ut pro septennii servitio Rachelem filiam acciperet uxorem. Verum nuptiarum nocte Racheli Lia supponitur minus venusta. Alterius igitur septennii suscepto servitio optatis Rachelis nuptiis potitur Iacob. Vult porro Deus, ut qui fratrem decepisset patrisque amore esset frustratus, ipse et a patruo deciperetur et uxorum constantem experiretur zelotypiam. Igitur Lia peperit Ruben, Simeon, Levi, Iuda. Rachel infecunda sororisque in-

vida Iacobo Balam concessit ancillam, quae ei genuit filios Dan et Nephthali. Lia novis partubus se imparem experta, concessit ancillam Zelpham, e qua nati sunt Gad et Aser. Praeterea Rachel pro mandragoris Ruben Liae permisit unius noctis concubitum, quo haec concepit Issachar, et aliquanto post Zabulonem. Rachel tandem genuit Ioseph, qui matris imprimis dilectae intuitu Iacobo semper exstitit ceteris filiis carior. Ab angelo monitus, ut (post viginti annos) in terram suam reverteretur, Iacob cum Laban de mercede sex annorum agit, deceptus primum deceptorem decipit atque cum plurimis gregibus, uxoribus et liberis clam se subducit. Rachel patris idola furatur. Laban fugientes in monte Galaad consecutus ad res amice componendas a Deo monetur; idolis frustra quaesitis perpetuam cum Iacob pacem constituit, tumulo in memoriam erecto. Chanaanitidis finibus appropinquanti Iacob duo angelorum agmina se conspicienda offerunt, traiecto vado Iaboc cum angelo luctatur et ab eo benedictionem nanciscitur novumque nomen Israel (v. ISRAEL), fratri Esau reconciliatur, altaria exstruit in Sichem et in Bethel. Prope Bethlehem Rachel, edito primum in lucem Beniamino, moritur et sepelitur. Patrem Isaac prope Hebron revisit ac postmodum cum Esau sepulturae dat. Propter Ioseph, quem a fera discerptum existimat, in summam devenit tristitiam, allato nuntio eum in Aegypto honestissimo loco vivere reviviscit. Divina in Bersabee confortatus visione in Aegyptum proficiscitur, Iosephum amplectitur, Pharaonem salutat. Vaticinio, quod Iacobaeum dicitur, singulorum filiorum aliqua fata praenuntiat nec tamen facere potest, quin praetermisso Ioseph primatum futuri temporis Iudae attribuat. Tamen principatum et iura primogeniturae Iosepho in Aegypto exercenda paterna auctoritate attribuit. Moritur senex 147 annorum, et sollemnibus in spelunca Machpela honestatur exsequiis. V. IOSEPH 1. Eius acta habes Gen. 25,15-50,13. Cf. Ios. 24,4. 32; 1 Reg. 12, 8; 1 Par. 16,17; Iudith 8,13; Mal. 1,2; Matth. 1,2; Luc. 3,34; Act. 7; Rom. 9, 13; Hebr. 11,20 s. Uti porro Deus nomen assumit « Deus Abraham, Isaac et Iacob », ita etiam nomen « Deus Iacob » : 2 Reg. 23,1 et in psalmis et prophetis passim. Populus electus dicitur « Iacob » Num. 23; Deut. 33,4. 10. 28; Iudith 13, 31 et in psalmis et prophetis passim; frequentius tamen « filii Iacob » vel « semen Iacob ». Veritas historiae Iacob confirmatur veritate actorum hinc Abrahae, illinc narrationis Exodi et, ubi Aegyptiorum res attingit, eorum monumentis egregie illustratur.

De puteo Iacob v. SICHAR.

2. Iacob (Ἰακώβ), pater Ioannis et avus Eupolemi legati a Iuda Mach. Romam missi (1 Mach. 8,17).

3. Iacob (Ἰακώβ), qui genuit Ioseph virum Mariae (Matth. 1,15. 16); vide s. v. HELI.

IACOBA (יַעֲקֹבָה, Ἰωκάβα), unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui tempore Ezechiae regis pastores chananaeos ex terra Gador expulerunt (1 Par. 4,36).

IACOBUS (Ἰάκωβος), nomen duorum apostolorum.

1. Iacobus, filius Zebedaei, frater Ioannis, apostolus. Cum pater eius in opere piscatorio adhiberet mercenarios (Marc. 1,20) et mater eius, Salome (cf. Matth. 27,56 et Marc. 15,40) esset inter mulieres « quae secutae erant Iesum a Galilaea ministrantes ei » (Matth. 27,55), Iacobus ex familia erat satis opulenta, saltem non paupere. Vocatur a Iesu ad eius sequelam simul cum fratre, quando ambo simul cum Simone in stagno Genesareth opere piscatorio occupati erant (Luc. 5,10). Cum enim post miraculosam piscationem retia reficerent, etiam ipsi, ut antea Simon, vocati sunt a Domino : « Et relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercenariis secuti sunt eum » (Marc. 1,20; Matth. 4,21). In albis apostolorum recensetur secundo loco (Marc. 3,17), tertio (Matth. 10,3; Luc. 6, 14; Act. 1,13); in evangeliis ante fratrem, in Act. post eum (saltem secundum testes plerosque). Ipse et frater eius cum Petro erant discipuli maxime Domino familiares; hi tres admittuntur ad resuscitationem filiae Iairi (Marc. 5, 37), testes sunt transfigurationis (Marc.

9,2; Matth. 17,1; Luc. 9,28), testes quoque agoniae Iesu in horto : assumpto Petro et duobus filiis Zebedaei coepit contristari et moestus esse (Matth. 26, 37). Ipse et frater eius appellati sunt a Domino : boanerges, filii tonitrui (Marc. 3,17); ingenii quippe erant fervidioris; nam cum Samaritani Iesum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem, non reciperent hospitio, dixerunt ad Dominum : Domine, vis ut ignis descendat de caelo et consumat illos (Luc. 9,54)? Ab iis incitata mater petit a Domino : dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram, alter ad sinistram in regno tuo (cf. Marc. 10,35 et Matth. 20,20). Ibi praedixit eis Dominus fore, ut calicem passionis biberent. Atque Iacobus primus est apostolorum qui mortem Christi causa obiit; Herodes enim Agrippa occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio (Act. 12, 2). Vocari quoque solet Iacobus maior, ut distinguatur ab altero Iacobo qui minor dicitur (Marc. 15,40).

S. Iacobum maiorem praedicasse in Hispania excludi videtur tum sententiis illis quas scribit Paulus Rom. 15,20-24 tum ratione chronologica, quoniam Hierosolymis iam anno circiter 44 p. Chr. martyrium passus est. Ceterum vide Acta Sanctorum, Iulii t. VI. (1729) p. 73-114; *Gams,* Kirchengesch. von Spanien, Regensburg 1862; sed cf. etiam *Fidel Fita* in Revista mensual : Razón y Fe, Madrid 1901 I. p. 70 ss. 200 ss. 306 ss.; 1902 II. p. 35 ss. 178 ss.; 1902 III. p. 49 ss. 314 ss. 475 ss.

2. Iacobus, filius Alphaei et Mariae, sororis (seu cognatae) matris Iesu, cognominatus minor, ὁ μικρός, apostolus, frater Domini. Praeprimis, cum agitetur quaestio, sintne duo vel tres Iacobi distinguendi, bene oportet attendere, a Paulo clarissime Iacobum fratrem Domini adnumerari apostolis sensu stricto. Nam, ut se verum esse apostolum probet, scribit inter alia, ne videatur ab hominibus edoctus esse : neque veni Ierosolymam ad antecessores meos apostolos (πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους), sed abii in Arabiam... deinde post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum; alium autem Apostolorum non vidi nisi Iacobum fratrem Domini (Gal. 1,17-19). Si apostolus latiore sensu intellegeretur, assertio apostoli esset falsa; nam vidit in urbe etiam Barnabam, a quo ad apostolos est ductus, et Barnabas erat sensu latiore apostolus (Act. 14,4. 13) et ante Paulum ad apostolatum vocatus. Pariter elucet ex modo narrandi et Pauli et Lucae, eos nullo modo tres, sed solum duos Iacobos agnoscere. Postquam enim Iacobus frater Ioannis ab Herode occisus est, iidem qui ante eius mortem sedulo addiderunt epitheton ad certum Iacobum designandum, iam scribunt de Iacobo sine ulla ulteriore designatione. Ita Paulus Gal. 1,19 nominat Iacobum fratrem Domini, quia eo tempore etiam alter Iacobus frater Ioannis superstes erat; sed Gal. 2,9. 12 Iacobum solum scribit, quia eo tempore alter iam erat ab Herode occisus. Eodem modo scribit Lucas; postquam enim narravit, Iacobum fratrem Ioannis esse occisum gladio (Act. 12,2), in subsequentibus refert de Iacobo sine ulteriore designatione 12,17; 15,13; 21,18; id quod non fecissent, si duo Iacobi fidelibus noti fuissent.

Pater igitur eius est Alphaeus (Matth. 10,3; Marc. 3,18; Luc. 6,15); mater eius Maria (Marc. 15,40) quae Ioan. 19,25 vocatur : soror matris Iesu, Maria Cleophae vel potius ἡ τοῦ Κλωπᾶ, vel ut alii codices habent Κλοπα. Iam Alphaeus et Klopas facile ad unum nomen חלפי reducuntur, quia littera ח ab aliis durius, lenius ab aliis pronuntiabatur; vide s. v. ALPHAEUS 2. Iosephum fratrem Clophae fuisse referunt *Hegesippus* (apud *Eus.* H. e. 3,11) et *Epiphanius* (Haer. 78, 7). Iste Iacobus, frater Domini, cognominabatur ὁ μικρός, minor (Marc. 15,40) eratque frater Iudae vel Thaddaei (Iudas 1), quocum in albis apostolorum in ultimo quaternione recensetur (Matth. 10,3; Marc. 3,18; Luc. 6,16; Act. 1,13 Iudas Iacobi, scil. frater). Dominus eum peculiari apparitione post resurrectionem dignatus est (1 Cor. 15,7). Eum vidit Paulus (Gal. 1,19); in concilio Apostolorum proposuit modum quo facilius Iudaeochristiani cum ethnicochristianis vitae communis consuetudinem inire possent (Act. 15,13-21). Ipse et Cephas

et Ioannes erant etiam apud Iudaizantes οἱ δοκοῦντες, et οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι (Gal. 2,2. 9); immo Iudaizantes ad eius auctoritatem provocasse videntur (cf. Gal. 2,12), nam propter eos qui a Iacobo (ἀπὸ Ἰακώβου) erant, Petrus timens eos se subtraxit a mensa ethnicochristianorum. Erat episcopus hierosolymitanus per annos triginta; Ananus pontifex post Festi procuratoris mortem et ante Albini successoris adventum « opportunum sibi tempus adesse ratus synedrio coacto Iacobum fratrem illius Iesu qui dicebatur Christus, cum nonnullis aliis velut legis violatae reos accusavit statimque lapidandos tradidit » (*Flav. Ios.* Ant. XX. 9,1). Aliquantum aliter eius martyrium refert *Hegesippus* (apud *Euseb.* Hist. eccl. 2,23).

Idem apostolus Iacobus scripsit epistulam « duodecim tribubus quae sunt in dispersione ». Epistulam itaque dirigi ad Christianos extra Palaestinam degentes, ipsa voce ἐν τῇ διασπορᾷ indicatur. Dirigi autem ad Christifideles, non ad Iudaeos infideles (ut aliqui putabant) elucet ex eo, quod adhortatio fit non ad fidem suscipiendam, sed ad fidem iam susceptam operibus et vita sancta demonstrandam et exhibendam; admonentur ad *verbum* audiendum; iubentur presbyteros ecclesiae advocare (1,23; 5,14). At controvertitur, sitne epistula directa ad Iudaeochristianos i. e. ad ecclesias quarum longe maxima pars ex Iudaeis constabat, vel ad omnes Christianos qui soli verum populum Dei constituunt, sed ita, ut pro auctoritate qua Iacobus apud Iudaeochristianos pollebat proxime hos ob oculos habuerit. Pro priore sententia cf. *Al. Schaefer*, Einleitung p. 304; pro altera *Cornely*, Introd. III. p. 651. Ubi vero illae ecclesiae quaerendae sunt? Cum in epistula certi quidam defectus reprehendantur, pauperes certo modo contemni, munus docendi avidius appeti etc., non possunt omnes ecclesiae intellegi. Cogitatum est de ecclesiis Syriae, Phoeniciae, Asiae minoris. Quando epistula scripta sit, cum alia desint, ex eius argumento coniiciendum est. Cum graves defectus reprehendantur, ad primum tempus suscepti evangelii epistula certe non erit referenda. Ex altera parte nihil occurrit in epistula quo necesse esset eam dici scriptam post annum 60-61.

IADA (יָדָע, Ἰαδάε, Ἰδουδά), filius Onam et frater Semei in genealogia Ierameel primogeniti Hesron de stirpe Iuda (1 Par. 2,28. 32).

IADAIA v. IDAIA 1.

IADASON (Ὑδάσπης) est nomen fluvii, cuius accolae una cum accolis Euphratis et Tigridis a rege Assyriorum Nabuchodonosor (Asurbanipal) ad arma vocabantur, ut contra Arphaxad regem Medorum (v. ARPHAXAD 2) pugnarent (Iudith 1,6). Qualis fluvius Iadason sit, incertum est. Haud dubie Hydaspes in India, notissimus ille tributarius Indi, nimium abest, quam ut in quaestionem venire possit. Syrus vertit Ulai (אוּלַי); quodsi in textu primigenio legebatur Ulai, intellegendus erit fluvius Eulaeus auctorum classicorum, de quo s. v. ULAI.

IADDO (יִדּוֹ, Ἰαδδαί), filius Zachariae, princeps tribus Manasse ad orientem Iordanis tempore Davidis (1 Par. 27, 21).

IADIAS (יְחַדְיָהוּ, Ἰαδίας), cognominatus Meronathites i. e. de oppido Meronoth (v. MERONATHITES), a Davide super asinos constitutus (1 Par. 27,30).

IADIEL, IADIHEL (יְדִיעֵאל; Ἰδιήλ, Ἰεδιήλ, Ἰαδιήλ). **1.** Princeps cognationum beniaminiticarum, ex quibus tempore Davidis numerabantur 17200 viri fortissimi (1 Par. 7,6. 10. 11). Recensetur in v. 6 tertius inter tres filios Beniamin, unde interpretes multi probabile habent eundem esse, qui Gen. 46,21 et Num. 26, 38 Asbel vocatur (v. ASBEL); sed fortasse propter numerosam stirpem nostro loco filius Beniamin vocatur, etsi solum ex eius posteris fuit.

2. Levita de filiis Core, ianitor tempore Davidis (1 Par. 26,2).

Alios viros eiusdem nominis hebr. vide s. v. IEDIHEL.

IADON (יָדוֹן, LXX omitt.), cognominatus Meronathites (vide s. v.), vir qui

cum viris de Gabaon et Maspha Nehemiam adiuvit in muris Ierusalem exstruendis (Neh. 3,7).

IAGUR (יָגוּר, Ἀσώρ, A Ἰαγούρ), urbs in meridiana plaga tribus Iuda (Ios. 15, 21). Est ignota.

IAHADDAI (יַהְדַּי, in pausa יַהְדָּי; Ἀδδαί, B Ἰησοῦ, A Ἰαδαί), vir in genealogia Caleb filii Hesron (1 Par. 2,47; cf. *Sel. Baer* ad h. l.). Quo vinculo cum hac genealogia connectatur, non apparet.

IAHALA (יַעֲלָה, Ἰελήλ), unus de servis Salomonis, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Neh. 7,58). Idem Esdr. 2,56 scribitur Iala (יַעֲלָא, Ἰεηλά).

IAHATH (יַחַת). **1**. Filius Lobni filii Gersom filii Levi (1 Par. 6,20[5]; LXX Ἰέθ), unus ex maioribus Asaph (6,43 [28]; Vulg. Ieth, LXX Ἤχα).

2. Filius Raia filii Sobal in genealogia Iuda (1 Par. 4,2; LXX Ἰέθ).

3. Levita, filius Salemoth de stirpe Caath, tempore Davidis (1 Par. 24,22; LXX Ἰνάθ).

4. Levita ex familia Merari, unus ex praepositis operantium, cum Iosias rex templum instauraret (2 Par. 34,12; LXX Ἰέ).

Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulgata 1 Par. 23,10. 11 scribitur Leheth.

IAHAZIEL (יַחֲזִיאֵל). **1**. Levita filius Hebron filii Caath (1 Par. 23,19; LXX Ὀζιήλ). Eiusdem nomen iterum legitur 1 Par. 24,23 (LXX Ἰασή), quo loco de classibus levitarum tempore Davidis sermo est; de corruptione huius textus vide s. v. HEBRON 1.

2. Filius Zachariae et levita de genere Asaph, propheta qui spiritu Domini repletus regem Iosaphat adhortatus est ad proelium contra Ammonitas, Moabitas, Edomitas confidenter subeundum (2 Par. 20,14; LXX Ὀζιήλ). De isto proelio vide s. v. BENEDICTIONIS VALLIS in vol. I. col. 606-7. Genealogia Iahaziel l. c. reducitur usque ad Mathaniam de filiis Asaph : filius Zachariae filii Banaiae, filii Iehiel filii Mathaniae levitae de filiis Asaph; hic Mathanias distinguendus est a Mathania levita aetatis davidicae (1 Par. 25,4. 16), quippe qui fuerit filius Heman; sed fortasse idem est ac Nathanias de filiis Asaph levita davidicus (1 Par. 25, 2. 12), siquidem מ et נ facile commutari poterant.

Idem nomen hebr. gerunt IEHIEZIEL, IAZIEL, EZECHIEL (Esdr. 8,5); vide s. vv.

IAHEL (יָעֵל, Ἰαήλ), uxor Haber Cinaei. Haec Sisaram ducem militarem Iabin regis Asor a Debbora et Barac devictum, cum fugiens ad tabernacula Haber Cinaei pervenisset, hospitio excepit; erat enim Haber foedere iunctus cum Iabin. Ubi primum autem Sisara nihil adversi suspicans somno se dedit, Iahel clavum tabernaculi, quo vela extensa firmabantur, assumpsit malleoque per tempora in cerebrum dormientis defixit (Iud. 4,17-22). — Eadem est Iahel in cantico Debborae 5,6 nominata, non ignotus quidam iudex Iahel, ut aliqui volunt. Eius facinus celebratur in cantico Debborae 5,24-27 : « Benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinaei et benedicatur in tabernaculo suo... » Quaestioni, iustene interemerit Iahel Sisaram, respondet *F. de Hummelauer,* ad 4,17 : « celebrari Iahelem primum, quod fuerit instrumentum divinae providentiae et implendi vaticinii 4,9; secundo quod suo facinore insigne Hebraeis beneficium contulerit, quo abunde fuerat promerita, ut bona quaeque illi Hebraei apprecarentur; utrum vero in eo facinore peccaverit, Scriptura non dirimit. Potuit sane peccato carere, vel quod foedus cum Iabin fuerit coactum, non voluntarium, vel quod ipsa instinctu egerit divino, vel quod innocenter putaverit sibi licere, quod re nefas erat ».

IAHELEL (יְהַלְאֵל), tertius filius Zabulon (Gen. 46,14; LXX Ἀχοήλ); idem Num. 26,26 scribitur in Vulgata Ialel (LXX Ἀλλήλ), progenitor familiae Ialelitarum.

IAHIEL (יְחִיאֵל, Ἰεϊήλ). **1**. Unus ex levitis, qui in nablis arcana cantabant, cum arca de domo Obededom in montem Sion transferretur (1 Par. 15,18. 20);

idem coram arca Domini constitutus est in ministerium (16,5).

2. Levita de stirpe Gerson, princeps filiorum Leedan tempore Davidis (1 Par. 23,8), thesauris domus Domini praepositus (29,8); eius familia 26, 21. 22 vocatur Iehieli i. e. Iehielitarum.

3. Iahiel filius Hachamoni (vide s. v.) erat cum filiis regis David (1 Par. 27,32), quod interpretantur : erat magister, praeceptor filiorum regis.

4. Unus ex filiis Iosaphat regis Iuda, quos loram primogenitus Iosaphat huiusque successor occidit (2 Par. 21,2).

5. et **6.** Duo levitae tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,14; 31,13).

7. Unus ex principibus domus Domini tempore Iosiae regis (2 Par. 35,8).

8. Pater Obedia Babylone reversi cum 218 viris (Esdr. 8,9).

De aliis viris eiusdem nominis hebr. v. IEHIEL 11; de alio quodam Iahiel (Vulg.) v. IEHIEL 7.

IAIR (יָאִיר, Ἰαΐρ). **1.** Bellator praeclarus, filius Segub; Segub autem patrem habebat Hesron filium Phares filii Iuda, matrem autem filiam Machir filii Manasse; unde etiam filius Manasse appellatur (Num. 32,41; Deut. 3,14; Ios. 13,30; 1 Par. 2,21-23; 3 Reg. 4,13). Maximam gloriam Iair sibi acquisivit in occupatione terrae promissae; etenim ut ex textibus allatis colligitur, viginti tres civitates in Galaad cepit eisque nomen Havoth Iair (חַוֹּת viculos) imposuit, quae nomen hoc etiam aetate Iudicum (Iud. 10,3-5) et Regum retinuerunt; praeterea in Argob tractu regionis Basan alias sexaginta urbes expugnavit muris, portis, vectibus munitas, quibus nomen idem Havoth Iair vel Basan Havoth Iair impositum est, sed mox disparuit; his enim civitatibus Argob vel Basan nomen Havoth Iair nonnisi Deut. 3,14 et Ios. 13, 30 tribuitur, aliis vero locis supra citatis idem nomen ad urbes Galaad refertur. Plura de Iud. 10,3-5 vide infra sub 2. — Nomen *Havoth Iair* i. e. pagi seu viculi Iair per iocum istis urbibus munitis impositum esse censetur, quo Iair bellator fortissimus hostibus devictis illuderet. Inter posteros huius Iair fortasse recensendus est Ira Iairites sacerdos David (2 Reg. 20,26), si *sacerdos* (כֹּהֵן = minister, administrator) latiore illo sensu sumitur, quo 2 Reg. 8,18 etiam filii David sacerdotes vocantur.

2. Iair Galaadites, qui Israel per 22 annos iudicavit et sepultus est in Camon (Iud. 10,3-5); is habebat triginta filios, qui super triginta pullos asinarum equitare solebant i. e. nobiliorum ritu in publicum procedebant et principes erant triginta civitatum in terra Galaad, quae (Vulgata addit : ex nomine eius) sunt appellatae Havoth Iair i. e. oppida Iair. Notandum est in textu hebr. non asseri eas urbes nomen a iudice Iair traxisse; si vero assereretur (cf. textum Vulgatae), dicendum est ex 1 Par. 2,23 oppida illa non semper in Israelitarum potestate mansisse, recuperatis autem a iudice Iair pristinum nomen restitutum esse. Nihil sane impedit quominus nomen Havoth Iair fuerit monumentum duorum Iair longo interiecto tempore ibidem imperantium, praesertim si turbatis illis temporibus pristinum nomen pro aliquo tempore oblivioni datum fuerit. — Altera difficultas in numero 30 urbium deprehenditur, dum antiquior iste Iair Manassita solummodo viginti tres urbes in Galaad cepisse (1 Par. 2,22) et Havoth Iair appellasse legitur. Sed nihil obstat, quominus numerus viginti trium urbium decurrente tempore usque ad triginta excreverit, praesertim si etiam iudex Iair aliquas ipse cepit et addidit; praeterea Galaad interdum latissimo sensu totam transiordanicam designat, unde Iair iudex, cum pro 30 filiis triginta urbes eligeret, istis 23 « Havoth Iair in Galaad » oppida aliqua de Havoth Iair in Basan (Argob) addidisse supponi potest, ut numerum 30 compleret. — Ceterum de Havoth Iair cf. *Cornely*, Introd. II n. 24 et 26; *F. de Hummelauer* ad Iud. 10,4.

3. Iair (יעיר) pater Elchanan herois; pro : Elchanan filius Iair Vulgata legit : Adeodatus filius Saltus. V. ADEODATUS et ELCHANAN 1.

4. Beniaminita de stirpe Cis, pater Mardochaei (Esther 2,5; 11,2; LXX 2,5 Ἰαΐρου).

IAIRITES v. IRA 1.

IAIRUS (Ἰάειρος, forma graeca nominis hebr. יָאִיר), cuius filiam Iesus a mortuis resuscitavit, vocatur Matth. 9,18 princeps unus, Marc. 5,22 quidam de archisynagogis, Luc. 8,41 princeps synagogae scil. in Capharnaum, ut ex contextu elucet. Archisynagogus appellatur tum is qui toti synagogae praeest tum etiam is qui inter primores totius coetus ad consilium praesidis pertinet. Cum igitur Iairus fuerit unus de archisynagogis, admittendum erit aut plures in Capharnaum synagogas fuisse aut Iairum fuisse unum de primoribus et consiliariis. Cf. *Knabenbauer* ad Marc. 5,22.

IALA v. IAHALA.

IALALEEL (יְהַלְלֵאל; Ἰλαελήλ, A Ἰαλλήλ), pater Azariae levitae de stirpe Merari tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12). Idem nomen hebr. gerit IALELEEL.

IALEL, IALELITAE v. IAHELEL.

IALELEEL (יְהַלְלֵאל, Γεσεήλ), vir in genealogia Iuda, cuius quattuor filii enumerantur (1 Par. 4,16); quo vinculo cum genealogia Iuda connectatur, ex textu non liquet.

IALON (יָלוֹן, Ἰαμών, A Ἰαλών), filius Ezra ex posteris Iuda (1 Par. 4,17).

IAMBRI (Ἰαμβρί). Brevi post mortem Iudae Machabaei exierunt filii Iambri ex Madaba (ad orientem maris Mortui superioris sita) et comprehenderunt Ioannem Mach., qui in terram transiordanicam properabat, ut senes, mulieres, pueros omnesque res Iudaeorum apud Nabataeos in tuto collocaret; sanguinem Ioannis ulti sunt eius fratres Ionathas et Simon, qui ex insidiis in filios Iambri, dum nuptiali comitatu sponsam ducunt, irruerunt, multos occiderunt, alios fugarunt, spolia acceperunt (1 Mach. 9,36-41). Nominis lectiones sunt variae in codicibus : Ἰαμβρεῖν, Ἀμβρί, Ἀμβροί, apud Syrum : Ambri, apud Flav. Iosephum (Ant. XIII. 1,2) : οἱ Ἀμαραίου παῖδες. Ex his lectio Ἀμβρί ut genuina probatur. Verum eius nominis gens nobis non innotescit. Aliqui (*Drusius, Michaelis, Grimm* ad h. l.) coniiciunt in textu hebr. adfuisse בְּנֵי אֱמֹרִי et posteros Amorrhaeorum designari, qui antiquitus in Madaba seu Medaba habitaverant (cf. Num. 21, 30); alii hanc coniecturam reiiciunt (*Keil, Kautzsch*).

IAMIN (יָמִין; Ἰαμείν, Ἰαμείμ, Ἰαμίν).

1. Filius secundus Simeon et progenitor familiae Iaminitarum (Gen. 46,10; Ex. 6,15; Num. 26,12; 1 Par. 4,24).

2. Vir de tribu Iuda et de genere Hesron, secundus filius Ram filii Ierameel (1 Par. 2,27).

3. Unus ex levitis, qui Esdrae et Nehemiae assistebant et silentium faciebant in populo ad audiendam legem (Neh. 8,7; LXX omitt. eius nomen).

IAMNE v. IEMNA 1.

IAMNIA (Ἰάμνεια, Ἰάμνια) in libris Machabaeorum est eadem urbs, quae Ios. 15,11 Iebneel (יִבְנְאֵל, Λεβνά), 2 Par. 26,6 Iabnia (יַבְנֶה, Ἰαβνήρ), Iudith 2,28 Ἰεμναά appellatur. Recensetur in termino septemtrionali tribus Iuda inter montem Baala et mare Mediterraneum (Ios. 15,11). Merito dubitatur, num unquam a tribu Iuda occupata fuerit; Flavius Iosephus (Ant. V. 1,22) eam Danitis attribuit et idem implicite indicatur Ios. 19,43, quia Accaron Iamniae vicina, sed a mari remotior Danitis a Iuda concessa est, ergo etiam Iamnia. In historia tribus Dan diximus planitiem maritimam Danitarum primum ab Amorrhaeis, deinde a Philisthaeis occupatam esse; cum his congruit quod 2 Par. 26,6 legimus urbem ab Ozia rege Iuda Philisthaeis ereptam eiusque muros destructos esse. Eadem enumeratur inter urbes, quae appropinquante Holoferne terrore perculsae sunt (Iudith 2,28 LXX). Aetate machabaica erat urbs munita. Iudas Mach. post victoriam apud Emmaus reportatam Syros Iamniam usque persecutus est (1 Mach. 4,15) et brevi tempore post purificationem templi impetu nocturno Iamniam cepit eiusque portum cum navibus succendit, ita ut lumen ignis Hierosolymis a stadiis 240 appareret (2 Mach. 12,8. 9. 40). Neque tamen urbs in possessionem Iu-

daeorum transiit (1 Mach. 5,58; 10,69; 15,40); corrigendus itaque videtur Flavius Iosephus asserens eam a Simone Mach. captam esse (Ant. XIII. 6,7; Bell. iud. I. 2,2). Sed regnante Alexandro Iannaeo (104-78) Iudaeis parebat (Ant. XIII. 15,4). Ulteriora eius fata narrantur Ant. XIV. 4,4; XVII. 8,1; 11,5; XVIII. 2,2; 6,3; Bell. iud. I. 7,7; 8,4; II. 6,3; 9,1.

Describitur modo ut urbs maritima (Ant. XIII. 15,4), modo ut mediterranea (Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7). Longiore intervallo a litore distabat, sed bonum portum habebat (*Ptolem.* V. 16, 2. 6 [*ed. Müller-Fischer* 15,2. 5]; *Plin.* V. 13,69 : Iamneae duae, altera intus). Portus ille apud Latinos vocabatur Majumas Iamniae (cf. Majumas Ascalonis, Gazae), hodie *Mīnet Rūbīn* paulo infra ostium *Nahr Rūbīn*. Urbi mediterraneae respondet vicus *Yebna* tum quoad nomen, tum quoad situm; distabat enim Iamnia 12 mil. pass. a Diospoli seu Lydda et 20 mil. pass. ab Ascalone (Itiner. Antonini), 12 mil. pass. a Ioppe, 10 mil. pass. ab Azoto, 22 mil. pass. ab Ascalone (Tabul. Peuting.). Notandum denique est distantiam 240 stadiorum inter portum Iamniae et urbem Ierusalem (2 Mach. 12,9) esse iusto minorem; *Relandus* (Palaestina p. 430) legi vult 340 stadia, sed *Guérin* hunc numerum reducit ad 280 stadia.

Cf. generatim *Reland*, Palaestina 823 s.; *Raumer*, Palaestina p. 203 s.; *Ritter*, Erdkunde XVI. 125 ss.; *Tobler*, Dritte Wanderung p. 20-25; *Guérin*, Judée II. 53-65; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 414. 441-443; *Guy le Strange*, Palestine under the Moslems p. 553; *Clermont-Ganneau*, Archaeol. Researches in Palestine II. (1896) p. 167-184; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3 II. p. 98-99; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 73-76; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 188; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 121; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 310-312; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. p. 237 ss.; Itinerarium Antonini Augusti et Hieros. *ed. Parthey et Pinder* 1848 p. 69.

IAMNOR (Iudith 8,1; LXX omitt.), unus ex maioribus Iudith.

IAMRA (יִמְרָה, Ἰμαρή), quintus filius Supha de tribu Aser (1 Par. 7,36).

IAMUEL (יְמוּאֵל, Ἰεμουήλ), filius primogenitus Simeonis filii Iacob (Gen. 46,10; Ex. 6,15). Idem Num. 26,12 et 1 Par. 4,24 vocatur Namuel (נְמוּאֵל, Ναμουήλ); ab eo descendit familia Namuelitarum.

IANAI (יָנַי, Ἰανεί), princeps cuiusdam cognationis Gad in Basan (1 Par. 5,12).

IANITOR. Ianitores, custodes introitus, portarum sanctuarii. Ex 1 Chron. 9,19 (textu hebr.) discimus, maiores Sellum ex domo Abiasaph Coritae fuisse custodes introitus tabernaculi Domini. Ex quo loco (sicut etiam ex v. 17) comperimus etiam antiquo tempore constitutos fuisse eiusmodi custodes, quamquam mentio eorum non habeatur. David, uti splendorem ordinemque cultus divini multum promovit, ita quoque officium ianitorum levitis accurate assignavit. Ianitores erant ex filiis Core et Merari (1 Par. 26,19). David regem in ea quoque re exsecutum esse consilium olim a Samuele propheta acceptum, declaratur 1 Par. 9,23, cum ianitores dicantur constituti a Davide et Samuele. A Davide autem quattuor millia ianitorum numerata accepimus 1 Par. 23,5; eorum divisiones recensentur 1 Par. 26,1 ss., ex qua recensione colliguntur nonaginta tres principes ianitorum, seu totidem divisiones ianitorum. Sorte autem singulis singula officia assignabantur. Ita custodia portae orientalis contigit Selemiae, Zachariae portae septentrionalis, Obededom portae australis, Sephim portae occidentalis. In porta orientali seni custodes, in septentrionali quaterni, in meridionali quaterni et insuper in aedificio adiecto bini et bini, in parte occidentali seni constituendi erant (l. c. v. 12-18). Unde continuo viginti quattuor custodes agebant vigilias. Quando arca transferebatur, constituti erant ianitores arcae 1 Par. 15,23. 24 i. e. custodes arcae qui ne quis ad arcam accederet caverent. Etiam Salomon iuxta dispositionem patris sui David constituit ianitores in divisionibus suis per portam et portam 2 Par. 8,14. Numerum ianitorum alium fuisse alio tempore

liquet; ita 1 Par. 9,22 solum ducenti duodecim numerantur, qui habitabant in villis et veniebant ad templum officii peragendi causa. Ex exsilio cum Zorobabele redierunt ianitores centum triginta novem Esdr. 2,42; Neh. 7,45; numerantur autem Neh. 11,19 centum septuaginta duo. Etiam anno septimo Artaxerxis regis cum aliis filiis Israel ianitores quoque ascenderunt Ierusalem Esdr. 7,7.

IANNE (Ἰανναί) in genealogia Christi (Luc. 3,24).

IANNES et **MAMBRES** (Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς, al. Μαμβρῆς), magi aegyptiaci, qui incantationibus suis coram Pharaone Moysi et Aaron restiterunt; his nominibus appellantur a S. Paulo (2 Tim. 3,8), in Vet. Testamento autem neque numerus neque nomina eorum traduntur (Ex. 7,11). Eadem nomina orthographice plus minus diversa leguntur apud auctores iudaicos, ethnicos, christianos. Targum Ionathan ad Ex. 1,15; 7,11; Num. 22,22 scribit יגיס וימבריס, Talmudici scribunt *Iochane* et *Mamre* vel *Ionos* et *Iombros* (cf. *Buxtorf, Schoettgen, Levy*). Inter ethnicos auctores *Plinius* (XXX. 1,11) et medio fere saeculo secundo p. Chr. *Apuleius* (Apolog. vel De Magia c. 90 *ed. Hildebrand*) inter magos post Zoroastren illustres recensent priorem ex illis, cui nomen Ianne vel Iannes; utrumque autem (Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς) Moysi coram Pharaone restitisse narrat *Numenius* Neoplatonicus apud *Euseb.* Praep. evang. 9,8; cf. *Orig.* contra Cels. 4,51. Ex scriptoribus christianis imprimis *Origenes* ad Matth. 27,9 (*M.* 13,1769) de nostro loco 2 Tim. 3,8 notat : quod ait « sicut Iannes et Mambres restiterunt Moysi », non invenitur in publicis scripturis, sed in libro secreto qui suprascribitur : Iannes et Mambres liber; — et ad Matth. 23,37 (*M.* 13,1637) ex eodem Apostoli textu concludit allegari in Novo Test. quaedam ex scripturis non canonicis : Nec enim scimus in libris canonizatis historiam de Ianne et Mambre resistentibus Moysi. — Accedit decretum *Gelasii* : Liber, qui appellatur Poenitentia Iamnae et Mambrae, apocryphus (*M.* 59,163). Apte *Theodoretus* ad 2 Tim. 3,8 : Horum autem nomina didicit divinus apostolus non ex divina scriptura, sed e non scripta Iudaeorum doctrina (*M.* 82,847).

Originem nominum quod attinet, difficile dictu est, quaenam fuerint formae primigeniae, cum tanta sit orthographiae fluctuatio supra indicata. Recentiores plerique originem semiticam agnoscunt (*Steiner, Riehm, Orelli, Schürer*); originem nominum aegyptiacam defendunt *C. Hole, Ewald, Freudenthal, Vigouroux.*

Cf. *Buxtorf,* Lex. chald. talm. rabb. 945 s.; *Suicerus,* Thesaur. eccl. s. v. Ἰαννῆς; *Schoettgen,* Horae Hebr. ad 2 Tim. 3,8; *Wetstein,* Nov. Test. ad 2 Tim. 3,8; *Levy,* Chald. Wörterbuch 1881 I. 337 et Neuhebr. Wörterbuch 1883 II. 226; Zeitschr. für wissenschaftliche Theologie 1894 p. 321-326; *Steiner* apud *Schenkel,* Bibel-Lexicon s. v.; *Riehm-Baethgen,* Handwb. des bibl. Altert. I. 679-680; *Orelli* apud *Herzog-Plitt,* Real-Encycl. für protest. Theol. *ed.* 3 s. v.; *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3. III. 292; *C. Hole* apud *Smith-Fuller,* Dict. of the Bible s. v.; *Ewald,* Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 II. 128; *Freudenthal,* Alexander Polyhistor p. 173; *Vigouroux,* Dict. de la Bible III. 1119-1121.

IANOE. 1. Ianoe (יָנוֹחָה, Ἰανωχά), oppidum in termino septemtrionali tribus Ephraim orientem versus (Ios. 16, 6. 7). Apud Eusebium et S. Hieronymum (Onom. *ed. Lag.* 267,59; 133,20) dicitur vicus Ἰανώ, Ianon in Acrabittena regione 12 mil. pass. a Neapoli (Sichem) contra orientem. Hodie invenitur *Khirbet Yānūn* inter orientem et meridiem a *Nāblus* (Sichem) nec procul ab *'Aqrabe;* distantia quidem inter *Yānūn* et Nāblus 2 $\frac{1}{2}$ horas non excedit, sed Eusebium saepius in describendo situ liberiorem esse multis eiusmodi discrepantiis comprobatur. Insuper notandum est nostram Ianoe ab Eusebio et S. Hieronymo l. c. confundi cum Ianoe 4 Reg. 15,29.

Cf. *Guérin,* Samarie II. 6. 7; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 387; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 514; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 178; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 43.

2. Ianoe (יָנוֹחָה, Ἀνιώχ) recenseturin-

ter urbes, quas Theglathphalasar in Galilaea superiore et in terra Nephthali cepit tempore Phacee regis Israel (4 Reg. 15,29). Correspondere videtur vicus *Yānūh* ad orientem Tyri.

Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. I. 51. 96; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 718; *Legendre*, Carte de la Palestine; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 17; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien zum III. u. IV. B. d. Könige 1904 p. 282-4; sed aliter sentiunt *Guérin*, Galilée II. 372; *Buhl*, Alt. Pal. p. 229. 237.

IANTHINUS i. e. coloris violacei (ἴον, viola) explicatur in Vulgata vocabulum obscurum תַּחַשׁ, quod fere semper cum עוֹר *pellis* coniunctum occurrit ad designanda tegumenta exteriora tabernaculi, arcae foederis, ceterae supellectilis sacrae (עֹרֹת תְּחָשִׁים Ex. 25,5; 26,14; 35,7. 23; 36,19. עֹרֹת הַתְּחָשִׁים Ex. 39,33. עוֹר תְּחָשׁ Num. 4,6. 8. 10. 11. 12. 14. תַּחַשׁ ib. v. 25); praeterea ex eadem pelle calceamenta muliebria pretiosa confecta ab Ezechiele describuntur (Ez. 16,10 תַּחַשׁ). Magna autem circa significationem huius vocabuli controversia habetur. Veteres interpretes plerique *colorem* exposuerunt, alii hyacinthinum (ὑακίνθινον LXX; in Ez. ὑάκινθον), alii affinem ianthinum (ἰάνθινον Aquila, Symmachus, quos secutus est S. Hieronymus), alii pariter affinem hysginum seu coccinum (סמגונא Chald. et Syr.; v. *Bochart*), alii nigrum (Samarit., *Saadias* et al. arab. apud *Bochart.*). Opinionem hanc veterum auctoritate commendabilem amplectuntur *Bochartus*, *Oedmann*, *Rosenmüller*, *Cultrera* al. E contra recentiores plerique *animal* nomine תַּחַשׁ intellegendum censent, de specie in diversas partes abeuntes. Multi enim delphino patrocinantur (*Delphinus delphis* Linné), eo quod arabice *tuchas* vel *duchas* appelletur; alii phocas seu vitulos marinos praeferunt (*Phoca vitulina* Linné) vel virginem marinam (*Halicore dugong* Quoy et Gaim = *H. cetacea* Illiger), quae eodem nomine arabico simul comprehendi censentur; alii melibus seu taxis favent (*Meles taxus* Pallas), fortasse nominis *taxi*, veteribus ignoti, cum *tachash* affinitate seducti. Alii cum *Frd. Delitzsch* potius affinitatem in lingua assyriaca sequuntur, in qua *tachshū* pellem vervecinam et vervecem videtur designare, vel cum *I. H. Bondi* aegyptiacum *ṭḥš* i. e. corium comparant, quamquam de *pellibus* e *corio* factis S. Scriptura vix loqueretur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 986-92 *ed. Rosenm.* II. 387-97; *I. D. Michaelis*, Fragen an eine Ges. gel. Männer etc., Frankfurt a M. 1762, 16 s. 112-8; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 3,26-35; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,238-43; *W. Gesenius-Aem. Roediger*, Thesaurus 1500 s.; *L. Lewysohn*, Zool. d. Tamulds 95-8; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 43-5; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 59 s.; *J. G. Wood*, Bible Animals 70-5; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 141 s.; *Frd. Delitzsch*, Prolegomena p. 77 s.; *id.* Assyr. Handwbch. 705 a; *J. H. Bondi*, Aegyptiaca p. 1 ss. — De animalibus memoratis cf. *Lennis-Ludwig*. Synopsis I. 1 *ed.* 3, p. 198. 205. 276 s. 279.

Argumenta, quibus controversia dirimatur, vix videntur suppetere. Contra *colorem* veterum praesertim arguunt ex forma plurali in textibus sacris saepius adhibita atque cum statu constructo עֹרֹת coniuncta. Ex *animalibus* autem certe reicienda videntur meles, quia difficile in paeninsula sinaitica satis magno numero pelles taxoninae praesto fuisse supponuntur, et delphinus, cuius pellis tini in S. Scriptura indicato vix convenit. Etiam contra phocam difficultas exsurgit, quia in mari Mediterraneo iam rarior, in mari Rubro vix invenitur. Halicore autem, licet ad tegumenta tabernaculi et supellectilis sacrae pellem optimam praebeat, calceamentis delicatis muliebribus vix aptam materiam suppeditaret. Quodsi igitur animal intellegendum est, potius de vervece videtur exponendum, cuius pellis cum arietum pellibus (Ex. 25,5) bene componitur et calceis pulchris satis apta est.

L. FONCK.

IANUM (יָנִים *Queri*, יָנִים *Kethib*; Ἰεμαίν), urbs tribus Iuda in secunda provincia montis (Ios. 15,53), haud pro-

cul a Hebron quaerenda. Coniicitur esse vicus magnus *Benī Na'īm* prope Hebron orientem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 304), qui ab indigenis etiam vocatur *Kefr Bereik* (Capharbaricha S. Hieronymi et S. Epiphanii); sed contra hanc coniecturam quaedam dubia moventur (cf. *Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 244).

IAPHETH. 1. Iapheth (יֶפֶת, Ἰάφεθ), filius Noe, frater Sem et Cham. Ex opinione communiter recepta Iapheth erat natu minimus inter filios Noe; ubicunque enim omnes tres filii simul enumerantur, ordo idem servatur Sem, Cham, Iapheth (Gen. 5,31[32]; 6,10; 7,13; 9,18; 10,1; 1 Par. 1,4). Obstare videtur primo quod Gen. 10,2 et 1 Par. 1,5 genealogia Iapheth proponitur ante genealogiam Cham et Sem, ita ut ordo fratrum invertatur; sed ratio inversionis petenda est ex fine auctoris, qui generationes Iapheth et Cham eliminat et excludit, ut generationem Sem usque ad Thare eiusque filium Abraham, in cuius semine omnes gentes benedicendae sunt, perducat (cf. *Cornely,* Introd. II. 1, p. 7). Obstare videtur secundo, quod Gen. 10,21 Sem appellari videtur frater Iapheth maioris (LXX, Symmachus); sed cum Vulgata vertendum est : Sem, *frater Iapheth maior* idque merito additum est, ne Sem, cuius genealogia post generationes Iapheth et Cham evolvitur, natu minimus esse putetur. Maiorem difficultatem aliqui in eo cernunt, quod Gen. 9,24 duobus aliis Sem et Iapheth opponitur Cham filius minor (הַקָּטָן); censent quidem multi recentiores hac voce Cham filium natu minimum designari (*Tuch, Knobel, Baur, Delitzsch, Bunsen* etc.), alii vero solummodo minorem (LXX ὁ νεώτερος, Vulg. minor) respectu Sem (*Ewald, Keil, Schrader* etc.). Sine dubio rationes, quibus Iapheth natu minimus fuisse suadetur, omnino praevalent. Natus est autem ante diluvium (Gen. 6,10; 7,13) et longo quidem tempore ante illud; Noe enim cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Iapheth (5, 31 hebr. 32), primogenitum autem Sem centum fere annis ante diluvium (11, 10); cf. *Flav. Ios.* Ant. I. 4,1 : Sem, Iapheth, Cham centum annis ante diluvium nati.

Celeberrimus est Iapheth benedictione illa, quam verecundia patri exhibita (Gen. 9,23) sibi promeruit : Dilatet (יַפְתְּ) Deus Iapheth et habitet in tabernaculis Sem sitque Chanaan servus eius (9,27); cf. *F. de Hummelauer* ad h. l. A Iapheth descendunt progenitores septem populorum : Gomer, Magog, Madai, Iavan, Thubal, Mosoch, Thiras (Gen. 10,2; 1 Par. 1,5).

2. Iapheth (Ἰάφεθ) regio ad quam usque Holofernes cum exercitu suo progressus est (Iudith 2,15 : a Cilicia usque ad fines Iapheth, qui sunt ad austrum; LXX 2,25 ἕως ὁρίων Ἰάφεθ, τὰ πρὸς νότον κατὰ πρόσωπον τῆς Ἀραβίας). *Scholz* ad h. l. regionem Iapheth censet esse Persiam et fortasse Indiam quoque, *Wolff* (Das Buch Iudith p. 104) planitiem montanam *Szaffehuet, Szahuet, Szaphet* (Iapheth?) a monte Alsadamo (*Ḥaurān*) septemtrionem versus. *Vigouroux* (La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. p. 118) alias coniecturas recenset, sed nihil certi statuit.

IAPHIA (יָפִיעַ). **1.** Rex Lachis urbis, unus ex quinque regibus Amorrhaeorum, qui a Iosue per ascensum et descensum Bethoron fugati et iuxta speluncam urbis Maceda interfecti sunt (Ios. 10,3; Ἰεφθᾶ).

2. Filius David decimo loco enumeratus inter illos tredecim, qui ei nati sunt in Ierusalem, postquam illuc Hebrone sedes regni translata est (2 Reg. 5,15; 1 Par. 3,7; 14,6; LXX Ἰεφιές, Ἰαφιέ); 2 Reg. 5,15 locum octavum occupat, quia nomina septimi et octavi deficiunt (cf. *Driver* et *F. de Hummelauer* ad h. l.).

IAPHIE (יָפִיעַ, Φαγγαί). Terminus Zabulon ascendit a Dabereth contra Iaphie et inde pertransit usque ad orientalem plagam Gethhepher (Ios. 19,12). Ab Eusebio et S. Hieronymo (Onom. *ed. Lag.* 267,69; 133,32) Iaphie agnosci videtur oppidum maritimum Sycaminum (Hepha, *Ḥaifā*) ad radices Carmeli promontorii situm; assentitur Relandus (Palaestina p. 826). Attamen neque etymon neque indicia topographica huic opinioni favent. A recentioribus agno-

scitur vicus *Yāfā* prope Nazareth inter meridiem et occidentem. Idem putatur esse Iapha (Ἰαφά) vicus Galilaeae inferioris maximus, moenibus munitissimus, plenus incolarum, quem Flavius Iosephus (Bell. iud. II. 20,6; Vita 45 cf. 37. 52) dux Iudaeorum occupavit et Titus expugnavit (Bell. iud. III. 7,31). *Quaresmius* refert patriam Zebedaei eiusque filiorum Iacobi et Ioannis fuisse viculum *Saffa* 3 mil. pass. a Nazareth inter meridiem et occidentem. Verum haec opinio *Quaresmii*, secundum quam *Saffa* ponitur ibi, ubi hodie est vicus *Yāfā*, videtur esse erronea et patria Zebedaei scil. *Saffa* vel *Saffra* (cf. *Adrichomius*, Theatrum Terrae Sanctae, Zabulon 83) potius componenda cum vico *Shefā ʿAmr* inter Nazareth et Accho. De qua quaestione vide *J. P. van Kasteren*, De Geboorteplaats der Boanerges in periodico : De Wetenschappelijke Nederlander, Amsterdam 1890 (complures dissertationes.)

Cf. *Quaresmius*, Terrae Sanctae Elucidatio *ed. Cypr. de Tarvisio* 1881 II. p. 634; *Robinson*, Palaestina III. 439. 882; *I. Schwarz*, Das heilige Land 1852 p. 135; *Guérin*, Galilée I. 103-106; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 353. 354; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 675. 676; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 1126. 1127. — Sed contra hunc situm Iaphie = *Yāfā* obiectiones movent *Dillmann* ad Ios. 19,12; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 215.

IAQE (Prov. 30,1 hebr.), pater Agur (v. AGUR).

IARA. 1. Iara (יְרוֹחַ, Ἰδαί), unus ex maioribus Abihail principis tribus Gad (1 Par. 5,14).

2. Iara (יַעֲרָה, Ἰαδά), filius Ahaz ex posteris Meribbaal seu Miphiboseth (1 Par. 9,42). Idem 1 Par. 8,36 scribitur Ioada (יְהוֹעַדָּה, Ἰαδά).

IARAMOTH (יַרְמוּת; Ἐμμάθ, Ἱερμόθ), urbs Issachar levitis de stirpe Gerson concessa (Ios. 21,29). Eadem Ios. 19,21 appellatur Rameth (רֶמֶת, Ἐμμάς) et 1 Par. 6,73[58] Ramoth (רָאמוֹת, Ῥαμόθ). Proponitur vicus *el-Rāme* 10 km a *Sebastīye* (Samaria) aquilonem versus (*Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 17 et 27; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 155). Sed recte animadvertit *Guérin* (Samarie II. 215-216) tribum Issachar vix eo usque protensam fuisse et Rameth (Remeth, Iaramoth) quaerendam esse magis in vicinia Engannim, quocum simul nominatur; item *F. de Hummelauer* ad Ios. 19,21 : « an eo pertingebant fines Issachar »?

IARE (יָרֵח, Ἰαράχ), quartus inter tredecim filios Iectan (Gen. 10,26; 1 Par. 1,20; LXX omittunt 1 Par. 1,20), qui peninsulam arabicam occuparunt. Populus a Iare descendens nondum certo repertus est. *Bochartus* (Phaleg 2,19) Alilaeos intellegit ad mare Rubrum in regione aurifera habitantes eorumque verum nomen fuisse coniicit *filiorum lunae* propter cultum lunae (יָרֵחַ *luna*). Sed cum Iare Gen. 10,26 iungatur cum Asarmoth (*Hadramaut*), *Michaelis* (Spicil. 2,60) praeferendum duxit *litus lunae* et *montem lunae* in orientali parte regionis *Hadramaut;* cf. *Gesenius*, Thesaur. p. 630. Verum haec dubia sunt, praesertim cum cultus lunae apud Arabes australes late propagatus fuerit. *D. S. Margoliouth* (apud *Hastings*, Dict. of the Bible II. 568) in comparationem adducit *Yurākh* in *Yemen*, *Yaraḥ* in *Hedjas* et *Warākh* in *Yemen*, quae loca apud geographos arabicos *Yāqūt* et *Hamdāni* memorantur.

IAREB (יָרֵב, Ἰαρείμ), in Vulgata ultor (Os. 5,13; 10,6) designatur rex Assyriorum, ut indoles eius describatur. Israelitae in calamitatibus ab Assur auxilium stulte implorabant; sed rex Assur in ultionem et vindictam propensus poenas ab iis extremas exegit. *W. M. Müller* pro מֶלֶךְ יָרֵב legendum censet מלכי רב scil. titulum in inscriptionibus assyriacis usitatum *regis magni*. Alii (*M. H. Sayce*, *A. Neubauer*) coniiciunt Iareb fuisse nomen Sargon regis, antequam thronum ascenderet. Sed explicatio de rege *ultore* textui satisfacere videtur. Eodem fere sensu *H. Guthe* germanice vertit « Kampfhahn ».

Cf. *W. M. Müller* in Zeitschr. fur altte-

stam. Wissenschaft XVII. 1897 p. 334 ss.; *M. H. Sayce* in Babylonian and oriental Record, 1887-1888, II. p. 18 s. 127. 145 et Higher Criticism, 1894 p. 147; *A. Neubauer* in Zeitschr. für Assyriologie III. 1888 p. 103; *H. Guthe* apud *E. Kautzsch*, Die H. Schrift d. Alten Test.

IARED (יֶרֶד, in pausa יָרֶד; LXX ut plurimum Ἰάρεδ). **1.** Sethita, filius Malaleel, pater Henoch, annos vilae 962 adeptus (Gen. 5,15-20; 1 Par. 1,2; Luc. 3,37); cf. s. v. IRAD.

2. In genealogia Iuda 1 Par. 4,18 nominatur Iared pater (possessor) Gedor; v. GEDOR 1. Eius mater l. c. dicitur Iudaia, quam non uxorem Ezra, sed uxorem Mered filii Ezra esse ostendimus s. v. BETHIA, ubi emendatio textus indicata est.

IAREPHEL (יִרְפְּאֵל: Καφάν, A Ἰεφαήλ), urbs Beniamin inter 14 (LXX 13) urbes occidentales huius tribus enumerata (Ios. 18,27). Hodie fortasse vicus *Rafāt* prope Gabaon aquilonem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 13. 154).

IARIB (יָרִיב, Ἰαρίβ). **1.** Vide IACHIN 1.

2. Princeps, qui cum Esdra ex captivitate rediit et ab Esdra missus est ad Eddo (vide s. v.), ut levitae quoque redeuntibus se adiungerent (Esdr. 8,16); utrum Iarib fuerit sacerdos an laicus, ex contextu non liquet.

3. Sacerdos de familia Iosue filii Iosedec recensetur inter eos, qui uxores alienigenas Esdra iubente dimiserunt (Esdr. 10,18).

4. Mathathias pater quinque heroum Machabaeorum dicitur 1 Mach. 14,29 esse ex filiis Iarib, sed rectius 1 Mach. 2,1 ex filiis Ioarib, qui sine dubio est Ioiarib princeps familiae sacerdotalis (v. IOIARIB 1).

IARIM (הַרְרֵעָרִים, πόλις Ἰαρίν, Vulgata: mons Iarim), mons in termino septemtrionali tribus Iuda occidentem versus (Ios. 15,10). Est ille mons, in cuius latere seu humero vicus Cheslon (*Keslā*) situs est; v. CHESLON. Sed *F. de Hummelauer* interpretatur Iarim ipsum montem silvarum, in quo erat Cariathiarim et emendat 15,10 : Circuit terminus de Baal (Cariathbaal, Cariathiarim) transitque secus verticem montis silvarum Masphonam, haec est Cheslon.

IASA, IASSA (יַהַץ Is. 15,4; Ier. 48, 34; alias יָהְצָה quae forma Num. 21,23 et Deut. 2,32 locativus prioris explicatur; Ἰασσά, Ἰασά), urbs transiordanica, apud quam Sehon Amorrhaeus rex Hesebon a filiis Israel percussus est (Num. 21,23; Deut. 2,32; Iud. 11,20), tribui Ruben attributa (Ios. 13,18), postea levitis de stirpe Merari concessa (1 Par. 6,78 [63]; Ios. 21,36 qui versus in textu hebraico recepto deficit; v. IASER 1). A Mesa rege Moabitarum recuperata (Inscriptio Mesa lin. 19. 20) saepius in propheticis oraculis contra Moab editis commemoratur (Is. 15,4; Ier. 48,21. 34). Tempore Eusebii urbs ostendebatur inter Medaba et Debus (Onom. *ed. Lag.* 264,97); pro Debus (Δηβοῦς) legendum esse Hesebon (Ἐσβοῦς) suspicabatur *Relandus* (Palaestina p. 825), probabilius autem intellegitur Dibon. Situs nondum repertus est; coniecturae sunt variae. Aliqui urbem magis orientem versus quaerunt in deserto, quoniam Num. 21,23 Sehon Israelitis obviam egressus esse legitur in desertum; attamen ex Ier. 48,21 sita erat in ipsa planitie montana Moab. Restat igitur, ut inter Dibon et Medaba, sed magis versus orientalem partem planitiei quaeratur. Nulla denique ratio est duas urbes Iahaz et Iahza propter diversitatem scriptionis hebraicae distinguendi, ut voluerunt *Hitzig* (Isaias p. 187 s.), *Kneucker* (apud *Schenkel*, Bibellex. s. v.).

IASER. **1.** Iaser (יַעְזֵר, Ἰαζήρ) legitur Ios. 21,36 in Vulgata, LXX et in plerisque hebraicis mss. et editionibus anno 1525 antiquioribus, deest autem in multis hodiernis editionibus, postquam R. Iacob Ben Chajim propter auctoritatem R. Kimchi et Massorae magnae in Biblia rabb. anni 1528 versus 36. et 37. ut spurios expunxit. Cf. *de Rossi*, Var. Lect. Vet. Test. II. 96-106. Est autem haec Iaser eadem urbs quae Iasa, Iassa (vide s. v.).

2. Iaser (Ios. 13,25; 21,37) v. IAZER.

3. Iaser (יָשֵׁר, Ἰωάσαρ), unus ex filiis

Caleb, filii Hesron, ex Azuba genitus (1 Par. 2,18).

IASI (יְעִשִׁי, *Qeri* יעשי), unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas in exsilio duxerant (Esdr. 10,37). LXX aliis punctis legerunt καὶ ἐποίησαν — ייעשו.

IASIEL. **1.** Iasiel (יַחְצִאֵל, Ἀσιήλ), primus inter quattuor filios Nephthali (Gen. 46,24), progenitor familiae Iesielitarum (Num. 26,48; Vulgata : Iesiel). Idem 1 Par. 7,13 scribitur Iaziel et Iasiel (יַחְצִיאֵל, Ἰασιήλ).

2. Iasiel (יַעֲשִׂיאֵל, Ἰεσσιήλ), ultimus inter heroas davidicos enumeratus (1 Par. 11,46[47]). Describitur Iasiel de Masobia (הַמִּצֹּבָיָה, ὁ Μεσωβία); cum haec forma hebraica non sit nominis gentilicii, *Relandus* (Palaestina p. 899) putavit eam esse compendium vocis Migdal Zebaia, quo nomine rabbini locum quendam circa Hebron vel circa Bersabee designabant; *Bertheau* (in h. l.) articulo deleto formam מִצֹּבָה (2 Sam. 23,36; Vulgata : de Soba) deprehendi posse innuit, quam ipsam valde dubiam esse *F. de Hummelauer* (in 2 Sam. 23,26) ostendit. Alii alia coniiciunt.

3. Iasiel (יַעֲשִׂיאֵל, Ἰασιήλ), filius Abner, princeps tribus Beniamin tempore David regis (1 Par. 27,21).

IASON (Ἰάσων), nomen inter Graecos usitatum, quod frequenter etiam usurpabant Iudaei hellenizantes pro nomine Iesus tum propter soni similitudinem tum forte propter similem significationem (ἰᾶσθαι, mederi).

1. Filius Eleazari, a Iuda Machabaeo legatus una cum Eupolemo Romam missus a. 161 a. Chr. (1 Mach. 8,17). Videtur idem esse Iason, cuius filius Antipater una cum Numenio a Ionatha legatus ad Lacedaemonios et Romanos missus est (1 Mach. 12,16; 14,22).

2. Iason Cyrenaeus, auctor operis historici quinque libris comprehensi. Opus hoc deperditum est, sed liber 2 Mach. teste auctore sacro (2 Mach. 2,24-29 Vulgata; 23-28 gr.) epitomen operis a Iasone compositi continet. Epitome haec complectitur spatium 15 annorum (176-161 a. Chr.); narrat irritum conatum templi spoliandi factum Seleuco IV. Philopatore (187-175 a. Chr.) adhuc superstite, persecutionem ab Antiocho IV. Epiphane excitatam, historiam Machabaeorum usque ad proelium prope Bethoron commissum, quo Nicanor a Iuda Machabaeo victus interiit anno 161 a. Chr. — Haec sunt, quae 2 Mach. 3,1-15,38 (gr. 37) ex opere Iasonis excerpta habentur. Loci paralleli sunt 2 Mach. 4,7-15,38[37] et 1 Mach. 1,11[10]-7,50.

De Iasone nihil aliud traditum est. Probabilitate non caret opinio auctorem operis deperditi fuisse Iasonem Eleazari filium, quem Iudas Machabaeus post Nicanoris interitum (ut contextus 1 Mach. 8,17 suadet) legatum Romam misit. Etenim legatum hunc litterarum graecarum peritum fuisse satis innuunt eius legatio romana et nomen graecum; neque causam Iudaeorum Romanis aptius commendare poterat, quam documento historico, quo persecutio ab Antiocho Epiphane excitata et Iudae gesta praeclara Romanis ob oculos ponerentur. Huic hypothesi non obstat pietas, quam liber 2 Mach. passim spirat; non enim agitur de epitomatoris libro canonico, sed de opere Iasonis primitivo, quod utique, si Romanis destinatum erat, indolem a libro nostro canonico prorsus alienam prae se ferre poterat. — Id vero satis certo affirmare licet, opus Iasonis Cyrenaei completum fuisse ante mortem Iudae Machabaei, quae eodem anno 161 a. Chr. brevi post Nicanoris interitum accidit. Etenim 2 Mach. 15,38 [37] affirmatur civitatem sanctam post Nicanoris obitum in potestate Iudaeorum mansisse; id Iason, cuius opus auctor sacer in epitomen redactum nobis tradit, iuremerito affirmare potuit ante, nullo modo post Iudae interitum; cf. 1 Mach. 9,27. 33. 53. Praeterea descriptio operis Iasonis 2 Mach. 2,20-24 [19-23] data effert nomina Antiochi IV. Epiphanis, Antiochi V. Eupatoris et liberationem civitatis (quae anno primo Demetrii I. Soteris per Iudam facta est); ergo pronum est concludere his plura in opere Iasonis non infuisse. Denique Iason tot tantisque de Iuda narratis eius mortem gloriosam brevi post secutam non

tacuisset, nisi antea librum suum finivisset; eum vero mortem Iudae tacuisse iure inferimus ex silentio auctoris sacri, de quo eadem valet argumentatio.

Cf. *Cornely*, Introd. in S. Script. II. n. 155. Quoad notas bibliographicas consule *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Iesu Christi *ed.* 3 III. p. 359-364, sed adverte hunc auctorem in rebus 2 Mach. narratis haud pauca detegere, quae sint indiligenter dicta, erronea, fabulosa.

3. Iason (Ἰάσων), filius Simonis II. et frater Oniae III. pontificum (2 Mach. 1,7; 4,7-27; 5,5-10). Iesus ei nomen patrium fuerat; sed Graecorum moribus favens nomen graecum ipse sibi imposuit (*Flav. Ios.* Ant. XII. 5,1). Ab Antiocho IV. Epiphane multis pecuniis promissis sibi emit summum sacerdotium cum potestate instituendi gymnasium et ephebias civibusque hierosolymitanis vendendi honores et iura Antiochensium. Onia III. remoto ipse pontifex erat per tres annos (circa 174-171 a. Chr.). Sub ipsa arce Hierosolymorum gymnasium erexit, optimos quosque iuvenes in ephebiis Graecorum more instruendos curavit atque hoc modo effecit, ut ipsi sacerdotes altaris officia neglegentes exercitiis palaestrae et disci delectati sint. Immo cum Tyri quinquennalis agon rege praesente celebraretur, Iason per legatos trecentas argenti didrachmas in sacrificium Herculis misit; sed ipsis legatis, quos tanti sceleris puduit, precantibus haec pecunia non in sacrificium Herculis, sed in fabricam navium triremium erogata est. Antiochus IV. cum ipse Hierosolyma veniret (ante primam, ut videtur, in Aegyptum expeditionem), a Iasone et civitate cum facularum luminibus summisque laudibus exceptus est. Iasoni summum sacerdotium eripuit Menelaus eo modo, quo Iason Oniae III. eripuerat scil. maioribus tributis regi promissis. Iason ad Ammonitas aufugit. Rediit quidem cum mille viris et capta urbe immanem civium cladem fecit anno 170 a. Chr., cum falsus rumor exisset Antiochum IV. in secunda adversus Aegyptum expeditione vita excessisse; sed ubi primum regem victorem ex Aegypto reverti comperit, iterum ad Ammonitas aufugit. Ab Areta Arabum principe finibus expulsus primum in Aegyptum, dein Lacedaemona se contulit et ibidem diem supremum obiit « illamentatus et insepultus » (2 Mach. 5,10).

4. Christianus Thessalonicensis, ad quem S. Paulus in secundo itinere apostolico divertit (Act. 17,5-9).

5. Christianus a quo S. Paulus Corinthi scribens salutem Romanis misit (Rom. 16,21). Fortasse idem ac IASON 4.

IASPIS in textu Vulgatae locum hebraici יָהֲלֹם occupat, quae gemma sexta nominatur inter lapides pectoralis pontificii (Ex. 28, 18; 39, 11) atque in descriptione magnificentiae regis Tyriorum tertio loco occurrit (Ez. 28,13). Praeterea pro hebr. כַּדְכֹּד ponitur Is. 54,12, quod alibi (Ez. 27,16) retinetur (v. CHODCHOD). Denique in Apocalypsi sedens in throno dicitur « similis aspectui lapidis iaspidis » (ἰάσπιδος Apoc. 4,3) et civitas sancta Ierusalem describitur « habens claritatem Dei : et lumen eius simile lapidi pretioso tamquam lapidi iaspidis, sicut crystallum » (ὁ φωστὴρ αὐτῆς ὅμοιος λίθῳ τιμιωτάτῳ, ὡς λίθῳ ἰάσπιδι κρυσταλλίζοντι Apoc. 21, 11); etiam structura muri eius ex lapide iaspide (ib. v. 18) et primum fundamentum iaspis fuisse exhibetur (ib. 19). — Cum inter nomina hebraica gemmarum alterum, graeco atque latino iaspidis nomini simillimum, יַשְׁפֵּה occurrat, quod in textu Exodi (28, 20; 39,13) ultimo loco ponitur, fuerunt qui hoc potius nomine iaspidem designari atque in textu Vulgatae, sicut in versione LXX interpretum, ordinem gemmarum mutatum esse censuerint; unde יָהֲלֹם potius lapillum onychinum significare putarunt, cui LXX locum יַשְׁפֵּה tribuunt, vel beryllum, qui in Vulgata ultimo loco enumeratur. At quamvis haec opinio nominis affinitate satis probabilis appareat, difficultatem tamen facit, quod etiam in textu Ezechielis, ubi alius omnino ordo in textu massorethico servatur, S. Hieronymus eodem modo יַשְׁפֵּה beryllum et יָהֲלֹם iaspidem vertit, seniores vero similiter sextum locum iaspidi, ultimum onychi tribuunt. Unde

etiam hoc loco ordinem mutatum esse dicendum erit. Iosephus Flavius autem iterum alium ordinem exhibet, iaspidem quinto loco nominans (Ant. III. 7,6; Bell. iud. V. 5,7), ultimo vero illic beryllum (Ant. l. c.), hic chrysolithum, praecedente beryllo (Bell. iud. l. c.). S. *Epiphanius* in tractatu De duodecim gemmis, seniores secutus, sexto loco de iaspide, ultimo de onyche disserit.

Iam vero de iaspide satis certum videtur, neque in S. Scriptura, neque ab auctoribus antiquis profanis eam gemmam intellegi, quae a recentioribus iaspis vocatur. Nam iaspis in Apocalypsi vocatur κρυσταλλίζων, i. e. translucidus uti crystallum, et propter hanc qualitatem praesertim in descriptione caelestis Ierusalem « habentis claritatem Dei » in comparationem adducitur (Apoc. 21,11). Pariter a Plinio iaspis dicitur saepe tralucere et species nobiliores refulgentes describuntur, et in colore virens vocatur, optima autem quae purpurae aliquid habet, secunda quae rosae, « tertia quae smaragdi », alia etiam species caerulea, alia aërizusa etc. (XXVII. 8, 115 s.; cf. *Theophr.* De lapid. 4,23; 6,35). Atqui iaspis recentiorum est quarzi species, non translucida, coloris flavi, rubri, fusci. Quae sane neque verbis Apostoli neque descriptioni Plinii videtur satisfacere. Etiam medio aevo v. gr. in cantu a *Nibelungis* dicto iaspis tamquam gemma translucida viridisque describitur. Speciem autem huius gemmae antiquae determinare difficile erit; probabiliter ad lapillos pertinebat, qui hodie *corundus* vel *spinellus* appellantur, translucidi variisque coloribus, etiam viridi, fulgentes.

Cf. *S. Epiph.* De 12 gemmis n. 6; *Fr. Rueus,* De gemmis 2,1; *J. Braun*, Vestit. sacerd. Hebr. II. 13 n. 533-43; 19 n. 604-10; *F. C. Lesser*, Lithotheologie p. 354; *J. J. Bellermann*, Die Urim u. Thummim, Berlin 1824, 47-9. 69-73; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,36 s. 43 s.; *K. E. Kluge,* Handb. d. Edelsteinkunde, Leipzig 1860, 259 ss. 284 ss. 384-6; *Leunis-Senft*, Synopsis III. 1 p. 395-9. 562; *Naumann-Zirkel,* Elem. d. Mineralogie ed. 13. p. 464-6. 477. 511 s. — Cf. LAPIDES PRETIOSI.

L. FONCK.

IASSA v. IASA.

IASSEN (בְּנֵי יָשֵׁן, Vulg. Filii Iassen, LXX υἱοὶ Ἀσάν) legitur in catalogo heroum Davidis (2 Reg. 23,32). Loco parallelo 1 Par. 11,33[34] habetur : Filii Assem (בְּנֵי הַשֵּׁם) Gezonites. De nomine gentilicio v. GEZONITES. LXX 1 Par. 11,34 nomen proprium exhibent Βεννναίας, ℵ Βεννέας, A υἱοὶ Ἀσάμ (cf. *Swete*, The Old Test. in Greek). Praeterea textus LXX Luciani legit 2 Reg. 23, 32 Ἰεσσαί et 1 Par. 11,34 Εἰφασαί. Unde concludendum videtur nomen herois fuisse יָשֵׁן et illud בְּנֵי *filii* in utroque textu ortum esse ex dittographia ob nomen praecedens Salaboni (שַׁעַלְבֹנִי). — Cf. *Driver,* Notes on the Hebrew Text of the Books of Samuel 1890 p. 283.

IASUB (יָשִׁיב, Ἰασούβ). **1.** Tertius filius Issachar, progenitor familiae Iasubitarum (Num. 26,34; 1 Par. 7,1 *Qeri*). Idem Gen. 46,13 vitiose, ut videtur, scribitur Iob (יוֹב, sed LXX Ἀσούμ).

2. Unus de filiis Bani, qui tempore Esdrae uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,29).

3. Filius Isaiae prophetae (Is. 7,3). Nomen filii symbolicum est שְׁאָר יָשִׁיב i. e. *reliquiae convertentur*, LXX ὁ καταλειφθεὶς Ἰασούβ, Vulg. qui derelictus est Iasub. De prophetica nominis significatione vide *Knabenbauer* in h. l.

IATHANAEL (יִתְנִיאֵל, Ἰενουήλ), levita de stirpe Core, quartus filius Meselemiae, ianitor domus Domini (1 Par. 26,2).

IAUS (יְעִיאֵשׁ, Ἰῶας), levita de stirpe Gerson, tertius filius Semei (1 Par. 23, 10. 11); ipse et Baria frater eius in unam familiam computati sunt.

IAVAN (יָוָן, Ἰωύαν; sed apud Is. Ez. Dan. Zach. Graecia, Graeci, Ἑλλάς, Ἕλληνες).

1. Unus ex filiis Iapheth, pater Elisa, Tharsis, Cetthim, Dodanim (Gen. 10,2. 4; 1 Par. 1,5. 7). Idem nomen Is. 66,19 una cum Tharsis, Phul, Lud, Thubal et insulis remotis ad designandas nationes gentium longinquas legitur. Ex Iavan (Graecia) Tyrii servos et vasa aerea ac-

quirebant (Ez. 27,13). Eodem nomine designantur Dan. 8,21 et 10,20 Macedones, 11,2 Graeci a regibus Persarum impugnati, Zach. 9,13 regnum Alexandri Magni et varia illa regna ex eius imperio exorta. Item Ioel 3,6 hebr. 4,6 filii Graecorum (בְּנֵי הַיְוָנִים, οἱ υἱοὶ τῶν Ἑλλήνων) de Ioniis vel Graecis explicantur. Dubium non est quin Iavan sint Iones (Ἰάονες) vel Graeci (*Flav. Ios.* Ant. I. 6,1), in inscriptionibus cuneiformibus vocantur *Iaavnaai, Iaavanu.* Sargon rex Assyriorum gloriatur, quod incolas terrae Iavan, qui habitent in medio mari, velut pisces extraxerit. Sennacherib navibus suis nautas de Tyro, Sidone, Iavan imponit; conferre licet quod ex *Abydeno* refert *Eusebius* (Chron. I. 9; *M.* 19,123 vel *ed. Schoene* I. p. 35) classem Graecorum a Sennacherib profligatam esse prope oram Ciliciae. Pluries in inscriptionibus Darii Hystaspis commemoratur terra *Iavanu* vel *Iaavanu;* notare tamen iuvat, in istis inscriptionibus agi de Graecis (Ioniis) Asiae minoris et insularum Asiae, non de Graecia propria.

Cf. *F. de Hummelauer* ad Gen. 10,2; *Schrader-Withehouse,* Cuneif. Inscript. and Old. Test. I. 63. 64; *Delitzsch,* Paradies 248. 249; *Fr. Lenormant,* Histoire ancienne de l'Orient 1881 I. p. 296 et Les origines de l'histoire 1884 II. 2, p. 1-29; *W. Max Müller,* Asien und Europa nach altaegyptischen Denkmälern 1893 p. 370.

2. Iavan (Vulg. Graecia) legitur Ez. 27,10 in descriptione commercii Tyriorum cum Arabia. LXX pro Iavan videntur legisse יַיִן *vinum.* Locus est admodum obscurus, cum de genuina lectione non constet. Iavan hoc loco utique non est Graecia; ab aliis putatur regio Arabiae felicis (*Kamus* p. 1817 apud *Gesen.*, Thesaur. p. 588 : Iavan oppidum Iemanae, Iavan oppidum in porta Ispahanensi), ab aliis colonia mercatorum Ioniae in Arabia meridionali (?). De emendatione huius textus a *Cornill* inducta v. DAN 4.

IAZER, in Vulgata etiam Iaser, Iezer (יַעְזֵר, יַעְזֵיר, יַעְזֵר: Ἰαζήρ plerumque), urbs transiordanica in Galaad (1 Par. 26,31 : Iazer Galaad), a qua regio circumiacens vocabatur terra Iazer (Num. 32,1. 3; cf. 2 Reg. 24,5), haud dubie pars aliqua praecipua Galaad inferioris, cum locis citatis terra Iazer a Galaad distingui videatur. Ab Israelitis expugnata est, postquam devicto Sehon rege Hesebon terram Amorrhaeorum occuparunt (Num. 21,32); ex hoc autem non efficitur Iazer extra fines regni Sehon fuisse, sed contextu potius innuitur Iazer utpote regionem magis dissitam eiusdem regni nova aliqua expeditione subigendam fuisse. Sunt tamen interpretes, qui putent a maiore regno Sehon distinguendum esse aliud regnum amorrhaeum minoris extensionis in terra Iazer, praesertim cum iam Num. 21,24 LXX legant : *Iazer erat terminus Ammonitarum* i. e. terminus inter regnum Sehon et desertum Ammon, quam lectionem contra textum massorethicum : *firmus erat terminus Ammonitarum* praeferunt *Dillmann* ad h. l., *F. de Hummelauer* ad h. l., *Ewald,* Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 II. p. 289 et alii.

Iazer a filiis Gad reaedificata (Num. 32,35), tribui Gad attributa (Ios. 13,25), postea levitis de stirpe Merari concessa est 21,37; 1 Par. 6,81[66]); tempore autem Davidis Hebronitae, qui erant levitae de genere Caath, ibidem ministerium Dei et regis procurabant (1 Par. 26,31). Eius mentio fit in oraculis propheticis contra Moab editis (Is. 16,8. 9; Ier. 48,22). Ex potestate Moabitarum postea in manus Ammonitarum transiit; nam Iudas Machabaeus urbem Ἰαζήρ (Vulg. Gazer; *Flav. Ios.* Ant. XII. 8,1 : τὴν Ἰαζωρῶν πόλιν *ed. Niese*) ab Ammonitis occupatam cepit (1 Mach. 5,8).

Teste Eusebio (Onom. *ed. Lag.* 264, 98 s.) Iazer distabat 10 mil. pass. a Philadelphia (*'Ammān*) occidentem versus et 15 mil. pass. a Hesebon (*Hesbān*) eratque ibidem fons magni fluvii ad Iordanem tendentis; teste S. Hieronymo (Onom. *ed. Lag.* 86,23 s. v. Azor) vicus Iazer solum 8 mil. pass. a Philadelphia occidentem versus aberat. His distantiis satisfaciunt vel *Khirbet Ṣār* vel *Khirbet Ṣīr,* ruina prior a sinistris, altera a dextris *Wādi el-Ṣīr,* qui ex ea regione in *Wādi el-Kefrein* decurrens magnus ille fluvius Eusebii agnosci potest.

Cf. *Seetzen*, Reisen durch Syrien, Palaestina etc. *ed. Kruse* I. 397 s.; *Survey of East. Pal.* Mem. I. p. 153; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XV. 1892 p. 24; *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 1850-1852. — Alias coniecturas de situ proposuerunt *I. L. Burckhardt*, Reisen in Syrien, Palaestina *ed. Gesenius* II. p. 609, sed cf. 1061. 1062; *Oliphant*, The Land of Gilead 1880 p. 231.

IAZIEL. 1. Iaziel (יַזִּיאֵל, *Qeri* יַזִיאֵל; Ἰωήλ, A Ἀζιήλ), Beniaminita, qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12, 3), filius Azmoth (viri vel urbis); v. AZMAVETH 3.

2. Iaziel (יַעֲזִיאֵל, Ὀζιήλ), levita tempore Davidis (1 Par. 15,18). Idem videtur esse, qui 1 Par. 15,20 scribitur Oziel (עַזִּיאֵל, Ὀζειήλ).

3. Iaziel (יַחֲזִיאֵל, Ὀζιήλ), sacerdos tempore Davidis (1 Par. 16,6).

IAZIZ (יָזִיז, Ἰαζείζ), Agareus, qui tempore Davidis super oves praepositus erat (1 Par. 27,31).

IBEX recte exponitur in Vulgata animal hebr. יָעֵל (tantum in plur. יְעֵלִים) dictum, quod saepius tamquam incola petrarum abruptarum describitur (1 Reg. 24,3; Ps. 103[104], 18 Vulg. *cervis;* Iob 39,1), ubi in locis inaccessis degens hominibus satis ignotum manet (Iob l. c.); cum sit animal pulchrum atque elegans, in Proverbiis ad describendam uxorem bonam in comparationem adducitur una cum cerva (יַעֲלַת־חֵן, Vulg. *gratissimus hinnulus*). Illae petrae autem, « quae solis ibicibus perviae sunt » (1 Reg. 24,3 צוּרֵי הַיְּעֵלִים), prope desertum Engaddi iuxta mare Mortuum sitae erant. — Significatio vocis, quam seniores varie interpretati sunt (Ἐδδαιέμ vel sim. 1 Reg. l. c.; ἐλάφοις Ps., τραγελάφων Iob; πῶλος Prov.), satis constat tum ex voce arabica *wa'al*, quae ibicem arabicum designat, tum ex nota in sacro textu addita quod sit altissimarum petrarum incola elegantia insignis, tum ex etymo vocis יעל *ascendit*, quod ibici prae ceteris convenit. Significatur autem ea ibicum species quae in Palaestina et regionibus vicinis satis communis est ac nomine scientifico *Capra beden* Wagner audit (ord. *Artiodactyla*); praesertim in altissimis rupibus circa mare Mortuum et Arabiae petraeae frequens invenitur, et forma eleganti insignis etiam ab Arabibus in describendo homine nobili ac pulchro in comparationem adducitur.

Praeterea etiam nomine אַקּוֹ, quod semel tantum in S. Scriptura occurrit (Deut. 14,5) et a LXX ac Vulgata *tragelaphus* explicatur, probabiliter ibex intellegendus est (v. TRAGELAPHUS). At immerito etiam אַיָּל, quem veteres recte cervum explicarunt, de ibice exponitur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. I. 915-20, *ed. Rosenm.* II. 289-97; *Fr. I. Schoder*, Hierozoici Specimen 3,41-7; *I. D. Michaelis*, Supplem. p. 1121-4; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 5,46-54; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2,205-7; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 115; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. ed. 8, 95-7; *id.* Fauna and Flora of Pal. 6 s. (cum pulchra effigie colorata); *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,33-5; *J. G. Wood*, Bible Animals 203-7; *Fr. Hommel*, Namen d. Säugeth. 279-87. 391-3. 438 s.; *Cl. R. Conder*, Tent Work in Palest., London 1879, 2, 139 s.; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 252 s.; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3, p. 250 s.; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, III. 172-90; *O. Keller*, Thiere d. klass. Alterth. 36-52. 333-42. — Etiam in monumentis assyriis et aegyptiacis figura ibicis frequenter occurrit : cf. *A. H. Layard*, Monuments of Nineveh I. 30; 35; 43,2. 7; 47,1. 2; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 310-2; *G. Rawlinson*, Five great monarchies *ed.* 4, 1,221 s. 521 s.; *G. A. Hoskins*, Travels in Ethiopia, London 1835, p. 327 ss. tab. I. 1 (ex sepulcro *Rekhmara*); *J. Duemichen*, Resultate I. tab. 9. 12; *R. Hartmann ib.* p. 29; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 88 fig. 354,5. 6; 90 fig. 356,1; 92 fig. 357,7 etc.; *W. M. Fl. Petrie*, Medum, London 1892, tab. 9. 14. 24 (ex 4. dynastia).

L. FONCK.

IBIS appellatur avis immunda hebr. יַנְשׁוּף dicta (Lev. 11,17; Deut. 14,16), quae etiam in ruinis Idumaeae dicitur habitatura (Is. 34,11 יַנְשׁוּף); si ordinem hodiernum consideres, in textu Deut. potius *cygnum* pro יַנְשׁוּף verti dices; at comparatis Lev. 11,17 et Is. 34,11, etiam in Deut. *ibin* pro יַנְשׁוּף et *cygnum* pro תִּנְשֶׁמֶת poni concedendum est. Vulgatae

explicatio cum versione LXX interpretum (ἴβις) plane consentit; alia versio graeca posterior veneta ὁ ἐφιάλτης exponit. Peshitta vero et paraphrasis chaldaica קפופא vertunt (Is., atque inde etiam Lev. et Deut., ubi ordo in Peshitta mutatur), quam avem veteres varie explicant, recentiores plerique noctuam dicunt (cf. *Payne Smith*, Thes. 3685). — Significatio nominis hebraici controvertitur. Etymologiam vocis a נֶשֶׁף *crepusculum* secutus *Bochart* avem nocturnam ac specialiter *bubonem* intellegit, quae maxime ruinas et loca deserta incolit; atque hanc opinionem multi recentiores amplexi sunt (*Lewysohn, Tristram, Kinzler, Wood, Frd. Delitzsch, Riehm-Baethgen* etc.). E contra interpretationem seniorum et Vulgatae alii tuentur (*Oedmann, Cultrera*), eo quod avis haec cum aliis palustribus enumeretur, et quod nomine ibidis non sola avis religiosa antiquorum Aegyptiorum, verum etiam aliae affines designentur. Atque haec altera sententia, auctoritate interpretis graeci in Pentateucho et alterius in prophetia Isaiae ac S. Hieronymi commendata, praeferenda videtur, cum etymologia vocis pariter in alteram partem trahi possit (cf. *Gesenius*, Thes. 923) et rationes contra ibin aegyptiacam praesertim in textu Isaiae adductae in aliis avibus affinibus non valeant. Itaque non sola ibis illa sacra (*Threskiornis religiosa* Gray = *Ibis aethiopica* Latham = *Ibis religiosa* Savigny), sed praeterea vel *Ibis falcinellus* Linné (= *Falcinellus igneus* Gray), vel *Ardea bubulcus* Savigny (= *Ardea ibis* L.) vel similis avis ex ordine *Ciconiiformium* nomine יַנְשׁוּף probabilius videtur intellegenda, quae etiam in Palaestina frequens invenitur atque etiam ab Isaia inter incolas solitudinum Idumaeae cum pelecano (קָאַת) et corvo atque ericio haud inepte enumeratur, si tamen verba prophetae non de solis rupibus et montibus saxosis, sed etiam de vallibus et paludibus prope mare Mortuum explices; neque enim ipse *Tristram*, qui haec saxa deserta cum noctuis praefert, pelicanum aut botaurum stellarem (quem pro ericio supponit) in rupibus illis umquam inveniet.

Cf. *Sam Bochart*, Hieroz. II. 281-5, *ed. Rosenm.* III. 24-30; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. 6,27-38; *E.F.K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 2,310-3; *L. Lewysohn*, Zool. d. Talm. 163; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8,192 s. 249-51; *id.* Fauna and Flora of Palest. 110. 112 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9. 72. 84; *J. G. Wood*, Bible Animals 373-5. 485-90; *P. Cultrera*, Fauna bibl. 316-8; *Leunis-Ludwig*, Synopsis I. 1 *ed.* 3, p. 484; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, VI. 491 s. 534-8; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. d. Thiere I. 2,551 s. 558. — De ibide sacra Aegyptiorum, monumentis antiquis celebri, cf. *G. L. Cuvier*, Mémoire sur l'ibis des anciens Égyptiens, in Annales du Muséum d'hist. nat. T. IV. p. 116 ss.; *J. C. de Savigny*, Histoire naturelle et mythologique de l'Ibis, Paris 1805; *id.* in Description de l'Égypte, *ed. C. L. F. Panckoucke*, t. XXIII., Paris 1828, 431-42; *H. O. Lenz*, Zool. d. alt. Griech. u. Römer 377-81; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs III. 321-5; *W. Houghton* in Trans. Soc. Bibl. Arch. VIII. 1884, 90 s.

L. FONCK.

ICAMIA (יִקְמְיָה, Ἰεχεμίας), unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda, filius Sellum et pater Elisama, descendens ab Oholai filia Sesan, quae Ieraa Aegyptio, servo Sesan, nupserat (1 Par. 2,41).

ICHABOD (אִי־כָבוֹד i. e. inglorius, decurtatum ex אין־ : Οὐαιβαρχαβώθ, Ἰωχαβήδ), filius Phinees filii Heli pontificis; mater parturiens cum nuntium acciperet de captura arcae, de morte Phinees mariti et Heli soceri sui, filium peperit et moribunda isto nomine vocavit dicens : Translata est gloria de Israel (1 Reg. 4,21); cur hoc nomen ei indiderit, explicat sacer auctor addens : ob capturam arcae Dei et ob socerum eius et maritum eius (ita verte ex hebr.). Notat *F. de Hummelauer* ad h. l. essentialem gloriae ablationem in arcae iactura constitisse, eius autem accidentale quoddam complementum reperiri in trium virorum (Heli, Ophni, Phinees), qui in ordine sacerdotali essent primi, simultaneo interitu; idem interpres monet non necessarium esse, ut ipsa mulier praeter iacturam arcae etiam iacturam mariti et soceri nomine Ichabod exprimere voluerit, sed sufficere ad textum explicandum, ut alii posthac eam significationem adiunxerint. His perpensis nulla erit ra-

lio e textu eliminandi illa verba: « et pro socero suo et pro viro suo », ut *Hubigantius* voluit. Derivationem nominis ulterius discutit *F. de Hummelauer* ad h. l. Ex 1 Reg. 14,3 discimus fratrem Ichabod fuisse Achitob (v. ACHITOB 1).

ICONIUM (Ἰκόνιον), urbs praecipua Lycaoniae. S. Paulus in primo suo itinere cum Barnaba, postquam a Iudaeis Antiochia Pisidiae pulsus est, Iconium venit ibique multos Iudaeorum et Graecorum convertit, sed impetu Iudaeorum et gentilium coactus Lystram abiit (Act. 13,51; 14,1); Lystrae autem instigantibus Iudaeis, qui ab Antiochia et Iconio supervenerant, lapidatus et velut mortuus extra civitatem tractus est (14,18). Nihilominus a Derbe termino primi itineris Lystram, Iconium, Antiochiam redire non dubitavit ad discipulos in fide confirmandos (14,20). Persecutionum, quas Antiochiae, Iconii et Lystris sustinuit, Apostolus meminit 2 Tim. 3,11. In secundo itinere apostolico S. Paulus et Silas per Ciliciam profecti Derben et Lystram ac sine dubio etiam Iconium venerunt (Act. 16,2; cf. 4). Probabilius in tertio quoque itinere Apostolus Iconium attigit (cf. 18,23).

Iconium apud *Xenoph.* Anab. I. 2,19 dicitur urbs Phrygiae maxime orientem versus sita, apud *Ammian. Marc.* 14,2 urbs Pisidiae, qui error ex vicinitate Pisidiae et Lycaoniae explicari potest, apud reliquos (*Strabo* XII. 6,1; *Cic.* ad Div. 15,4) urbs praecipua Lycaoniae; apud *Plin.* V. 27,95 a Lycaonia presse sumpta distingui videtur ut urbs celeberrima et caput tetrarchiae quattuordecim civitatum. Hodie *Konia* in regione frugifera ad radices Tauri.

Apocrypha Acta Pauli et Theclae referunt S. Theclam virginem iconiensem a S. Paulo Iconii conversam esse.

Cf. *Rosenmüller*, Bibl. Altert. I. 2, p. 201; *Ramsay*, Hist. Geogr. of Asia Minor 1890 p. 332. 377 s. 393 s.

ICUTHIEL (יקותיאל, ὁ Χεθιήλ), filius Mered et Iudaiae (cf. s. v. BETHIA) in genealogia Iuda et pater (possessor, dominus) Zanoe urbis in monte Iuda (1 Par. 4,18); v. ZANOE 2.

IDAIA nomen proprium, quod in Vulgata interdum etiam scribitur Iadaia, Iedaia, Iedei, Iodaia.

1. Idaia (ידעיה; Ἰεδία, Ἰεδουά, Ἰωδαέ, Ἰδεία; et aliter sine ulla scriptionis conformitate), nomen complurium sacerdotum. Secunda classis sacerdotalis ex 24 classibus a Davide distributis nomine Idaia a primo capite suo vocabatur (1 Par. 24,7; Vulg. Iedei). Duce Zorobabel ex captivitate redierunt sacerdotes filii Idaia in domo Iosue 973 numero (Esdr. 2,36 Vulg. Iadaia; Neh. 7,39); his locis vel intellegenda erit eadem classis sacerdotalis secunda, cuius pars aliqua a Iosue ceteroquin ignoto nomen habuerit vel illa familia sacerdotalis, ad quam Iosue pontifex et aequalis Zorobabelis pertinebat. Duae familiae sacerdotales Idaia commemorantur in diebus Iosue pontificis (Neh. 12,6. 7) et iterum in diebus Ioacim filii Iosue (Neh. 12,19. 21; Vulg. 12,19 Iodaia). Hierosolymis habitabat familia sacerdotalis Iedaia (1 Par. 9,10) seu Idaia (Neh. 11,10; pro *Idaia filius Ioiarib* lege *Idaia, Ioiarib*).

2. Idaia (ידעיה; LXX appellative explicant οἱ ἐπεγνωκότες), unus ex tribus legatis, qui Babylone a Iudaeis etiamnum exsulibus donaria in urbem attulerunt pro templi aedificatione vel generatim pro re divina (Zach. 6,10. 14).

3. Idaia (ידיה, Ἰεδιά), Simeonita quidam ex maioribus Ziza principis regnante Ezechia pascua Gador occupantis (1 Par. 4,37).

4. Iedaia (ידיה, Ἰεδαΐα), filius Haromaph in muro Ierusalem aedificando operam praestans (Neh. 3,10).

IDIDA (ידידה, Ἰεδίδα), mater Iosiae regis Iuda, filia Hadaia de Besecath (4 Reg. 22,1) seu Bascath. Apud Flavium Iosephum (Ant. X. 4,1) nomen est Ἰέδις.

IDITHUN (ידותון et interdum *Kethib* ידיתון; Ἰδειθούμ, Ἰδιθούμ, Ἰδειθούν, Ἰδιθούν, Ἰδιθώμ etc.), levita et cantor celeberrimus tempore Davidis, in eodem ordine cum Asaph et Heman collocatus (1 Par. 9,16; 16,38. 41. 42; 25,1. 3. 6; 2 Par. 5,12; 29,14; 35,15; Neh. 11,17; Ps.

38,1; 61,1; 76,1). Probabilius idem est atque Ethan princeps levitarum et cantorum de stirpe Merari (v. ETHAN 3). Adverte denique 1 Par. 16,42 nomina Heman et Idithun in priore parte versus cum LXX esse delenda.

IDOLOLATRIA. Vox *idolum* (εἴδωλον) proprie significat imaginem, statuam, symbolum falsi numinis et in S. Scriptura saepe etiam ipsos deos falsos.

1. Idola vel simulacra, quae in s. litteris commemorantur, sunt Adonis (Tammuz), Adramelech, Amon, Anamelech, Asima, Astarthe, Atargatis, Baal, Bel, Castores (Dioscuri Castor et Pollux vel-lut insigne navis), Chamos, Dagon, Diana (Ἄρτεμις), Fortuna (Gad), Iupiter (Olympius et hospitalis), Liber (Διόνυσος, Bacchus), Luna, Melchom, Mercurius (Ἑρμῆς), Merodach, Militia caeli, Moloch, Nanea, Nebahaz, Nergel, Nesroch, Phogor (Beelphegor), Priapus (sed hebr. Ashera i. e. Astarthe), Regina caeli (i. e. Astarthe vel tamquam praeses stellae Veneris vel tamquam dea Luna), Remmon, Saturnus (Kaiwan Am. 5,26), Sochothbenoth, Sol, Tharthac, Zodiacus (duodecim signa vel proprie deversoria, hospitia scil. solis). — Accedunt quaedam idola, quorum nomina in compositis nominibus propriis deprehenduntur: Adad (Hadad) in nomine urbis Adadremmon et in nominibus regum Adarezer (Adadezer) et Benadad, Assur in nomine regis Asarhaddon, Nabo in nomine regis Nabuchodonosor et principum babylonicorum Nabusezban et Nabuzardan.

2. In Vulgata Veteris Testamenti vox *idolum* (vel interdum *simulacrum*) pro variis vocabulis hebr. adhibetur, quorum praecipua recensere non erit inutile, quia ex vocibus hebr. simul quaedam discuntur de opinione, in qua gentium dii habebantur.

Contemptus deorum declaratur voce אֵין inane, vanum Num. 23,21; 1 Reg. 15,23; Is. 66,3; Ier. 4,15; Os. 4,15 (Bethel contemptim nominatur Bethaven i. e. domus iniquitatis; item 5,8; 10,5); 6,8; 10,8; 12,11 [hebr. 12].

Deos gentium esse plane aliquid inane, esse nihil declaratur appellatione אֱלִיל Is. 10,10 et forma plurali אֱלִילִים Lev. 19,4; 26,1; 1 Par. 16,26; Ps. 95[96],5; 96[97],7 (Vulg. simulacra); Is. 2,8. 18. 20; 10,11; 19,1. 3 (simulacra); 31,7; Ez. 30,13; Hab. 2,18 (simulacra).

Semel אֵילִים terebinthi (quercus), sub quibus scilicet sicut sub omni ligno frondoso fornicabantur i. e. Astarthen colebant, in Vulgata redduntur idola Is. 1,29: confundentur ab idolis.

Valde frequenter, praesertim apud Ezechielem, contemptim de diis inanibus adhibetur vox גִּלּוּלִים i. e. stipites, trunci, caudices vel, ut alii exposuerunt, stercora, stercorea. LXX vertunt εἴδωλα, ἐνθυμήματα, ἐπιθυμήματα, ἐπιτηδεύματα, διανοήματα, βδελύγματα. Vulgata interdum vertit: immunditiae 4 Reg. 17,12; 21,11. 21; 23,24; Ez. 14,4; 33,25; simulacra Ez. 6,5; 30,13; plerumque autem: idola Lev. 26,30; Deut. 29,17 (sordes i. e. idola; hebr. 16); 3 Reg. 15,12 (sordes idolorum); 21,26; Ier. 50,2; Ez. 6,4. 6. 9. 13; 8,10; 14, 5. 6. 7; 16,36; 18,6. 12 et passim.

Vanitatem idolorum et idololatriae ad vivum depingit vox הֶבֶל halitus 4 Reg. 17,15; Ier. 2,5 et in forma plurali הֲבָלִים Deut. 32,21; 3 Reg. 16,13. 26; Ps. 30[31],7; Ier. 8,19; 14,22; Ion. 2,9. Vulgata vertit Ier. 14,22 *sculptilia*, alias *vanitates;* LXX plerumque μάταια, etiam εἴδωλα, ματαιότητες.

Idola in exsistentia et in potentia nihil esse nisi *mendacia* indicatur voce כְּזָבִים Am. 2,4 (Vulg. idola, LXX τὰ μάταια) et Ps. 39[40],5 (Vulg. insanias falsas, LXX μανίας ψευδεῖς).

Deos falsos cultoribus suis esse plane inutiles declaratur per locutionem litotes: לֹא יוֹעִילוּ i. e. non prosunt Ier. 2, 8 (Vulg. idola, LXX ἀνωφελοῦς); cf. 2,11.

Idolis quam maxime congruit designatio תּוֹעֵבָה abominatio, res abominabilis Deut. 27,15; 4 Reg. 23,13; Is. 44, 19; Ier. 16,18; Ez. 7,20; 11,21; 16,36 (Vulg. abominatio, Is. 44,19 idolum; LXX βδελύγματα, ἀνομία) et שִׁקּוּץ abominandum, res abominanda, horrenda, foedissima (frequentius in forma plurali)

Deut. 29,17[16]; 3 Reg. 11,5. 7; 4 Reg. 23,13. 24; 2 Par. 15,8; Is. 66,3; Ier. 4, 1; 7,30; 13,27; 16,18; 32,34; Ez. 5,11; 7,20; 11,18. 21; 20, 7. 8. 30; 37,23; Dan. 9,27; 11,31; 12,11; Nah. 3,6; Zach. 9,7 (Vulg. abominationes, offensiones, offendicula, simulacra, idola; LXX βδελύγματα, προσοχθίσματα, μιάσματα, εἴδωλον).

Vocem תְּרָפִים, qua dii domestici, quasi penates designantur, Vulgata interdum retinet (v. THERAPHIM), interdum vertit *idola* Gen. 31,19. 32. 34; Iud. 17,5; 18,18. 20; 4 Reg. 23,24 (figuras idolorum); Ez. 21,21[26].

Alia nomina statuas, sculptilia, simulacra significant; sed in Vulg. saepius eorum loco idola leguntur; ita pro פֶּסֶל, פְּסִילִים Deut. 12,3; Iud. 3,19. 26; 18,31; 4 Reg. 17,41; 21,7; 2 Par. 33,22; Is. 44,9; et pro עֵצֶב 1 Reg. 31,9; 1 Par. 10,9; Is. 48,5; Os. 4,17; 8,4; 13,2; 14, 9; Mich. 1,7; et pro כְּמוֹר Ez. 8,3; et pro צֶלֶם Am. 5,26. Praeterea in Vulgata saepius deprehendimus *idola*, ubi vox in hebr. non legitur, at sensu facile habetur; ita Lev. 20,2 si quis dederit de semine suo (idolo) Moloch, morte moriatur; Num. 25,18; Iud. 10,6. 16; 2 Par. 30,14; 34,5; Is. 65,4; Ier. 44,23.

3. De modo quo idola conficiebantur vide quae de vitulo aureo narrantur Ex. 32,2 s. (cf. s. v. VITULUS); itemque quae leguntur Is. 44,10-20; Ier. 10,3-5; Bar. 6,7 s.; Sap. 13,10-19; 14,15-22. Quibus locis simul edicitur gentes adorasse aurum, argentum, lignum i. e. idola aurea, argentea, uti idololatras v. g. Ieremias quoque describit: dicentes ligno: pater meus es tu, et lapidi: tu me genuisti (2,27). Erantne itaque idololatrae adeo stupidi, ut aurum et lignum adorarent? Notare oportet apologetas primorum saeculorum eodem modo loqui, quorum locos vide apud *Knabenbauer*, Comm. in Is. II. p. 163. Unde accusatio non potest non esse vera. Verum quidem est oppositum esse quandoque illud: deos per simulacra veneramur (cf. *Arnobius*, Adv. gentes 6,9; *M.* 5,1180); verum quae Arnobius de se et sua sentiendi ratione narrat, rem explanant atque illam accusationem merito fieri ostendunt; censebantur enim dii habitare in simulacris et simulacris ipsis consecratione facta vim quandam seu numen inesse. Prorsus similia quoque referuntur in epistula ad Diognetum, apud Tertullianum aliosque quos vide l. c. p. 164, quibus adde, quomodo Lucianus (in Iove tragoedo) deorum statuas intime cum ipsis diis coniungat.

4. Historia idololatriae inter Israelitas grassantis. Idololatria proprie est cultus supremus alii cuidam ac vero Deo exhibitus. Dicitur tamen etiam cultus illegitimo symbolo numinis praestitus v. g. cultus simulacrorum.

Inter maiores Abraham idololatriam serpsisse, indubie affirmatur Ios. 24,2: trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio servieruntque diis alienis; tuli ergo (hebr. et tuli) patrem vestrum Abraham etc. Unde satis clare indicatur, cur Abraham iussus sit egredi de terra sua et de cognatione sua et de domo patris sui (Gen. 12,1); nam Thare, pater Abraham, servisse diis aliis explicite dicitur (Ios. 24,2); atque id de vera idololatria esse intellegendum (et non de servitute sub gente idololatra, cf. Ier. 16,13) etiam ex eo patet, quod Laban teraphim habuit et coluit et hanc superstitionem cultui Dei veri adiunxit (cf. Gen. 31,24. 29. 30. 49; 24,50). Insuper Iacob redux a Laban iubet suos abiicere deos alienos, et « dederunt ei omnes deos alienos quos habebant et inaures quae erant in auribus eorum, at ille infodit ea subter terebinthum » (Gen. 35,2-4). Verum posteros Iacob in Aegypto quoque idololatriae aegyptiacae indulsisse constat ex reprehensione Ez. 20,7-10; eandem in deserto esse exercitam Ez. 20,13 et Am. 5,26 affirmatur et insuper constat ex narratione de vitulo aureo (Ex. 32,1; vide s. v. VITULUS) et Num. 25,2. 3: initiatusque est Israel Beelphegor. Gravissima quidem iis data sunt praecepta, ut destruerentur omnia idololatriae documenta et incitamenta in terra Chanaan, ne iungerentur foedera cum gentibus, additaeque minae transgressoribus et poena lapidationis proposita, si quis ad idololatriam alios invitasset (cf. Deut. 12,1-13,17; 28,15; Ex. 20,3. 4; 22,20 qui immolat diis oc-

cidetur); at quam parum funesta illa ad idololatriam propensio sit exstincta, tota populi historia usque ad exsilium testatur. Incitamento erant et exemplum gentium vicinarum et cumprimis voluptates illae quae cum cultu Baal et Astarthes erant coniunctae. Quantopere dii gentium iis facti sint in ruinam (Iud. 2,3), iam satis superque ex iis apparet, quae ex tempore Iudicum narrantur; iterumque ad cultum Baal et Astarthes declinabant neque ab eo revocabantur nisi durissima servitute et afflictione (Iud. 2,11 ss.; 3,5 ss.; 4,1 ss.; 6,1 ss. etc.) Cultum Domini simul cum idololatrico cultu esse exercitum etiam elucet ex narratione 1 Reg. 4,1-7,6; nam adducunt arcam Domini in castra et admonentur a Samuele, ut ablatis diis alienis revertantur ad Dominum in toto corde. Idem monitum Samuel populo dedit valedicens 1 Reg. 12,12 et Saul varia divinationis genera, quae cum idololatria coniungi solebant, poena mortis statuta abolere studuit (cf. 1 Reg. 27,9).

Salomon nuptiis cum alienigenis contractis exemplo pessimo praeivit et in ipsa urbe in qua templum Domini erexerat et ipse coluit idola et fana idolis aedificavit (3 Reg. 11,3-8). Ieroboam vero, ne populus ad adorandum Dominum pergeret in Ierusalem, cultum Domini edixit esse exhibendum in Bethel et Dan, utrobique vitulo aureo constituto. Ita in regno utroque simul cum Dei cultu qui modo superstitioso etiam in « excelsis » (vide s. v. EXCELSA) exercebatur, idololatria et scelera ei cognata grassabantur, quemadmodum libris historicis continuo memoriae proditum est (3 Reg. 14, 22-24; 15,3; 16,25-33); at tempore quoque maxime calamitoso non defuisse multos in populo veri Dei cultores, ipse Elias, cum putaret se solum esse relictum, a Domino est edoctus (3 Reg. 19, 14-18). Quantopere invaluerit idololatria in Israel instigante Iezabel colligitur ex numero prophetarum Baal et Astarthes scil. 850 (3 Reg. 18,19). Prophetas Baal Elias poena in idololatras constituta affecit, et populus Iahwe Deum suum alta voce agnovit, sed mox idololatria iterum serpebat; Ochozias quippe filius Achab servivit Baal et adoravit eum (3 Reg. 22, 54). In Iuda quoque Ioram, filius Iosaphat regis, ambulavit in viis regum Israel, sicut domus Achab; filia enim Achab erat uxor eius; item filius eius Ochozias (4 Reg. 8,18. 27). Uti igitur Salomon per mulieres ad cultum idolorum est seductus, ita duae mulieres Iezabel in Israel, Athalia in Iuda, quam maxime idololatriam propagabant. Athalia autem interfecta foedus cum Deo instauratur et arae Baal et simulacra destruuntur (4 Reg. 11,17. 18). In Israel Iehu pariter interfectis Ioram, Iezabel, filiis Achab sacerdotes Baal occidit, aedem et simulacrum Baal destruxit; sed cultum vitulorum aureorum retinuit (4 Reg. 10,18-30), sicut reges quoque post eum, qui non recesserunt a peccatis domus Ieroboam; insuper Ashera permansit in Samaria (4 Reg. 13,6. 11; 14,24; 15,9. 18. 24. 28; 17,2); de cunctis quippe regibus dicitur: fecit malum coram Domino, non recessit a peccatis Ieroboam. Ad quam regni israelitici conditionem etiam aptantur reprehensiones Osee prophetae 1,2. 9; 2,2. 5. 13; 4,12. 13; 6,10; 9,1 etc. et Amos prophetae 3,14; 4,4; 5,5; 7,9. Meliore loco erant res regni iudaici a rege Ioas usque ad Ioatham; de quibus singulis scil. dicitur: fecit rectum coram Domino; at simul additur, excelsa non esse abolita, verum populum immolasse et incensum adolevisse in excelsis (cf. 4 Reg. 12,2. 3; 14,3. 4; 15,3. 4. 34. 35). Verum Achaz, filius Ioatham, ambulavit in viis regum Israel et statuas fudit Baalim; inde idololatria longe lateque serpsit, id quod ex Isaia quoque satis colligitur; cf. 2,6. 8 repleta est terra idolis; 2,18. 20. Magna quidem fortitudine Ezechias rex contra eam impietatem dimicavit: dissipavit excelsa, statuas contrivit, simulacra vel arbores Asherae succidit (4 Reg. 18,4); at filius eius Manasse iterum totam idololatriae, Baal, Astarthes, spurcitiam reduxit et in ipso templo Domini aras idolorum et simulacrum Asherae collocavit (4 Reg. 21,3-7; 2 Par. 33,3 ss.); atque per eum adeo altas egit impietas haec radices in Iuda, ut propter scelera Manasse tandem regnum Iuda et thronus David concideret (4 Reg. 21,10 ss.; Ier. 15,4). Instaurationem quidem morum serio urgebat Io-

sias; at conatus regis et Jeremiae, Sophoniae aliorumque prophetarum parum valuerunt ad animos sincera pietate imbuendos, uti luculenter ex Jeremiae libro apparet, cum tot ac tantas contra idololatras comminationes et reprehensiones Jeremias proferat et populus urbe iam destructa perfracte cultui idolorum inhaereat (cf. 2,10 ss.; 3,2 ss.; 17,2; 44,15-25); idemque testatur Sophonias 1,5. Quare, quod prophetae comminabantur continuo, populus tandem in signum foederis violati e terra Domini est eiectus.

Uti ex libris historicis colligitur, cultus idolorum simul cum cultu Domini exercebatur. Colebantur autem dii gentium vicinarum; frequentissime commemorantur Baal et Astarthe (Ashera; vide s. v. BAAL); dein etiam Melchom, deus Ammonitarum, Chamos deus Moab (cf. 3 Reg. 11,5. 7; 4 Reg. 23,13), item militia caeli, et Astarthe sub nomine reginae caeli (Ier. 7,18; 44,17) quo nomine Istar apud Assyrios appellabatur (cf. Zeitschr. für Assyriologie 1885 p. 353 et 1889 p. 74). Adorabant militiam caeli super tecta, adorabant et iurabant in Domino et iurabant in Melchom, uti habetur Soph. 1,5. Varios idololatriae modos nobis exhibet Ezechiel 8,5 ss., cultum scil. aegyptiacum, cultum Adonidis (Tammuz), cultum solis (Baal); placentas reginae caeli oblatas esse a mulieribus Ier. 7,18 docemur.

5. Idololatria a prophetis semper exhibetur tamquam apostasia a Deo qui eduxit populum ex Aegypto, tamquam fornicatio, quatenus scil. foedere sinaitico plebs quasi sponsa Domini est constituta. Unde modo quo prophetae loquuntur aperte refellitur opinio quorundam recentiorum veteres Israelitas nihil novisse de Iahwe Deo uno, neque Moysen unum Deum docuisse, verum a prophetis tandem monotheismum esse propositum.

Idololatras inexcusabiles esse atque verum Deum potuisse cognoscere ex opere creationis docet et auctor libri Sapientiae 13,1-19 et Paulus apostolus Rom. 1,19. Quomodo ad idololatriam perventum sit, idem apostolus l. c. docet; veritatem quippe cognitam homines iniquitate suffocabant, Deo cultum debitum non exhibebant; inde in vitia prolapsi cultui turpissimo se tradebant. Similiter statuit Sapiens: adinventio idolorum corruptio vitae est, et exemplis demonstrat originem variam cultus perversi; v. g. pater lugens de morte filii eius imagine proposita sacra et sacrificia constituit etc. Sap. 14,12 ss. Quod apologetae primorum saeculorum saepius efferunt, daemones coli in idolis, daemones suas agere in idololatria partes, Paulus quoque indicat scribens: quae immolant gentes daemoniis immolant, non Deo (1 Cor. 10,20). Idem enuntiatur apud LXX et in Vulg. Ps. 95,5: quoniam omnes dii gentium daemonia, et Ps. 105,37: et immolaverunt filios suos et filias suas daemoniis: in hebr. vero priore loco אֱלִילִים (nihil, inania), altero שֵׁדִים, uti Deut. 32,17 immolaverunt daemoniis; similiter 2 Par. 11,15; Bar. 4,7.

6. Sensu translato Paulus avaritiam appellat simulacrorum servitutem (Col. 3,5; Eph. 5,5 πλεονέκτης, ὅ ἐστιν εἰδωλολάτρης), quatenus avarus aurum et pecuniam quasi deum colit serviens scil. mammonae ita, ut Deo debite nequeat servire (cf. Matth. 6,24), uti pari ratione de aliis dicit: quorum deus venter est (Phil. 3,19). Eodem modo iam 1 Reg. 15,23 הַקְצַר obtundere animum, esse obtusum, contumacem, nolle obedire (Vulg. nolle acquiescere) appellatur scelus idololatriae, hebr. אֶוֶן וּתְרָפִים. At vero quodam sensu accumbere epulis sacrificalibus gentilium vocatur idolorum cultura 1 Cor. 10,14 εἰδωλολατρεία.

IDOLOTHYTUM, εἰδωλόθυτον i. e. id quod est idolis immolatum. Eo nomine designantur carnes ex sacrificiis gentilium relictae, quae vel in epulis sacrificalibus comedebantur vel in macello vendebantur. Decreto apostolorum fratres ex gentibus qui erant Antiochiae, Syriae, Ciliciae, iubebantur abstinere ab immolatis simulacrorum (Act. 15,29 εἰδωλοθύτων; Act. 21,25). De iis Paulus Corinthiis scribit eos utique peccare qui ea comedant cum conscientia usque nunc idoli; prohibet ne quis epulis sa-

crificalibus accumbat; mandat ut quae in macello vaeneunt manducent nihil interrogantes propter conscientiam; si quis vero mensae accumbens alterum monet afferri immolatum idolis, « nolite manducare propter illum qui indicavit et propter conscientiam alterius » (cf. 1 Cor. 8,1. 7; 10,25-29). Reprehenditur ecclesia Thyatirae constituta, quod ibi sint qui idolothyta manducare non vereantur Apoc. 2,20.

IDOX (Ἴδξ), unus ex maioribus Iudith (Iudith 8,6).

IDUMAEA v. EDOM.

IEABARIM v. HEABARIM.

IEBAAR, IEBAHAR (יִבְחָר, Ἐβεάρ, Ἐβαάρ, Βαάρ) unus ex filiis David, qui nati sunt ei in Ierusalem (2 Reg. 5,15; 1 Par. 3,6; 14,5).

IEBANIAS (יִבְנִיָּה, Ἰεμναί, B Βαναιά, A Ἰεβανααί), Beniaminita (1 Par. 9,8).

IEBLAAM (יִבְלְעָם, Ἰεβλαάμ), urbs tribus Manasse cisiordanicae in territorio tribus Issachar sita, ex qua Manasse Chananaeos non delevit (Ios. 17,11; Iud. 1,27). Iuxta Ieblaam erat ascensus Gaver, ubi Ochozias rex Iuda a militibus Iehu vulnus lethale accepit, ex quo in fuga Mageddo usque continuata mortuus est (4 Reg. 9,27). Nomen Ieblaam conservatum esse putatur in *Bīr Bel'ame* ad meridiem *Djenīn* (*Keil* ad Ios. 17,11; *Riess*, *Legendre*, *Zanecchia*, *Buhl*, *Döller*). In inscriptionibus aegyptiacis transscribitur *Ibra'amu* (*W. M. Müller*) vel *Yablu'amu* (*Maspero*). — Haud dubie Ieblaam eadem est ac urbs levitica Balaam 1 Par. 6,70; eius loco Ios. 21,25 Gethremmon legitur; sed hic lapsus librariorum facile explicatur aberratione oculi in Gethremmon versus praecedentis Ios. 21, 24. Probabiliter Ieblaam eadem quoque est ac Belamon (in textu graeco Iudith 8,3) prope Dothain (Dothan) in montibus Ephraim et Belma Iudith 7,3 (v. BELMA et BAAL HAMON).

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 17; *Legendre*. Carte de la Palestine; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 582; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 201. 202; *V. Guérin*, Samarie I. 339-341, qui Belamon et Belma cum *Bel'ame* componit, non Ieblaam; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien zum III. u. IV. B. d. Könige 1904 p. 255-6; *W. Max Müller*, Asien und Europa nach altaegypt. Denkmälern 1898 p. 195; *G. Maspero*, Sur les noms géogr. de la liste de Thoutmos III., qu'on peut rapporter à la Galilée 1886 p. 9.

IEBNAEL (יִבְנְאֵל, Ἰεφθαμαί, A Ἰαβνήλ), urbs Nephthali (Ios. 19,33), enumerata post Adami Neceb et ante Lecum; inde egressus termini Nephthali usque ad Iordanem pertransire dicuntur. Agnoscitur in ruinis *Yemmā* inter montem Thabor et lacum Genesareth inferiorem (*Legendre*, *G. A. Smith*, *Riess*, *Zanecchia*). Idem vicus in Talm. hieros. (Megilla 70 a) vocatur *Kefr Yama* (cf. *Neubauer*, *Schwarz*). Eundem situm approbat *F. de Hummelauer*, qui urbes Ios. 19,33 adscribit pago commutatorio Nephthalitis ad austrum lacus Genesareth concesso. Derelinquenda videtur opinio aliorum (*Furrer*, *Wilson*, *Buhl*) Iabneel Ios. 19,33 esse urbem in Galilaea superiore prope lacum *Ḥūle* sitam, quae apud Flavium Iosephum vocatur Ἰάμνια (Vita 37) seu Ἰαμνίθ (Bell. iud. II. 10,6; cf. 6,3 Ἰάμνια).

Cf. *Legendre* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 1208; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate 1 et VI; *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 17; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 635; *A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 225; *I. Schwarz*, Das heilige Land 1852 p. 144; *F. de Hummelauer*, Comm. in Ios. p. 435-438; *Furrer* apud *Riehm*, Handwb. des bibl. Altert. I. p. 665; *Wilson* apud *Smith-Fuller*, Dict. of the Bible I. 1497; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 218.

IEBNEEL (יִבְנְאֵל, Λεβνά), urbs in termino aquilonari tribus Iuda (Ios. 15,11) v. IAMNIA.

IEBOC v. IABOC.

IEBSEM (יִבְשָׂם, Ἰεμασάν), quintus inter filios Thola filii Issachar, qui erant principes per domos cognationum suarum (1 Par. 7,2).

IEBUS (יְבוּס, Ἰεβούς) v. IERUSALEM I. 2.

IEBUSAEUS (יְבוּסִי, יְבוּסִי plerumque cum articulo הַיְּבוּסִי; ὁ Ἰεβουσαῖος, οἱ Ἰεβουσαῖοι, Ios. 18,16 Ἰεβουσαί, Iud. 19, 11 et Esdr. 9,1 ὁ Ἰεβουσί), nomen gentilicium quo ramus familiae Chanaan ab uno ex filiis Chanaan nominatus designatur (Gen. 10,16; 1 Par. 1,14). Semini Abraham promittuntur fines etiam Iebusaeorum sicut aliorum Chanaanitarum (Gen. 15,21; Neh. 9,8) eademque promissio frequenter repetitur (Ex. 3,8. 17; 13,5; 23,23; 33,2; 34,11; Deut. 7,1; 20, 17; Ios. 3,20). Ex relatione duodecim exploratorum terrae promissae habitabant Hethaeus et Iebusaeus et Amorrhaeus in montanis (Num. 13,20). Iebusaeorum praecipua sedes erat arx Iebus, postea civitas David in Ierusalem, tribui Beniamin attributa, in confinibus Iuda et Beniamin (Ios. 18,16. 28). Adonisedec, regem Ierusalem, Iosue cepit et occidit (Ios. 10,1. 27), altera expeditione filii Iuda urbem Ierusalem percusserunt (Iud. 1,8), multis pugnis Iosue Iebusaeos sicut alios Chananaeos subegit (Ios. 9,1; 11,3; 12,8; 24,11; Iudith 5,20). Attamen arcem Iebusaeorum filii Beniamin non occuparunt (Iud. 1,21), quia Iebusaeis inferiores erant robore, neque filii Iuda delere poterant (Ios. 15,63), quia extra fines tribus Iuda sita erat. Aetate iudicum Iebus in potestate Iebusaeorum permanebat (Iudith 19,10-14) et Iebusaeorum quoque sceleribus Israelitae contaminati sunt (3,5). Tandem David arce Iebusaeorum expugnata ibidem sedem regni sui fixit (2 Reg. 5,6-8; 1 Par. 11,4-6) neque tamen Iebusaeos exstirpavit (2 Reg. 24,16. 18; 1 Par. 21,15. 18. 28; 2 Par. 3,1 et v. AREUNA). Reliquias Iebusaeorum Salomon tributarios fecit (3 Reg. 9,20; 2 Par. 8,7). Iidem etiam post exsilium recensentur inter alienigenas, quibuscum Israelitae matrimonia mixta contra legem inierant (Esdr. 9,1). Divinam circa Iebusaeos providentiam celebrat Zacharias propheta (9,7); etenim Iebus a Davide expugnata facta est caput regni et theocratiae atque ipsi Iebusaei inter populum electum commorantes beneficiorum foederis participes effecti sunt.

IECEMIA (יְקַמְיָה, Ἰεκενιά), filius Iechoniae filii Ioakim (1 Par. 3,18).

IECHELIA (יְכָלְיָה, יְכָלְיָהוּ; Χαλειά, Χαειά), uxor Amasiae regis Iuda et mater Azariae seu Oziae regis, hierosolymitana (4 Reg. 15,2; 2 Par. 26,3).

IECHONIAS, IECONIAS v. IOACHIN.

IECMAAM, IECMAAN. 1. Iecmaam, Iecmaan (יָקְמְעָם; 3 Reg. 4,12 Λουκάμ, 1 Par. 6,68 ἡ Ἰεκμαάν), urbs tribus Ephraim, levitis de genere Caath concessa 1 Par. 6,68[53]. Eius loco legitur 21,22 Cibsaim (קִבְצַיִם, A Καβσαείμ), quae probabilius eadem est cum Iecmaam. Situs quaerendus videtur Iordanem versus in orientali parte Ephraim, ut ex obscura indicatione 3 Reg. 4,12 aliqui inferunt.

2. Iecmaam, Iecmaan (יָקְמְעָם; Ἰεκεμίας Ἰεκμοάμ), levita, filius Hebron filii Caath (1 Par. 23,19; 24,23); de textu mendoso 24,23 vide s. v. HEBRON 1.

IECNAM (יָקְנְעָם, ἡ Μαάν), urbs tribus Zabulon, levitis de stirpe Merari concessa (Ios. 21,34); omittitur in catalogo 1 Par. 6,77[62]. Eadem sine dubio est Ios. 12,22 Iachanan Carmeli (יָקְנְעָם לַכַּרְמֶל, Ἰεκὸμ τοῦ Χερμέλ) urbs reguli chananaei et Ios. 19,11 Iecoanam (יָקְנְעָם, Ἰεκμάν) prope torrentem ad quem terminus Zabulon pervenit. Iis locis biblicis satisfacit *Tell Qaimūn* ab oriente Carmeli inter Cisonem et *Wādi el-Milḥ;* torrens ille in termino Zabulon erit aut Cison aut fortasse *Wādi el-Milḥ* ab occidente urbis Iecnam (quod *Dillmann* ad h. l. praeferl, ne Iecnam ex finibus Zabulon excludatur). *Tell Qaimūn* autem est vicus Καμμωνά Eusebii seu Cimona S. Hieronymi 6 mil. pass. a Legione (*Ledjdjūn*) septemtrionem versus pergentibus Ptolemaida in campo magno (Esdrelon) situs (Onom. *ed. Lag.* 272, 66; 110,20). Praeterea v. CHELMON.

Cf. *Van de Velde*, Memoir 1858 p. 326; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 149; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *Guérin*, Samarie II. 241-244 (cum dubitatione); *D. Zanecchia*, La Palestine d'au-

jourd'hui 1899 II. 679; *Sepp,* Jerusalem und das hl. Land *ed.* 2 II. 551; *Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 210 et cf. 102. 103; *Legendre* apud *Vigouroux,* Dict. de la Bible III. 1213-1214 (cum dubitatione). De textu difficili Ios. 19, 11 v. *F. de Hummelauer,* Comm. in Ios. p. 414. 415.

IECONAM v. IECNAM.

IECSAN (יָקְשָׁן; Ἰεζάν, Ἰεξάν), filius Abrahae ex Cetura genitus, pater Saba et Dadan (Gen. 25,2. 3; 1 Par. 1,32). Genealogi arabici connectunt Iecsan cum tribu *Yāqīsh* in *Yemen* (Zeitschr. d. D. Morgenl. Ges. X. 1856 p. 31).

IECTAN (יָקְטָן, Ἰεκτάν), filius Heber et pater tredecim filiorum seu tribuum (Gen. 10,25. 26. 29; 1 Par. 1,19. 20. 23). Eius nomen apud Arabes traditur *Qachtan* isque habetur pro parente Arabum proprie dictorum, qui tum ab indigenis prioribus (*Ad, Thamud, Djadis* etc.) tum ab Ismaelitis supervenientibus distinguuntur; hoc nomen idem esse putatur quod Katanitarum apud Ptol. VI. 7,20. 23 et pagi cuiusdam *Qachtan* prope *Nedjran* in aquilonari parte regionis *Yemen* (*Knobel,* Völkertafel p. 184. 185). Ex nominibus istorum tredecim filiorum aliqua haud explicari possunt; ex reliquis tamen clare perspicitur tribus has Iectanidarum Arabiam meridionalem incoluisse et reapse fines obtinuisse, qui Gen. 10,30 describuntur : Et facta est habitatio eorum de Mesa pergentibus usque Sephar (סְפָרָה) montem orientalem. *F. de Hummelauer,* ad h. l. fines Iectanidarum his verbis determinat: « Messa est eadem quae v. 23 Mes audiebat, Mesene ad ora Euphratis et Tigris; ibi Iectanidae Aramaeos contingebant. Inde protendebantur usque Sephar. Suggerunt urbem regiam Homeritarum et Sabaeorum Σάπφαρα (Ptol. VI. 7,25. 41; Plin. VI. 26 [VI. 23,104]); erat et alia urbs Saphar haud procul litore, ad orientem pagi Hadramaut. Verum adverte nihil in textu *urbem* demonstrare neque Messa urbs erat sed pagus; agitur de *monte.* Iamvero est etiamnum mons Zabura in ipso pago Hadramaut. Quem si h. l. intellegi defendas, sequetur v. 26-30 scriptos primum esse, quo tempore Iectanidae de Babylonia descendentes in medio pago, qui nunc Hadramaut audit, substitissent necdum in extremum Arabiae occidentalem angulum penetrassent, quem tum profecto Cushitae v. 7 dicendi sunt obtinuisse. Potuit tamen et alius esse mons Saphar. Cf. *Knobel.* Quamdiu vero, quis mons intellegatur, non accurate scimus, neque ubi singulae tum tribus incoluerint accurate definire possumus, licet pagos, quibus nunc tandem earum nomina adhaerent, demonstrare valeamus. Porro vocatur ille mons *mons orientis* קדם, quo nomine universim designari consuevit regio, quam obtinent nomades aramaei et arabes ». — De singulis tribubus Iectanidarum : Elmodad, Saleph, Asarmoth, Iare, Adoram, Uzal, Decla, Ebal, Abimael, Saba, Ophir, Hevila, Iobab, vide s. vv.

IECTEHEL (יָקְתְּאֵל i. e. a Deo subactum vel forte bravium Dei vel protectio Dei; Ἰεθοήλ) est nomen, quod Amasias rex Iuda imposuit urbi Edomitarum Petra seu Sela vi armorum captae (4 Reg. 14,7), ut dominationem suam symbolice significaret. Loco parallelo 2 Par. 25,12 insuper discimus decem millia Idumaeorum praecipitatos fuisse de summo alicuius petrae praeruptae, quae in vicinia urbis Petra quaerenda esse putatur. Plura de isto bello edomitico vide s. v. AMASIAS 1 et de urbe s. v. PETRA.

IECTHEL (יָקְתְּאֵל, Ἰαχαρεήλ, apud *Swete* B Ἰακαρεήλ, A Ἰεχθαήλ), urbs tribus Iuda in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,38). Situs ignoratur.

IEDAIA v. IDAIA 1 et 4.

IEDALA (יִדְאָלָה, in aliquibus mss. וּרְאָלָה; Ἰεριχώ, A Ἰαδηλά, Peshitta : Arala, Vulg. etiam Ierala), urbs Zabulon (Ios. 19,15). Apud Talmudicos vocatur *Hiriye* (cf. *Neubauer*). Situs ab aliis aliter determinatur : vel *Khirbet Kire* ad meridiem collis *Tell Qaimūn* seu Iecnam (*Schwarz, Neubauer*) vel multo probabilius *Djeida* circa 5 km a *Beit Laḥm* seu Bethlehem zabulonitica meridiem versus (*Van de Velde, Guérin, Zanecchia* qui scribit *Djelda*), vel ruina *el-Huwara*

inter *Beit Lahm* et *Djeida* (*Survey of West. Pal.*, *G. A. Smith*, *Buhl*).

Cf. *Kennikott*, Vet. Test. I. p. 470; *I. B. de Rossi*, Var. Lect. Vet. Test. II. p. 94; *Vercellone*, Var. Lect. Vulg. lat. II. p. 59; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 189; *I. Schwarz*, Das heilige Land 1852 p. 137; *Van de Velde*, Memoir 1858 p. 322; *Guérin*, Galilée I. 392; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 677; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 288; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. VI; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 215.

IEDDEL v. GEDDEL 2.

IEDDO (יִחְדּוֹ, Ἰεδδαί) Gadita filius Buz (1 Par. 5,14).

IEDDOA (יְדוּעַ; Ἰαδού, Ἰδούα), filius Ionathan seu Iohanan pontificis eiusque in pontificatu successor (Neh. 12,11. 22), ad quem usque series pontificum Veteris Test. apud Neh. 12,10. 11 perducitur incipiendo a Iosue aequali Zorobabelis. Erat Ieddoa aequalis Alexandri Magni, cui Ierusalem ingressuro obviam ivisse fertur (v. ALEXANDER 1); mortuus est eodem fere tempore quo Alexander; eius filius erat Onias I. pontifex, eius frater autem ille sacerdos Manasses, qui ob connubium cum filia Sanaballetis satrapae ab Hierosolymitanis fugatus ad Samaritanos transiit et templum in monte Garizim iuvante Sanaballete exstruxit (*Flav. Ios.* Ant. XI. 7,2; 8,2. 5. 7). — Difficultas movetur, quomodo Nehemias auctor libri sacri pontificem tempore Alexandri M. florentem novisse potuerit. Iam respondit *Corn. a Lapide* (in h. l.) aut vv. 11 et 22 non esse scriptos a Nehemia, sed post eius mortem libro insertos a synagoga vel ab aliquo hagiographo ad ostendendam continuam pontificum successionem usque ad Alexandrum M., a cuius gestis incipiant libri Machabaeorum aut Nehemiam vidisse Ieddoa puerum, sed non pontificem. Utrumque responsum probabilitate non caret; prius tamen a plerisque modernis catholicis interpretibus merito praefertur; cf. *Cornely*, Introd. II. num. 121.

IEDDU (יַדּוּ, *Qeri* יִדֵּי, Ἰαδαί), unus de filiis Nebo, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10, 43).

IEDDUA (יַדּוּעַ, Ἰεδδούα, A Ἰεδδούκ), unus ex principibus populi, qui simul cum Nehemia foedus renovatum signarunt (Neh. 10,21[22]). Idem nomen hebr. gerit IEDDOA.

IEDEBOS (יִדְבָּשׁ, Ἰαδάς), unus de stirpe Etam in genealogia Iuda (1 Par. 4,3); v. ETAM 3.

IEDEI v. IDAIA 1.

IEDIEL (יַחְדִּיאֵל, Ἰεδιήλ), vir fortissimus et potens ex principibus cognationum Manasse trans Iordanem (1 Par. 5,24).

IEDIHEL (יְדִיעֲאֵל). **1.** Filius Samri in catalogo heroum davidicorum 1 Par. 11,45 (LXX Ἰεδιήλ), fortasse idem est ac **2.** Iedihel (LXX Ῥωδιήλ), unus ex principibus millium in Manasse, qui ante pugnam ad montem Gelboe Davidi se iunxerunt, cum ab Aphec in Siceleg rediret (1 Par. 12,20). — Alios viros eiusdem nominis hebr. vide s. v. IADIEL, IADIHEL.

IEDLAPH (יִדְלָף, Ἰελδάφ), filius septimus Nachor ex Melcha (Gen. 22,22).

IEGAAL (יִגְאָל, Ἰωήλ), filius Semeia ex regia domo Iuda (1 Par. 3,22). Idem nomen hebr. gerunt IGAL et IGAAL.

IEGBAA (יִגְבְּהָה; Iud. 8,11: Ἰεγεβάλ), urbs transiordanica a filiis Gad reaedificata (Num. 32,35; LXX καὶ ὕψωσαν αὐτάς); eiusdem urbis mentio fit in actis Gedeonis contra Zebee et Salmana Madianitarum reges (Iud. 8,11). His satisfacit *Khirbet Djubehat* 12 km a Rabbath Ammon inter septemtrionem et occidentem (*Riess*); nomen *Djubehat* in forma plurali est collectivum pro tribus ruinis urbi antiquae correspondentibus.

Cf. *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 17; *Survey of East. Pal.* Mem. I. 111; *Oliphant*, The land of Gilead 1880 p. 232; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land p. 585 et Plate I; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 87.

IEGEDELIAS (וְגַדַלְיָהוּ, Γοδολίας, pater Hanan prophetae tempore Ieremiae (Ier. 35,4); v. HANAN 10.

IEHEDEIA (יְחַדְיָהוּ, Ἰεδεία), levita de filiis Subael tempore Davidis, Gersonita (1 Par. 24,20). Idem nomen hebr. gerit IADIAS.

IEHEZIEL (יְחִזִיאֵל, Ἰεζήλ, Ἰεζιήλ), Beniaminita, qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12,4). Idem nomen hebr. gerunt IAZIEL et IAHAZIEL et EZECHIEL (Esdr. 8,5).

IEHIAS (יְחִיָה, Ἰεία), ianitor arcae in Ierusalem una cum Obededom (1 Par. 15,24).

IEHIEL (יְעִיאֵל; Ἰωήλ, Ἰεήλ, Ἰεϊήλ, Ἐλεϊήλ, Ἰαήλ). **1.** Princeps in tribu Ruben de filiis Ioel (1 Par. 5,7).

2. Possessor Gabaon et princeps in tribu Beniamin (1 Par. 9,35; *Khetib* יעואל); v. ABIEL 1 et ABIGABAON.

3. Filius Hotham Arorites (1 Par. 11, 44; *Kethib* יעיאל) i. e. de Aroer tribus Iuda, ut videtur.

4. Levita, ianitor et cantor tempore Davidis (1 Par. 15,18. 21; 16,5).

5. Levita ex genere Asaph inter maiores Iahaziel tempore Iosaphat prophetantis (2 Par. 20,14).

6. Scriba qui cum Maasia doctore numerabat exercitum Oziae regis Iuda (2 Par. 26,11; *Kethib* יעיאל).

7. Levita tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,13; *Kethib* יעיאל; Vulgata Iahiel).

8. Unus ex principibus levitarum tempore Iosiae regis (2 Par. 35,9).

9. Unus de principibus familiarum, qui cum Esdra Babylone redierunt; erat de filiis Adonicam (Esdr. 8,13; *Kethib* יעיאל).

10. Unus de filiis Nebo, qui Esdra iubente uxores alienigenas dimiserunt (Esdr. 10,43).

11. Idem nomen duorum vel trium virorum legitur Esdr. 10,2. 21. 26 in Vulgata, sed hebr. יחיאל.

IEHIELI v. IAHIEL 2.

IEHOVA v. DEUS.

IEHU (יֵהוּא, Ἰού Ἰηού).

1. Decimus rex Israel, conditor dynastiae quintae eiusdem regni, filius Iosaphat filii Namsi (4 Reg. 9,2. 14). Eius gesta narrata erant in deperdito libro verborum dierum regum Israel (4 Reg. 10,34). Iam regnante Achab inter comites regios eminebat (4 Reg. 9, 25; cf. 9,20) et in sermone Domini, qui Eliae in monte Horeb factus est, rex Israel futurus praenuntiatur (3 Reg. 19,16. 17). Ioram, filius Achab et rex Israel post Ochoziam fratrem suum, cum in bello contra Syros apud Ramoth Galaad vulneratus esset, constituit Iehu ducem exercitus sui, dum ipse in Iezrahel revertit, ut curaretur. Tum Eliseus vaticinii Eliae memor per unum de filiis prophetarum Iehu in castris commorantem regem unxit eique mandavit, ut domum Achab deleret. Mandato obtemperans Iehu Ioram regem Israel una cum Ochozia rege Iuda in Iezrahel interfecit, corpus Iezabel in agro Iezrahel canibus proiecit et universam domum Achab delevit. Insuper omnes sacerdotes Baal insidiose ad holocausta facienda convocatos occidi et statuam Baal comburi iussit, aedem Baal destruxit eiusque situm latrinis et cloacis destinavit. Samariam urbem regiam elegit et 28 annos regnavit. Verumtamen a peccatis Ieroboam non recessit et vitulos aureos in Bethel et Dan non dereliquit. Laudatur quidem a Domino ob fidelitatem, qua divina consilia contra domum Achab exsecutus est et filiis eius usque ad quartam generationem thronus Israel promittitur. Sed in poenam idololatriae Dominus Israelitas Hazaeli regi Syriae tradidit percutiendos, qui regno Israel totam regionem Galaad usque ad Arnonem eripuit. Cf. 4 Reg. 9,1 ss.; 10,1 ss.; 12,1; 13,1; 14,8; 15, 12; 2 Par. 22,7. 8; 25,17.

In inscriptionibus cuneiformibus Iehu bis commemoratur nomine Iaua filius Amri, tributum auri et argenti solvens Salmanassar II. regi Assyriae (cf. *Schrader, Vigouroux*).

Ut ex narratione S. Scripturae colligitur, erat Iehu electus a Domino, inopinato ac subito ad regiam dignitatem evectus, magno impetu incedens (4 Reg. 9,20), in agendo praeceps, tacens, dis-

simulans, importunus. Ex eius regno 28 annorum nihil mentione dignum effertur, praeterquam quod domum Achab et cultum Baal exterminaverit, idololatriam autem non aboleverit. Quod Osee 1,4 legitur : « visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu », non est interpretandum de strage illa in domum Achab edita, sed de caedibus, iustorum oppressionibus, iniustitiis, quas cum idololatria plerumque sociari libri sacri passim probant.

Cf. *Knabenbauer* ad Os. 1,4 ; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscript. and Old Test. I p. 199 s. ; *Vigouroux*, La Bible et les découv. mod. *ed.* 6 III. 481-485.

2. Filius Hanani, propheta, qui contra Baasa regem Israel prophetavit (3 Reg. 16,1. 7) et triginta fere annis postea Iosaphat regem Iuda reprehendit propter foedus cum Achab initum (2 Par. 19,2. 3). Idem regi Iosaphat superstes eius regni historiam conscripsit (2 Par. 20, 34). Eum non a Baasa occisum esse, ut Vulgata 3 Reg. 16,7 habet, diximus s. v. BAASA.

3. Unus ex posteris Hesron de stirpe Iuda ; enumeratur sextus inter illos tredecim, qui ab Oholai filia Sesan descendunt, quae Iaraa Aegyptio, servo Sesan, nupserat (1 Par. 2,38).

4. Unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui in diebus Ezechiae regis Iuda pascua terrae Gador occuparunt (1 Par. 4,35) ; erat filius Iosabiae filii Saraiae filii Asiel.

5. Beniaminita de Anathoth urbe oriundus, qui David in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,3 ; Ἰηούλ).

IEHUEL (יְעוּאֵל, Ἐπειήλ), princeps filiorum Zara ex posteris Iuda post captivitatem (1 Par. 9,6).

IEHUS (יְעוּשׁ, Ἰεούς, Ἰεούλ, Ἰαούς, Ἰάς).

1. Filius Esau ex Oolibama genitus in terra Chanaan (Gen. 36,5. 14. 18 ; 1 Par. 1,35 ; *Kethib* saepius יְעִישׁ).

2. Filius Balan ex tribu Beniamin, bellator fortissimus et numerosae cognationis princeps (1 Par. 7,10).

3. Filius Esec ex posteris Saul (1 Par. 8,39).

4. Filius Roboam regis Iuda ex Abihail (2 Par. 11,19 et vide ABIHAIL 4).

5. Iehus (יְעִיץ, Ἰεβούς), Beniaminita filius Saharaim de Hodes uxore genitus in terra Moab (1 Par. 8,10).

Idem nomen hebr. geritlaus (vide s. v.).

IEIUNIUM. In lege mosaica unus ieiunii dies per annum erat praescriptus : decimo die mensis septimi, dies expiationum erit celeberrimus et vocabitur sanctus ; *affligetisque animas vestras* in eo (affligere animam hebr. i. e. ieiunare ; Lev. 23,27 ; cf. 16,29 ; Num. 29,7). Eius diei et ieiunii quoque mentio habetur Act. 27,9 : iam non erat tuta navigatio, eo quod et ieiunium iam praeteriisset. Ad illud ieiunium (a vespera usque ad vesperam, uti consuetudinis erat) etiam advenae qui peregrinabantur i. e. habitabant in terra obligabantur (Lev. 16,29). Praeterea in lege dictum est posse fieri votum quo quis se ad ieiunium adstringat ; uxor tamen id solum vovere potest marito consentiente (cf. Num. 30,14-16). Insuper ieiunium saepe celebrabatur et propter calamitates publicas et propter luctum et infortunia privata. Ita iam Iud. 20,26 legimus : (clade accepta) filii Israel venerunt in domum Dei et sedentes flebant coram Domino ieiunaveruntque die illo usque ad vesperam. Et Saul adiuravit populum : maledictus vir qui comederit panem ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis (1 Reg. 14,24) ; Iosaphat quoque, cum Moabitae et Ammonitae et Syri contra eum bellum moverent, « totum se contulit ad rogandum Dominum et praedicavit ieiunium universo Iuda » (2 Par. 20,3) ; in anno quinto Ioakim mense nono praedicaverunt ieiunium (Ier. 36,9). Esdras praedicavit ieiunium, ut iter tutum in patriam consequerentur (Esdr. 8,21) ; in bellis quoque machabaicis ieiunabatur ad opem divinam implorandam (cf. 1 Mach. 3,47 ; 2 Mach. 13,12). Praeter publica populi ieunia reperiuntur ieiunia singulis urbibus imposita ; habitatores Iabes Galaad propter mortem Saul ieiunaverunt septem diebus (1 Reg. 31,13) ; propter blasphemiam in Deum et regem, cuius Naboth falso accusabatur, seniores praedicaverunt ieiunium (3 Reg. 21,12).

ieiunabant ad communem calamitatem avertendam Iudith, Esther.

Frequenter mentio fit ieiunii ob luctum privatum vel ad opem divinam implorandam, ut calamitas avertatur; nam « bona est oratio cum ieiunio » (Tob. 12,8); ita David ieiunavit ieiunio ad vitam parvuli a Deo obtinendam (2 Reg. 12,16); Achab auditis comminationibus ieiunavit et dormivit in sacco (3 Reg. 21,27); ieiunatur in luctu; cf. 1 Reg. 1,7; 20,34; 2 Reg. 1,12; Ps. 34,13; 108,24; Bar. 1,5; Dan. 9,3; Ioel 1,14; Ion. 3,5. Post exsilium statuta erant ieiunia ad quosdam dies nefastos et calamitosos recolendos, mense quarto die 9. ad recolendam urbis expugnationem (Ier. 52,6), mense quinto die 10. ob urbis templique destructionem (Ier. 52,12); mense septimo ob occisionem Godoliae (Ier. 41,2); mense decimo die 10., quo obsidio Ierusalem coepta est (Ier. 52,4); de hisce diebus sermo est Zach. 7,3. 5 et 8,19. — Qua autem mente ieiunandum sit, ut ieiunium sit Deo acceptum, docetur apud Isaiam 58,3 ss.; qui ieiunant animis in malo obfirmatis neque a peccato recedere volunt, de iis valet illud : cum ieiunaveritis, non exaudiam (Ier. 14,12).

Pharisaeos ieiunasse eorumque discipulos, uti etiam discipulos Baptistae, discimus ex evangeliis (Matth. 9,14; Marc. 2,18; Luc. 5,33; 18,12 : ieiuno bis in hebdomada, dicit pharisaeus); verum quale fuerit pharisaicum ieiunium, scil. ad laudem pietatis captandam, docet Christus : exterminant facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes (Matth. 6,16). Uti Moyses per 40 dies ieiunavit (Ex. 34,28; Deut. 9,9), ita Christus quoque (Matth. 4,2). Suos quidem discipulos, dum apud ipsum erant, non coegit ieiunare; at simul praedixit (et consequenter id voluit) : venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus et tunc ieiunabunt (Matth. 9,15). Proin rationem ieiunii suorum unam hanc assignat luctum et tristitiam de absentia Sponsi, desiderium ad eum perveniendi. Et quomodo suos velit ieiunare, indicat dicens : tu autem cum ieiunas, unge caput tuum et faciem lava, ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo qui videt in abscondito et Pater tuus reddet tibi (Matth. 6,17. 18). Immo Christus loquitur de genere daemoniorum, quod « non eiicitur nisi per orationem et ieiunium » (Matth. 17,20). Unde satis constat Iesum voluisse ut ieiunium et magni aestiment et revera hoc quoque abnegationis genus exerceant. Quare videmus ab incunabulis rei christianae ieiunium esse adhibitum; ita legitur Act. 13,2. 3 : ministrantibus autem illis Domino et ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos; tunc ieiunantes et orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos. Eodem modo Act. 14,22 constituuntur presbyteri cum oratione et ieiunationibus. Et Paulus apostolus commendat ieiunium : exhibeamus nosmetipsos ut Dei ministros in multa patientia... in ieiuniis (2 Cor. 6,5) et quod commendavit, ipse opere adimplevit; nam « in ieiuniis multis » munus suum apostolicum exercuit (2 Cor. 11, 27).

I. KNABENBAUER.

IEMAI (יַחְמַי, Εἰκάν), quartus inter filios Thola filii Issachar, qui erant principes per domos cognationum suarum (1 Par. 7,2).

IEMINEUS, IEMINI v. BENIAMINITA.

IEMINI terra (1 Reg. 9,4) est territorium tribus Beniamin vel aliqua eius pars.

IEMLA (יִמְלָא, יִמְלָה; Ἰεμιάς, Ἰεμιά, Ἰεμαάς, Ἰεμαά), pater Michaeae prophetae cuiusdam in diebus Achab et Iosaphat (3 Reg. 22,8. 9; 2 Par. 18,7. 8).

IEMLECH (יִמְלֵךְ, Ἰεμολόχ), unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui tempore Ezechiae regis pascua terrae Gador occuparunt (1 Par. 4,34).

IEMNA (יִמְנָה, Ἰεμνά, Ἰαμίν). **1.** Filius primogenitus Aser, progenitor Iemnaitarum (Gen. 46,17 Vulgata Iamne; Num. 26,44; 1 Par. 7,30).

2. Pater Core levitae et ianitoris tempore Ezechiae regis (2 Par. 31,14).

3. Filius Helem de stirpe Aser, unus ex principibus cognationum (1 Par. 7, 35; sed hebr. יִמְנָע, LXX Ἰμανά).

IEMNAA (Ἰεμναά Iudith 2,28 graece) v. IAMNIA.

IEPHDAIA יִפְדָיָה, Ἰεφδειά), filius Sesec, unus ex principibus cognationum Beniamin, qui Hierosolymis habitabant (1 Par. 8,25).

IEPHLAT (יִפְלָט, Ἰαφλήτ), filius Heber ex posteris Aser (1 Par. 7,32. 33).

IEPHLETI (הַיִּפְלֶטִי i. e. Iaphletita; Ἀπταλίμ, Α τοῦ Ἰεφλετί). Terminus Iephleti seu rectius Iephletita erat in confinibus Ephraim et Beniamin prope Bethoron inferiorem (Ios. 16,3). Quisnam ille Iephletita fuerit, dici nequit. Duo commemorantur viri, quorum nomina similitudinem cum patronymico Iephleti prae se ferunt: Iephlat filius Heber ex posteris Aser (1 Par. 7,32. 33) et Phalti filius Raphu de tribu Beniamin, unus ex duodecim exploratoribus terrae promissae Num. 13,10[9]. De priore vix cogitari potest, cum Aser longe distet a confinibus Ephraim et Beniamin. Utrum alter nomen suum indiderit stirpi cuidam regionem prope Bethoron incolenti, dubium relinquitur.

IEPHONE (יְפֻנֶּה). **1.** Pater Caleb exploratoris de stirpe Cenez (v. CALEB 1); LXX Ἰεφοννή.

2. Filius Iether principis cognationis asericae (1 Par. 7,38; LXX Ἰεφινά); cf. IETHER 5.

IEPHTAHEL, IEPHTHAEL vallis (גֵּי יִפְתַּח־אֵל i. e. vallis quam Deus aperit; Ios. 19,14 Γαιφαήλ, 19,27 Ἐκγαὶ καὶ Φθαιήλ; A Γαὶ Ἰεφθαήλ) in confinibus Zabulon et Aser (Ios. 19,14. 27). Ad hanc vallem cum aliqua probabilitate refertur Iotapata urbs a Flavio Iosepho munita et a Vespasiano expugnata (Bell. iud. II. 20,6; III. 6,1; 7,3 s.; Vita 37), quae apud rabbinos vocatur Gophatata, Gopaphta, Paphta 3 mil. pass. a Tzippori distans (*Reland*, Pal. p. 816 et 923), hodie autem ruina *Khirbet Djefat* 2½ horas a Sepphori aquilonem versus in colle posita; Iephtahel igitur erit vel vallis a *Djefat* in planitiem Zabulon (Asochis, *el-Battauf* desinens vel forte *Wâdi 'Abellîn* ad occidentem eiusdem planitici.

Magis aquilonem versus eandem vallem quaerendam esse censet *F. de Hummelauer* (ad Ios. 19,14. 27) scil. inter Galilaeam inferiorem, quae collibus impletur, et superiorem, quae altior est. Dividit enim Galilaeam inferiorem a superiore continua illa ab oriente ad occidentem vallis, cuius clavis veluti est Rama Galilaeae. Ubi natura ipsa definivit limitem Galilaeae inferioris et superioris, ibi erat terminus septemtrionalis Zabulon; Galilaea superior pertinebat ad Aser et Nephthali.

De *Khirbet Djefat* cf. *Ritter*, Erdkunde XVI. 767. 768; Zeitschr. der Deutschen Morgenl. Gesellschaft III. 1849, 51. 52; *Robinson*, Neuere bibl. Forsch. p. 136 ss.; *Guérin*, Galilée I. 476 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 311 s.; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 203; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 223.

IEPHTE, IEPHTHE (יִפְתָּח, Ἰεφθάε) Galaadites, patre Galaad (v. GALAAD 2), matre meretrice natus, a patris filiis legitimo toro natis spretus ideoque e domo paterna profugus, collecta vagorum hominum manu brevi fortitudinis fama inclaruit (Iud. 11). Contra Ammonitas Hebraeos opprimentes princeps electus, exercitu e transiordanicis collecto, antequam ad proelium egrederetur, votum vovit Deo se eam personam, quae post partam victoriam revertenti e domo obviam prima esset occursura, holocausto esse immolaturum. Victori prima occurrit filia, unica proles, quam ipse infando sacrificio post tres menses immolavit. Hoc planis verbis textus narrat; ita eundem intellexerunt versiones, Patres, interpretes catholici vix non omnes. Tamen, praeter protestantes nonnullos, catholici etiam interpretes aliqui, miserati innocentis virginis sortem et horrore acti sacrificii humani, sensum obvium deseruerunt: *Lyranus*, *Arias Mont.*, *Vatabl.*, *Mariana*, *Estius*, *L. Reinke* (Beiträge zur Erklärung des A. T. I. 470 ss., Münster 1851), *G. Schoenen* (Theol. Quartalschrift, Tübingen LI. 1869 p. 531 ss.), *F. Kauler* (Commenta-

tio de rebus Iephtae, Bonnae 1895). « Holocaustum » hi auctores latiore aliquo sensu accipiunt, virginem aut sanctuarii pontificisve famulatui adscribunt, aut in aliquam virginum societatem et quasi coenobium relegant. Porro Ephraimitae, uti in Gedeonem quondam Manassaeum, ita in Iephthen conquesti sunt se ad pugnam non esse vocatos, sibi, qui principatum domus Ioseph vindicarent, primas victoriae et praedae partes esse praereptas. Ephraimitae proelio fusi et, qui vada Iordanis traiicere conarentur, dialecto agniti interempti sunt (Iud. 12, 1-6). Iudicis officio Iephthe trans Iordanem functus est sexennio (Iud. 12,7). Cf. 1 Reg. 12,11; Hebr. 11,32.

IEPHTHA (יִפְתָּח, B omitt., A Ἰεφθά), urbs tribus Iuda, in tertia provincia Sephelae (Ios. 15,43). Est ignota.

IERAA (יַרְחָע, Ἰωχά), servus aegyptiacus Sesan Ierameelitae, maritus Oholai filiae Sesan, pater Ethei, progenitor numerosae stirpis (1 Par. 2,34); inter eius posteros aliqui illustriores viri recensentur, ut Zabad heros davidicus (cf. 1 Par. 11,41) et Azarias centurio tempore Athaliae reginae, qui 2 Par. 23,1 filius Obed vocatur.

IERALA v. IEDALA.

IERAMEEL (יְרַחְמְאֵל i. e. Deus amat; Ἱεραμεήλ). **1.** Primogenitus Hesron filii Phares filii Iuda (1 Par. 2,9). Eius posteri recensentur 2,25-33; incolebant meridianam partem tribus Iuda (1 Reg. 27,10); eorum urbibus David in Siceleg reversus dona misit de praeda ab Amalecitis reportata (1 Reg. 30,29).

2. Levita tempore David, filius Cis filii Moholi de stirpe Merari (1 Par. 24, 29; cf. 23,21).

IERCAAM (יִרְקְעָם, Ἱεκλάν) vel est nomen viri ex posteris Caleb filii Hesron vel, ut *Jarchi* statuit, nomen oppidi, cuius pater (possessor, dominus) erat Raham (1 Par. 2,44); si hoc alterum obtinet, quaerendum erit prope Hebron (cf. 2,43).

IEREMIAS (יִרְמְיָה, יִרְמְיָהוּ i. e. Iahwe deiicit vel excelsus est Iahwe vel Iahwe constituit, elevat; cf. *Knabenbauer*, Comment. in Ier. p. 3; LXX Ἱερεμία, Ἱερεμίας). **1.** Ieremias de Lobna tribus Iuda, pater Amital uxoris Iosiae regis Iuda (4 Reg. 23,31; 24,18; Ier. 52,1).

2.3.4. Tres bellatores, qui David in Siceleg fugitivo se iunxerunt, quorum primus erat Beniaminita (1 Par. 12,4), duo alii Gaditae (1 Par. 12,10-13).

5. Princeps in dimidia tribu Manasse transiordanica (1 Par. 5,24).

6. Princeps familiae sacerdotalis, a quo tota familia nomen accepit (Neh. 10,2; 12,1. 12).

7. Unus ex principibus Iuda tempore Nehemiae (Neh. 12,33[34]).

8. Pater Iezoniae principis Rechabitarum tempore Ieremiae prophetae (Ier. 35,3).

9. Ieremias propheta, filius Helciae de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth in terra Beniamin (Ier. 1,1); pater eius Helcias alius censeri debet ac Helcias pontifex (4 Reg. 22,8); pontifices enim in urbe Ierusalem habitabant. Ieremias admodum iuvenis anno tertio decimo Iosiae regis Iuda ad munus propheticum a Deo vocatus est. Ad Dei vocantis vocem haesitavit et munus declinare tentavit. Neque id mirum est; nam idololatria et vitia ei coniuncta sub Manasse et Amon altissimas egerant radices, Iosias rex quidem anno duodecimo regni sui mundavit Iudam et Ierusalem ab excelsis et simulacris (2 Par. 34,3); at haec externa idolorum destructio nequaquam animos hominum moresque mutavit. Quare iuvenem trepidasse, cum bellum inferre iuberetur vitiis longe lateque grassantibus, facile intellegitur. Verum divina promissione auxilii superni accepta statim obsecutus est Deo vocanti. Uti temporum conditione requirebatur, constituitur « ut evellas et destruas et disperdas et dissipes et aedifices et plantes » (1,10); vitia erant impugnanda, urbis templique ruina annuntianda, regni casus praedicendus simul cum servitute populi sub imperio Chaldaeorum; sed ex ipsis ruinis Deum pro sua fidelitate novum longeque meliorem rerum statum, regnum scil. messianum, demum esse suscitaturum, uti prophetae ante Iere-

miam iam praedixerant, ita ipse quoque eximiis oraculis est prosecutus (cap. 30 ss.).

Munere prophetico functus est regibus Iosia, Ioachaz, Ioakim, Ioachin (Iechonia), Sedecia et aliquo tempore post urbem destructam etiam in Aegypto. Intrepide ac fortiter vitia omnium ordinum reprehendit, uti ei dictum erat a Domino : ego dedi te in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum super omnem terram regibus Iuda, principibus eius et sacerdotibus et populo terrae (1,18; cf. 6,27). Regem Ioachaz iam non esse reversurum ex Aegypto quo eum Nechao rex Aegypti abduxerat praedicit (22,11. 12; cf. 4 Reg. 23,34); in Ioakim rege reprehendit avaritiam, pompam, iniustitiam, oppressionem eique mortem ignominiosam praedicit (22,14-19); in initio eius regni, cum destructionem templi urbisque praedixissel, sacerdotes et pseudoprophetae eum ad principes adduxerunt mortem eius postulantes (26,6 ss.). Affirmat propheta se missum a Deo; monet ne sanguinem fundant innocentem; docet si mores emendati fuerint Dominum non exsecuturum esse malum quod minatus sit; unde principes eum a furore sacerdotum et pseudoprophetarum tuentur. Anno quarto regni Ioakim vaticinatur annos septuaginta dominationis Chaldaeorum, cui Iudaei se debeant subiicere Deo iubente quia non reversi sint a sua via mala. Qua annuntiatione cui firmiter deinceps insistebat varias gravesque sibi creavit molestias, cum in aula regia essent multi qui fortiter contra Chaldaeos pugnandum esse existimabant, ideoque prophetam ut hominem reipublicae maxime noxium et proditorem odio habebant et prosequebantur. Eodem anno Ieremias clausus in carcere iussus est a Domino scribere in volumine omnia oracula eousque sibi communicata; vocavit Baruch eique sermones Domini dictavit quos Baruch in templo publice legit. Anno sequenti, quinto anno Ioakim, mense nono die ieiunii iterum legit Baruch ex illo libro in templo. Quod cum regi esset nuntiatum, ipse iussit librum afferri et sibi legi; sed pagellas lectas rex scalpello scidit et combussit et praecepit, ut Ieremias et Baruch comprehenderentur. Eos tamen Dominus protexit ne reperirentur. Ieremias autem iussu Domini sermones iterum dictavit additis minis contra Ioakim (36,1-32).

Uti cives hierosolymitanos et populum ad sollemnitates confluentem verbis et lectione sermonum quos antea iam habuerat emendare studebat, ita exsulibus quoque consuluit. Nam postquam Iechonias abductus est Babylonem, misit epistulam ad exsules qua eos monet ne falsis pseudoprophetarum promissis fidem adhibeant (29,1 ss.). Contra vanam eiusmodi spem fore ut dominatione Chaldaeorum mox exstincta iugum eorum non sit subeundum, prophetae domi quoque acriter erat dimicandum. Cum enim Sedecias initio regni foedus concludere tentaret cum Edom, Moab, Ammon, Tyriis, Sidoniis, ut essent socii belli contra Babylonios, Ieremias legatis eorum qui venerant in urbem vincula et catenas tradere iubetur, symbola scil. servitutis quam iam non liceat effugere (27,2 ss.). Idem pariter asseruit contra Hananiam, qui ausus est vaticinari post duos annos vasa templi iri relatum ex Babylone et Iechoniam quoque et exsules reversuros et qui simul catenam tulit de collo Ieremiae (symbolum servitutis certae) eamque confregit. Quod tamen male cessit pseudoprophetae : hoc anno morieris, adversum enim Dominum locutus es, ei Ieremias denuntiare iubetur.

Sedeciae quoque regi repetito Dei nomine declarat fieri non posse, ut se et urbem liberet a Chaldaeis (34,1 ss.), praedicit frustra sperari auxilium ab Aegyptiis (37,1 ss.). Quibus oraculis principes qui Chaldaeis esse resistendum putabant irati Ieremiam caesum in carcerem miserunt, in quo multis diebus detinebatur. Durante obsidione Sedecias clam eum consuluit, qua occasione Ieremias iterum ei aperte tamquam Dei sermonem indicat : in manus regis Babylonis traderis, eique denuo fraudem pseudoprophetarum in memoriam revocat : ubi sunt prophetae vestri qui prophetabant vobis et dicebant : non veniet rex Babylonis super

vos et super terram hanc? Quam durum carcerem sustinuerit, patet eo quod simul regem obsecrat, ne remittatur in carcerem, cum ibi moriendum sibi esset. Permittit ei rex manere in atrio custodiae, ubi scil. milites in palatio regio custodias agebant. Verum cum non desisteret mortem praedicere iis qui resisterent Chaldaeis, principes a rege postularunt ut occideretur. Sedecias respondet : ecce in manibus vestris est; Ieremias proiicitur in cisternam, ibique coeno immersus periisset, nisi Abdemelech Aethiops annuente rege eum eruisset (38,1 ss.).

Quod Ieremias toties regi et populo praedixerat et quod eodem teste avertere potuissent si verbis Domini obsequentes emendassent mores (21,1 ss.; 22,1 ss.), tandem undecimo anno regni Sedeciae evenit; urbs a Chaldaeis capta et combusta est. Ieremias cum ceteris captivis vinctus catenis adducitur in Rama; sed statim a Nabuzardan duce libertati redditur eique permittitur ut eligat quod sibi placuerit. Praeceperat enim Nabuchodonosor, ut Nabuzardan poneret oculos suos super eum eique faceret quod voluisset. A transfugis enim et ab ipso Sedecia certe audierat rex, dum in culpam principum et Sedeciae inquireret, quale consilium Ieremias constanter dedisset; unde eum tamquam amicum Chaldaeorum haberi voluit. Ieremias eligit manere in Iudaea et se confert ad Godoliam qui a Chaldaeis praepositus erat regioni. Quo occiso Iudaei metu Chaldaeorum in Aegyptum fugere statuunt invito Ieremia qui iis in sermone Domini mala annuntiat fugientibus in Aegyptum. Illi autem contumaces se conferunt in Aegyptum secumque duxerunt quoque Ieremiam et Baruch. Ibi quoque propheta testis est idololatriae popularium quam frustra cohibere conatur (42-44). Ubi et quomodo mortem obierit non constat. Eum lapidatum esse a Iudaeis, quia illis et terrae Aegypti novam cladem praedixisset *Tertullianus* et *S. Hieronymus* tradunt (cf. Scorp. 8; adv. Iovin. 2,37; *M.* 2,137; 23,350); id factum esse apud Taphnas in Aegypto dicunt *Ps. Epiphanius* et *S. Isidorus hisp.* (De vitis proph. 8; De obitu et vita Patr. 38; *M.* 43,400; 83,142; haec et alia v. apud *Cornely,* Introd. II 2 p. 361 s.).

Quid Ieremias egerit, senserit, sustinuerit, ipse clare exponit in libro suo. Acriter in vitia invehitur; magna vi quam ingratus populus sit erga Dei beneficia prosequitur; in una morum emendatione reponi salutem constanter inculcat. Sed cum magno animi dolore advertit animos esse obduratos adeoque ruinam iam non posse averti. Luctum et sortem populi fatalem in se ipso et in modo vivendi exprimere debet: « non accipies uxorem; ne ingrediaris domum convivii ut sedeas cum eis et comedas et bibas » (16,2 ss.). Quam graviter munere suo functus sit et praedicaverit in templo, in portis urbis, in domo regia, in atrio custodiae, symbolicis actionibus, epistulis missis, lectione sermonum per Baruch, luculenter ex ipso eius libro elucet. At eum quoque haud semel difficultatem muneris esse expertum et tristitia deiectum pariter proditur (20,7 s. 14 s.); ab ipsis eius civibus insidiae struuntur vitae eius (11,18 ss.), omnibus odio et exsecrationi esse videtur : vae mihi, mater mea quare me genuisti, virum rixae, virum discordiae in universa terra; omnes maledicunt mihi (15,10); quare factus est dolor meus perpetuus (15,18 etc.)? factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me; factus est mihi sermo Domini in opprobrium (20, 8); neque solum verbis, sed verberibus quoque impetitus est : percussit Phassur Ieremiam prophetam et misit eum in nervum (20,2). Cum itaque nihil efficeretur emendationis et praedicandi munus tot obseptum esset molestiis, quandoque ab eo desistere voluit : « et dixi : non recordabor sermonis Domini neque loquar ultra in nomine illius » (20,9); at Deus moerentem consolatus est et confortavit (12,5 s.; 15,19 s.) neque sermonem Domini cohibere potuit : factus est in corde meo quasi ignis exaestuans claususque in ossibus meis et defeci ferre non sustinens (20,9). Quanta sustinuerit, etiam ab auctore Eccli. memoriae proditur : male tractaverunt illum qui a ventre matris consecratus est propheta (49,9). Uti vivus maximam curam habuit salutis civium,

ita mortuus quoque exhibetur summopere sollicitus pro populo Dei eique opem ferens; apparuit enim in visu Iudae qui proelia Domini tempore Machabaeorum proeliabatur, Ieremias gloria mirabilis : hic est fratrum amator et populi Israel qui multum orat pro populo et universa sancta civitate; et ipse extendit dexteram deditque Iudae gladium aureum dicens : accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo deiicies adversarios populi mei Israel (2 Mach. 15,13. 14). Et quanto in honore habitus sit temporibus posterioribus etiam colligitur ex epistula Iudaeorum hierosolymitanorum data ad Iudaeos in Aegypto (2 Mach. 2,1-9) et ex opinione multorum tempore Christi qui Iesum tot miracula patrantem existimabant esse Ieremiam ex mortuis reducem (Matth. 16,14). Ad eius quoque gloriam pertinet quod inter alia praeclara oracula messiana, quibus et Messiam et bona messiana describit, tempus hoc messianum iam eo designat nomine quod ei maxime proprium est et sollemne, appellatione scil. foederis novi (31,31 ; cf. Hebr. 8,8).

IEREMIEL (יִרְחִיאֵל, Ἱερεμιήλ), filius Amelech (sed vide s. v.), a Ioakim rege Iuda iussus Ieremiam prophetam et Baruch scribam comprehendere (Ier. 36,26).

IERIA (יְרִיָּה, Οὐρίας) princeps Hebronitarum tempore Davidis (1 Par. 26, 31); v. HEBRON 1.

IERIAS v. HANANIAS 6.

IERIAU (יְרִיָּהוּ; Ἱεριά, Οὐρίας), levita, filius Hebron filii Caath, unus ex principibus Hebronitarum (1 Par. 23,19; 24, 23); de textu mendoso 24,23 vide s. v. HEBRON 1.

IERIBAI (יְרִיבַי, Ἰαριβεί), filius Elnaem, heros in exercitu Davidis (1 Par. 11,46).

IERICHO (יְרִיחוֹ, יְרִיחֹה, יְרֵחוֹ i. e. regio fragrans a radice insusitata רִיחַ *spirare*, הֵרִיחַ *olfacere*, vel ex opinione veterum : urbs lunae a יָרֵחַ *luna;* LXX Ἱερειχώ, *Flav. Ios.* Ἱεριχοῦς), urbs nobilis Palaestinae in tribu Beniamin sita haud procul a mari Mortuo et Iordane inferiore. Frequenter commemoratur ad describenda campestria Moab, quae dicuntur supra Iordanem contra Iericho sita (Num. 22,1; 26,3. 63;31,12; 33,48: 35,1; 36,13; Ios. 13,32 cf. 20,8; 21,36; 1 Par. 6,78[63]). Describitur opposita sorti duarum semis tribuum transiordanicarum (Num. 34,15) et monti Nebo (Deut. 32, 49; 34,1), ex quo Moyses terram promissam contemplans vidit latitudinem campi Iericho civitatis palmarum usque Segor (Deut. 34,3). Erat urbs munita reguli Chananaei; a Iosue expugnata et combusta est omnesque incolae occisi sunt excepta Rahab meretrice eiusque familia; cf. Ios. 2,1-12,9 passim et v. IOSUE 1. Maledictio autem, quae Ios. 6, 26 fertur in virum qui aedificaverit Iericho, merito intellegitur de urbis munitione, non de mera reaedificatione; urbs enim ipsa tribui Beniamin attributa est (Ios. 18,12.21 ; cf. etiam descriptionem terminorum tribus Ephraim Ios. 16, 1. 7). Civitas palmarum Iud. 1,16 et 3,13 haud dubie est Iericho, etsi fortasse non eodem loco exstructa quo prior fuerat. Eiusdem mentio fit in historia Davidis 2 Reg. 10,5 et 1 Par. 19,5. Cum autem Hiel de Bethel urbem munimentis firmare aggrederetur, Abiram primogenitus eius iuxta imprecationem Iosue morte sublatus est (3 Reg. 16,34). Prope Iericho filii prophetarum degebant; inde Elias trans Iordanem profectus igneo curru in caelum raptus est; ibi Eliseus aquas Iericho pessimas et sterilitatem terrae sale immisso sanavit (4 Reg. 2,1-22). Commemoratur in historia Achaz (2 Par. 28,15) et Sedeciae, qui in planitie Iericho a Chaldaeis captus est (4 Reg. 25,5; Ier. 39,5; 52,8). Duce Zorobabel ex captivitate redierunt 345 filii Iericho (Esdr. 2,34; Neh. 7,36) et sine dubio in Iericho habitarunt, siquidem viri Iericho Nehemiam adiuverunt in aedificandis muris Ierusalem (Neh. 3,2). Iericho a Iudaeis contra Holofernem munitionibus firmata est (Iudith 4,3; graece 4,4). Aetate machabaica Bacchides dux Syrorum castellum prope Iericho munivit (1 Mach. 9, 50) et ibidem in castello Doch Simon Ma-

bello Iudaico Iudaei Cestio devicto Iosephum filium Simonis administratorem

regio. Quin et fert opobalsamum, qui pretiosissimus est omnium qui illic sunt

E. Guillot del. et Paris

P. LETHIELLEUX, Editor Paris

Imp. Dupérray Paris

chabaeus cum duobus filiis Mathathia et Iuda dolo interfectus est (1 Mach. 16,11. 14). Sapientia describitur Eccli. 24,18 [14] : quasi plantatio rosae in Iericho. Ex Evangeliis huc referuntur sanationes caecorum (Matth. 20,29 ss.; Marc. 10, 29 ss.; Luc. 18,35 ss.), narratio parabolae de Samaritano (Luc. 10,30), commoratio Domini in domo Zachaei (Luc. 19, 1 ss.). Ad expugnationem urbis per Iosue alludunt 2 Mach. 12,15 et Hebr. 11, 30.

Romani Ierichuntem primum pervenerunt duce Pompeio, qui una nocte ibi castrametatus duo urbis castella destruxit, quibus nomina Threx et Taurus (*Strabo* XVI. 2,40). Gabinius res publicas Iudaeae instaurans Ierichuntem fecit unum ex quinque conventibus iuridicis, a quibus Iudaei tota gente in quinque partes aequales divisa ius peterent (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 5,4; Bell. iud. I. 8,5). Maiorem splendorem urbi addidit Herodes Magnus, qui ope Romanorum eam occupavit (Bell. iud. I. 15,6) eiusque proventum ab Antonio Cleopatrae concessum pretio redemit (Ant. XV. 4,2); Antonio apud Actium devicto Herodes ipsam urbem ab Augusto dono accepit (Ant. XV. 7,3; Bell. iud. I. 20,3). Brevi post supra Ierichuntem castellum securitate et amoenitate conspicuum erexit, matris suae nomine *Cypros* appellatum (Ant. XVI. 5,2; Bell. iud. I. 21,9) et multa alia in urbe palatia de amicorum nominibus appellata (Bell. iud. I. 21,4). Magnae quoque piscinae aulam Herodis Ierichuntinam circumfluebant, in quarum una atrox tyrannus Aristobulum adolescentem mergendum curavit (Ant. XV. 3,3). Ibidem etsi non semper residebat, mortem tristissimam obiit (Bell. iud. I. 33,6-8). Domus regia Herodis a Simone homine seditioso, qui Herodis servus fuerat, cremata et tota regio Ierichuntina direpta est (Ant. XVII. 10,6); Archelaus vero palatium magnifice refecit, vicum Archelaidem nuncupatum construxit et dimidiam aquam, qua Neara vicus irrigabatur, in campum Ierichuntinum divertit, quem palmetis totum conseverat (Ant. XVII. 13,1). In bello Iudaico Iudaei Cestio devicto Iosephum filium Simonis administratorem Ierichuntis constituerunt (Bell. iud. II. 20,4); recensetur inter undecim toparchias Iudaeae (III. 3,5); Vespasianus cum exercitu appropinquans eam ab incolis desertam invenit (IV. 8,2) et Ierusalem cincturus praesidium apud Iericho collocavit (IV. 9,1). Narrant Eusebius et S. Hieronymus (Onom. *ed. Lag.* 265,13; 132,1) Iericho eo tempore quo Ierusalem oppugnabatur, a Romanis propter perfidiam civium captam atque destructam esse, postea vero reaedificatam. Aetate christiana erat sedes episcopalis (*Le Quien*, Oriens christianus III. p. 654).

Iericho hodie est vicus exiguus *el-Rīḥā*. Attamen situs urbis antiquae magis occidentem versus quaerendus est neque cum omnimoda certitudine definiri potest. Ex Flavio Iosepho (Bell. iud. IV. 8,3) discimus urbem antiquam sitam fuisse prope fontem copiosum rigandisque arvis uberrimum, postea fontem Elisei nuncupatum; hic autem fons agnoscitur *ʿAin el-Sulṭān* ad radices montis Quarantania (*Qaranṭal*) et a vico *el-Rīḥā* inter septemtrionem et occidentem situs. Iericho autem Herodiana seu romana describitur a Flavio Iosepho l. c. 8,2 in planitie sita, cui imminet mons longissimus inter regiones Scythopolis (Bethsan) et Sodomorum protensus, nudus, asper, inaequalis, ob sterilitatem incultus et a Strabone XVI. 2,41 campus montibus veluti theatrum ex parte cinctus, palmis imprimis aliisque arboribus frugiferis consitus, hortis, rivulis, habitationibus abundans. Erat igitur Iericho Herodiana complexus domorum et villarum, quae inter palmeta et hortos huc illuc spargebantur.

Fertilitatem campi Ierichuntini egregie describit Flav. Iosephus (Bell. iud. IV. 8,3) : « Amplius quam fontes ceteri omnes, spatium irrigat (scil. ille fons Elisei) et per campum quidem labitur 70 stadiis longum, 20 vero latum atque in eo alit hortos amoenissimos et frequentissimos, palmarum item varia sapore et appellatione genera. Ex istis pinguiores pressae etiam mel emittunt copiosum, quod suavitate alteri vix cedit : quamquam et mellis altrix est illa regio. Quin et fert opobalsamum, qui pretiosissimus est omnium qui illic sunt

fructuum, cyprum item et myrobalanum, ita ut, qui divinum dixerit illum terrae tractum, non valde aberraverit, utpote quae alibi sunt pretiosissima et rarissima, copiose istic nascantur. Sed neque aliorum fructuum respectu tellus ulla per orbem universum ei fuerit facile comparanda; adeo quod satum est, multiplicatum reddit. Causa autem huius mihi videtur esse aëris calor et aquarum fecunditas, cum ille, quae nata fuerint, proliciat atque diffundat, liquor autem faciat, ut singula firmiter radices agant viresque aestivo tempore suppeditet. Adeo autem perusta est illa regio, ut vix quidquam quotannis pullulet crescatque. Aqua autem ante solis ortum hausta et aëri exposita frigescit naturamque aëri ambienti contrariam sumit; hieme vero tepescit et mitissima fit illis, qui in eam merguntur. Quin et tanta est aëris circumfusi temperies, ut, cum in aliis Iudaeae partibus ningit, hic linea veste utantur indigenae. Distat autem Hierosolymis 150 stadiis, a Iordane vero 60 totumque inde usque ad Hierosolyma spatium desertum est et saxosum; ad Iordanem vero et lacum Asphaltitin humilius quidem est solum, aeque tamen desertum atque infrugiferum ». Similiter *Iustinus* 36,3 : « Est vallis, quae continuis montibus velut muro quodam ad instar castrorum clauditur. Spatium loci ducenta iugera nomine Hierichus dicitur. In ea valle silva est et ubertate et amoenitate insignis : siquidem palmeto et opobalsameto distinguitur... Sed non minor loci eius apricitatis quam ubertatis admiratio est : quippe cum toto orbe regionis eius ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quaedam ac perpetua apricitas inest ». Et *Plinius* V. 14, 70 describit Hiericuntem palmetis consitam, fontibus riguam.

Hodie tamen illa regio palmis omnino fere caret et nonnisi myrobalanum (arab. *zakkūm*) profert; naturalis quidem conditio soli mutata non est; verum plurimorum bellorum vastationes, rapinae Beduinorum continuae, indolentia et pigritia incolarum urbem et campum in sterilitatem egestatemque coniecerunt. Etiam flos ille humilis, qui peregrinantibus audit rosa Iericho, Arabibus *kaff Maryam*, botanicis anastatica hierochuntica (Linné), nonnisi valde exiguum specimen rosarum Iericho, quae Eccli. 24,18[14] celebrantur, haberi potest.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 516-555; *Tobler*, Topographie von Ierusalem II. 642 ss.; *Mislin*, Les Saints Lieux 1858 III. p. 128-163; *Guérin*, Samarie I. 46-52; 132-149; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 173. 175. 222 s.; *F. de Saulcy*, Voyage en Terre Sainte I. 326-342; *Sepp*, Jerusalem und das heilige Land *ed.* 2 I. 720-734; *Fahrngruber*, Nach Jerusalem *ed.* 2 II. 64 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte *ed.* 4 II. 294 ss.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 17 ss. 37. 39 s.; *L. Heidet* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 1282-1298.

IERIEL (יְרִיאֵל, Ἰεριήλ), tertius inter filios Thola filii Issachar, princeps cognationis (1 Par. 7,2).

IERIMOTH (יְרִימוֹת, יְרִימוֹת; Ἰεριμούθ, Ἰαριμώθ, Ἰεριμώθ, sed etiam Ἀριμούθ, Ἀριμώθ, Ἀρμώθ, Ἰαρμιμώθ). **1.** Filius (vel unus ex posteris) Bela, princeps familiae beniaminiticae (1 Par. 7,7); fortasse idem est ac

2. Ierimuth qui Davidi in Siceleg fugitivo se iunxit (1 Par. 12,5).

3. Filius Becher et princeps familiae beniaminiticae (1 Par. 7,8).

4. Beniaminita ex posteris Baria filii Elphaal, in Ierusalem degens (1 Par. 8,14).

5. Filius Musi, princeps familiae leviticae de stirpe Merari tempore Davidis (1 Par 23,23; 24,30).

6. Filius Heman et princeps quintae decimae classis musicorum davidicorum (1 Par. 25,4. 22).

7. Filius Ozriel, princeps tribus Nephthali tempore Davidis (1 Par. 27,19).

8. Filius David regis, pater Mahalath uxoris Roboam (2 Par. 11,18); pro *Kethib* : Mahalath filius (בֶּן) Ierimoth legendum est : filia (בַּת) cum *Qeri*, multis mss., LXX, Vulgata. Inter filios David 1 Par. 3 et 14,4-7 Ierimoth non legitur, unde filius ex aliqua concubina Davidis esse censetur (*Ps.-Hieron.*, Quaest. hebr. ad h. l.).

9. Unus ex levitis, qui ab Ezechia rege primitiis et decimis templo votis prae-

positi sunt, quorum praefecti erant Chonenias levita et Semei frater eius (2 Par. 31,13).

10. Unus ex filiis Aelam, qui uxores alienigenas iubente Esdra dimiserunt (Esdr. 10,26).

11. Unus ex filiis Zethua, qui uxores alienigenas iubente Esdra dimiserunt (Esdr. 10,27; Vulgata Ierimuth).

12. Ierimoth (יְרִמוֹת, Ἱεριμούθ, Ἱερμούθ), urbs tribus Iuda, in prima provincia Sephelae enumerata (Ios. 15,35), cuius rex Pharam cum aliis quattuor regibus Gabaon oppugnavit et a Iosue interfectus est (Ios. 10,3. 5. 23; 12,11), a filiis Iuda ex captivitate reducibus denuo habitata (Neh. 11,29; Vulgata Ierimuth). Apud Eusebium et S. Hieronymum (Onom. *ed. Lag.* 266,38; 132,31) vocatur Iermus et agnoscitur villa Ἱερμοχώς, Iermucha 10 mil. pass. ab Eleutheropoli Ierusalem versus sita. Hodie *Khirbet el-Yarmūq*. Quodsi apud Eusebium et S. Hieronymum s. v. Ἰαθεῖς, Iarimuth (l. c. 266,24; 132,16) de nostra urbe sermo est, error admittendus erit in distantia his locis notata, siquidem dicunt Ἰαθεῖς, Iarimuth 4 mil. pass. ab Eleutheropoli distare et esse iuxta villam Esthaol, quam villam tamen alibi 10 mil. pass. ab Eleutheropoli abesse dicunt.

Cf. *Robinson,* Palaestina II. 599; *Guérin*, Judée II. 371-374; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 128; *D. Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 270; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 194; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land, Plate I. IV.

IERIMUTH v. IERIMOTH 2 et 11 et 12.

IERIOTH (יְרִיעוֹת; Ἱεριώθ, apud *Swete* B Ἐλιώθ, A Ἱεριώθ), filius Caleb filii Hesron, ex Azuba genitus secundum Vulgatam 1 Par. 2,18. Sed textus hebraicus ita emendandus videtur, ut legatur : Caleb filius Herson accepit uxorem Azubam filiam Ierioth. Cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 189.

IERMAI (יִרְמַי, Ἱεραμείμ), unus de filiis Hasom, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,33).

IEROBAAL v. GEDEON.

IEROBOAM (יָרָבְעָם, Ἱεροβοάμ), nomen duorum regum Israel.

1. Ieroboam I. erat filius Nabat, Ephraimita de urbe Sareda, vir fortis et potens, quem Salomon rex videns esse bonae indolis et industrium constituerat praefectum super tributa universae domus Ioseph (3 Reg. 11,26. 28) i. e. super servitia quae ab Ephraimitis praestanda erant (hebr. super omne onus domus Ioseph). Cum Salomon aedificaret Mello et occlúderet rupturam (vallem) civitatis David, videtur iam aliquam movisse rebellionem contra Salomonem; Ephraimitae enim aegre ferebant quod onera et servitia sibi a rege tribus Iuda imponerentur; conquerebantur enim de iugo durissimo (3 Reg. 11,27; 12,4). Cum Salomon sese idololatriae dedisset, Ahias propheta in nomine Domini annuntiavit Ieroboam ipsum fore regem super decem tribus, quia Dominus scissurus esset regnum de manu Salomonis, ita ut eius filius solum futurus esset rex tribuum duarum; simul promisit Ieroboam, si fidelem cultorem Domini se praestaret fore ut domus eius regiam retineret dignitatem (3 Reg. 11,29 ss.). Cum Ahias diceret : regnabis super omnia quae desiderat anima tua, dubium non est quin eo iam tempore Ieroboam animo volverit quomodo contribules suos a servitio regis Iuda liberaret. Eiusmodi quoque conatus non defuisse videntur, sicut de uno mentio fit : levavit manum contra regem (3 Reg. 11,26). Quare facile intellegitur, cur Salomon eum voluerit occidere. Ieroboam autem fugit in Aegyptum ad Sesac regem ibique mansit usque ad mortem Salomonis. Secundum enim Domini verbum per Ahiam prophetam non futurum erat ut regnum ei contingeret nisi mortuo Salomone. In codice Vaticano LXX legitur Sesac dedisse illi uxorem Ano sororem seniorem uxoris suae (ad 3 Reg. 12,24). Ephraimitas mortuo Salomone spem suam posuisse in Ieroboam, ut eius ope a servitiis liberarentur, indicatur eo quod ad eum miserunt et eum vocarunt in Sichem, ubi Roboam ab iis consalutari rex voluit. Verum antequam ei obsequium sponderent, postularunt ut imminueret

de iugo gravissimo quod Salomon imposuisset. Quod cum ille duris et asperis verbis negaret minis additis, tribus decem recesserunt a domo David et Ieroboam constitutus est rex Israel. Voluit quidem Roboam bellica expeditione statim omnes sibi subiicere; at cum Semeias propheta nomine Dei bellum prohiberet significans Deum partem regni abstulisse domui David, Iudaei Deo obsequentes in suam quisque domum reversi sunt.

Ieroboam autem Sichem munivit, urbem sitam inter montes Hebal et Garizim, ibique habitavit; pariter munivit Phanuel trans Iordanem prope Iaboc fluvium. Ut regnum suum stabiliret, cohibendos esse putavit Israelitas, ne ascenderent in Ierusalem ad adorandum Dominum, ne converterentur corda eorum ad regem Iuda, et plane oblitus, sibi mandata Dei dum servaret promissam esse dominationem stabilem, humana uti voluit prudentia instituens cultum Domini sub symbolo vituli aurei in Bethel et Dan, i. e. in regni parte meridionali et septemtrionali; praeterea fecit fana in excelsis et abiectis sacerdotibus Domini et levitis ex stirpe a Domino electa qui in Iudam et Ierusalem migrabant sacerdotes constituit ex plebe (cf. 3 Reg. 12,31; 13,33; 2 Par. 11,13-16) et diem sollemnem celebrari iussit quintadecima die mensis octavi. Verum cultu hoc contra legem instituto qui in ipsa vitulorum imagine iam ad idololatriam vergebat Ieroboam ruinam domus suae invexit, quae ei statim praedicta est a viro Dei, cum in Bethel die illo sollemni adoleret incensum (cf. 3 Reg. 13,1-6). Frustra admonitus a propheta Ieroboam in inceptis perstitit et peccare fecit Israel et eius exemplum pessimum quasi iure quodam hereditario in regno Israel ita invaluit, ut reges Israel in via Ieroboam ambulare et a peccatis Ieroboam non recedere saepe dicantur (cf. 3 Reg. 16,2. 19. 26. 31; 22, 53; 4 Reg. 3,3; 10,29. 31; 13,2. 6,11 etc.).

Cum filius eius Abia aegrotaret, misit uxorem suam ad prophetam Ahiam, quae cum habitu commutato ne cognosceretur consuleret de morbo filii. At propheta admonitus a Domino ei annuntiavit ruinam domus Ieroboam et mortem filii (3 Reg. 14,1 ss.); eo tempore Ieroboam habitavit in Thersa (v. 17). Regnavit per annos viginti duos; sed postquam a Domino recessit et idololatriam fovit, regnum eius bellis turbatum est (2 Par. 12,15); uti a Roboam, ita quoque ab eius filio Abia impugnatus est. Abia magnam ei cladem intulit; corruerunt vulnerati ex Israel quingenta millia virorum fortium et Abia persecutus est fugientem Ieroboam et cepit Bethel, Iesana, Ephron cum oppidis vicinis (2 Par. 13,16 s.). Qua clade accepta non valuit ultra resistere Ieroboam in diebus Abia. Quo mortis genere obierit non indicatur, sed dicitur: quem percussit Dominus et mortuus est (2 Par. 13, 20); unde morte praematura in poenam scelerum abreptus est. Nadab filius eius regnavit pro eo (3 Reg. 14,20).

2. Ieroboam II. filius Ioas regis Israel regnavit in Samaria annis quadraginta et uno. Feliciter pugnavit; nam regnum Israel usque ad eos extendit terminos quos regnum Iuda sub Davide et Salomone habuerat; ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini per Ionam prophetam (4 Reg. 14,25; cf. Am. 6,13). Prosperam hanc regni conditionem ad Dei misericordiam referri debere s. auctor monet: vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis... salvavit eos in manu Ieroboam filii Ioas (4 Reg. 14,26. 27). Verum regem et populum se praestitisse postea valde ingratos et idololatria et variis sceleribus se maculasse, luculenter patet ex prophetia Osee et Amos, qui propter ea flagitia ruinam regni futuram annuntiant. Et de Ieroboam fertur iudicium: fecit quod malum est coram Domino; non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabal qui peccare fecit Israel (l. c. v. 24). Quod Amos praedixerat nomine Dei: consurgam super domum Ieroboam in gladio (7,9), impletum est in filio eius Zacharia (4 Reg. 15,10).

I. KNABENBAUER.

IEROHAM (יְרֹחָם; LXX Ἱερεμεήλ, Ἱεροβοάμ, Ἱροάμ, Ἱραάμ, Ἱρωάδ, Ἱωράμ,

Ἱεροάμ). 1. Pater Elcana patris Samuelis de genere Caath (1 Reg. 1,1; 1 Par. 6,27. 34).

2. Princeps familiae beniaminiticae in Ierusalem (1 Par. 8,27); idem videtur esse ac

3. Ieroham pater Iobaniae principis cognationis beniaminiticae in Ierusalem (1 Par. 9,8).

4. Sacerdos de domo Melchiae, pater Adaiae Babylone reversi cum 242 patribus familias (1 Par. 9,12; Neh. 11,12).

5. Ieroham Beniaminita de Gedor (v. GEDOR 2), cuius filii Davidi in Siceleg se iunxerunt (1 Par. 12,7).

6. Danita, cuius filius Ezrihel erat princeps tribus Dan, quando David populum numerabat (1 Par. 27,22).

7. Pater Azariae centurionis a Ioiada pontifice edocti de ratione, qua Athalia esset regno privanda et Ioas rex constituendus (2 Par. 23,1).

IERON (יִרְאוֹן, Κερωέ, A Ἰαριών), urbs munita (Ios. 19,38) inter illas, quae Ios. 19,35-38 post descriptionem finium Nephthali inseruntur et arces Tyriorum esse censentur (*F. de Hummelauer* ad h. l.). Coniiciunt esse *Yārūn* medio fere intervallo inter lacum *Ḥūle* et Scalam Tyriorum. Utrum *Yārūn* in finibus Aser an Nephthali contineatur, non satis liquet.

Cf. *Guérin*, Galilée II. 105-107; *Survey of West. Pal.* Mem. I. 204. 258 s.; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 709; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 233.

IEROSOLYMA v. IERUSALEM.

IERSIA (יַעֲרֶשִׁיָּה, Ἰασαραιά) Beniaminita, unus ex filiis Ieroham (1 Par. 8,27).

IERUEL solitudo (מִדְבַּר יְרוּאֵל, ἡ ἔρημος Ἱεριήλ), pars quaedam deserti Iuda inter Engaddi et desertum Thecue (2 Par. 20,16). Reliqua vide s. v. BENEDICTIONIS VALLIS.

IERUSA (יְרוּשָׁה, יְרוּשָׁא; Ἱερουσά), filia Sadoc, uxor Oziae regis Iuda decimi, mater Ioatham regis Iuda undecimi post scissionem regnorum (4 Reg. 15,33; 2 Par. 27,1).

IERUSALEM. I. **Nomina**. 1. Hierosolyma, civitas et Iudaeis, et Christianis et Mahometanis prae ceteris sancta, atque ipsis paganis « longe clarissima urbium Orientis, non Iudaeae modo » (*Plin.* V. 14,70) et « famosa urbs » (*Tacit.* Hist. 5,2), in libris sacris hebraicis יְרוּשָׁלַם (pro יְרוּשָׁלֵם) et rarius יְרוּשָׁלַיִם (1 Par. 3,5; 2 Par. 25,1; Ier. 26,18; Esth. 2,6) et יְרוּשָׁלֶם (Ps. 79,3 et in pausa) appellatur. Idem nomen in cognatis linguis semiticis sub eadem fere forma occurrit (chald. יְרוּשְׁלֶם et יְרוּשְׁלֵם; syr. אוּרְשְׁלֵם; assyr. *Urusalim* in tab. Tell-el-'Amarna n. 180. 181. 183. 185 *ed. Winckler*, al. *Ursalimmu;* arab. *Urīshalam*) et similiter in versionem graecam V. T. textumque N. T. atque in versionem latinam transiit sub duplici forma Ἱερουσαλήμ (in LXX et in N. T.; al. Ἱεροῦσαλήμ), *Ierusalem* (communior forma in Vulgata, maxime in V. T.; in multis codicibus *Hierusalem*), et Ἱεροσόλυμα (1 Mach. 1,14; 10,43; 11,34; 2 Mach. et N. T.; al. Ἱεροσόλυμα), *Ierosolyma* (Vulgata ib.; plerique codices *Hierosolyma*). Utraque forma, communius tamen Ἱερουσαλήμ et *Ierusalem*, etiam in Onomasticis (cf. *P. de Lagarde*, Onomastica sacra) et in Itinerariis frequenter occurrit; Iosephus vero aliique scriptores Ἱεροσόλυμα, *Hierosolyma* praeferunt.

In exponendo hoc nomine auctores magnopere dissentiunt. Certe audiendi non sunt, qui vestigia Iosephi prementes (Ant. I. 10,2, *ed. Niese* 180; Bell. iud. VI. 10,1, *Niese* 438) graecam statuant vocis Hierosolymorum originem (quasi ἱερὸν Σολυμᾶ), cum manifeste eadem sit atque antiquior forma hebraica Ierusalem. At neque indubium ex hebraica lingua proponitur etymon. Quod antiquis maxime placuit « visio pacis » (יְרוּ = יִרְאוּ « vident ») (S. *Hieronymus*, Liber interpret. hebr. nom., *ed. Lagarde* p. 50,9 s. etc.), a recentioribus communiter reicitur post *Hadr. Relandum*, qui nomen « possessionem hereditariam pacis » (יְרוּשׁ שָׁלֵם) interpretatur. Alii potius « fundationem pacis s. salutis et

incolumitatis » (*Gesenius*) vel « fundationem Salem » i. e. dei pacis (*Grill*) explicandum censent (scil. יְרוּת שָׁלֵם). Pluribus ex comparatione cum assyr. Urusalim expositio « urbs (dei) Salem » (*Sayce*, *Jastrow*) seu potius « civitas pacis » vel « urbs firma » placuit.

2. Praeter nomen hoc, quod plus quam octingenties in sacris libris invenitur, aliud occurrit *Iebus* (יְבוּס, Ἰεβούς), quo urbs, iam ante occupationem israeliticam Ierusalem dicta, ab incolis Iebusaeis (יְבוּסִי Gen. 10,16; 15,21 etc.; idem Ios. 18,28 pro Ierusalem, sicut עִיר הַיְבוּסִי Iud. 19,11) videtur appellata esse (Iud. 19,10 s.; 1 Par. 11,4 s. In Vulgata etiam Ios. 18,28 et Iud. 19,14).

Sunt qui etiam *Salem* (Gen. 14,18), regiam Melchisedech, eamdem dicant atque Ierusalem, auctoritate Iosephi nixi (ll. cc.). At quamquam in Ps. 75,3 (hebr. 76,3) fortasse illud בְּשָׁלֵם, quod Vulgata cum LXX *in pace* vertit, *in Salem* exponendum et de Ierusalem intellegendum est, priorem illam Salem probabilius ab hac distinguendam esse existimamus. Ceterum vide SALEM 1.

In libris poeticis et propheticis insuper nomen *Sion* (צִיּוֹן, Σειών et Σιών), quod proprie arcem Iebusaeorum significabat, ad designandam totam urbem adhibetur (Ps. 50,20; Is. 10,24 etc. V. infra VI.). In iisdem libris varia appellativa Hierosolymis speciatim attribuuntur: dicitur *civitas* (עִיר Is. 66,6 et הָעִיר Ez. 7, 23; pro עִיר יְהוּדָה 2 Par. 25,28 legendum עִיר דָּוִד cum LXX, Syr., Vulgata et 4 Reg. 14,20), *civitas sancta* et *c. sancti* (עִיר הַקֹּדֶשׁ Neh. 11,1; Is. 52,1. Cf. עִיר קָדְשֶׁךָ *urbs sancta tua* Dan. 9,24; ἡ ἁγία πόλις Matth. 27,53), *civitas Dei* (עִיר הָאֱלֹהִים Ps. 86[87], 3; cf. 45[46], 5), *civitas Domini* (עִיר יְהוָה Is. 60,14). Vocatur etiam *Ariel* (אֲרִיאֵל Is. 29,1 s. 7; Ἀριήλ), quod communiter cum Aquila et Symmacho « leo Dei », ab aliis cum paraphraste chaldaeo « altare Dei » exponitur.

3. Variis aliis nominibus a scriptoribus profanis designatur. Aelius Hadrianus Imperator urbem post novam sub Bar Kochba rebellionem a. 135 p. Chr. captam et in coloniam romanam conversam Coloniam Aeliam Capitolinam appellavit, quo nomine in nummis romanis secundi et tertii saeculi frequenter designatur. Inde nomen *Aelia* (Αἰλία; item arab. *īliyā*) per plura saecula fere unice in usu erat, ita ut antiquum nomen Ierusalem a paganis fere ignoraretur (cf. *Euseb.*, De mart. Pal. c. 11. *Migne*, P. G. 20,1504 s.); quamquam in Onomasticis sacris et Itinerariis scriptoribusque ecclesiasticis etiam nomina biblica adhibebantur, uti in carta geographica madabena saec. 6. ἡ ἁγία πόλις Ἱερουσα-[λήμ] legimus. Scriptores arabes medii aevi urbem *el-beit el-muqaddas* (al. *beit el-maqdīs*) « domum sanctam » appellare solent; incolae vero hodierni *el-Quds* « sanctam » vel *el-Quds el-Sherīf* « sanctam, nobilem », licet Christiani atque Iudaei etiam *Yerūsalīm* adhibeant.

Similem appellationem iam antiquitus viguisse praeter textus citatos Scripturae iuxta aliquos etiam nomen urbis *Cadytis* (Κάδυτις, quasi = aram. קְדִיתָא = hebr. קָדוֹשׁ) penes Herodotum (2, 159; 3,5) indicat, quam eamdem esse atque Hierosolyma existimant. Alii e contra eo nomine potius Gath vel Gazam significari censent.

Cf. *Hadr. Relandi* Palaestina, Trajecti Bat. 1714, p. 207 (Aelia). 668-70 (Cadytis). 832-5 (Jerusalem); *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. II. 2 p. 202; *T. Tobler*, Topogr. von Jerusalem I. p. 1 s.; *Jul. Grill*, Ueber Entstehung und Bedeutung des Namens Jerusalem in Zeitschr. f. alttest. Wiss. IV. 1884, p. 134-48; *V. Guérin*, Jérusalem ch. 1, p. 1-6; *A. H. Sayce*, The higher Criticism and the verdict of the Monuments *ed.* 5, p. 176; *H. Zimmern* in Zeitschr. f. Ass. VI. 1891, p. 262 s.; *M. Jastrow* in Journ. of Bibl. Lit. XI. 1892, p. 105; *J. Döller*, Studien zum III. u. IV. Buche d. Kön. p. 18-20. — Praeterea v. *Gesenius*, Thes., *Fr. Brown* et al. lex. hebr. s. v..

Discrimen formae יְרוּשָׁלַיִם et יְרוּשָׁלֵם potius pronuntiationi tribuendum censet Relandus (l. c. 835), quamvis vulgo dicatur priorem esse dualem, eo quod Ierusalem in superio-

rem et inferiorem divisa sit; recentiores vero eam potius formationem localem agnoscunt. Forma ירושלים etiam in nummis machabaicis invenitur; cf. *Levy*, Gesch. d. jüd. Münz. p. 42 s. — Hierosolyma plerumque, sicut Ἱεροσόλυμα, est neutrum plur.; interdum in Vulgata (1 Mach. 1.22; 2 Mach. 3,9; Matth. 2,1 etc.) est fem. sing., sicut graecum Matth. 2,3. Eius loco etiam *Solyma* a poetis (*Martial.* XI. 94,5) et scriptoribus ecclesiasticis adhibetur (cf. etiam *Ioseph.* ll. cc. et Ant. VII. 3,2, *ed.* Niese 67; *Tacit.* Hist. 5,2). — Ἱερουσαλήμ in N. T. est communior forma in scriptis S. Lucae et S. Pauli et in Apocalypsi S. Ioannis, qui in Evangelio, uti S. Matthaeus (exc. 23,37) et S. Marcus, Ἱεροσόλυμα scribit.

II. Situs. Valles et Colles.

1. Urbs Hierosolymorum hodie, sicut olim, fere in centro antiquae provinciae Iudaeae sita est, « umbilicus terrae » a quibusdam haud incongrue appellata (*Flav. Ios.* Bell. II. 3,5 *N.* 52. Cf. Ez. 5,5). A mari Mediterraneo 52 kilometris, a Iordane 30 km distat, situmque occupat geographice pro ecclesia S. Sepulcri determinatum 31° 46′ 45″ lat. bor. et 35° 13′ 25″ long. orient. Greenwich. (sec. *C. R. Conder*). Altitudo urbis, si ambitum eius hodiernum consideramus, minima est 720 metr. (prope *Bāb el-Moghāribe*), maxima 790 m (prope angulum inter septemtrionem et occasum solis).

Colles hierosolymitani ad eam regionis montanae Palaestinae meridionalis partem pertinent, quae a vertice montium (818 m) orientem versus gradatim in depressionem profundam maris Mortui (— 393,8 m) descendit. Urbs ad ipsum aquarum inter mare Mediterraneum vallemque Iordanis divortium quam proxime accedit, quippe quod iuxta piscinam quam dicunt Mamillae collemque vicinum septemtrionalem *Rās el-Meshārif* (817 m) seu Scopum transit. Omnis regio admodum arida atque saxosa est variisque torrentium faucibus discinditur, ex quibus hodie vix unus aut alter tempore pluviarum aquae rivulum exhibet. Geologice considerata ad formationem quam vocant cretosam pertinet, et in vicinia urbis, immo intra ipsa eius moenia, optimos lapides calcarios atque marmoreos suppeditat, aedificiis exstruendis aptissimos, ex quibus strata inferiora ab incolis hodiernis *meleke* (v. gr. in lapicidinis regiis prope portam damascenam), media vero *mizzi* (v. gr. in monumentis Absalom et Iosaphat), superiora *ka'kūle* (v. gr. in monte Oliveti) appellantur; praeterea species *nārī* praecipue pro focis construendis inservit. Etiam pyritae (*Feuersteine*) in regione abundant, praesertim in latere septemtrionali et occidentali montis Oliveti, ubi clivus et puteus et vallis a pyritis (*el-ṣūwān*) nomen acceperunt.

2. Ut accuratius collium quibus urbs superstruitur formam atque naturam cognoscamus, varias regionis valles bene distinguamus oportet. Itaque duae valles profundae urbem extrinsecus ita cingunt, ut in uno latere septemtrionali quasi isthmo quodam cum regione circumiacente cohaereat. Altera eaque praecipua, antiquitus torrens *Cedron* dicta, in parte boreali urbis occidentem versus ex pluribus minoribus valliculis (*Wādi Lūqā*, *Wādi el-djōz*) ortum ducit, quae in unam coniunctae (hodie *Wādi 'aqabet el-ṣūwān*) in orientem diriguntur; dein vero ad radices montis Olivarum cursum prorsus australem nomenque novum *Wādi Sitti Maryam* (i. e. vallis Dominae Mariae) et in parte inferiore etiam *Wādi Silwān* a pago vicino assumens, orientalem urbis partem ab eodem monte Olivarum et a monte Scandali seiungit, atque mox cum altera valle occidentali coniuncta et nomine communi *Wādi el-nār* i. e. vallis ignis appellata, inter meridiem et ortum solis ad mare Mortuum descendit. Altera autem haec vallis ab occidente, haud longe a priore, orta et per piscinam Mamillae transiens, in orientem directa ad murum occidentalem urbis accedit; prope portam eius principalem a Ioppe dictam in austrum conversa, sed mox iterum ad orientem vertens partem occidentalem et australem urbis attingit, in parte superiore *Wadi el-mēs* (ab arbore *Celtis australis* L., arab. *mēs*), mox *Wādi el-rabābi* dicta, donec priori valli unita unum cum illa nomen *Wādi el-nār* assumit.

Prior vallis in libris sacris, sicut in scriptis Fl. Josephi, *torrens* s. *convallis*

Cedron, in parte inferiore etiam *campi Cedron* audit (v. CEDRON). Praeterea traditione Iudaeorum, Christianorum, Mahometanorum est *vallis Iosaphat*, ipso nomine locum iudicii generalis designans (v. IOSAPHAT 7). Altera autem vallis communiter *Geennom* i. e. *vallis Ennom* (Vulgata Ios. 18,16) esse dicitur (v. ENNOM vallis), in qua olim abominationes cultus Moloch celebrabantur in loco Topheth (v. TOPHETH). Iosephus hanc alteram vallem quam in descriptione urbis commemorat (Ant. XV. 11, 5, N. 410; Bell. iud. V. 4,1, N. 136. 141), nomine « vallis fontis » videtur designare (τὴν τῆς πηγῆς φάραγγα Bell. iud. V. 12,2, N. 505).

Haud procul a loco, ubi vallis australis et orientalis in unum confluunt, 150 fere metris superius, alia tertia vallis cum hac orientali coniungitur, quae in eadem regione septemtrionali inter *Wādi Lūqā* et *W. el-mēs* orta, colles a duabus prioribus vallibus extrinsecus circumdatos medios a septemtrione in austrum fere porrecta pertransiens in duas partes distinguit, occidentalem et orientalem. Ubi haec vallis, quae ab incolis nomine communi *el-Wād* « vallis » appellatur, fere cursum suum medium attingit, alia vallis lateralis ab occasu veniens se illi adiungit, quae collem occidentalem iterum in duas dividit partes, australem et septemtrionalem. Similiter collis orientalis parva quadam valle laterali, quae ab occasu in torrentem *Cedron* descendit et a nonnullis *Caphetetha* (1 Mach. 12,37) vocatur, in partem meridionalem et borealem sciungitur.

3. Itaque urbs hierosolymitana super duos colles principales aedificata est, id quod Fl. Iosephus (Bell. iud. V. 4,1, N. 136 αὐτὴ μὲν [ἡ πόλις] ὑπὲρ δύο λόφων ἀντιπρόσωπος ἔκτιστο μέσῃ φάραγγι διῃρημένων) et C. Tacitus (Hist. 5,11 « duos colles immensum editos claudebant muri » de antiqua urbe pariter testantur. Cum loci situs ab occasu ad orientem versus et ab aquilone in austrum gradatim descendat, collis occidentalis et partes boreales orientalem clivum partesque australes altitudine superant. Si spatium antiquae civitatis tempore Christi consideramus, altissima urbis pars in colle occidentali (777 metra) super templum in medio colle orientali (744 m) situm 33 metris eminebat, super vallem vero interiorem in parte eius media (c. 700 m) 77 m, in parte infima (625 m) prope fontem Siloe 152 m, atque super valles exteriores in media earum parte 100 fere metris.

In S. Scriptura Ierusalem dicitur fundata « in montibus sanctis » (Ps. 86 [87],1; cf. Ps. 47[48], 2), et « a collibus » urbis (מִהַגְּבָעוֹת) contritionem magnam futuram in poenam incolarum propheta praedicit (Soph. 1,10). Ex his collibus celeberrimus erat *mons Sion*, de quo mox specialius inquirendum erit, cum de partibus urbis agemus (n. VI). Collis orientalis, in quo templum a Salomone aedificatum est, a Chronista *mons Moria* appellatur (הַר הַמּוֹרִיָּה 2 Par. 3,1; v. MORIA); pars eius meridionalis dicebatur *Ophel* (הָעֹפֶל 2 Par. 27,3 etc.; v. OPHEL). Extra ambitum antiquae urbis tempore Christi, ab Agrippa autem in eum inclusus, erat monticulus prae ceteris venerabilis *Calvaria* s. *Golgotha* (v. CALVARIA, GOLGOTHA), quem immerito nonnulli cum loco *Goath* a Ieremia commemorato componunt (Ier. 31,39; v. GOATHA).

4. Quamvis colles urbis respectu vallium circumiacentium satis emineant, undique tamen altioribus montibus circumdati sunt : « Ierusalem, montes in circuitu eius » (Ps. 124 [125],2; cf. « habitatrix vallis » Ier. 21,13 et *I. Knabenbauer* in h. l.; Is. 22,1. 5; Soph. 1,11). Ab oriente *mons olivarum* s. *oliveti*, hodie *Djebel el-Ṭūr* vel etiam *Dj. zeitūn* nominatus, ad altitudinem 818 m exsurgit, vallem Cedron fere 130 collemque orientalem urbis 74 metris excedens; pars australis ipsius ab incolis *Djebel baṭn el-ḥawa*, a peregrinis communiter *mons scandali* appellatur nec improbabiliter dicitur esse ille *mons offensionis*, ad cuius dexteram partem Salomon excelsa idolorum Astaroth, Chamos, Melchom erexerat (4 Reg. 23,13; v. OFFENSIONIS MONS, OLIVARUM MONS).

Ab occasu solis mons ille eminet,

« qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem » (Ios. 15,8; 18,16), altitudinem 796 m attingens, qui haud immerito censetur esse collis *Gareb* a Ieremia commemoratus (Ier. 31,39; v. GAREB); pars eius australis (777 m), in cuius ascensu declivi ager *Haceldama* ostenditur (v. HACELDAMA), Arabibus *Djebel abu tōr* vocatur, peregrinis vero est *mons mali consilii*, eo quod ibi villa Caiphae pontificis putatur fuisse, in qua « consilium dederat Iudaeis : quia expedit unum hominem mori pro populo » (Io. 11,49 s.; 18,14).

Inter aquilonem et occasum colles prope moenia 800 metra superant et haud procul ad 818 m assurgunt (*Karm Aḥmed* et *Rās el-nādir*), eandemque altitudinem montes septemtrionales antiquitus *Scopus* vocati attingunt (Σκοπός *Flav. Ios.* Ant. XI. 8,5, *N.* 329 [a Iudaeis Σαφειν dictus]; Bell. iud. II. 19,4. 7, *N.* 528. 542; V. 3,2, *N.* 106. 108).

Urbs sancta, cum hisce montibus undique circumdata sit, nonnisi ex locis propinquis ipsisque collibus vicinis videri potest, ex quibus peregrinis medii aevi celeber erat « *mons gaudii* » iuxta viam inter aquilonem et occasum situs, « e quo diu desiderata conspicitur Ierosolyma » (*S. Theotonii* peregrinatio a. 1112, Acta SS. Febr. III. p. 114).

5. De celeberrima controversia quoad colles a *Fl. Iosepho* in descriptione patriae urbis memoratos verbum addere iuvabit. Textus praecipue considerandus est initium illud notissimum descriptionis Bell. iud. V. 4,1 et 2 (*ed. Niese* n. 136-141 et 149).

Iam vero, ut a notioribus incipiamus, quattuor intra moenia urbis colles auctor iudaeus distinguit : primus « ille cui superior civitas insidet, longe erat excelsior et in longitudinem directior, adeoque propter munitionem castellum (s. specula, φρούριον) quidem a rege David appellabatur, a nobis autem forum superius (ἡ ἄνω ἀγορά) » (*N.* 137). Satis constat primum hunc collem esse australem partem collis occidentalis, quam super clivum orientalem 33 metris eminere diximus. Alter pariter satis notus est collis Bezetha (Βεζεθά = בית חדתא, καινόπολις vel = בית זיתא, « domus olivae »), quarto loco a Iosepho commemoratus, borealis scil. collis orientalis pars, e regione templi et arcis Antoniae (v. infra) sita et parva valle naturali ac profunda fossa ab ea disiuncta, quae post Christi aetatem a rege Agrippa urbi addita est (*N.* 148 s.).

Dissentiunt vero auctores praecipue in duobus aliis collibus definiendis, qui a Iosepho secundo et tertio loco enumerantur, Acra scil. « qui inferiorem sustinebat civitatem » et huic ex adverso situs tertius collis. Iam consideranti auctorem nostrum in describenda urbe specialiter ad varia ipsius moenia attendere, templum autem altissimis muris undique circumdatum ab eodem semper tamquam urbi oppositum et in proprio clivo collocatum designari, satis probabile videbitur, montem templi alterutrum istorum collium necessario censendum esse; at non Acram : ergo tertium illum collem huic ex adverso situm.

Porro Acra sive collis secundus, qui inferiorem sustinebat civitatem, a templo olim lata valle separabatur (πλατείᾳ φάραγγι διειργόμενος), quae ab Hasmonaeis aggeribus ingestis completa est, eo animo, ut civitas cum templo coniungeretur : itaque eo tempore quod in descriptione nostra consideratur, vallis illa iam non apparebat. Praeterea collis ille secundus natura altior erat, quam tertius, templumque supereminebat; sed ab iisdem Hasmonaeis, scil. a Simone Machabaeo († 135 a. Chr.), ingenti trium annorum labore in planum deductus est, ita ut templum iam altitudinem illius superaret (*N.* 139. Cf. Ant. XIII. 6,7, *N.* 215-217; Bell. iud. I. 1,4 2,2, *N.* 39. 50). Facto huius demolitionis fidem negare idem videtur atque omnem Iosephi auctoritatem historicam evertere. A primo autem colle fori superioris secundus ille inferiorem sustinens civitatem media valle seiunctus erat, quae usque ad fontem Siloe descendens *Tyropoeon* (ἡ τῶν τυροποιῶν προσαγορευομένη φάραγξ « vallis caseos conficientium ») appellabatur (*N.* 136. 140); forma denique huius collis secundi ἀμφίκυρτος dicitur (*N.* 137) i. e. probabilius utraque extremitate curvatus ad

modum lunae crescentis (cf. *H. Reland* Palaest. p. 852).

Iam vero hisce indiciis omnibus atque reliquis textibus, ubi Iosephus de Acra seu urbe inferiore loquitur (cf. Ant. XII. 5,4; 9,3, *N.* 252. 362 ss.; Bell. iud. IV. 9,12, *N.* 581; V. 6,1, *N.* 253; VI. 6,3, *N.* 354 s. etc.), maiore cum probabilitate videtur satisfieri dicendo, urbem inferiorem seu Acram sensu latiore a Iosepho vocari illam urbis partem, quae clivo meridionali collis orientalis et septemtrionali iugo collis occidentalis insidebat : quae quidem collium partes, naturaliter quidem separatae, impleta tamen superiore parte vallis *el-wād* inter templum et oppositum clivum collis occidentalis interiacentis, et ipso templo alto muro a reliquo monte disiuncto, tamquam unus collis utraque extremitate ad modum lunae crescentis curvatus (ἀμφίκυρτος) considerari potuerunt. Sensu autem strictiore Acra videtur intellegendum de arce seu acropoli in parte illa septemtrionali collis occidentalis olim sita (v. infra VII. 4). Vallis vero Tyropoeon, quae Acram sensu latiore a foro superiore dividebat, et ipsa ἀμφίκυρτος, probabilius secundum hanc opinionem erit inferior pars vallis interioris *el-wād* ad fontem Siloe descendentis et vallis illa lateralis ab occasu veniens, quam collem occidentalem in partem australem et septemtrionalem discernere et mediae valli *el-wād* se adiungere superius diximus.

In magna huius controversiae obscuritate tantaque opinionum varietate sententiae expositae, quae fere cum opinione comitis *de Vogüé* et cl. *Ch. Warren* et *A. Schulz*, atque ex parte etiam cum *E. Robinson*, *C. Schick* aliisque concordat, tamquam probabiliori adhaerendum censemus, quamquam neque hanc omni difficultate carere libenter concedimus.

Praeter auctores inferius citandos cf. *C. Zimmermann*, Karten und Pläne zur Topographie des alten Jerusalem, Basel 1876, cum « Begleitschrift »; *C. Schick-I. Benzinger*, Karte der näheren Umgebung von Ierusalem, in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XVIII. 1895, Tab. 4. — De conditionibus geologicis cf. *O. Fraas*, Aus dem Orient (I), Stuttgart 1867, p. 49-59; *M. Blanckenhorn* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XV. 1892, p. 56 s.; XIX. 1896, p. 19-23 et tab. 3, Profil I et II. — De re climatica v. *V. Guérin*, Jérusalem p. 188-90; *Th. Chaplin* et *O. Kersten*, Das Klima von Jerusalem, Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XIV. 1891, p. 93-112; *J. Glaisher* in Quart. Stat. 1896 et ss. — De collibus generatim cf. *H. Relandi* Palaest. p. 850-5; *Ed. Robinson*, Palaestina II. p. 12-17. 31-45; *K. Ritter*, Erdkunde XVI. p. 315-27; *T. Tobler*, Topogr. von Jerus. I. p. 14-52; *V. Guérin*, Jérusalem p. 181-92; *F. Buhl*, Geogr. d. alt. Palaest. p. 93-6. 132 s. — De topographia *Fl. Iosephi* cf. *E. Robinson* l. c. p. 45-53; *W. Krafft*, Die Topographie Jerusalems, Bonn 1846, p. 1-13. 49-52; *T. Tobler* l. c. p. 29-39; *Chr. Ed. Caspari* in Theol. Stud. u. Krit. 1864, p. 309-28; *F. Spiess*, Das Jerusalem des Josephus, Berlin 1881; *v. Klaiber* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. III. 1880, p. 189-213; IV. 1881, p. 18-56; XI. 1888, p. 1-37; *G. Gatt* ib. X. 1887, p. 182-7; *id.* in Theol. Quartalschr. LXVI. 1884, p. 34-84; LXXI. 1889, p. 77-125; *id.*, Die Hügel von Jerusalem, Freiburg i. B., 1897; *M.-J. Lagrange* in Rev. bibl. I. 1892, p. 18-25; *Alf. Schulz* in Theol. Quartalschr. LXXXII. 1900, p. 356-89.

III. **Aquae.** 1. *Aquarum copia.* *Strabo* urbem Hierosolymorum « intus aquis abundantem, exterius omnino siccam » scribit (ἐντὸς μὲν εὔυδρον, ἐκτὸς δὲ παντελῶς διψηρόν XVI. 2,40, *ed. Casaub.* p. 762; item n. 36, ib. p. 761). Similiter *Timochares* penes *Eusebium* (Praep. evang. 9,35, *Migne* 21,756 B) civitatem ipsam aquis fluere, ita ut etiam ad hortos irrigandos sufficerent, regionem vero circumiacentem usque ad 40 stadia inaquosam esse asserit. Unde et *Fl. Iosephus* Syros sub Antiocho urbem obsidentes et *Dio Cassius* Romanos sub Tito et *Guilelmus Tyrius* Francos sub Godofredo magna aquarum penuria laborasse narrant (*Ios.* Ant. XIII. 8,2, *N.* 237; *Dio Cass.* 66,4; *Guil. Tyr.* 8,4. 7. 24. *Migne* 201, 410 D. 414 s. 432 B), incolas vero neque in Scriptura neque in historiarum libris unquam vel ipso gravissimae obsidionis tempore aquarum inopiam passos esse legimus; immo, urbe capta crucigeri « aquae ingentes copias » in domibus invenerunt (*Guil. Tyr.* 8,24. *M.* 201, 432 B).

Porro quinquè potissimum modis an-

tiquitus, sicut ex parte etiam hodie, incolis aquae suppeditabantur : fontibus scilicet, puteis, cisternis, piscinis, aquae ductibus.

2. *Fontes* intra ambitum ipsius urbis haberi non satis videtur constare. In sermone prophetico describitur quidem fons aquae abundantis subter limen templi ad orientem egredientis (Ez. 47,1-12. Cf. Ioel 4,18; Zach. 13,1; 14,8); sed inde verus fons in monte templi exsistens probari nequit. Ea vero quae in epistula Aristeae (n. 88-91) et in Talmude de aquis templi referuntur, potius de cisternis et aquaeductibus videntur intellegenda. At *Tacitus*, « templum in modum arcis » porticusque eius « egregium propugnaculum » describens addit : « Fons perennis aquae, cavati sub terra montes, et piscinae cisternaeque servandis imbribus » (Hist. 5,12) : ubi « fons perennis aquae » fortasse de iisdem aquaeductibus interpretandum erit, quamvis ab ipso scriptore pro vero fonte sumatur (v. infra).

Nomen tamen fontis ab aliquibus tribuitur aquis quae hodie *ʿAin el-shefā* i. e. « fons salutis » audiunt quaeque balneis salutaribus *Hammām el-shefā* iuxta latus occidentale templi prope *Sūq el-qaṭṭānīn* inserviunt (cf. *Robinson; Tobler*); at neque ibi fons proprie talis, sed potius puteus (*Bīr Hammām-el shefā*) aquis paulatim percolantibus excipiendis accommodatus videtur inveniri (cf. *Schick*). Fuerunt autem qui ibidem aquas intermittentes piscinae Bethesdae supposuerint (v. infra).

Etiam aquae Siloe a nonnullis auctoribus « fons Siloe » appellantur (*Flav. Ios.* Bell. iud. V. 4,1 et 2; 9,4. *N.* 140. 145. 409 s.) atque hodie quoque *ʿAin Silwān* dicuntur, quamquam potius os canalis aquam a fonte extra moenia sito eo perducentis ibidem inveniatur (v. SILOE).

Extra urbem idem hic fons, *ʿAin Sitti Maryam* « Fons Dominae Mariae » vel *ʿAin umm el-daradj* « Fons graduum » dictus, hodie unicus fere est cui appellatio fontis merito competat. Ad austrum templi in latere dextro seu occidentali vallis Cedron situs est sub clivo Ophel, et aquam suppeditat a Iosepho aliisque « dulcem et abundantem » dictam (Bell. iud. V, 4,1, *N.* 140), sed quae hodie salsum potius et iniucundum saporem habeat et vario atque intermittente fluxu neque adeo abundante ex interiore rupe profluat.

Cum in libris sacris fons Rogel (Ios. 15,7 etc.; v. ROGEL) et fons draconis (Neh. 2,13; v. DRACONIS FONS) et aquae Gihon (2 Par. 32,30 etc.; v. GIHON) in vicinia urbis commemorentur (cf. 2 Par. 32,3 s.), fons ille Dominae Mariae ab aliis Rogel, ab aliis Gihon, nec non etiam fons draconis existimatur; probabilius Rogel dicitur.

Praeter dictum fontem Virginis tres temporanei fontes aquis pluvialibus per aliquam anni partem nutriti in vicinia urbis inveniuntur : *ʿAin el-lōze* infra *Bīr Eiyūb* in valle Cedron inferiore, *ʿAin el-mudauwara* et *ʿAin el-ṣūwān* in latere septemtrionali montis Oliveti.

Etiam antiquitus prope urbem plures exstitisse fontes patet ex historia Ezechiae, qui « inito cum principibus consilio virisque fortissimis, ut obturarent capita fontium (אֶת־מַיְמֵי הָעֵינוֹת), qui erant extra urbem,... congregavit plurimam multitudinem et obturaverunt cunctos fontes, et rivum qui fluebat in medio terrae » (LXX τὸν ποταμὸν τὸν διορίζοντα διὰ τῆς πόλεως 2 Par. 32,3 s.). Ubinam fuerit ille rivus (הַנַּחַל), non constat (cf. *E. Robinson,* Neue Untersuch. über die Topogr. Jerus. p. 111; *R. v. Riess*, Atlas S. Script., 1896, p. 11). Similiter *Fl. Iosephus* plures fontes in regione suburbicaria commemorat (Bell. iud. V. 9,4, *N.* 410 τήν τε Σιλωὰν... καὶ τὰς πρὸ τοῦ ἄστεος ἁπάσας [πηγάς]), et vallem hodie *Wādi el-Rabābi* dictam (vallis Hinnom) vallem fontis (τὴν τῆς πηγῆς φάραγγα) appellat (Bell. iud. V, 12,2, *N.* 505).

3. *Putei* (arab. *bīr,* hebr. בְּאֵר), medium locum inter fontem et cisternam tenentes, etiam in antiqua urbe probabiliter haud rari inveniebantur. Amplitudine haud adeo magna ex ipsa rupe excisa, aquis per varia strata percolantibus excipiendis inserviebant; quas tamen ubi neglegenter constructae erant, propter fissuras rupis non valebant continere (Ier. 2,13). Os talis putei lapide

magno, plerumque rotundo, claudebatur (Gen. 29,2 s.; Lam. 3,53).

In ipsa urbe notissimus est puteus ille salutis quem modo commemoravimus (*Bīr ḥammām el-shefā*). Etiam in nonnullis domibus privatis antiquitus, sicut hodie, puteos fuisse exemplo viri illius in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo (2 Reg. 17,18 s.), docemur. Etiam in area templi (*Ḥarām el-sherīf*) plures putei inveniuntur.

Extra moenia vero celeber est puteus Iob (*Bīr Eiyūb;* Iudaeis puteus Ioab) infra Siloe situs, a peregrinis (inde a saec. 16.) saepe « puteus Nehemiae » vel « puteus ignis » (cf. vallis ignis, *Wādi el-nār*) dictus, eo quod puteus ille altus et siccus credebatur, in quo Nehemias ignem tempore exsilii a sacerdotibus ibidem absconditum reperit (2 Mach. 1,19 ss.). Altitudinem 38 m attingit, et per totum annum aquam optimam praebet, quam aestivo tempore etiam Hierosolymis vendunt. Post pluvias abundantes aqua haud raro redundat rivulumque in valle torrentis format, id quod incolae tamquam futurae fertilitatis omen laeti excipiunt.

Interpreti arabi textus Ios. 15,7 in Polyglottis vulgato multisque auctoribus recentioribus est fons Rogel, sed potius ille puteus profundus videtur dicendus esse, quem Iohannes III, patriarcha hierosolymitanus, anno 518 p. Chr. exstruxisse a Cyrillo Scythopolitano, coaevo scriptore, narratur (Vita S. Sabae c. 67). Quare alteram opinionem praeferendam et fontem Rogel eumdem cum fonte Dominae Mariae dicendum esse arbitramur (v. ROGEL).

4. *Cisternae* in urbe plurimae habentur servandis imbribus vel etiam aquis aliunde adductis accommodatae; nam cum fontes intra urbem non inveniantur, neque putei sufficerent, imbres vero mensibus hibernis tantum ab Octobri vel Novembri ad Aprilem vel Maium cadant, quavis aetate incolae praecipue cisternis magnis et multis construendis sibi aquae copiam pro tempore aestivo procurare debuerunt. Quare iam Moyses Israelitis inter alia bona terrae promissae cum domibus plenis cunctarum opum, quas non exstruxerint, etiam cisternas quas non foderint promittit (Deut. 6,11). Atque re vera vix ulla in urbe invenietur domus quae cisterna careat (cf. Prov. 5,15; Is. 36,16, etc.), et in maioribus aedificiis permultae et magnae ingentem optimae atque frigidae (cf. Ier. 6,7) aquae copiam praebent.

Antiquiores communiter in ipsa rupe excisae sunt, parietibus bene laevigatis et caemento coopertis; recentiores vero plerumque muris et concameratione arte factis construuntur. Forma et magnitudine diversissimae sunt, modo oblongae, modo quadratae, modo rotundae, maiores vel minores, prout loci conditio permiserit atque necessitas postulaverit. Ut plurimum duo vel etiam plura ora habent, lapidibus clausa, quorum alterum excipiendis, hauriendis alterum aquis inservit. Imbres vero ex tecto et vestibulo atque impluvio in unum collecti in cisternas ducuntur.

Praecipue area templi permultis ingentibusque cisternis instructa erat (cf. *Aristeas, Tacitus* l. cit.); ibi probabiliter maxima cisterna in diebus Simonis, sacerdotis magni, constructa est (Eccli. 51, 3 hebr.), atque hodie in eadem 34 cisternae variae capacitatis puteique inveniuntur (*C. Schick*, Tempel in Ierusalem, p. 292-305 et Tab. IV et IX).

Cisternae siccae, versus finem aestatis non iam aquam sed lutum continentes, etiam in carcerem adhibebantur, uti in historia Ieremiae legimus (Ier. 38,6-13. Cf. Lam. 3,53; Ps. 68,3; Zach. 9,11; Vulg. *lacus*). Quae cisterna Ieremiae erat in domo Melchiae filii regis (Vulg. *filii Amelech*) in vestibulo carceris (cf. Neh. 3,25); peregrinis olim ostendebatur prope piscinam Siloe et portam civitatis (*Theodosius* c. 8; *Anonymus* [*Antoninus*] c. 24, *ed. P. Geyer*, p. 142,1 s.; 175,20 s.) vel etiam iuxta aream templi in loco putei salutaris (*Ḥammām el-shefā*. Cf. *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi I. p. 244), hodie vero extra urbem ante portam damascenam iuxta cavernam, quae ab eodem propheta nomen accepit (*Fr. Liévin de Hamme*, Guide indicateur de la Terre Sainte, *ed.* 4, I. p. 481).

5. *Piscinae* eodem fere modo ac cisternae constructae sunt, sed plerumque maiorem amplitudinem habent et tecto

vel concamaratione carent. Communiter ex rupe excisae, sed in vallibus etiam muris aggeribusque formatae, imbribus colligendis vel aquis aliunde adductis excipiendis inserviebant.

Hodie in urbe quattuor piscinae maiores visuntur : *Birket Ḥammām el-Baṭraq, B. el-Burak, B. Isrā'īn,* aliaque recenter prope ecclesiam S. Annae detecta; extra moenia in vicinia urbis quinque aliae inveniuntur : duae prope Siloe, ex quibus inferior *Birket el-Ḥamrā* appellatur; praeterea *Birket el-Sulṭān, B. Māmilla, B. Sitti Maryam* seu *B. el-Asbāṭ.* Praeterea etiam in regione septemtrionali extra urbem reliquiae veterum piscinarum apparent.

In libris sacris commemorantur imprimis piscina Siloe et Bethsaida sive Bethesda (v. SILOE, BETHSAIDA piscina). Eadem cum piscina Siloe videtur esse piscina regis (בְּרֵכַת הַמֶּלֶךְ, κολυμβήθρα τοῦ βασιλέως; Vulg. *aquaeductus regis* Neh. 2, 14), ad quam Nehemias a porta vallis egressus post fontem draconis et portam stercoris ac portam fontis pervenit. Minus vero probabiliter etiam lacus (מִקְוֶה) inter duos muros, ad quem aquae piscinae veteris (הַבְּרֵכָה הַיְשָׁנָה) colligebantur (Is. 22,11), et piscina inferior (הב"ה הַתַּחְתּוֹנָה; LXX ἡ ἀρχαία κολυμβήθρα. Is. 22,9) cum piscina Siloe identificantur; quae ubinam fuerint, non satis videtur constare. Idem valet de « piscina quae grandi opere constructa est » (הב"ה הָעֲשׂוּיָה, ἡ κολυμβήθρα ἡ γεγονυία), quae in aedificatione murorum prope sepulcrum David et domum fortium commemoratur (Neh. 3,16).

Neque etiam de piscina superiore (הב"ה הָעֶלְיוֹנָה, ἡ κολυμβήθρα ἡ ἄνω) operibusque Ezechiae regis quidquam certi videtur affirmari posse. Laudatur imprimis Ezechias quod « fecerit piscinam et aquaeductum et introduxerit aquas in civitatem » (4 Reg. 20,20), et quod appropinquantibus Assyriis obturaverit cunctos fontes qui erant extra urbem et rivum qui fluebat in medio terrae (2 Par. 32,3 s.); eadem laus repetitur in eodem capite cum speciali mentione aquarum Gihon : « Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, et avertit eas subter ad occidentem urbis David » (2 Par. 32,30; v. GIHON) atque iterum in libro Ecclesiastici : « Ezechias munivit civitatem suam et introduxit (hebr. introducendo) in medium ipsius aquam, et fodit ferro rupem et aedificavit ad aquam puteum » (hebr. et obstruxit montes [ad] lacum, ויחסום הרים מקוה) (Eccli. 48,69 gr. 17). Quamquam nomen piscinae Ezechiae hodie communiter piscinae *Birket Ḥammām el-Baṭraq* tribuitur, quae per aquaeductum antiquum imbres in piscina Mamillae collectos excipit, minime tamen extra dubium versatur, opera illa Ezechiae tribuenda esse, licet tunc etiam piscina superior facile reperta videatur. At neque id satis probatur, quod pluribus recentioribus placuit, piscinam et aquaeductum Ezechiae in piscina et canali Siloe haberi, neque certum est ea ex parte septemtrionali quaerenda esse (v. GIHON).

Piscina vero superior solummodo tamquam terminus aquaeductus nominatur in via agri fullonis (4 Reg. 18,17; Is. 7, 3; 36,2); sed ex verbis Scripturae haud certe apparet, utrum terminus a quo an terminus ad quem illius aquaeductus intellegendus sit, neque utrum ipsa piscina (Vulg. quae est in via; LXX ἥ ἐστιν; sed hebr. אֲשֶׁר) an vero aquaeductus in via agri fullonis indicetur, nec denique ex qua parte ille ager reperiatur. Quare minime mirum videbitur quod alii piscinam extra urbem, alii cum *R. Riess* intra eam quaerant, aut quod ager fullonis et aquaeductus ex parte occidentali (communius) et septemtrionali (*Riess*) et orientali vel australi (*M.-J. Lagrange* in Rev. bibl. I. 1892, p. 33 s.) locentur. Attamen ex textibus citatis illud saltem cum aliqua probabilitate concludere possumus latus occidentale et septemtrionale urbis potius quam australe et orientale in hac quaestione considerandum esse : nam nuntii a rege Assyriorum ex Lachis cum exercitu magno Hierosolymam missi et cum legatis Ezechiae atque populo super murum sedente colloquentes, probabiliter in angulo occi-

dentali vel in latere septentrionali constiterunt, ubi et facultas propius ad muros accedendi et opportunitas castra metandi militibus dabatur (4 Reg. 18, 17 ss.; Is. 36,2 ss.); similiter tertio textui Is. 7,3) eadem regio conformior apparet. Atque sub hoc saltem respectu antiqua sententia, quae piscinam superiorem esse *Birket Māmilla*, aquaeductum vero eius canalem imbres inde ad *Birket Ḥammām el-Baṭraq* adducentem supponebat, textibus satis conformis invenitur.

Piscinam autem illam superiorem et aquaeductum iam tempore Achaz ab Isaia commemorata (Is. 7,3) nihilominus opus esse Ezechiae, successoris Achaz, aliqui censent, cum propheta postea coaevis Ezechiae nuntium suum ad regem Achaz describens facile illam determinationem regionis addere potuerit.

In scriptis Fl. Iosephi praeterea commemorantur *piscina Salomonis* prope Siloe (Bell. iud. V. 4,2, *N.* 145), *Struthion* prope arcem Antoniam (Bell. iud. V. 11,4, *N.* 467; = *Birket Isrā'īn* vel alia piscina prope aream templi, nunc domibus occupata; cf. *Schick*), *Amygdalon* i. e. piscina turrium (מגדלין) (Bell. iud. l. c., *N.* 468; = *Birket Ḥammām el-Baṭraq*), piscina serpentum (ἡ τῶν ὄφεων ἐπικαλουμένη κολυμβήθρα) iuxta monumentum Herodis in superiore parte vallis Hinnom (Bell. iud. V. 3,2, *N.* 108; fortasse = *Birket el-Sulṭān:* alii = *B. Māmilla.* Cf. DRACONIS FONS).

6. *Aquaeductus* plures urbi maiorem aquarum copiam adduxerunt, cum praesertim pluviis deficientibus neque piscinae neque cisternae neque fontes puteive sufficerent. In libris sacris commemorantur aquaeductus piscinae superioris et aquaeductus Ezechiae, de quibus diximus (cf. etiam GIHON). Finis utriusque erat, ut aquae fontium in vicinia extra urbem manantium hostibus subtraherentur et civibus prodessent. Canalis Ezechiae subterraneus erat (2 Par. 32,30) et fodiendo ferro rupem (Eccli. 48,19) constructus; simili ratione aquaeductum piscinae superioris factum esse ex aliis canalibus antiquis probabiliter supponimus, neque opus est, ut cum *R. Riess* eum apertum illum rivum fuisse dicamus, qui fluebat in medio terrae (2 Par. 32,4; LXX διὰ τῆς πόλεως).

At praeter illos duos iam in antiqua urbe plures alios aquaeductus exstitisse constat. Imprimis in templum aquae variis canalibus adducebantur; septentrionalem intellegere videtur Aristeas (n. 91 apud *E. Kautzsch*, Apokryphen und Pseudepigraphen II. 13), australem vero indicant Talmudistae, qui de fonte Etam in templum adducto saepe loquuntur (cf. *Lightfoot*, *Schwarz*, *Neubauer*). Etam vero inter Bethlehem et Thecue sita erat (2 Par. 11,6), probabiliter ubi hodie *Khirbet el-Khōkh* invenitur (*T. Tobler*, Dritte Wanderung p. 89; *C. Schick*, Ztschr. d. D. Pal.-Ver. I. 1878, p. 152 s.) atque etiam nunc duplici aquaeductu cum urbe coniungitur (v. infra).

Fl. Iosephus vero Salomonem eundem locum Etam (Ἰτάν) hortis fontiumque rivis amoenum frequentasse narrat (Ant. VIII. 7,3, *N.* 186), Pilatum autem expensis thesauri sacri (κορβωνᾶς) aquaeductum ducentorum (Ant. XVIII. 3,2, *N.* 60) vel quadringentorum stadiorum (Bell. iud. II. 9,4, *N.* 175, ubi antiqua versio latina et textus Eusebii 300 exhibent) Hierosolymam usque exstruxisse. Idem regem Herodem maximis sumptibus aquam e longinquo ad castellum suum Herodium adduxisse refert (Ant. XV. 9,4, N. 325; Bell. iud. I. 21,10, N. 420), atque etiam turrim Hippicam aquaeductum proprium habuisse (Bell. iud. V. 7,3, *N.* 304).

Iam si reliquias veterum aquaeductuum consideramus, septem vel octo hucusque noti sunt. Duo vel tres canales ad aquas fontis *'Ain Sitti Maryam* intra ambitum antiquae urbis adducendas olim inserviebant (v. SILOE); alius, quem magnificentissimum describunt, ex parte septentrionali ad urbem et templum accedebat (cf. *C. Schick*); duo ab occasu solis inventi sunt, quorum alter etiam nunc imbres ex *Birket Māmilla* ad piscinam Ezechiae adducit. Praeterea aquaeductus duplex ex *Wādi 'Arrūb* et *W. el-Biyār* inter Bethlehem et Hebron, per Etam et piscinas a Salomone dictas transiens, urbem attingit, et usque hodie alter, ubi non nimis neglegitur, aquam sitientibus praebet;

canalis vero lateralis ex iisdem piscinis in *Wādi Urṭās* sitis ad *Djebel Fureidīs* descendit, ubi ruinae castelli Herodium repertae sunt. Denique in excavationibus nuper in colle occidentali factis aquaeductus vetustissimus ibidem repertus est, qui fortasse cum dicto canali ex *Wādi el-Biyār* olim coniunctus erat (cf. *F. J. Bliss*).

De aetate auctoribusque horum operum controvertitur. Satis communiter aquaeductus inferior longiorque ex *Wādi ʿArrūb* Herodi adscribitur, cum eiusdem sit formae et constructionis atque canalis lateralis ad Herodium descendens. Pilato autem multi reparationem tantum huius longioris et alterius brevioris aquaeductus ex *Wādi Biyār* attribuunt, ex quibus ille inferior 400 fere, superior 200 stadiorum longitudinem attingit; auctorem vero brevioris canalis et piscinarum esse Salomonem haud pauci affirmant (cf. Eccl. 2,5 s.), aliis e contrario contendentibus hunc Romanorum esse opus, sub Septimio Severo, duodecim fere saeculis post magnum illum regem Israelis exstructum (*Germer-Durand;* cf. Rev. bibl. X. 1901, 106-9).

Cf. *Joh. Lightfoot,* Disquisitio chorogr. Joanni praemissa 5,5, *ed. Leusden* II. p. 589 s.; *Fr. Quaresmius,* Eluc. Terrae S., I. VI. peregr. 7., c. 1., *ed.* Venet. II. p. 575 s.; *H. Relandi* Palaest. p. 299-301. 303 s.; *E. Robinson,* Palaest. II. p. 124-69; *id.* Neuere bibl. Forsch. in Pal. p. 317-27; *Ios. Schwarz,* Das h. Land, p. 220-9; *W. Krafft,* Die Topographie Jerusalems, p. 120-38; *K. Ritter,* Erdkunde XVI. p. 272-81. 441-56; *T. Tobler,* Denkblätter aus Jerusalem p. 35-87; *id.* Dritte Wanderung nach Palaest. p. 212-26; *K. v. Raumer,* Palaest., *ed.* 4. p. 332-7. *Ad. Neubauer,* Géogr. du Talmud p. 146 s.; *V. Guérin,* Judée III. p. 110-9. 303-9; *J. Sepp,* Jerusalem und d. h. Land, *ed.* 2, I. p. 321-47; *Rich. v. Riess,* Bibl. Geographie p. 75-8; *id.* Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 25-7; *id.* Atlas S. Script. p. 11; *C. Schick,* Die Wasserversorgung der Stadt Jerusalem in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. I. 1878, p. 132-76 et tab.; *id.* ib. VIII. 1885, 41-5; XIII. 1890, 229; *F. J. Bliss,* Excavations at Jerusalem p. 11. 53-6. 332-44.

IV. **Moenia.** **1.** Urbem hierosolymitanam et situ naturali et moenibus turribusque superstructis firmissimum fuisse munimentum auctores sacri pariter et profani testantur (cf. *Strabo* XVI. 2,40 *ed. Casaub.* p. 763; *Tacitus,* Hist. 5,11 s.; *Fl. Iosephus,* Bell. iud. V. 4,1 s. etc.; *Dio Cass.* 66,4; Fragm. Hist. Graec., *ed. Didot* III. p. 228, etc.). Communiter post Fl. Iosephum triplicem murum distinguunt, non quasi urbs undique triplice muro cincta fuerit, sed quod primitivo muro a Davide et Salomone constructo postea ex parte septemtrionali alter et tertius murus superadditus sit. Praeterea vero area templi propriis moenibus circumdata aliisque aula regia munita erat (*Tacitus* l. c.; *Fl. Ioseph.*, Bell. iud. V. 4, 4, *N.* 177).

In S. Scriptura varii circa moenia urbis labores commemorantur; quibus illustrandis iuvabit ambitum urbis, qualis variis saeculis fuerit, singillatim considerare, comparatis inter se auctorum sacrorum et profanorum relationibus atque iis quae ex situ naturali et ex reliquiis in ruinis repertis apparent conditionibus.

2. Urbs Iebusaeorum quousque se extenderit, ignoramus. Tempore Iosue sub rege Adonisedec erat, qui quattuor Amorrhaeorum reges urbium Hebron, Ierimoth, Lachis, Eglon ad foedus contra Gabaonitas et contra Israelem secum incundum invitavit (Ios. 10,3); ceteris vero urbibus in circuitu expugnatis, Ierusalem diutius aggressoribus resistebat (cf. Iud. 19,11 s.), et quamvis filii Iuda urbem postea ceperint (Iud. 1,8), tamen superior civitatis pars cum arce in potestate Iebusaeorum remansit (2 Reg. 5,6 s.; I Par. 11,4 s.), ita ut Iebusaei et filii Iuda in Ierusalem simul habitarent (Ios. 15,63). Unde id saltem apparet, urbem iam tunc satis amplam fuisse atque firmissimam, duasque habuisse partes distinctas, arcem et inferiorem civitatem. Fl. Iosephus duplicem hanc Iebusaeorum urbem (τὴν κάτω — ἡ καθύπερθεν) expresse distinguit et superiorem « murorum firmitate et natura loci difficulter expugnabilem fuisse » refert (Ant. V. 2,2, *N.* 124). Ex iis vero quae tabulae in *Tell el-ʿAmarna* inventae de ʿAbd-Khiba, rege urbis *Urusalim,* exhibent, id unum iure concludimus, Ierusalem ea aetate (c. 1400 a. Chr.) satis

conspicuam inter urbes palaestinenses regis Aegypti fuisse.

Ex naturali loci conditione atque ex iis quae de arce Sion et civitate David referuntur (v. infra), urbem Iebusaeorum in parte australi collis occidentalis potissimum sitam fuisse probabilius supponimus, cui deinde paulatim inferior urbis pars in valle adiacente et clivo orientali adiuncta fuerit. Saltem urbem superiorem moenibus cinctam fuisse, ex eius firmitate et ex verbis Moysis concludimus, qui Israelem traiecto Iordane possessurum dicit « nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes et ad caelum usque muratas » (Deut. 9,1). Excavationes nuper (1894-1897) ab Anglis in parte australi illorum collium peractae in utroque vetustissimas habitationes in ipsa rupe cavatas murorumque reliquias ex variis saeculis detexerunt; habitationes illas partim ad Iebusaeorum aetatem pertinere, cl. *F. J. Bliss*, excavationum praefecto, haud improbabile videtur (cf. Excavations at Jerusalem p. 334); muros vero Iebusaeorum ex parte in eadem linea exstitisse, quam postea moenia Davidis occuparunt, ex coniectura supponere liceat.

3. Rex David, arce Iebusaeorum capta, regiam suam ex urbe Hebron Hierosolymam transtulit « aedificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum; Ioab autem reliqua urbis extruxit » (1 Par. 11,8; 2 Reg. 5,9 « a Mello et intrinsecus ». Cf. *Flav. Ios.* Ant. VII. 3,2, *N.* 66). Salomon, crescente in dies ambitu urbis, et colle templi ad eam adiuncto, ampliores etiam muros construxit (cf. 3 Reg. 3,1; 9,15; *Ios.* Ant. VIII. 2,1; 6,1; 7,7, *N.* 21. 150. 205). Moenia haec Davidis et Salomonis Fl. Iosephus nomine « muri antiqui » (τὸ ἀρχαῖον τεῖχος) primo loco describit, simul ratione operum posteriorum habita (Bell. V. 4,2; cf. 6,1, *N.* 142-5. 152). Ex reliquiis murorum in australi latere nuper inventis aliquas ad prima illa moenia pertinere haud improbabile videtur.

Secundum Iosephum primus hic murus in latere suo boreali initium habuit a turre Hippica, ab Herode prope hodiernam portam a Iaffa dictam constructa, atque inde iuxta vallem interiorem lateralem superius memoratam (II. 2) fere linea recta ad Xystum aulamque consilii descendens muro templi occidentali coniungebatur; qui murus templi, totam aream sanctuarii cingens, antiquitus etiam urbem inter aquilonem et ortum solis claudebat, nisi forte quis murum urbis iam primitus paulum extra ambitum templi circumivisse cum recentioribus statuere mallet (cf. *Schick*).

Ab angulo templi inter orientem et austrum primus ille murus probabiliter superiorem partem clivi Ophel ambiens traiecta valle Tyropoeon ad collem occidentalem adscendit eumque in latere australi et occidentali cingens ad turrem Hippicam rediit.

4. Sub regibus posterioribus iteratis vicibus muri reparandi et ampliandi erant. In libris sacris imprimis Ozias, postquam Ioas, rex Israel, patre eius Amasia capto « destruxit murum Ierusalem a porta Ephraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis » (i. e. circiter 190 metris) (4 Reg. 14,13; 2 Par. 25,23. Cf. *Flav. Ios.* Ant. IX. 9,3; *N.* 201), refertur « turres in Ierusalem super portam anguli et portam vallis et reliquas in eodem muri latere » aedificasse (2 Par. 26,9. Cf. *Ios.* Ant. IX. 10,3, *N.* 218). Filius vero eius Ioatham « in muro Ophel multa construxit » (2 Par. 27,3. Cf. *Ios.* Ant. IX. 11,2, *N.* 237).

Prae ceteris autem Ezechias et Manasses, instante periculo ex parte Assyriorum, moenia urbis firmaverunt et extenderunt. Ezechias « aedificavit omnem murum, qui fuerat dissipatus, et exstruxit turres desuper, et forinsecus alterum murum, instauravitque Mello in civitate David » (2 Par. 32,5. Cf. Is. 22, 9-11). Manasses vero « aedificavit murum extra civitatem David ad occidentem Gihon in convalle, ab introitu portae piscium per circuitum usque ad Ophel et exaltavit illum vehementer » (2 Par. 33,14). Murus ille Ezechiae, cuius pars erat « murus latissimus » (Neh. 12, 37 [38]; 3,8), idem fere videtur esse atque is quem Iosephus nomine muri secundi describit a porta Genath (Γενάθ) ortum suburbium boreale circumdantem et ad arcem Antoniam transeuntem (Bell. iud. V. 4,2, *N.* 146). Praesertim

opera cl. *C. Schick* satis videtur probatum esse, hunc murum, qui tempore Domini Nostri fines urbis in latere septemtrionali designabat, ita fuisse directum ut loca sacra Calvariae et S. Sepulcri, quae hodie coluntur, vere extra portam civitatis fuerint (cf. Hebr. 13, 12), quamquam hodie intra murorum ambitum continentur.

Moenia autem a rege Manasse « extra civitatem David ad occidentem Gihon in convalle » constructa videntur fere lineam illam esse secuta, quae in parte australi urbis per recentes excavationes anglicas iterum reperta est; altera vero pars ad portam piscium in latere septemtrionali et usque ad Ophel dirigebatur. Etiam Iosephus muri primi seu antiqui latus meridionale secundum eumdem fere tractum describit (l. c. *N.* 145), quem Nehemias quoque in restituendis moenibus videtur secutus esse. Urbe enim a Babyloniis capta murus omnis in circuitu destructus fuerat (4 Reg. 25,10; 2 Par. 36,19; Ier. 39,8; 52,14; Neh. 1,3; 2,13-15; 4,2. Cf. *Flav. Ios.* Ant. X. 8,5, *N.* 146. 149; XI. 5,6, *N.* 161); quem Nehemias, postquam nocte ruinas inspexit (Neh. 2,13-15), assiduo quinquaginta duorum dierum labore cum tribulibus suis instauravit (Neh. 3,1-6,15. Cf. *Ios.* Ant. XI. 5,7 s., *N.* 168-179 : duobus annis et quattuor mensibus) et sollemniter dedicavit (Neh. 12,31-39; cf. infra).

Dubium videtur, utrum piscina Siloe intra an extra moenium illorum ambitum fuerit. Sed cum posteriore aetate sub Tito extra muros fuerit (*Flav. Ios.* Bell. iud. V. 9,4, *N.* 410), neque appareat, cur post Nehemiae tempora ex ambitu urbis exclusa sit, probabilius videtur assumendum, Nehemiam eam intra muros suos non comprehendisse (cf. etiam *Ios.* Bell. iud. V. 4,2, *N.* 145).

5. Ambitus urbis post Nehemiam idem fere mansit usque ad Herodem Agrippam, quamquam muri identidem et a Simone, summo pontifice, Oniae filio (Eccli. 50,1-4 hebr.) et tempore Machabaeorum (1 Mach. 4,60; 13,10) et post destructionem a Pompeio factam (*Strabo* XVI. 2,40, *ed. Casaub.* p. 763), ex facultate C. Caesaris (*Ios.* Ant. XIV 10,5, *N.* 200) restaurati sunt. Agrippa vero, cum in parte septemtrionali urbs in dies magis augeretur, novis ibi moenibus exstructis et collem Bezetham atque adiacentem partem collis occidentalis civitati adiunxit (*Ios.* Ant. XIX. 7,2, *N.* 326 s.; Bell. II. 11,6, *N.* 218. Cf. *Tacit.*, Hist. 5,12). Qui quidem Agrippae murus, quem nomine tertii Iosephus describit (Bell. V. 4,2, *N.* 147-155), eamdem fere directionem videtur habuisse, quam moenia hodierna sequuntur, quamquam nonnulli auctores (*Robinson, Williams, Schultz, Fergusson, Trupp, Tobler, Gatt,* al.) eum ad septemtrionem versus usque ad ea quae regum dicuntur sepulcra (*Qubūr el-Salāṭīn*) extendunt.

In latere vero australi, urbe cum moenibus a Titi militibus anno 70. p. Chr. penitus destructa, Hadrianus imperator, Iudaeis iterum a. 135 devictis atque expulsis, muros eo tantum ambitu restituit, ut partes meridionales utriusque collis extra portam relinquerentur. Post varias dein sequentium saeculorum mutationes urbs anno 1517 in potestatem Turcarum redacta, ab eorum principe Soliman annis 1536-39 (cf. *Tobler, Schick*) eumdem fere, quem sub Hadriano, moenium ambitum accepit atque ad nostram usque aetatem retinuit, plurimis tamen extra muros novis coloniis atque suburbiis hodie ad urbem adiunctis.

De variis circa ambitum urbis opinionibus cf. *C. Zimmermann*, Karten und Pläne zur Topographie des alten Jerusalem, Tab. IV, in qua 16 auctorum recentiorum sententiae delineantur. — Praeterea cf. *E. Robinson*, Palaest. II. p. 99-115; *id.* Topogr. Jerus. p. 52-68. 131-5; *id.* Neuere bibl. Forsch. p. 283-7; *W. Krafft*, Topogr. Ierus. p. 13-52; *J. Schwarz*, Das h. Land p. 197-209; *T. Tobler*, Topogr. Jerus. I. p. 52-144; Dritte Wanderung p. 265; *J. N. Sepp*, Jerusalem u. d. h. Land, *ed.* 2, I. p. 220-48; *C. Schick* in Pravoslavnyj Palestinskij Sbornik III. 1884, fasc. 1; *id.* et *H. Guthe* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. VIII. 1885 p. 245-87 et tab. VI-XIII, praesertim tab. VIII; *C. Schick* ib. I. 1878 p. 15-23; XIII. 1890, p. 31-6 et tab. I; XIV. 1891 p. 41-62 et tab. II; XVI. 1893 p. 237-46; XVII 1894 p. 1-24 et tab. I. 75-88. 165-79. 251-76; *F. Spiess* ib. XI. 1888 p. 46-59; *H. Guthe* ib. XVII. 1894 p. 128; *V. Guérin*, Jérusalem, p. 258-67; *P. M. Séjourné* in Revue bibl. IV. 1895 p.

37-47; *F. J. Bliss,* Excavations at Jerusalem, praesertim p. 286-336 et tab. XXIX.

V. **Portae. Turres. 1.** « Coniecturis fere nituntur, inquiebat cl. *Hadrianus Relandus* (Palaestina p. 855), quaecumque de portis Hierosolymae earumque nominibus tradi solent ». Quae quamquam etiam nunc saltem ex parte vera sunt, breviter tamen ea quae in S. Scriptura de variis portis commemorantur referemus, simul indicando ea quae de nonnullis cum aliqua probabilitate statui possunt.

Generatim distinguamus oportet portas civitatis a portis templi et aulae regiae. Ad hanc videntur pertinere porta Sur (שַׁעַר סוּר 4 Reg. 11,6), porta fundamenti (הַיְסוֹד ש״ 2 Par. 23,5), porta scutariorum (הָרָצִים ש״ 4 Reg. 11,19; cf. v. 6); in atrio templi autem tum interiore, tum exteriore variae portae in singulis lateribus erant (1 Par. 26,13-18; Ez. 46,1 ss.), ex quibus praesertim commemorantur porta superior seu excelsa seu sublimissima (הָעֶלְיוֹן ש״ 2 Par. 23, 20; 27,3; 4 Reg. 15,35), porta regis (1 Par. 9,18; cf. 4 Reg. 16,18), porta orientalis (Ez. 10,19; 11,1), porta speciosa (Act. 3,10), aliae.

Portae vero civitatis aliae erant in muro exteriore, aliae in interiore seu primo, per quas ex urbe antiqua in suburbium septemtrionale per murum secundum civitati adiunctum transitus patebat. Prope portas saepe plateae maiores conventibus populi aptum locum praebebant (cf. Neh. 8,1. 16 etc.).

2. In libris Veteris Foederis sexdecim nomina portarum occurrunt, ex quibus plura fortasse eamdem portam designant. In Novo autem Testamento praeter portam ferream quae ex carcere ducebat ad civitatem (Act. 12,10) secundum opinionem communiorem solius portae probaticae mentio occurrit (Io. 5,2 ἐπὶ τῇ προβατικῇ, suppl. πύλῃ; cf. porta gregis Neh. 3,1. 31; 12,38), quamquam alii non portam, sed piscinam (suppl. κολυμβήθρᾳ) ab altera piscina Bethsaida distinctam intellegunt (v. BETHSAIDA piscina).

Pleraeque portae a Nehemia in describenda murorum aedificatione et dedicatione nominantur (Neh. 3,1-31; 12,30-38). Ordinem capitis tertii Nehemiae sequendo prima occurrit porta gregis (שַׁעַר הַצֹּאן Neh. 3,1. 31; 12,38), quae probabiliter in latere septemtrionali areae templi erat, prope eam quae hodie a S. Stephano appellatur. Inde ad occasum transeundo secunda nominatur porta piscium (הַדָּגִים ש״ Neh. 3,3; 12, 38; 2 Par. 33,14; Soph. 1,10), in eodem tractu septemtrionali muri secundi, in quo deinde tertio loco commemoratur porta vetus s. antiqua (הַיָּשָׁנָה ש״ Neh. 3,6; 12,38).

Ad idem latus septemtrionale videntur pertinere, quamquam in hac enumeratione non commemorantur, porta Ephraim (אֶפְרַיִם ש״), quae iam in primo muro (4 Reg. 14,13; 2 Par. 25,23) et postea probabiliter etiam in secundo inveniebatur (Neh. 8,16; 12,38); praeterea porta Beniamin (בִּנְיָמִין ש״ Ier. 37,12; 38,7; Zach. 14,10), quam aliqui eamdem volunt esse cum porta gregis vel etiam cum porta Ephraim, atque porta prior (הָרִאשׁוֹן ש״ Zach. 14,10), quae nonnullis eadem est ac porta vetus (cf. *I. Knabenbauer*, Comm. in Zach. 14,10), et porta anguli (הַפִּנָּה ש״ 4 Reg. 14,13; 2 Par. 25,23 [mendose הַפּוּנָּה pro הַפִּנָּה]; 26,9; Ier. 31,38) vel porta angulorum (הַפִּנּוֹת ש״ Zach. 14,10), quae quadringentis cubitis a porta Ephraim in muro primo distabat (4 Reg. 14,13; 2 Par. 25, 23) et communiter in angulo inter aquilonem et occasum supponitur fuisse, quamquam alii potius angulum, quem murus ille antiquus cum moenibus templi formabat, intellegunt (*P. M. Séjourné* in Rev. bibl. IV. 1895 p. 39. 43).

3. In latere occidentali praecipuus exitus erat porta vallis (הַגַּיְא ש״ 2 Par. 26,9; Neh. 2,13. 15; 3,13), quae a descensu in vallem Hinnom nomen accepit. Ab ipsa usque ad portam stercoris seu sterquilinii (הָאַשְׁפֹּת ש״ Neh. 2,13; 3,14; 12,31 et הַשְּׁפֹת ש״ ib. 3,13) mille cubiti (i. e. circiter 475 metra) numerabantur (Neh. 3,13). Quodsi portam hanc ster-

quilinii eamdem dicimus ac portam Essenorum (τὴν Ἐσσηνῶν πύλην), quam Iosephus prope partem urbis *Bethso* (Βηθσώ, al. Βηθσοῦ) seu « domum stercoris » dictam commemorat (Bell. iud. V. 4,2, *N.* 145), eamque fere in eo loco sitam fuisse supponimus, quo Angli nuper reliquias portae vetustissimae prope angulum austro-occidentalem muri antiqui invenerunt (*F. J. Bliss*, Excav. at Jerus. p. 16-20. 322-24 et tab.), prior porta vallis paulo infra hodiernam portam a Iaffa dictam supponenda erit, quamquam satis communiter fere in loco huius portae censeatur fuisse (cf. praesertim *C. Schick* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XIII. 1890 p. 31-6 et tab. I).

Post portam sterquilinii in latere australi occurrit porta fontis (שַׁעַר הָעַיִן Neh. 2,14; 3,15; 12,35), quae ex sententia communi a fonte Siloe nomen sortita est atque in angulo austro-orientali probabiliter in eo loco inveniebatur, ubi reliquiae portae cum triplice limine variis temporibus usitato repertae sunt (*F. J. Bliss*, Excav. at Jerus. p. 88-93. 327-9. 349 s. et tab.). Haud procul inde erat porta inter duos muros (שַׁעַר בֵּין הַחֹמֹתַיִם 4 Reg. 25,4; Ier. 39,4; 52,7), per quam exitus ad hortos regios infra Siloe patebat.

Etiam porta fictilis (שַׁעַר הַחַרְסִית [*Qeri*; ות־ *Kethib*] Ier. 19,2) in latere australi vel occidentali in exitu ad vallem Hinnom videtur fuisse; quae a nonnullis eadem cum porta vallis vel cum porta stercoris dicitur.

4. Orientem versus Nehemias imprimis portam aquarum (שַׁעַר הַמַּיִם Neh. 3, 26; 8,1. 3. 16; 12,36) nominat, quae probabiliter supra fontem Virginis (Rogel) aditum ad aquas hauriendas dabat. Altera porta equorum (שַׁעַר הַסּוּסִים) ante ruinam urbis cum domo regia Salomonis coniuncta erat (4 Reg. 11,16; 2 Par. 23,15); post exsilium autem a Nehemia et Ieremia in angulo austro-orientali areae templi commemoratur (Neh. 3,28; Ier. 31,40).

Aditus praecipuus in eamdem aream sacram videtur fuisse per portam iudicialem (שַׁעַר הַמִּפְקָד Neh. 3,30); porta enim orientalis in versu praecedenti nominata (v. 29) potius ad atrium interius pertinebat, cui a nonnullis etiam illa porta iudicialis tribuitur. Ex hac vero per coenaculum anguli ad portam gregis Nehemias redit (v. 31); prope quam in cap. 12,38 aliam portam custodiae (שַׁעַר הַמַּטָּרָה; omit. LXX) commemorat, quam alii in atrio templi exteriore inter ortum solis et septemtrionem, alii in latere australi aulae regiae Salomonis ponendam censent.

Praeterea porta media (שַׁעַר הַתָּוֶךְ Ier. 39,3) et porta filiorum populi (שַׁעַר בְּנֵי עַם [הָעָם *Qeri*], fort. בנימין? Ier. 17,19) nominantur, quae aliunde notae non sunt. In visione autem Ezechielis (48,31-34) sicut in Apocalypsi S. Ioannis (21,12) civitati sanctae duodecim portae tribuuntur.

5. Fl. Iosephus praeter dictam Essenorum portam imprimis portam Genath commemorat, a qua initium habuit murus secundus (Bell. iud. V. 4,2, *N.* 146), quaeque probabiliter haud procul ab hodierna porta occidentali aditum ad hortos in suburbio septemtrionali sito praebebat, unde et nomen videtur habuisse (cf. *F. Spiess*, Jerusalem des Jos p. 18; *id.* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XI. 1888 p. 46-59). Praeterea bis iuxta turrim Hippicam portam commemorat absconditam (Bell. iud. V. 6,5, *N.* 284) et sub qua aquaeductus ad turrim accedebat (ib. 7,3, *N.* 304). Septemtrionalem insuper portam ex adverso monumenti reginae Helenae (probabiliter = *Qubūr el-Salāṭīn*) sitam (ib. V. 2,2, *N.* 55) et portas superiores (ib. 8,1, *N.* 336) commemorat.

In libris talmudicis una tantum porta stercoris commemoratur (*A. Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 139 s.). A peregrinis medii aevi antiquioribus communiter sex portae urbis hierosolymitanae enumerantur : porta David, villae fullonis, sancti Stephani, Beniamin, portula ad vallem Iosaphat, Tecuitis (*Adamnanus* 1,1 et *S. Beda, ed. P. Geyer* p. 224,9 ss. 303,2 ss. Cf. *Theodosius* c. 1, *Eucherius* ib. p. 137,1; 126,5); porta S. Stephani vocatur etiam porta Galilaeae, porta nea-

politana (Itin. Burdig. ib. p. 22,20); probabiliter etiam porta maior (*Antoninus* [Anonymus] Placentinus 27, ib. p. 177, 20); *Theodosius* etiam portam purgu s. turris commemorat (c. 3, ib. p. 138,13). De aliis v. auctores citandos.

Urbis hodiernae septem portae sunt : porta occidentalis a Iaffa dicta (*Bāb el-Khalīl*), porta nova in angulo septentrionali versus occidentem (*B. Abdu'l Ḥamīd*), porta damascena (*B. el-ʿAmūd*), p. Herodis (*B. el-Sāhire*), p. S. Stephani (*B. Sitti Maryam*), p. stercoris (*B. el-Mughāribe*), p. Sion (*B. el-Nebi Dāūd*). Praeterea porta murata in moenibus orientalibus areae templi celebris est nomine portae aureae (*Bāb el-Ḍāhirīye*).

6. Portis ad maiorem firmitatem plerumque addebantur turres, quarum altitudinem et pulchritudinem etiam Romani inter laudes urbis sanctae celebrant (*Tacitus*, Hist. 5,11). In S. Scriptura tres tantum turres specialibus nominibus designantur ad portas et muros Hierosolymorum pertinentes : turris furnorum (מִגְדַּל הַתַּנּוּרִים Neh. 3, 11; 12, 38) prope portam vallis, quam postea Herodes rex fortassis in turre Hippica instauravit; turris Mea (מ״ הַמֵּאָה Neh. 3,1 Vulgata « turris centum cubitorum »; 12,39 Vulgata « turris Emath »; v. EMATH 4) et Hananeel (מ״ חֲנַנְאֵל Neh. 3,1; 12,39; Ier. 31,38; Zach. 14, 10), quae inter portam piscium et portam gregis inter aquilonem et ortum solis videntur constructae fuisse, fortasse ad « turrim domus » i. e. arcem templi pertinentes (Neh. 2,8).

Praeterea vero turris magna « quae eminet de domo regis excelsa, id est in atrio carceris », in muro Ophel commemoratur (Neh. 3,25-27). Ozias rex « turres in Ierusalem super portam anguli et super portam vallis et reliquas in eodem muri latere » aedificasse et firmasse legitur (2 Par. 26,9. 15), et similiter Ezechias turres super murum construxit (2 Par. 32,5), quas Chaldaei postea combusserunt (ib. 36,19); etiam Iudas Machabaeus civitatem David et dein montem Sion (i. e. aream templi) muro turribusque munivisse narratur (1 Mach. 1,35; 4,60), ac saepius generatim turres hierosolymitanae commemorantur (Ps. 47,13; 121,7; Lam. 2,7). In Evangelio autem « turris in Siloe » (ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωάμ) super decem et octo homines cecidisse eosque occidisse legitur (Luc. 13,4).

Fl. Iosephus, qui in tertio muro ab Agrippa constructo nonaginta turres fuisse refert (Bell. V. 4,3, *N.* 158), praesertim sex nominibus propriis describit : turres mulierum (οἱ γυναίκειοι πύργοι) prope portam septentrionalem (Bell. V. 2,2; 3,3, *N.* 55. 110); turrem Stratonis in arce Antonia (ὁ Στράτωνος λεγόμενος πύργος Ant. XIII. 11,2, *N.* 309. 313; Bell. I. 3,4. 5, *N.* 77. 80); Psephinum (ὁ Ψήφινος πύργος) in angulo muri tertii inter aquilonem et occasum solis, ubi hodie ruinae arcis Goliath (*Qaṣr Djālūd*) in domo fratrum scholarum christianarum visuntur (Bell. V. 2,2; 3,5; 4,2. 3, *N.* 55. 133. 147. 159 s.); tres denique in aula regia ab Herode magnificentissime exstructae et in memoriam amicorum uxorisque ab ipso occisae Hippicus (Ἱππικός), Mariamme (Μαριάμμη), Phasaelus (Φασάηλος) vocatae (Bell. V. 4,3, *N.* 161-170 et saepius), quas Titus urbe capta posteris integras relinqui iussit (Bell. VII. 1,1, *N.* 1), quaeque partim etiam hodie superstites sunt (in arce *el-Qalʿa* iuxta portam occidentalem).

Ex his tribus turris media, quae videtur esse Phasaelus, communiter *turris David* appellatur (cf. Cant. 4,4), atque in ea re vera antiquissimae constructionis reliquiae inventae sunt, quae a nonnullis auctoribus aetati Davidis tribuuntur.

Plerique auctores sub n. IV. de moenibus citati, etiam de portis et turribus agunt locis citatis. Praeterea cf. *Ed. Robinson*, Palaest. II. p. 92-9. 115-24; Topogr. Jerus. p. 41-51. 115-25; Neuere bibl. Forsch. p. 277-83; *T. Tobler*, Topogr. Jerus. I. p. 144-96; *R. v. Riess*, Bibl. Geogr., p. 89 s.; *C. Schick* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. I. 1878, p. 226-37 et tab.; *F. Spiess*, Jerus. d. Jos. p. 24-8.

VI. **Arx Sion. 1.** Intra moenia et portas ad interiores urbis partes accedentibus in ipso limine controversia fundamentalis nec non admodum spinosa se offert, scilicet de situ antiquissimae

partis seu urbis Iebusaeorum arcisque illius Sion, quae a rege David capta et « civitas David » appellata est. Usque ad ultima fere decennia saeculi elapsi communissime admittebatur, arcem illam in parte australi collis occidentalis positam fuisse; immerito *Ch. Ed. Caspari* aliique traditionem hanc omnium praeteritorum saeculorum negantes S. Hieronymum aliosque scriptores antiquos in favorem collis orientalis invocant. Sed postquam *J. Fergusson* 1847 (saltem ex parte) et *J. Fr. Thrupp* 1855 Sion et civitatem David colli orientali attribuerunt, primus *Ch. Ed. Caspari* 1864 arcem Sion et acropolim Syrorum (*Acra*) in parte australi huius collis (Ophel) collocandam censuit. Atque hanc opinionem *R. v. Riess*, *C. Schick*, *W. F. Birch*, *v. Alten*, *v. Klaiber*, *H. Guthe* recentioresque communiter secuti sunt, exceptis *G. Gatt*, *Fr. Liévin de Hamme*, *C. R. Conder*, *J. Fahrngruber*, *K. Rückert*, *A Schulz* (qui cum *Ch. Warren* probabilius arcem Sion in parte septemtrionali collis occidentalis collocandam censet) paucisque aliis.

Breviter argumenta, quae in favorem utriusque sententiae afferuntur, innuisse atque ea, quae maiorem videntur habere probabilitatem, indicasse sufficiat.

2. Pro situ orientali in clivo australi Ophel recentiores tum ex naturali conditione loci, tum ex textibus nonnullis sacrorum librorum argumentantur. Clivus ille dicitur magis idoneus arci fortissimae eo quod undique abruptis praecipitiis cinctus sit atque a paucis militibus facile defendi possit; etiam in latere septemtrionali inter Ophel et aream templi olim vallem latam et profundam fuisse plures contendunt, sed minime probant. Tempore belli ea praesertim ratione hunc clivum maximi fuisse dicunt emolumenti quod aditum ad unicum regionis fontem dominaretur.

Ex S. Scriptura vero praecipue afferunt textus, qui ex arce et ex regia davidica *ascendi* dicunt in templum et in palatium Salomonis, in latere australi templi situm (2 Reg. 24,18 s.; 3 Reg. 9, 24; 1 Par. 21,18 s., etc.); praeterea verba Ezechielis 43,7-9, quibus Dominus improperat regibus Iuda quod « fabricati sunt limen suum iuxta limen meum, et postes suos iuxta postes meos : et murus erat inter me et eos, et polluerunt nomen sanctum meum in abominationibus, quas fecerunt » et cadaveribus regum defunctorum; insuper historiam Ezechiae, qui « obturavit superiorem fontem aquarum Gihon et avertit eas subter ad occidentem urbis David » (2 Par. 32,30), quae tantum de Siloe in latere occidentali clivi Ophel intellegenda forent. Maxime autem narrationem Nehemiae urgent (Neh. 2,13-15; 3,13-16; 12,31-36), qui portam sterquilinii in latere occidentali vallis Tyropoeon, portam vero fontis in opposito latere orientali i. e. in clivo Ophel indicet (וְאֶעֱבֹר et transivi 2,14) et post hanc portam civitatem et sepulcrum David commemoret.

3. At defensores sententiae oppositae imprimis animadvertunt, haec argumenta rem minime evincere. Etenim naturalis loci conditio clivum Ophel multo minus idoneum reddit arci fortissimae sustinendae, quippe cum tum ex parte septemtrionali a monte templi et a rupe posterioris arcis Antoniae 60-80 metris superetur, tum in latere occidentali a colle opposito 80-100 metris. Neque fons Virginis in latere eius orientali situs tanti erat emolumenti, cum antiquitus plures fontes prope urbem exstiterint (v. supra), et ipse fons Virginis numquam admodum copiosus videatur fuisse (*M.-J. Lagrange* in Rev. bibl. I. 1892 p. 37), et incolae urbis tum antiquae tum hodiernae fere unice ex imbribus undique in puteos et cisternas ac piscinas collectis aquae copiam sufficientem et abundantem acquirant (v. supra). Praeterea clivus iste, omnibus urbis collibus humilior, profecto nimis angustus maiori arci et superiori urbis parti sustinendae apparet, praesertim si quis in eodem clivo praeter varias domos David et locum tabernaculi pro arca foederis et palatium Salomonis domumque reginae etiam domum fortium et piscinam regis aliamque arte factam et sepulcrum David regumque Iuda et extra illud sepulcrum regis Asae (2 Par. 16, 14) et Ioas (2 Par. 24,25) et Oziae (2 Par.

26,23) et Achaz (4 Reg. 16,20 coll. 2 Par. 28,27) et Amon (4 Reg. 21,26) et Manassis (2 Par. 33,20) et Iosiae (4 Reg. 23, 30; 2 Par. 35,24), ac praeterea omnes muros Neh. 3,16-27 commemoratos et habitationes sacerdotum et levitarum servorumque templi atque alia quaedam collocare voluerit. Neque extra angustum illud clivi australis spatium ad septemtrionem urbem Iebusaeorum se extendere potuisse apparet ex area Areuna s. Ornan Iebusaei, quae ex more orientali iuxta agros ipsius aetate Davidis ibidem in loco templi inveniebatur (2 Reg. 24,16 ss.; 1 Par. 21,15 ss.).

Textus vero S. Scripturae etiam in sententia opposita convenienter exponuntur. Nam *ascendere* dici potest etiam ille qui ex altiore loco veniens prius in vallem profundam descendere debet, unde ad terminum viae iterum ascendat; ac praeterea עלה « ascendit » sensu quodam generaliore adhiberi consuevit de itinere ad locum sanctuarii (Ex. 34,24; 1 Reg. 1,3; 10,3 etc.) atque ad aulam principum (Gen. 46,31; Num. 16,12. 14; Deut. 17,8; Iud. 4,5; 20,3; Ruth 4,1 etc.) atque de transitu quocumque (cf. *K. Rückert,* Sion p. 32 s.). Verba autem Ezechielis (43,7-9) satis verificantur de palatio Salomonis et domo reginae et de cadaveribus regum in Ierusalem sed extra civitatem David sepultorum. Opera Ezechiae ubinam facta fuerint minime constare iam diximus, fontemque Gihon probabilius nequaquam in fonte Virginis quaerendum esse alibi ostendimus (v. GIHON, ROGEL).

Denique in verbis Nehemiae ad transeundum de loco in locum minime requiritur vallis interiacens, et porta fontis satis probabiliter in eo loco erat, ubi cl. *F. J. Bliss* reliquias vetustissimae portae invenit (v. supra) : quae in latere occidentali vallis Tyropoeon repertae sunt. Ex hac vero porta descriptio Nehemiae sequi videtur moenia antiqua in eodem latere occidentali huius vallis exstructa, ubi probabiliter tum in ipsa valle, tum ex utroque colle adiacente « gradus » descendebant, quibus a civitate David in eo latere nomen impositum erat, in quo haec civitas inveniebatur, quin situm ex ipsis verbis aut ex gradibus ab eodem cl. *Bliss* inventis determinare possimus. In hoc « torrente » ruinae ex utroque colle decidentes probabiliter vallem ita impleverant, ut non fuerit « locus iumento, cui sedebam, ut transiret » (Neh. 2,14). Chorus vero primus in dedicatione moenium (Neh. 12, 36) ex illis gradibus ad orientem conversus per partem clivi Ophel ad portam aquarum videtur pervenisse (cf. *K. Rückert*, Sion p. 64-87, et quae de moenibus in hac parte australi supra notavimus).

4. Praeter ista argumenta negativa in favorem situs antiqui in meridionali parte collis occidentalis plures rationes positivae adducuntur. Atque imprimis situm ipsum naturaliter multo firmiorem urgent, neque immerito, cum ceteris collibus altior atque ex tribus lateribus profundis praecipitiis circumdatus sit. Collem autem hunc iam ante tempora Davidis habitatum fuisse etiam recentes excavationes anglicae satis probabiliter ostenderunt, inventis ibidem, sicut in colle opposito, reliquiis domorum primitivarum ex ipsa rupe effossarum.

Deinde in favorem huius situs stat antiquissima traditio, quam saltem inde a saeculo quarto usque ad nostram fere aetatem unanimem fuisse in comperto est et a plerisque adversariis ultro conceditur. Sed etiam ultra saeculum quartum ad primum ascendere possumus, cum *Fl. Iosephus* satis aperte hanc sententiam tueatur; quem immerito quidam in suas partes trahere volunt. Etenim iam in antiqua Iebusaeorum civitate duas partes diversas saepius distinguit, quarum alteram inferiorem (τὴν κάτω) vel etiam, ex usu loquendi postea recepto, Acram (τὴν ἄκραν, nisi textus sit corruptus) appellat, alteram superiorem (τὴν ἄνω πόλιν) vel desuper sitam (ἡ καθύπερθεν), quam et murorum firmitate et natura loci difficile expugnabilem describit (Ant. V. 2,2, *N.* 124; VII, 3,2, *N.* 65 s.); gratis autem in his textibus sensus eorumdem verborum et expressionum prorsus diversus ab eo supponitur, quem idem auctor alibi intendit, ubi τὴν ἄνω πόλιν manifestissime de parte australi collis occidentalis adhibet (Ant. XIV. 16, 2, *N.* 477; XV. 9,3, *N.* 318; Bell. V. 4,1, *N.* 137 etc.). Neque partem

qualemcumque urbis antiquae hanc superiorem fuisse, sed praecise eam, in qua arx antiqua a David capta reperiebatur, idem Iosephus clare videtur indicare, cum dicat collem qui superiorem civitatis partem sustinebat « propter firmitatem φρούριον (i. e. speculam s. castellum) a Davide rege esse appellatum », qui Iosephi aetate forum superius (ἡ ἄνω ἀγορά) audiebat (Bell. V. 4,1, *N.* 137). Considerata veterum Onomasticorum explicandi ratione, φρούριον (a πρὸ ὁρᾶν), uti bene notat *J. K. Zenner* (Die Chorgesänge im Buche der Psalmen 1, p. 34), hoc loco est litteralis expositio nominis Sion, quippe quod σκοπευτήριον et speculam illa Onomastica saepissime interpretantur (Onomastica sacra, *ed. P. de Lagarde*, p. 39,25; 43,12; 50,25; 75,2; 78,15; 81,17; 174,90; 198,63 s.).

Unde vix videtur in dubium vocari posse, Iosephum antiquam arcem Sion in australi parte collis occidentalis sitam supposuisse. Neque ad infringendam huius testimonii auctoritatem valet quod dicunt Iosephum in iis tantum quae de sua aetate tamquam testis de visu referat fide dignum esse. Nam primum quidem praecipua huius testimonii vis in eo est quod sententiam traditionalem iam in primo saeculo viguisse ostendat. Dein vero Iosephus etiam pro situ civitatis David arcisque Sion vero quodam sensu est testis de visu, tum quia de naturali loci conditione optime iudicare potuit, tum maxime quia monumentum aliquod insigne et situs illius fidissimum indicium quotidie prae oculis habuit : sepulcrum enim David, certissime in antiqua civitate David exstructum, in urbe supererat (Act. 2,29) et non modo veneranda antiquitate, verum etiam rapina Hyrcani (*Flav. Ios.* Ant. VII. 15,3, *N.* 393; XIII. 8,4, *N.* 249; XVI. 7,1, *N.* 279) multoque magis Herodis facinoroso conatu cunctis notissimum erat, quippe qui ad expiandam scelestam sepulcri violationem magnificentissimum in eius ostio erexit monumentum ex lapide albo, cuius etiam Nicolaus Damascenus historiographus meminit (Ant. VII. 15,3, *N.* 394; XVI. 7,1, *N.* 179-183).

5. In libris sacris ipsa prima mentio urbis Iebus haud spernendum praebet argumentum pro colle austro-occidentali. Nam in libro Iosue terminus inter tribus Iudam et Beniamin dicitur a fonte Rogel ascendere per convallem filii Ennom in latere meridionali humeri seu montis Iebusaeorum (אֶל־כֶּתֶף הַיְבוּסִי מִנֶּגֶב) et inde se erigere ad verticem montis qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim contra aquilonem (Ios. 15,8; 18,16). Iam vero consideranti naturalem collium valliumque configurationem (cf. v. gr. tab. I « Terrainkarte » a cl. *C. Zimmermann* editam) impossibile videtur, verba illa textus clarissima de altera valle quam de *Wādi el-Rabābi* et de altero colle quam de austro-occidentali interpretari : hic igitur est ille humerus Iebusaeorum, a quo tunc arcem ipsorum omnino gratis in angustum humilemque clivum orientalem deici dicendum erit. Sane mirum videbitur effugium eorum, qui in gratiam huius collis orientalis, propter illa ipsa verba textus sacri, vallem Hinnom dicunt inferiorem partem vallis Tyropoeon : quomodo terminum per istas ambages ad verticem montis qui est contra Geennom in summitate vallis Raphaim contra aquilonem perducant, ipsi videant.

Itaque probabilius antiquae traditioni standum esse censemus. Neque obstat quod nomen arcis antiquae Sion postea, sanctuario in colle Moria erecto arcaque foederis illuc translata, praecipue ad designandum hunc montem templi ac deinde etiam pro tota urbe sancta adhibitum fuerit, uti maxime in libris propheticis et poeticis et in primo libro Machabaeorum apparet. Quaestio enim tota circa situm antiquae arcis versatur (v. SION).

Cf. *J. Fergusson*, An Essay on the ancient Topography of Jerusalem, London 1847; *J. Fr. Thrupp*, Ancient Ierusalem, Cambridge 1855; *Ch. Ed. Caspari* in Theol. Stud. und Krit. 1864 p. 309-28; *R. v. Riess*, Bibl. Geogr. p. 93-9; Bibel-Atlas, *ed.* 3, p. 34; *W. F. Birch* in Quart. Stat. 1878 p. 129-32. 178-89; 1880, 167-70; 1882, 55-9; 1883,150-4 et saepe in sequentibus annis; immerito *G. A. Smith* et *W. R. Smith* ap. *Cheyne-Black*, Encyclop. bibl. II. p. 2118 huic cl. *Birch* primitias opinionis, quae colli orientali

patrocinatur, attribuunt; *v. Allen* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. II. 1879 p. 18-47; III. 1880 p. 116-76; *v. Klaiber* ib. III. p. 189-213; IV. 1881 p. 18-56; XI. 1888 p. 1-37; *H. Guthe* ib. V. 1882 p. 313-32 (= Ausgrab. bei Jerus. p. 241-60); *C. Schick* ap. *C. Zimmermann*, Karten u. Pläne, Tab. IV, n. 16; *id.* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XIV. 1891 p. 54 s. et tab. 2: XVII. 1894 p. 1-24 et tab. 1; *G. Gatt*, Beschreibung über Jerusalem u. s. Umgebung p. 176-88; *id.* in Theol. Quartalschr. LXVI. 1884 p. 34-84; *id.*, Die Hügel von Jerusalem p. 42 s.; *id.* Sion in Ierusalem, was es war, und wo es lag, Brixen 1900; *Fr. Liévin de Hamme*, Guide indicateur, *ed.* 4, I. p. 179; *C. R. Conder* in Quart. Stat. 1883 p. 194; *id.* in *J. Hastings*, Dict. of the Bible II. 591; *J. Fahrngruber*, Jerusalem *ed.* 2, I. p. 104; *M.-J. Lagrange* in Rev. bibl. I. 1892 p. 25-35; *P. M. Séjourné* ib. IV. 1895 p. 45 s.; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi I. p. 173-81; *K. Rückert*, Die Lage des Berges Sion (Bibl. Studien III. 1), Freiburg i. B., 1898; *Ch. Clermont-Ganneau*, Recueil d'archéol. orient. II, p. 254-94; *A. Schulz*, Zur Sion-Frage, in Theol. Quartalschr. LXXXII. 1900 p. 356-89.

VII. **Reliquae partes urbis.** **1.** Arcem Sion captam David in habitationem regiam sibi elegit et « civitatem David » (עִיר דָּוִד, ἡ πόλις Δαυείδ) appellavit (2 Reg. 5,9; 1 Par. 11,7), quo nomine etiam postea tamquam pars urbis Ierusalem saepius commemoratur (cf. 3 Reg. 2,10; 3,1; 8,1; 9,24; 11,27; 1 Par. 15,1. 29; 16,1; 2 Par. 5,2; 8,11; 32, 5 etc.). Sed non de sola arce, verum etiam de parte urbis adiacente nomen hoc civitatis David intellegendum videtur, cum praeter varias domos, quas David ibidem sibi construxit, et domum fortium (Neh. 3,16) etiam locum separatum atque tabernaculum arcae foederis (1 Par. 15,1) et sepulcrum David (3 Reg. 2,10) regumque Iuda comprehenderit, ex quibus plures sepulcra separata habuerunt (cf. supra n. VI. 3).

In civitate David vel prope eam erat munitio vel turris *Mello* (מִלּוֹא), quam fortasse iam David aut certe Salomon aedificavit (2 Reg. 5,9; 3 Reg. 9,15. 24; 11,27; 1 Par. 11,8) et Ezechias instauravit (2 Par. 32,5); iuxta ipsam probabiliter erat « domus Mello » (בית מוֹלא), quae secundum Vulgatam et aliquos codices LXX dicitur fuisse « in descensu *Sella* », ἐν τῇ καταβάσει Σελά (4 Reg. 12, 20, cf. *Field*; hebr. הַיֹּרֵד סֵלָא). Sed ultra coniecturas circa haec vix quidquam statui poterit. LXX interpretes pro Mello semel τὸ ἀνάλημμα (2 Par. 32,5), alias ἄκρα vertunt.

2. A Salomone praecipue in colle orientali magnificentissima urbis pars erecta est, scil. templum tota antiquitate celeberrimum, de quo in articulo speciali tractandum erit (v. TEMPLUM).

Praeterea vero in eodem colle, in latere australi sanctuarii splendida aula regia ab eodem rege aedificabatur (3 Reg. 7,1; 9,1. 10. 15) et cum illa domus saltus Libani cedrina (3 Reg. 7,2-6) et porticus solii (3 Reg. 7,7). Etiam pro filia Pharaonis, quam uxorem duxerat, domum propriam iuxta palatium suum construxit (3 Reg. 3,1; 2 Par. 8,11).

Qua vero aetate « turris domus » seu *Bira* (Neh. 2,8; cf. 7,2) et « coenaculum anguli » (עֲלִיַּת הַפִּנָּה Neh. 3,30 s., hebr. 31 s.), quae videntur ad aream templi pertinere, et « turris quae eminet de domo regis excelsa » (Neh. 3,25 s.), primitus exstructa sint, non satis constat (v. infra n. 4).

Infra domum regiam autem in eodem clivo pars Ophel erat, ubi praecipue sacerdotes et levitae ac Nathinaei seu servitio templi addicti habitabant (Neh. 3,26. V. OPHEL).

3. Pars illa, quae inter collem orientalem et occidentalem urbis in valle intermedia sita erat, nomine מַכְתֵּשׁ, Vulg. *pila* in prophetia Sophoniae videtur designari, ubi vates clamorem et ululatum, Chaldaeis irruentibus, undique per totam urbem oriri describit (Soph. 1,11). Praeter colles, quibus maior urbis pars insidebat, ibidem etiam « secunda », הַמִּשְׁנֶה, nominatur, quae etiam alibi tamquam pars urbis occurrit (Soph. 1,10; 4 Reg. 22,14; Neh. 11,9); probabiliter ea pars erat, quae inter murum primum et secundum in latere septemtrionali comprehendebatur, quaeque civitati primae quasi altera quaedam pars addita erat. Quam si ab aliis partibus in eodem vaticinio

commemoratis prorsus distinctam volumus, pilam inferiorem tantum vallis Tyropoeon partem intra ambitum primi muri comprehensam dicemus. Ceterum incertum esse bene notat *I. Knabenbauer* (in Soph. 1,11), utrum hoc nomen pilae in usu fuerit, an a propheta e loci regione et incolarum sorte sit formatum (cf. S. *Hieronymus* in eumdem locum).

In hac autem parte forum rerum venalium domosque mercatorum fuisse, ex iisdem prophetae verbis haud improbabiliter concluditur (Soph. 1,11. Cf. Neh. 13,16).

Etiam Thecua et Bethacarem in vaticinio Ieremiae (6,1; cf. Neh. 3,5. 14), quae communiter de vicis tribus Iuda explicantur, a cl. *C. Schick* de partibus urbis intelleguntur, quarum altera prope murum secundum in latere septemtrionali, altera in australi versus vallem Hinnom sita fuerit (*C. Schick* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. XIV. 1891 p. 47. 53 et tab. 2).

Ad occidentem vero templi erat pars quaedam adstructa, quae nomine *Parbar* appellabatur (פַּרְבָּר 1 Par. 26,18, Vulg. *cellulae*; הַפַּרְוָרִים 4 Reg. 23,11, Vulg. *Pharurim*); quam aliqui etiam tamquam partem urbis considerant (cf. *C. Schick*, l. c. XVII. 1894 p. 13 et tab. 1).

4. Ex eodem latere occidentali templi, sed in parte septemtrionali collis oppositi ex opinione multorum erat Acra seu Acropolis c. a. 167 a. Chr. a Syris sub Antiocho Epiphane prope templum aedificata (1 Mach. 1,35; *Flav. Ios.* Ant. XII. 5,4, *N.* 252; Bell. iud. I. 1,4, *N.* 39). Attamen etiam circa situm huius Acrae acerrima et difficillima habetur controversia, de qua breviter, praeter ea, quae supra (n. II. 5) de Acra Iosephi tetigimus, pauca notemus.

Ex magna opinionum varietate quinque potissimum sententiae videntur commemorandae. Prima est eorum qui hanc Acram eamdem dicunt cum antiqua arce Sion (praesertim ex 1 Mach. 1,35; 2,31; 7,32; 14,36) eamque in clivo australi collis orientalis collocant; quod ex dictis minus videtur probabile. Altera, eamdem identitatem retinendo, Acram in parte meridionali oppositi collis occidentalis reponit; contra quam merito observari poterit, etiam ex textu sacro arcem illam Syrorum potius iuxta templum vel in eius vicinia sitam fuisse (1 Mach. 1,37-39; 4,41; 6,18; 14,36; cf. 12,53), Fl. Iosephum vero adeo ab hac opinione discrepare, ut aperte Scripturae contradicere nullamque in hac quaestione fidem mereri supponendus foret. Tertia, adhuc identitatem illam servando, arcem parti septemtrionali collis occidentalis insedisse censet; sed antiquam civitatem David arcemque Sion non in hac parte septemtrionali, verum in australi parte fuisse cum tanta probabilitate ex Scriptura et traditione videtur constare, ut huic tertiae opinioni vix aliqua probabilitas relinquatur.

Quare distinctione inter antiquam arcem Sion et Acram Syrorum admissa, quarta opinio hanc Acram in ipso monte templi in latere septemtrionali fuisse dicit; verum huic quoque Iosephus aperte contradicit, neque ex Scriptura magnopere commendatur. Itaque sententia quinta, pariter distinguens, arcem Syrorum in parte septemtrionali collis occidentalis, iuxta templum, sed valle interiacente ab eo separatam, arcem vero Sion in australi parte eiusdem collis supponit fuisse.

Difficultas praecipua contra hanc ultimam sententiam ex eo habetur, quod auctor libri primi Machabaeorum illam arcem in loco civitatis David collocat (1 Mach. 1,35; 2,31; 7,32; 14,36). At certe auctor ille sacer usum loquendi antiquitus receptum non iam sequitur, cum aperte arcem Sion a civitate David distinguat (1 Mach. 7,32 s.), quae olim prorsus confundebantur (2 Reg. 5,7; 3 Reg. 8,1; 1 Par. 11,5; 2 Par. 5,2); sicut autem « montem Sion » sensu novo determinate de monte templi intellegit, ita fortasse etiam « civitatem David » latiore aliqua ratione ab antiqua diversa accepisse supponi poterit, quamvis contextus (praesertim 1 Mach. 1,32-40) difficultatibus non careat. At saltem id videtur affirmari posse, sententias oppositas circa positionem huius Acrae multo maioribus difficultatibus laborare.

Ut civitatem ab oppressoribus Syris, qui ex arce sua insidias introeuntibus

in templum parabant multosque occidebant, liberaret, Ionathas Machabaeus altissimis muris inter medium arcis et civitatis aedificatis eam a civitate separavit (1 Mach. 12,36; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 5,11, *N.* 181 s.). Cum ita prohiberentur « egredi et ingredi regionem et emere ac vendere », orta est fames valida in arce, qua coacti a Simone, Ionathae fratre ac successore, eiecti sunt (1 Mach. 13,49 s.; 14,36). Arce mundata, Simon « viros Iudaeos ad tutamentum regionis » in ea collocavit (1 Mach. 14,37); postea vero, ex relatione Iosephi (cf. 1 Mach. 16,20), arcem ipsam et collem, in quo exstructa fuerat, penitus delendum vallemque inter collem et templum explendam curavit (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 6,7, *N.* 215-217. Cf. Bell. I. 1,4; 2,2, *N.* 39. 50; V. 4,1, *N.* 139).

Etiam in secundo libro Machabaeorum iam pro tempore arcis Syrorum aedificationem praecedente acropolis Hierosolymorum commemoratur (ἡ ἀκρόπολις 2 Mach. 4,12. 27; 5,5; ἡ ἄκρα 15, 31.35), quae in loco arcis antiquae in superiore parte civitatis et non in vicinia templi videtur sita fuisse, cum Iason « sub ipsa arce » (ὑπ' αὐτὴν ἀκρόπολιν) gymnasium constituisse legatur (2 Mach. 4,12).

Rursus alia erat arx illa quae hebraice *Bira* appellatur (הַבִּירָה אֲשֶׁר לַבַּיִת, Vulgata « turris domus » Neh. 2,8; הַבִּירָה עַל־יְרוּשָׁלִַם, τῆς βιρὰ ἐν Ἱερουσαλήμ, Vulgata « domus de Ierusalem » ib. 7,2), probabiliter in angulo areae templi inter septemtrionem et occasum sita, ad quam fortasse turres Hananeel et Mea pertinebant. Haud improbabiliter censetur intellegi in textu 1 Mach. 12,53 : « et munivit (Simon) montem templi, qui erat secus arcem (καὶ προσωχύρωσεν τὸ ὄρος τοῦ ἱεροῦ τὸ παρὰ τὴν ἄκραν) et habitavit ibi ipse et qui cum eo erant »; nam altissimam collis templi partem occupabat et ad templum pertinere aestimabatur (cf. Megillath ta'anith 9,1), et iuxta illam arcem Syrorum, de qua diximus, sita erat. Eamdem arcem templi, quae etiam in epistula Aristeae videtur commemorari (n. 100-104. *P. Wendland* ap. *E. Kautzsch*, Apokryphen p. 3. 14), Fl. Iosephus Barim (βᾶρις) appellat, quam prius ab Hasmonaeis, et praesertim ab Hyrcano primo munitam, postea vero ab Herode magnificentissime exstructam et in honorem Marci Antonii Antoniam (Ἀντωνία) appellatam esse refert (Ant. XIII. 11,2, *N.* 307; XV. 11,4, *N.* 403. 409; XVIII. 4,3, *N.* 91 s.; Bell. iud. I. 3,3; 5,4, *N.* 75. 118; V. 5,8, *N.* 238-246 etc.).

5. Secundum multos auctores pars huius arcis Antoniae erat praetorium Pilati, ubi Christus Dominus a iudice romano auditus et post flagellationem et derisionem crudelissimam capitis damnatus est. Quaestionem de hoc aliisque locis passione dominica sacratis pluribus tractare non huius loci est. Circa praetorium id unum notemus, traditionem a primis peregrinis expressam haud adeo, uti aliqui recentiores (*Tobler, Sepp, Zanecchia*) voluerunt, a traditione hodierna inde a saeculo fere decimotertio vigente discrepare (cf. *Fahrngruber, Lagrange*).

Pariter quoad Coenaculum in monte Sion, sicut etiam pro loco Calvariae, traditio antiqua et hodierna conformes inveniuntur. Prope Coenaculum iam saeculo quarto ostendebatur locus domus Caiphae pontificis, et inde a saeculo septimo domus B. Mariae Virginis, ubi locus dormitionis eius colebatur.

Aula vero Herodis, ad quam Salvator a praetorio adductus est (Luc. 23,6 ss.), secundum alios antiquitus erat palatium Hasmonaeorum (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 1,2; 4,2; 13,4, *N.* 4. 59. 338; XX. 8,11, *N.* 189 s.; Bell. II. 16,3, *N.* 344 etc.) in australi parte collis occidentalis contra templum situm, secundum alios vero in colle septemtrionali Bezetha reperiebatur.

Flav. Iosephus praeterea varia aedificia urbis commemorat, magna ex parte ab Herode erecta, ex quibus aulae consilii (ἡ βουλή Bell. V. 4,2, *N.* 144; τὸ βουλευτήριον Bell. VI. 6,3, *N.* 354), archivum (τὰ ἀρχεῖα Bell. II. 17,6, *N.* 427; VI. 6,3, *N.* 354), Xystos (Ant. XX. 8,11, *N.* 189; Bell. II. 16,3, *N.* 344; VI. 3,2; 6,2; 8,1, *N.* 191. 325. 377. Cf. gymnasium 1 Mach. 1,14; 2 Mach. 4,12) ad oc-

cidentem templi in media fere urbe exstructa erant, prope pontem, qui transitum ex templo in urbem praebebat (Ant. XIV. 4,2, *N.* 58 etc.).

Praeter auctores sub n. II. et VI. citatos cf. de arce Antonia *v. Allen*, Die Antonia und ihre Umgebungen, in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. I. 1878 p. 61-100 et tab. — De praetorio cf. *Itin. burdigal.*, *Theodos.* c. 7, *Anonymus* (*Antoninus*) c. 9. 23, *ed. P. Geyer*, Itin. hieros. p. 22,22 ss. 141,10 ss. 165,13. 175,3 ss.; *Sophron.*, Anacreont. 20, v. 73-83, *Migne* P. G. 87,3, 3821. — *Fr. Quaresmius*, Elucid. Terrae S., l. IV, peregr. 6, c. 3, *ed.* Venet. II. p. 140 s.; *T. Tobler*, Jerusalem I. p. 220-31; *J. N. Sepp*, Jerusalem, *ed.* 2, I. p. 184-93; *D. Zanecchia*, La Palestina d'oggi I. p. 249-57; *J. Fahrngruber*, Jerusalem *ed.* 2, I. p. 154-6; *M.-J. Lagrange* in Rev. bibl. VI. 1897 p. 455 s.

VIII. **Brevis historiae conspectus.**

1. De historia urbis Hierosolymorum cum in rebus populi iudaici regumque Israel et Iuda accuratius tractandum sit, summa tantum capita hic delineasse sufficiat.

De prima urbis origine variae fabulae penes scriptores profanos vulgatae erant (cf. *Strabo* XVI. 2,34-36, *ed. Casaub.* p. 760 s.; *Tacit.* Hist. 5,3; *Flav. Ios.* c. Apion. 1,14 ss. *N.* 73 ss.; *Plutarch.*, Is. et Osir. 31, etc.); ex historia vero nihil de illis primordiis constat. Pariter incertum est, utrum Melchisedech aetate Abrahae Hierosolymorum an potius, id quod probabilius aestimamus, alterius urbis Salem rex fuerit (v. SALEM 1).

Israelitae, cum duce Iosue terram promissam occupabant, urbem Ierusalem tamquam caput regni Iebusaeorum sub rege Adonisedec invenerunt (Ios. 10,1), qui foedere cum quattuor aliis regibus Amorrhaeorum inito hostibus se opponens a Iosue devictus est (Ios. 10). Monumenta vero profana, scil. tabulae cuneiformes in Tell el-Amarna inventae, ostendunt urbem ante ingressum Israelitarum sub potestate regis Aegypti fuisse. Princeps tributarius *ʿAbd-Khiba* a Pharaone Hierosolymis praepositus, iteratis epistulis instantissime auxilium a rege petit contra *Ḫabiri* invasores, quos iam totam fere regionem occupasse describit (*H. Winckler*, Die Thontafeln von Tell el-Amarna, n. 179-185, in *E. Schrader*, Keilinschr. Bibl. V. p. 302-15).

Rege Adonisedec cum sociis devicto, urbs ipsa diu aggressoribus resistebat; postea vero sub Adonibezec « oppugnantes filii Iuda Ierusalem ceperunt eam et percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem » (Iud. 1,8). Nihilominus tamen « Iebusaeum, habitatorem Ierusalem, non potuerunt filii Iuda delere », ita ut Iebusaei et Israelitae simul in urbe habitarent (Ios. 15,63; Iud. 19,11 s.), quoniam pars superior civitatis sive arx Sion usque ad aetatem David a Iebusaeis tenebatur.

Quamquam autem filii Iuda contra Iebusaeos pugnasse et Ierusalem cepisse leguntur, in distributione terrae urbs tribui Beniamin attributa est, uti ex descriptione terminorum clare apparet (Ios. 15,7 s.; 18,16 s.); neque controversiae ex variis Scripturae textibus de hac attributione olim acriter agitatae hic diutius immorandum est (cf. *H. Relandi* Palaest. p. 839-46).

2. David postquam in Hebron rex super totum Israel unctus est, abiit cum exercitu suo in Ierusalem et cepit arcem Sion eamque civitatem David appellavit (2 Reg. 5,6-9; 1 Par. 11,4-8), et caput totius regni constituit. Splendorem urbis regiae auxit moenibus, palatio variisque domibus aedificatis et tabernaculo cum altari pro arca Dei erecto (2 Reg. 5,9-11; 6,17; 3 Reg. 2,28 s.; 1 Par. 11,8; 14,1; 15,1), quam magna cum sollemnitate in locum praeparatum adduxit (2 Reg. 6; 1 Par. 13). Iebusaei autem etiam nunc simul cum filiis Iuda in civitate habitarunt, agrosque suos retinuerunt, uti ex area Areuna s. Ornan apparet (2 Reg. 24,16-24; 1 Par. 21,15-25).

Sub Salomone urbs cum toto regno ad culmen prosperitatis pervenit. Rex sapientissimus atque potentissimus tum firmitati urbis moenibus ac munitionibus (3 Reg. 3,1; 9,15. 24; 11,27), tum pulchritudini ac dignitati eius splendido templo domibusque regiis in colle orientali erectis (3 Reg. 5-7; 2 Par. 2-5) magnificentissime providit.

Quanta vero tunc fuerit civitatis opulentia, cum ex aliis relationibus, tum ex historia de regina Saba concludere licet (3 Reg. 10,1-13; 2 Par. 9,1-12); et cum quotannis afferrentur ad regem Salomonem sexcenta sexaginta sex talenta auri, et tributa alia muneraque innumera, «vasa argentea et aurea, vestes et arma bellica, aromata quoque » et equi et muli, tanta erat abundantia argenti in Ierusalem, quanta et lapidum et cedrorum multitudo quasi sycomororum, quae nascuntur in campestribus (3 Reg. 10,14. 25. 27; 2 Par. 9,13. 24. 27).

3. Sed mortuo Salomone regnoque diviso, urbs brevi ab hac prosperitate deiecta est. Iam quinto anno regni Roboam ascendit Sesac rex Aegypti in Ierusalem et tulit thesauros domus Domini et thesauros regios et universa diripuit (3 Reg. 14,25 s.; 2 Par. 12,2-9). Post quietiora regna Abiae et Asae ac Iosaphat sub impio rege Ioram civitas a Philisthinis et Arabibus iterum vastatur (2 Par. 21,16 s.), nec ita multo post, Amasia in Bethsames a Ioas, rege Israel, devicto et capto, denuo vi capitur et diripitur, destructa magna parte moenium a porta Ephraim ad portam anguli (4 Reg. 14,11-14; 2 Par. 25,21-24).

Ozias s. Azarias, filius Amasiae, murum destructum restauravit turresque et munitiones in eo erexit (2 Par. 26,9; *Ios.* Ant. IX. 10,3, *N.* 218). Sed in diebus eius terribilis terraemotus accidit, ita ut incolae prae timore civitatem fugientes reliquerint (Zach. 14,5; Am. 1,1; *Flav. Ios.* Ant. IX. 10,4, *N.* 225). Reparato sub Ioatham praesertim muro partis Ophel (2 Par. 27,3), regnante Achaz Ierusalem iterum obsidebatur a Rasin, rege Syriae, et Phacee, rege Israel; sed nuntiis ad Theglathphalasar, regem Assyriorum, cum muneribus missis, Achaz auxilium obtinuit urbemque ab obsidione liberavit (4 Reg. 16,5-9).

4. Assyrii ab Achaz in auxilium vocati iam sub filio eius Ezechia gravissimum urbi periculum pararunt, cum Sennacherib anno quartodecimo regis Ezechiae (a. 701 a. Chr.) ascenderit et universas civitates Iuda munitas ceperit, Hierosolymis quoque excidium minatus (4 Reg. 18,13; 2 Par. 32,1; Eccli. 48, 20; Is. 36,1). Periculum primo quidem muneribus ab Ezechia missis, mox clade maxima exercitui Assyriorum per Angelum Domini illata aversum est (4 Reg. 18,14 ss.; 19; 2 Par. 32,2-22; Is. 36.37; cf. Tob. 1,21; Eccli. 48,21-24; 1 Mach. 7,41; 2 Mach. 8,19).

Manasses vero, impius filius Ezechiae, captus ab exercitu regis Assyriorum et vinctus catenis atque compedibus in Babylonem ductus est, probabiliter sub Asarhaddon vel sub Assurbanipal (2 Par. 33,11; *Flav. Ios.* Ant. X. 3,2, *N.* 40). Postquam autem « egit poenitentiam valde coram Deo patrum suorum,... reduxit eum Ierusalem in regnum suum » (2 Par. 33,12 s.), ubi mox moenia urbis diligenter auxit atque munivit (ib. v. 14).

Post tranquillum pii Iosiae regnum sub ultimis regibus Ioachaz, Ioakim, Ioachin, Sedecia praeparabatur urbis ruina, quae completa est anno undecimo regni Sedeciae (587 a. Chr.) per Nabuchodonosor (Nebukadnezar II.), regem Babylonis; qui post biennem obsidionem urbem cepit regemque et populum in Babylonem exsules abduxit, templo et aula regia domibusque civitatis combustis atque moenibus in circuitu penitus destructis (4 Reg. 25,1-21; 2 Par. 36,17-21; Ier. 39,1-9; 52,4-15).

5. Anno primo Cyri regis Persarum (536 a. Chr.) Iudaeis edicto regio reditus in patriam permittebatur, simulque praeceptum est, ut templum Domini in Ierusalem instaurarent (Esdr. 1,1-4). Praecepto obaedientes Iosue et Zorobabel mox super ruinas templi altare erexerunt (Esdr. 3,2 s.) domumque ipsam anno sequenti (535 a. Chr.) aedificare coeperunt, quae post varias difficultates, Aggaei et Zachariae prophetarum exhortatione et Darii regis decreto superatas anno sexto regni Darii (515 a. Chr.) feliciter perfecta est (Esdr. 3-6).

Muri vero urbis et domus per Nehemiam restituta sunt, qui et numerum incolarum eius auxit, accersitis undique ex aliis civitatibus familiis (Neh. 2-12; Eccli. 49,15), quamquam numerus eorum ultra 20,000 illa aetate vix ascenderit. Sequentibus vero saeculis sub

tranquilla] Persarum dominatione urbs prosperabat atque adeo aucta est, ut aetate Alexandri Macedonis ex testimonio Hecataei Abderitae iam ad 120,000 incolarum pervenerit (*Flav. Ios.* c. Apion. 1,22, *N.* 197).

Mortuo autem Alexandro Hierosolyma et Syria universa Ptolemaeo Lago Aegyptio attributa est (*Ios.* Ant. XII. 1,1, *N.* 3 s.). Post diuturna deinde inter Ptolemaeos et Seleucidas bella, hi Syriae principes rerum in Iudaea et Ierusalem potiti sunt sub Antiocho Illustri (Epiphane), qui civitatem sanctam invasit, et facta caede magna vasisque sacris ablatis urbem incendit, insuper legem idololatriae Iudaeis imposuit multosque impios a patria religione abduxit (1 Mach. 1; 2 Mach. 4-7; *Flav. Ios.* Ant. XII. 5,1 ss., *N.* 237 ss.).

Crudelissima Antiochi persecutione accensi miseramque patriae sortem dolentes Mathathias ex familia Asamonaei seu Hasmonaei ac quinque filii eius, inter quos Iudas Machabaeus ceteris praestabat, fortiter pro religione patrum et urbe dimicantes, mortem pro fide et patria obierunt (1 Mach. 2 ss.; 2 Mach. 8 ss.). Illorum aetate urbs ipsa novis munitionibus, praesertim in monte templi, instructa est, Syris per multos annos novam arcem iuxta templum occupantibus (v. supra VII. 4); varia autem belli fortuna et iteratis obsidionibus cives cum civitate multis malis erant obnoxii.

Maiora post mortem filiorum Mathathiae sub ultimis Hasmonaeis passi sunt, cum continuae dissensiones internae urbem vexarent. Quae Romanis deinde occasionem interveniendi praebuerunt, qui duce Pompeio a. 63 a. Chr. prima vice urbem et templum occuparunt et moenia destruxerunt (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 4,1 ss., *N.* 54 ss.; *Tacit.* Hist. 5,9). Muris auctoritate I. Caesaris a. 47 restitutis, novisque discordiis ortis, Herodes Idumaeus, a Romanis rex Iudaeae et Hierosolymorum constitutus, a. 37 a. Chr. urbem post diuturnam obsidionem expugnavit (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 16,1 ss., *N.* 468 ss.; Bell. iud. I. 18,1. ss., *N.* 347 ss.).

6. Herodes rex (37-4 a. Chr.) urbem suam regiam templumque magnificentissime restituit et exornavit eamque illi formam dedit, quam tempore Christi Domini habebat. Defuncto Herode, Archelaus Iudaeam et Ierusalem obtinuit. Sed iam a. 7 p. Chr. a Romanis depositus est, qui Iudaeam provinciae Syriae sub procuratore speciali administrandam attribuerunt; qui reliquo anni tempore Caesareae residens (cf. Act. 23,23; 25,1), circa festum paschae Hierosolymis commorabatur; Herodis autem successoribus species quaedam regni tantum relicta est.

Incolae urbis aetate Christi numerum 200,000-250,000 attigisse censentur (cf. *C. Schick* in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. IV. 1881 p. 211-21); in sollemnitate vero paschali decemplex fere numerus in urbem confluxisse refertur (*Ios.* Bell. VI. 9,3, *N.* 420 ss.).

Post mortem Christi Domini sub Agrippa (41-44 p. Chr.) nova pars septemtrionalis urbi addebatur, constructo tertio muro, qui post viginti fere annos, incipiente iam rebellione contra Romanos, finitus est.

Vexationibus continuis irritati, Iudaei hac rebellione patriam liberare conati sunt; sed interitum urbis et templi et patriae adduxerunt, a Christo civitati ingratae praedictum, qui ab exercitu Romanorum duce Tito a. 70 p. Chr. consummatus est. Tota urbs funditus deleta est, ita ut « accedentes vix crederent eam umquam habitatam fuisse » (*Flav. Ios.* Bell. VII. 1,1, *N.* 3), tribus tantum turribus aulae regiae conservatis.

Post 65 annos ab Aelio Hadriano iterum aedificata et Aelia Capitolina dicta, sub Constantino Magno novum splendorem adepta est. Sed a Persis a. 614 et ab Arabibus a. 638 capta, in potestate Mahometanorum deinceps, brevi intervallo regni crucigerorum (1099-1187) excepto, usque ad nostra tempora remansit.

Generatim de urbe Ierusalem cf. *Chr. Adrichomius,* Theatrum Terrae S. p. 148-81; *Fr. Quaresmius,* Elucidatio Terrae S. l. IV et V, *ed. Venetiis* 1881, II. p. 22-446; *Hadr. Relandi,* Palaestina p. 832-61; *E. F. K. Rosenmüller,* Handbuch der bibl. Alterthumskunde II. 2, p. 202-73; *Ed. Robinson,* Palaestina II. p. 1-313; *id.* Neue Untersuchungen über die Topographie Ierusalems,

Halle 1847; *id.* Neuere bibl. Forschungen in Palaestina, p. 211-344; *G. Williams*, The holy City, London 1845; *E. G. Schultz*, Jerusalem, Berlin 1845; *W. Krafft*, Die Topographie Jerusalems, Bonn 1846; *J. Schwarz*, Das h. Land p. 189-239; *T. Tobler*, Die Siloahquelle und d. Oelberg, St.-Gallen 1852; *id.* Denkblätter aus Jerusalem, ib. 1853; *id.* Zwei Bücher Topographie von Jerusalem, 2 voll., Berlin 1853 s.; *id.* Dritte Wanderung nach Palaest. p. 206-361; *Ph. Wolff*, Jerusalem, Leipzig 1857 (*ed.* 3, 1872); *K. Raumer*, Palaestina *ed.* 4, p. 285-360; *F. de Saulcy*, Voyage en Terre S., Paris 1865, I. p. 341-410; II. p. 1-217; *J. N. Sepp*, Jerusalem und d. h. Land, *ed.* 2, I. p. 81-696. 856-919; *G. Gatt*, Beschreibung über Jerusalem und seine Umgebung, Waldsee 1877; *W. M. Thomson*, The Land and the Book, London 1881, I (Southern Palestine) p. 415-567; *V. Guérin*, Jérusalem, son histoire, sa description, ses établissements religieux, Paris 1889; *F. Buhl*, Geogr. d. alten Palaestina p. 132-55; *C. Mommert*, Topographie des alten Jerusalem 1900-05, I.-III.

De excavationibus recentioribus cf. *Ch. Warren* and *C. R. Conder*, Jerusalem, in Survey of Western Palestine (London 1884), et variae relationes in Quarterly Statements of the Palestine Exploration Fund (1869 ss.); *H. Guthe*, Ausgrabungen bei Jerusalem, in Ztschr. d. D. Pal.-Ver. V. 1882, p. 7-204. 271-378 (et separatim, Leipzig 1883); *F. J. Bliss*, Excavations at Jerusalem 1894-1897, London 1898.

De urbe hodierna cf. *Fr. Liévin de Hamme*, Guide indicateur des sanctuaires et lieux historiques de la Terre Sainte, *ed.* 4, Jérusalem 1887, I. p. 162-500; *J. Fahrngruber*, Nach Jerusalem, *ed.* 2, I. 96-275; *D. Zanecchia*, La Palaestina d'oggi I. p. 82-373; *Bädeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien, *ed.* 5, p. 21-108; La Palestine, Guide historique et pratique, Paris [1904], p. 52-214.

Alia scripta v. ap. *R. Röhricht*, Bibliotheca geographica Palaestinae, Berlin 1890, et in notis bibliographicis ephemeridis « Zeitschrift des Deutschen Palaestina-Vereins » et « Orientalische Bibliographie ».

L. FONCK.

IESAAR v. ISAAR.

IESAIA (יִשַּׁעְיָהוּ), unus de filiis Idithun, princeps octavae classis cantorum (1 Par. 25,3 Vulgata Iesaias, Ἰσάας; 25,15 Vulgata Iesaia, Ἰωσία).

IESAMARI (יִשְׁמְרִי, Ἰσαμαρί), unus de filiis Elphaal, princeps cognationis beniaminiticae (1 Par. 8,18).

IESANA (יְשָׁנָה, ἡ Ἰεσυνά) urbs, quam Abia rex Iuda Ieroboam regi Israel eripuit una cum Bethel et Ephron (2 Par. 13,19). Coniiciunt aliqui de eadem Iesana agi 1 Reg. 7,12 (Vulgata Sen; v. SEN). Apud Flavium Iosephum scribitur Ἰσανά (Ant. VIII. 11,3) et est eadem, apud quam Herodes Magnus Pappum ducem in exercitu Antigoni devicit (Ant. XIV. 15,12; sed Bell. iud. I. 17,5 mendose scribitur Κανᾶ). Iesana agnoscitur *'Ain Sinia* circa 5 km a Bethel aquilonem versus (*Clermont-Ganneau*).

Cf. *Clermont-Ganneau* in Journal asiat. IX. 1877 p. 490-501; *idem*, Archaeological Researches in Palestine II. 1896 p. 287-294; *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1877 p. 206. 207; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 291. 302; *E. Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3. I. p. 357. 358; *Guérin*, Samarie II. 38 (situm vici indicat).

IESBA (יִשְׁבָּה, Ἰεσβά), pater seu possessor Esthamo urbis, filius Mered et Bethiae (1 Par. 4,17); v. ESTHAMO et BETHIA.

IESBAAM (יִשְׁבְּעָם, Ἰεσεβαδά), filius Hachamoni, princeps inter triginta, qui levavit hastam suam super trecentos vulneratos (confossos) una vice (1 Par. 11,11); eiusdem nomen etiam latet in textu corrupto 2 Sam. 23,8 (v. HACHAMONI). Idem fortasse est Iesbaam (LXX Σοβοκάμ), qui Davidi in Siceleg fugitivo se iunxit et de posteris Core erat (1 Par. 12,6). Idem quoque nomen hebr. habet Iesboam (LXX Ἰσβοάζ), qui in aula Davidis praeerat turmae primae 24000 bellatorum mense primo (1 Par. 27,2).

IESBACASSA (יִשְׁבְּקָשָׁה, Ἰεσβασακά, Βακατά), unus de filiis Heman, princeps decimae septimae classis cantorum (1 Par. 25,4. 24).

IESBIBENOB (ישבי בנב), *Qeri* יִשְׁבִּי בְ i. e. habitatio mea in Nob; LXX Ἰεσβί et cod. A addit ἐν Νόβ, gigas de genere Arapha seu Rapha, hastam gerens 300 siclorum ponderis aeris, qui cum Davidem perculere niteretur, ab

Abisai occisus est (2 Reg. 21,16. 17). Recentiores nomen proprium non agnoscunt, sed legere malunt וַיֵּשְׁבוּ בְגֹב *et morabantur in Gob* et haec verba inserunt post עִמּוֹ *cum eo* in versu 15 (*Wellhausen; Driver,* Notes on the Hebrew Text of the Books of Samuel ad h. l.). Sed animadvertit *F. de Hummelauer* ad h. l. : « Certe eae textus mutationes, quas proponit *Wellhausen*, fundamento critico destituuntur ».

IESBOAM v. IESBAAM.

IESBOC (יִשְׁבָּק; Ἰεσβώκ, Σοβάκ), filius Abrahae ex Cetura genitus (Gen. 25,2; 1 Par. 1,32). Putant tribum Iesboc in inscriptionibus cuneiformibus designari nomine *Iasbuq;* anno primo regni sui (859 a. Chr.) Salmanassar II. Orontem in Syria septemtrionali traiecit, ut bellum gereret contra Sapalulme regem Patinai eiusque socios Sagara (Sangara) regem Karkemish, Pikhirim regem Ciliciae, Buranate regem terrae *Iasbuq*.

Cf. *Friedr. Delitzsch* in Zeitschrift für Keilschriftforschung II. 1885 p. 92; *E. Schrader*, Keilinschriftl. Bibliothek 1889 I. 158; *E. Glaser,* Skizze der Geschichte und Geogr. Arabiens 1890 II. p. 446.

IESCHA (יִסְכָּה, Ἰεσχά), filia Aran fratris Abraham et soror Melchae et Lot (Gen. 11,29). In traditione iudaica (Ps.-Ionathan, Targ. hieros., *Flav. Ios.* Ant. I. 6,5, *S. Hier.* Quaest. in Genesim etc.) Iescha eadem est ac Sarai idque sentiunt plerique interpretes. Aliqui eam binominem fuisse aiunt. Probabilius vero nomen Iescha ex corruptione nominis Sarai, quae in antiqua scriptura facile fieri poterat, originem duxit. Cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.

IESEIAS in Vulgata est nomen (v. ISAIAS) duorum virorum.

1. Ieseias (יְשַׁעְיָה, Ἰεσίας, apud *Swete* B Ἰσαβά, A Ἰεσειά), vir ex posteris Zorobabel, secundum Vulgatam et LXX filius Phaltiae, secundum textum hebr. frater Phaltiae filii Hananiae (1 Par. 3,21).

2. Ieseias (1 Par. 25,3) v. IESAIA.

IESEMA (יִשְׁמָא; Ἰεσμάν, B Ῥαγμά, A Ἰεσμά), unus de stirpe Etam in genealogia Iuda (1 Par. 4,3); v. ETAM 3.

IESER (יֶצֶר; Ἰσσάαρ, Ἰεσέρ, Ἀσήρ), filius tertius Nephthali, progenitor Ieseritarum, qui in campestribus Moab inter cognationes Nephthali recensentur (Gen. 46,24; Num. 26,49; 1 Par. 7,13).

IESESI (יִשִׁישַׁי, Ἰσαί), unus ex maioribus Abihail principis tribus Gad (1 Par. 5,14).

IESHURUN (יְשֻׁרוּן) quod nomen LXX interpretantur ἠγαπημένον, Vulgata Deut. 32,15 dilectum, Deut. 33,5. 26; Ps. 44,1 rectissimum, est appellatio Israelis blanda et honorifica. Formam plerique volunt esse diminutivam vocis יָשָׁר, ita ut populus significetur bonus et frugi. Cf. *Knabenbauer,* Comment. in Is. 44,2 et *F. de Hummelauer,* Comment. in Deut. 32,15.

IESI (יִשְׁעִי). **1.** Vir de familia Hesron, filius Apphaim, pater Sesan (1 Par. 2, 31; LXX Ἰσεμιήλ).

2. Pater Zoheth in genealogia Iuda (1 Par. 4,20; LXX Σεί).

3. Quattuor filii Iesi cuiusdam : Phaltiam, Naariam, Raphaiam, Oziel cum viris quingentis de tribu Simeon expeditionem fecerunt in montem Seir, Amalecitas expulerunt et ibidem sedes suas fixerunt (1 Par. 4,42; LXX Ἰεσί).

4. Unus ex principibus cognationum Manasse ad orientem Iordanis (1 Par. 5,24; LXX Σεί).

IESIA, IESIAS (יִשִׁיָּה, יִשִׁיָּהוּ; Ἰεσία, Ἰησουνί, Ἰσία, Ἰεσίας). **1.** Princeps quidam in Issachar tempore Davidis (1 Par. 7,3).

2. Vir de posteris Core et socius David in Siceleg fugitivi (1 Par. 12,6).

3. Levita de genere Caath et familia Oziel tempore Davidis (1 Par. 23,20; 24,25).

4. Princeps familiae Rohobiae filii Eliezer filii Moysis (1 Par. 24,21); idem 1 Par. 26,25 in Vulgata vocatur Isaias (יְשַׁעְיָהוּ, Ἰωσίας).

5. Iesia (Esdr. 10,25) v. IEZIA.

IESIEL v. IASIEL 1.

IESIMON (הַיְשִׁימוֹן, ὁ Ἰεσσαιμός) 1

Reg. 23,24 non est nomen proprium loci vel deserti cuiusdam, ut Vulgata et LXX supponunt, sed appellativum (vide s. v. DESERTUM).

IESMACHIAS (יִסְמַכְיָהוּ, Σαμαχία), unus ex levitis, qui ab Ezechia rege primitiis et decimis templo votis praepositi sunt, quorum praefecti erant Chonenias et Semei fratres (2 Par. 31,13).

IESMAIAS (יִשְׁמַעְיָהוּ, Σαμαίας), filius Abdiae, princeps tribus Zabulon tempore Davidis (1 Par. 27,19).

IESPHA (יִשְׁפָּה, Σαφάν), filius Baria, Beniaminita (1 Par. 8,16).

IESPHAM (יִשְׁפָּן, Ἰσφάν), unus ex posteris Sesac de tribu Beniamin (1 Par. 8,22).

IESSE (Γεσέμ) terra (Iudith 1,9) v. GESSEN.

IESSE, alia forma nominis Isai (vide s. v.) patris David.

IESSUI (יִשְׁוִי, Ἰεούλ, Ἰεσού, Ἰσουί et 1 Reg. 14,49 Ἰεσσιούλ). **1.** Tertius filius Aser, progenitor Iessuitarum (Gen. 46, 17; Num. 26,44; 1 Par. 7,30).

2. Secundus filius Saul ex Achinoam (1 Reg. 14,49).

IESUA. 1. Iesua (יֵשׁוּעָה, Ἰεσσαί, Ἰεσουά, Ἰσουά), secundus filius Aser (Gen. 46,17; 1 Par. 7,30).

2. Iesua (יֵשִׁיעַ, Ἰησοῦς), sacerdos tempore Davidis, cui nona sors in ministerio Domini designata est (1 Par. 24,11).

3. Iesua (יֵשׁוּעַ, Ἰησοῦ), levita, qui cum Zorobabel ex captivitate rediit (Neh. 12,8); videtur ad illam familiam pertinere, de qua s. v. IOSUE 7.

IESUE (יֵשִׁיעַ). **1.** Levita tempore Ezechiae regis (2 Par. 31,15; LXX Ἰησοῦς).

2. Una ex urbibus, quae a filiis Iuda ex captivitate reducibus denuo incolebantur (Neh. 11,26; LXX Ἰησοῦ). Est ignota; sed quoniam una cum Molada, Hasersual, Bersabee enumeratur, quaerenda erit in meridiana plaga tribus Iuda. *Conder* suggerit *Khirbet S'awe* orientem versus a Bersabee (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 404. 409).

IESUS (Ἰησοῦς). **1.** Eo nomine appellatur imprimis Iosue Eccli. 46,1; 1 Mach. 2,55; 2 Mach. 12,15 (Vulg. h. l. Iosue); Act. 7,45; Hebr. 4,8 : « nam si eis Iesus requiem praestitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die »; vide s. v. IOSUE 1.

2. Iesus sacerdos magnus, filius Iosedec, qui Zorobabel quam maxime allaboravit, ut reduces ex exsilio templum Domini exstruerent. Nomen eius effertur Iesus apud Aggaeum et Zachariam prophetas in Vulgata, Iosue autem vocatur in libris Esdrae et Nehemiae (Esdr. 2,2; 3,2. 8; 4,3; 5,2; Neh. 7,7; 12,1). Vide IOSUE 2.

3. Eodem nomine vocatur quoque in textu graeco auctor libri Ecclesiastici : doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit (ἐχάραξα, scripsi) in codice isto Iesus filius Sirach Ierosolymita (Eccli. 50,29), quod idem in prologo ab eius nepote asseritur. Studio sapientiae deditus multa instituit itinera. Quando vixerit, ex prologo colligi debet, quae tamen indicia non sunt adeo certa, ut non plures opiniones sint propositae et quae 50,1-21 de Simone Oniae filio dicuntur, ab aliis referuntur ad priorem eius nominis sacerdotem magnum (310-291 a. Chr.), ab aliis ad alterum (219-199) : unde librum esse compositum alii circa an. 290 vel 280, alii c. 190 statuunt, quae ultima opinio praeferenda erit (cf. *Cornely*, Introd. *ed.* 2 II. 2 p. 251 s.), uti generatim a recentioribus praefertur; cf. *Knabenbauer*, Comm. in Eccli. p. 2 ss.

4. In genealogia Iesu Luc. 3,29 commemoratur Iesus quidam (ubi tamen longe plerique codices graeci ιωση praebent).

5. Inter Pauli socios recensetur Iesus cognomine Iustus, Iudaeus, quem Paulus dicit adiutorem suum in regno Dei i. e. in praedicatione evangelii et sibi fuisse solatio in priore captivitate romana (Col. 4,11).

IESUS CHRISTUS. 1. *Iesus, nomen proprium Christi.* Vox hebr. יֵשׁוּעַ est forma apocopata, tempore posteriore usitata pro pristina pleniore יְהוֹשֻׁעַ vel יְהוֹשֻׁעַ i. e. Iahwe est salus. Hoc nomen gerebat Iosue filius Nun, apud LXX Ἰησοῦς et in Vulgata quoque

interdum Iesus appellatus, de quo Eccli. 46,1. 2 : qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem electorum Dei (graece 46,1 : ὃς ἐγένετο κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ μέγας ἐπὶ σωτηρίᾳ ἐκλεκτῶν αὐτοῦ). Idem Iosue filius Nun Neh. 8,17 forma breviore יֵשׁוּעַ vocatur; simili modo Iosue (Iesus) pontifex, aequalis Zorobabelis, modo forma pleniore יְהוֹשֻׁעַ (Agg. 1,1. 12; Zach. 3,1; 6,11) modo breviore יֵשׁוּעַ (Esdr. 2,2; 3,2; Neh. 7,7. 39; 12,1. 10. 26) vocatur; quae nominis forma brevior posteriore tempore crebro viris indebatur. Est igitur nomen compositum ex appellatione apocopata יה = Iahwe et שׁוּעַ (יְשׁוּעָה et יֵשַׁע) = salus, liberatio, auxilium. Unde Philo rite exponit nomen Ἰησοῦς (Iosue) σωτηρία κυρίου (De nominum mutatione, § 21; Opera Philonis *ed. Pfeiffer* IV. 374) et Eusebius nomen Ἰωσουέ explicat Ἰαὼ σωτηρία i. e. Θεοῦ σωτήριον eandemque significationem nomini Iesu attribuit (Demonstr. ev. IV. in fine, apud *Migne* 22,333). Ex Graecis aliqui nomen explicarunt a voce ἰάομαι = sanare; ita Clemens Alex. (Paedag. 3,12 apud *Migne* 8,677) et S. Cyrillus Hieros. qui tamen addit significationem nominis ex hebraico esse σωτήρ (Catech. 10,13 apud *Migne* 33,677). Etiam S. Chrysostomus monet nomen non esse graecum sed hebraicum et significare σωτήρ (Hom. 2,2). Eadem nominis significatio declaratur ab angelo : ipse enim salvum faciet (σώσει, hebr. יֹשִׁיעַ in Hiph'il) populum suum a peccatis eorum (Matth. 1,21), qua explicatione munus Messiae Salvatoris nostri designatur. Nomen hoc ab ipso Deo electum et per angelum manifestatum est matri virgini (Luc. 1,31) eiusque sponso S. Iosepho (Matth. 1,21). Cf. *Knabenbauer* ad Matth. 1,21.

2. ***Filius hominis,*** quodammodo nomen proprium Christi.

Ipse Iesus plerumque se nominat filium hominis (septuagies octies in Evangeliis vel omissis locis parallelis quinquagies). A nullo autem ita vocatur, si Act. 7,55 exceperis, quo loco S. Stephanus alludens ad ipsa Christi verba Matth. 26,64 exclamat morti proximus : Ecce video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei.

Quod nomen ex Dan. 7,13. 14 petitum Messiam designat : « aspiciebam ergo in visione noctis et ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat et usque ad antiquum dierum pervenit et in conspectu eius obtulerunt eum et dedit ei potestatem et honorem et regnum et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna quae non auferetur et regnum eius quod non corrumpetur ». Ad quem locum notat *Knabenbauer :* « Hic Messiam induci ex iis quae alii prophetae iam ante Danielem tradiderunt dubium esse nequit. Ei enim soli praeter Iahwe gentes dantur in hereditatem; ei soli regnum et potestas in orbem universum adscribitur (cf. Gen. 49,10; Ps. 2,6; 44,5 s.; 71, 1 s.; Is. 11,10; 49,6; 53,11. 12; Ier. 23, 5; 30,21; Ez. 34,23; Mich. 5,4 s. etc.). Hic vero nobis proponitur quasi *filius hominis*, cernitur in natura humana, quam postmodum assumpturus erat... Venit cum nubibus caeli i. e. eo modo quo Deus ipse in s. litteris apparere dicitur, quo Israelitas ab Aegyptiis defendit, in montem Sinai descendit, in tabernaculo suam ostendit praesentiam, in templo se manifestâvit, in psalmis tamquam orbis terrarum dominus ac iudex describitur... ex quibus locis apparet venire cum nubibus caeli attribui divinitati, cum in sacris litteris toties apparitio Dei in nube fieri dicatur. Unde is, qui quasi filius hominis venire dicitur, simul uti in natura humana nobis ostenditur, ita in natura quoque divina clare exhibetur... Hoc nostro loco non describitur eius ad iudicium adventus, sed quomodo angelorum comitatu magnifico cum pompa adducatur ad Deum Patrem, qui inimicis devictis ei tradit regnum plane gloriosum ».

Ad hoc vaticinium danielicum Christus verbis explicitis nos remittit Ioan. 5,27 : et (Pater) potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.

Ad idem vaticinium danielicum clare alludit Christus respondens Caiphae : amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli (Matth. 26,64); eodem

modo se ad iudicium ultimum venturum esse praedicit (Matth. 24,30; Marc. 13, 26; cf. Apoc. 1,7). Quo nomine satis declaravit scribis et Pharisaeis, quis esset; abstinebat autem se vocare Messiam propter falsas illas populi opiniones et exspectationes de Messia; unde etiam prohibuit apostolis, ne dicerent plebi se esse Messiam. Christus igitur, sicuti ex una parte ea agit et dicit, quae non poterant convenire nisi in Messiam, ex altera parte tamen non aperte se profitetur Messiam, ita nomen Filii hominis sibi quodammodo proprium attribuit, quod, quamvis dignitatem Messiae significaret iis, qui vaticinium danielicum perspectum haberent, tamen eam enuntiabat modo non omnibus aperto.

De Filio hominis cf. Zeitschr. f. kath. Theol. XVI. 1892 p. 569; Revue bibl. IX. 1900 p. 172 s.

3. *Divinitas Christi.* Iesum Christum esse verum Filium Dei et verum Deum iam indicatur in Vetere Testamento, clare proponitur a scriptoribus Novi Testamenti, maxime a S. Paulo, consilio propugnatur a S. Ioanne. Plenior igitur huius doctrinae evolutio in sacris libris admittenda est.

In psalmis dicitur Messias (vide s. v.) ab aeterno a Deo genitus (Ps. 2,7; cf. Hebr. 1,5), sedens a dextris Dei ipse Deus (Ps. 44,7. 8 et cf. Hebr. 1,8; Ps. 109,1. 3 et cf. Matth. 22,41 ss.).

In libris sapientialibus describitur Sapientia increata ut persona divina ab alia persona divina orta et distincta Prov. 8,22 ss.; Sap. 7,21 ss.; Eccli. 24. Sapientiam, de qua locis citatis sermo est, esse Christum patet ex Ioan. 1,1 ss. et Hebr. 1,3.

In libris propheticis Messias promissus saepe vocatur Deus : Is. 7,14 et 9,6 (cf. Matth. 1,23); Is. 35,4; 40,3. 10 (cf. Marc. 1,3); Mich. 5,2 (cf. Matth. 2,6); Zach. 12,10; 13,7; Mal. 3,1 (cf. Matth. 11,10).

In evangeliis synopticis divinitas Iesu Christi clare enuntiatur. Evangelistae synoptici ad Christum applicant textus Veteris Testamenti, quibus Messias dicitur Deus (cf. Matth. 1,23; 2,6; Marc. 1, 2; Luc. 7,27); loquuntur de divinitate Christi ut de re nota; exhibent Christum opponentem se omnibus creaturis tamquam perfectionibus excellentioribus instructum et intime cum Deo coniunctum, cui soli intima Patris cognitio est naturalis, sicut soli Patri naturalis est intima Filii cognitio (Matth. 11,27; Luc. 10,22). Ex narratione Matth. 16, 13 ss. colligitur Christum esse altiorem omnibus prophetis, esse Filium Dei vivi, posse dare claves regni caelorum atque ex divina tantum revelatione sciri posse, quis sit. Nullus prophetarum talem cultum sibi postulavit, qualem Christus (Matth. 10,37; Luc. 14,26). Christus mittit apostolos ad baptizandum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, profitetur sibi datam esse omnem potestatem in caelo et in terra, se futurum esse cum ecclesia sua usque ad consummationem saeculi (Matth. 28,18 ss.; cf. Marc. 16,15 ss.), se missurum esse angelos et venturum in nubibus caeli ad iudicium universale (Matth. 24,30 ss.). Christus est Filius Dei altiore sensu quam reliqui prophetarum, ut ex parabola de infidelibus agricolis elucet (Matth. 21,23; Marc. 12,6; Luc. 10,9); est Filius Dei eo sensu, quo nullus homo ex Iudaeorum iudicio sine blasphemia se Filium Dei profiteri poterat (Matth. 26,64; Marc. 14, 61; Luc. 22,70); est Filius Dei naturalis, cui Pater caelestis testimonium exhibet : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui (Matth. 3,17; 17,5; Marc. 1,11; 9,6; Luc. 3,22; 9,35).

In Actibus apostolorum Christus praedicatur Filius Dei (8,37), in cuius virtute patrantur miracula (3,6), in cuius nomine baptisma confertur (2,38; 8,16; 10,48), in quem credere debet, qui vult salvus fieri (16,31), cui omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum (10,43), qui sua auctoritate apostolos constituit (26,16 s.) eisque praecipit praedicare populo et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum (10,42).

In epistulis S. Pauli divinitas Iesu Christi passim nota supponitur et speciatim in epistula ad Hebraeos de industria docetur. Christus ut Dei Filius iam exsistebat, antequam in hunc mundum

venisset (Rom. 8,3); semper erat et est « super omnia Deus benedictus in saecula » (Rom. 9,5 et cf. *Cornely* ad h. l.). Christo utpote Deo tota vita dedicanda et ratio actionum nostrarum reddenda est (Rom. 14,6 ss.). In nomine Iesu flectitur omne genu caelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris (Phil. 2,10. 11). Christus est Iahwe, qui Israelitas duxit per desertum, eis aquam e petra largitus eorumque diffidentia tentatus est. Christus quasi nomine proprio vocatur ὁ κύριος, quod nomen est usitata versio graeca tetragrammati, quo appellabatur Deus foederis; Christus Dominus est Deus novi foederis. « Unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia » (1 Cor. 8,6). « Qui cum in forma Dei esset [i. e. eiusdem naturae ac Deus] non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo » (Phil. 2,6). Eidem Christo etiam summos angelos esse subiectos inculcat apostolus in epistula ad Colossenses (1,15. 16. 17; 2,8. 9. 10. 18). In epistula denique ad Hebraeos S. Paulus praeclare demonstrat Iesu Christi excellentiam prae Moyse ac prae ipsis angelis eiusque cum Deo consubstantialitatem et coaeternitatem (Hebr. 1,1 ss.; 3,2 ss.; 5,5; 13,8). — Haec igitur est magna dignitas religionis christianae, quod ipsum Deum incarnatum habet fundatorem (Tit. 2,11-13; cf. 3,4).

S. Ioannes in conscribendis evangelio, apocalypsi, epistulis divinitatem Iesu Christi docet contra eos, qui « ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum ... quoniam omne mendacium ex veritate non est. Quis est mendax nisi is, qui negat, quoniam Iesus est Christus [i. e. Messias et Deus]? Hic est antichristus, qui negat Patrem et Filium... Et omnis spiritus, qui solvit Iesum [i. e. non confitetur eum esse Deum], ex Deo non est... Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo » (1 Io. 2,19. 21. 22; 4,3. 15). Christus enim est ipsa « vita aeterna, quae erat apud Patrem et apparuit nobis » (1 Io. 1,2). Integrum evangelium S. Ioannis in eum finem dirigitur, ut praeprimis Iesu messianitas ac divinitas demonstretur ac fides in Iesum tamquam in Christum et Dei Filium necessaria praedicetur (cf. *Cornely*, Introd. *ed.* 2 III. n. 63). In apocalypsi denique « vix unam pericopen inveniemus, quae divinitatem Domini N. Iesu Christi nobis non magnifice revelet... Apocalypsis Filium Dei nobis ostendit exaltatum, cui datum est nomen, quod est supra omne nomen... Evangeliorum est complementum... est canticum triumphale atque nuptiale Christi post victoriam de omnibus hostibus nuptias cum sponsa sua Ecclesia celebrantis » (*Cornely* l. c. n. 250).

De divinitate Christi cf. *Chr. Pesch*, Praelectiones dogmaticae T. IV. *ed.* 2, num. 8-23 : Argumentum ex S. Scriptura.

4. *Vita Iesu Christi* chronologice disposita secundum quattuor evangelia.

Christi nativitas et infantia.

Inscriptio evangelii Marc. 1,1.

Praefatio Lucae evangelistae Luc. 1, 1-4.

Prooemium de Verbo aeterno et mysterio incarnationis Io. 1,1-18.

Genealogia Iesu Christi Matth. 1,1-17; Luc. 2,23-38.

Annunciatio et conceptio S. Ioannis Baptistae (anno 747 u. c. = 7 ante aer. Dion.) Luc. 1,5-25.

Annunciatio et incarnatio Verbi aeterni (anno 748 u. c. = 6 ante aer. Dion.) Luc. 1,26-38; Matth. 1,18.

B. Virgo Maria invisit Elisabeth Luc. 1,39-56.

Nativitas S. Ioannis Baptistae (anno 748 u. c. = 6 ante aer. Dion.) Luc. 1, 57-80.

Haesitatio S. Ioseph de accipienda Maria coniuge sua Matth. 1,19-24

Iter S. Ioseph et B. Virginis Mariae in Bethlehem Luc. 2,1-5.

Nativitas Iesu Christi (anno 748 u. c. = 6 ante aer. Dion.) Luc. 2,6. 7; Matth. 1,25.

Pastores ad Christi praesepe vocantur Luc. 2,8-20.

Christus circumciditur et Iesus vocatur Luc. 2,21; Matth. 1,25.

Praesentatio Iesu in templo et purificatio B. Virginis Mariae Luc. 2,22-38.

S. Familia proficiscitur Nazareth (indeque rebus compositis revertitur Bethlehem, ut ibi sedem figat) Luc. 2,39.

Magi Iesum adorant (anno 749 u. c. = 5 ante aer. Dion.) Matth. 2,1-12.

Fuga Iesu in Aegyptum et caedes puerorum Matth. 2,13-18.

Mors Herodis Magni et reditus ex Aegypto (anno 750 u. c. = 4 ante aer. Dion.) Matth. 2,19-22.

S. Familia sedem suam figit in Nazareth Matth. 2,23. Iesus in Nazareth occultam vitam agit; duodecim annos natus cum parentibus suis Hierosolyma ascendit ad pascha celebrandum Luc. 2, 40-52.

Praeparatio ad vitam publicam.

Anno 15. Tiberii Caesaris i. e. exeunte anno 778 u. c. S. Ioannes Baptista poenitentiam praedicare et Christum mox venturum annuntiare coepit Luc. 3,1-18; Marc. 1,2-8; Matth. 3,1-12.

Iesus baptizatur Luc. 3,21. 22; Marc. 1,9-11; Matth. 3,13-17.

Iesus in deserto ieiunat et a diabolo tentatur Luc. 4,1-13; Marc. 1,12. 13; Matth. 4,1-11.

Iudaei legationem ad Ioannem Baptistam mittunt Io. 1,19-28.

Vita publica usque ad primum pascha.

Iesus a S. Ioanne Baptista demonstratur Agnus Dei, primos discipulos vocat, in Galilaeam revertitur Io. 1,29-51.

Iesus in Cana Galilaeae primum miraculum facit Io. 2,1-11.

Descendit Capharnaum ibique paucis diebus manet Io. 2,12.

A primo paschate usque ad secundum.

Iesus Ierosolyma ascendit ad pascha Io. 2,13.

Negotiatores e templo eiicit Io. 2, 14-25.

Nicodemum nocte ad se venientem docet Io. 3,1-21.

Hierosolymis egressus in Iudaea per discipulos baptizat; qua de re conquerentibus Ioannis Baptistae discipulis ille iterum de Christo testimonium reddit. Ioannes B. ab Herode (Antipa) in vincula coniicitur, Iesus relicta Iudaea in Galilaeam proficiscitur Io. 3,22-36; 4,1-3; Luc. 3,19. 20; 4,14; Marc. 1,14; Matth. 4,12.

Transiens per Samariam convertit mulierem, praedicit discipulis divitem segetem inter ethnicos, in Galilaea secundum miraculum patrat sanans filium reguli capharnaumitae Io. 4,4-54.

Incipit ministerium galilaicum Luc. 4, 14. 15; Marc. 1,14. 15. Docet in synagoga nazarethana Luc. 4,16-30.

Eligit sibi Capharnaum domicilium Luc. 4,31. 32; Marc. 1,21; Matth. 4, 13-17.

Simonem et Andream, Iacobum et Ioannem ad continuam suam sequelam vocat Marc. 1,16-20; Matth. 4,18-22.

Sabbato in synagoga Capharnaum eiicit spiritum immundum Luc. 4,33-37; Marc. 1,21-28. Eodem die socrum Simonis Petri sanat Luc. 4,38. 39; Marc. 1,29-31; Matth. 8,14. 15. Vespere eiusdem diei multos infirmos curat Luc. 4, 40. 41; Marc. 1,32-34; Matth. 8,16. 17.

Postero die totam Galilaeam peragrare incipit docens et signa faciens Luc. 4,42-44; Marc. 1,35-39; Matth. 4,23. 24.

De navi Simonis turbas docet Luc. 5, 1-3. Discipuli post miraculosam in lacu Genesareth piscationem Iesum constanter sequuntur Luc. 5,4-11.

Sanat leprosum quendam Luc. 5,12-16; Marc. 1,40-45; Matth. 8,2-4.

Capharnaum reversus sanat paralyticum per tectum demissum Luc. 5,17-26; Marc. 2,1-12; Matth. 9,1-8.

Vocat Matthaeum (Levi Alphaei) et in eius domo convivio interest Luc. 5,27-39; Marc. 2,13-22; Matth. 9,9-13.

A secundo paschate usque ad tertium.

Iesus Hierosolyma ascendit ad pascha, sabbato hebdomadis festivae sanat aegrotum ad probaticam piscinam iacentem, se Filium Dei profitetur, provocat ad testimonia S. Ioannis Baptistae, miraculorum suorum, Patris sui Io. 5, 1-47.

Reversus in Galilaeam discipulos sabbato spicas vellentes contra Pharisaeos

defendit Luc. 6,1-5; Marc. 2,23-28; Matth. 12,1-8.

Curat manum aridam sabbato, quo miraculo odium Pharisaeorum et Herodianorum auget, quare comitantibus turbis ad mare Tiberiadis secedit Luc. 6, 6-11; Marc. 3,1-12; Matth. 12,9-21 et cf. 4,25.

Eligit duodecim apostolos Luc. 6,12-16; Marc. 3,13-19; Matth. 10,2-4.

Sermonem in planitie montana ad apostolos et ad turbas habet Luc. 6,17-49; Matth. 5,1-7,29.

Capharnaum reversus servum centurionis sanat Luc. 7,1-10; Matth. 8,1. 5-13.

Civitatem Naim ingrediens iuvenem mortuum excitat Luc. 7,11-17.

Quibus de rebus Ioannes Baptista in carcere certior factus legationem ad Christum mittit Luc. 7,18-23; Matth. 11,2-6.

Iesus Ioannis Baptistae laudes praedicat, eius testimonium respuentes vituperat Luc. 7,24-35; Matth. 11,7-19.

Mulieri peccatrici in domo Simonis Pharisaei peccata remittit Luc. 7,36-50.

Galilaeam peragrans cum discipulis et ministrantibus mulieribus proponit parabolas de seminante, de semine germinante, de zizaniis, de grano sinapis, de fermento, de thesauro abscondito, de pretiosa margarita, de sagena missa in mare aliasque multas Luc. 8,1-18; Marc. 4,1-34; Matth. 13,1-52.

Cum turbas doceret, veniunt mater et fratres eius quaerentes loqui ei Luc. 8, 19-21; Marc. 3,31-35; Matth. 12,46-50.

Transfretans Iesus procellam sedat Luc. 8,22-25; Marc. 4,35-40; Matth. 8,18. 23-27.

In regione Gerasenorum duos homines a daemonibus liberat Luc. 8,26-39; Marc. 5,1-20; Matth. 8,28-34.

Capharnaum reversus discipulos Ioannis Baptistae de ieiunio interrogantes edocet, a Iairo vocatus mulierem haemorrhoissam sanat et filiam Iairi a mortuis excitat, duobus caecis visum restituit, daemoniacum mutum sanat Luc. 8,40-56; Marc. 5,21-43; Matth. 9,1. 14-34.

Iesus iterum venit in patriam suam Marc. 6,1-6; Matth. 13,53-58.

Peragrat castella Galilaeae Marc. 6,6; Matth. 9,35-38.

Apostolos ad praedicandum mittit Luc. 9,1-6; Marc. 6,7-13; Matth. 10,1. 5-14.

Herodes Antipas, qui paulo ante occiderat Ioannem Baptistam, audiens de miraculis Christi timet, ne Ioannes a mortuis resurrexerit Luc. 7,7-9; Marc. 6,14-29; Matth. 14,1-12.

Apostoli a prima missione redeunt, Iesus cum eis transfretavit Bethsaidam Io. 6,1; Luc. 9,10; Marc. 6,30-32; Matth. 14,13.

Iesus magnam turbam, quae eum trans lacum Genesareth secuta erat, quinque panibus saturat, discipulos navim conscendere iubet, parte noctis in oratione peracta supra mare ambulans ad eos venit et cum eis Capharnaum redit Io. 6,2-21; Luc. 9,11-17; Marc. 6, 32-53; Matth. 14,13-34.

Turbis ipsum secutis sequenti die in synagoga capharnaumitana sermonem habet de pane vitae et panem eucharisticum promittit Io. 6,22-72.

A tertio paschate usque ad scenopegiam.

Iesus in Galilaea manens et terram Genesareth perambulans multos sanat Io. 7,1; Marc. 6,54-56; Matth. 14,35. 36.

Pharisaeos hierosolymitanos, qui discipulos Iesu ob non observatas traditiones vituperarunt, increpat et discipulos de iisdem edocet Marc. 7,1-23; Matth. 15,1-20.

In Phoeniciam profectus sanat filiam daemoniacam mulieris syrophoenissae Marc. 7,24-30; Matth. 15,21-28.

Inde in Decapolim iuxta lacum Tiberiadis regressus sanat surdo-mutum Marc. 7,31-37.

Prope lacum Genesareth, postquam multos aegrotos sanavit, altera vice panes multiplicat Marc. 8,1-9; Matth. 15,29-38.

Inde navi in fines Magedan prope Dalmanutham abiens Pharisaeis signum petentibus signum Ionae datum iri praenuntiat et discipulos monet, ut sibi a Pharisaeis et Sadducaeis caveant Marc. 8,10-21; Matth. 15,39; 16,1-12.

Bethsaidam appulsus caeco visum restituit Marc. 8,22-26.

Exinde Caesaream Philippi veniens Petro Christum Dei Filium profitenti primatum Ecclesiae promittit, passionem suam prima vice praedicit, necessitatem abnegationis inculcat Luc. 9,18-27; Marc. 8,27-39; Matth. 16,13-28; 10,38. 39.

Post sex dies Iesus in monte transfiguratur Luc. 9,28-36; Marc. 9,2-12; Matth. 17,1-13.

De monte descendens sanat puerum daemoniacum et passionem suam iterum praedicit Luc. 9,37-45; Marc. 9,13-31; Matth. 17,14-22.

Capharnaum reversus solvit didrachma Matth. 17,23-26.

Discipulos, qui in via inter se contenderant, quis eorum esset maior, domi corripit et Ioannis zelotypiam reprimit, monet vitandum scandalum Luc. 9,46-50; Marc. 9,32-49; Matth. 18,1-14.

A scenopegia tertii anni usque ad encaenia.

Iesus cum cognatis ad festum scenopegiae Hierosolyma ascendere recusat, sed mox relicta Galilaea in Iudaeam proficiscitur, a Samaritanis hospitio non excipitur Io. 7,2-10; Luc. 9,51-56; Marc. 10,1; Matth. 19,1.

Exponit conditiones suae sequelae quibusdam ipsum sequi volentibus Luc. 9,57-62; Matth. 8,19-22.

Eligit septuaginta duos discipulos, qui ipsi viam parent, obstinatis civitatibus comminatur, reversis discipulis Patrem glorificat Luc. 10,1-24; Matth. 10,15. 16. 40-42; 11,20-30.

Legisperitum tentantem docet mandatum magnum dilectionis eique parabolam boni Samaritani proponit Luc. 10, 25-37.

Bethaniae a Martha et Maria hospitio excipitur Luc. 10,38-42.

Mediante festo Iesus in templum ascendit et publice docet Io. 7,11-36; ultimo die festo scenopegiae se populo manifestat Io. 7,37-53.

Postero die mulierem adulteram absolvit Io. 8,1-11.

Post festum scenopegiae in templo divinam suam originem dignitatemque profitetur Io. 8,12-59; caecum a nativitate sabbato sanat Io. 9,1-41; verum pastorem se esse declarat Io. 10,1-21.

Iesus discipulos suos orare docet Luc. 11,1-13; Matth. 6,9-13; 7,7-11.

Eiecto daemonio muto confutat Pharisaeos calumniantes et signum postulantes Luc. 11,14-36; Matth. 12,22-45.

Invitatus a Pharisaeo vituperat hypocrisin Pharisaeorum et scribarum Luc. 11,37-54.

Iudaeam peragrans varia praecepta monitaque discipulis tradit Luc. 12,1-53; Matth. 10,26-33; 6,25-34; 6,19-21; 24, 43-51; 10,34-36; turbas exhortatur ut poenitentiam agant Luc. 12,54-59; 13, 1-9.

Sabbato in synagoga sanat mulierem incurvatam Luc. 13,10-17.

Parabolis de grano sinapis et fermento illustrat naturam regni Dei Luc. 13,18-21; Marc. 4,30-32; Matth. 13,31-33.

Revertitur Hierosolyma Luc. 13,22.

Ab encaeniis usque ad hebdomadem passionis.

Tempore encaeniorum in templo aperte Filium Dei se dicit Io. 10,22-39.

Secedens in Peraeam Io. 10,40-42 Israelitas reiiciendos, gentes vocandas esse praedicit et Pharisaeis perfidis suam quidem mortem, at simul urbis Ierusalem eversionem praedicit Luc. 13,23-35.

Sabbato sanat hydropicum in domo cuiusdam principis Pharisaeorum, invitatos docet humilitatem, iisdem parabolam coenae magnae proponit Luc. 14, 1-24.

Discedens docet eos, qui ipsum sequuntur, omnia esse relinquenda, proponit parabolas de aedificaturo turrim et de rege bellum paraturo Luc. 14,25-35; murmurantibus Pharisaeis de peccatoribus bene receptis proponit parabolas de ove perdita, de drachma amissa, de filio prodigo Luc. 15,1-32.

Discipulis proponit parabolam de villico iniusto, Pharisaeis illudentibus parabolam de pauperе Lazaro et divite in gehennam eiecto Luc. 16,1-31.

Docet discipulos quomodo scandala vitanda et proximus corrigendus iisdemque tradit potestatem solvendi et ligandi Luc. 17,1-4; Matth. 18,15-22.

Quomodo aliis ignoscendum sit, ostendit parabola de rege cum servis suis rationem ineunte Matth. 18,23-35.

Apostolos docet fidei efficaciam eisque parabolam servi arantis proponit Luc. 17,5-10.

Relicta Peraea Iudaeam petit, Lazarum a mortuis excitat, in oppidum Ephrem se recipit Io. 11,1-54.

Inde per Samariam, Galilaeam (et Peraeam) longo circuitu proficiscitur Hierosolyma Luc. 17,11; in itinere sanat decem leprosos, ex quibus unus Samaritanus Luc. 17,12-19; docet inopinatum fore adventum regni Dei Luc. 17,20-37; commendat orationem perseverantem parabola de iudice iniusto, orationem humilem parabola de pharisaeo et publicano Luc. 18,1-14.

Trans Iordanem in fines Iudaeae veniens docet indissolubilitatem matrimonii et commendat virginitatem Marc. 10,1-12; Matth. 19,1-12; 5,31. 32; benedicit infantibus sibi oblatis Luc. 18, 15-17; Marc. 10,13-16; Matth. 19,13-15; iuveni diviti paupertatem commendat Luc. 18,18-23; Marc. 10,17-22; Matth. 19,16-22; exponit pericula divitiarum, bona voluntariae paupertatis Luc. 18, 24-30; Marc. 10,23-31; Matth. 19,23-30; proponit parabolam operariorum in vinea laborantium Matth. 20,1-16.

Tertia vice praedicit passionem proxime futuram Luc. 18,31-34; Marc. 10, 32-34; Matth. 20,17-19; respondet petitioni matris filiorum Zebedaei Marc. 10, 35-45; Matth. 20,20-28.

Urbem Iericho ingrediens sanat caecum Luc. 18,35-43; Zachaeum publicanum invisit et parabolam de domino servis suis decem mnas distribuente narrat Luc. 19,1-28; egrediens e Iericho duos caecos sanat Marc. 10,46-52; Matth. 20,29-34.

Hebdomas passionis.

Sexto die ante pascha (i. e. feria sexta) Iesus Bethaniam venit et (sabbato) in domo Simonis leprosi inter coenam a Maria ungitur Io. 11,55. 56; 12,1-11; Marc. 14,3-9; Matth. 26,6-13.

Bethania profectus Iesus die Dominica sollemni pompa urbem et templum ingreditur, miracula patrat, sacerdotes iratos increpat, Bethaniam revertitur Io. 12,12-19; Luc. 19,29-44; Marc. 11,1-11; Matth. 21,1-11. 14-17.

Mane (feria secunda) ad templum revertens in via maledicit ficui sterili, in templo vendentes et ementes eiicit ibique docet, vespere e civitate egreditur (revertitur Bethaniam) Luc. 19,45-48; Marc. 11,12-19; Matth. 12,18. 19. 12. 13.

Revertens (feria tertia) ad templum discipulos efficaciam fidei docet a ficu arefacta Marc. 11,20-26; Matth. 21,19-22. Templum ingressus et interrogatus, qua potestate (heri) egerit, respondet alia interrogatione de missione Ioannis Baptistae ac narrat parabolas de filio obediente et inobediente, de vinitoribus filium domini sui occidentibus, de coena nuptiali Luc. 20,1-19; Marc. 11,27-30; 12,1-12; Matth. 21,23-46; 22, 1-14. Confundit Pharisaeos et Herodianos interrogantes liceatne Caesari tributum solvere, Sadducaeos de resurrectione interrogantes, respondet scribae tentanti eum de primo mandato legis, opponit quaestionem de Messia Davidis filio et Domino, Pharisaeos et scribas carpit, laudat munus a paupere vidua oblatum Luc. 20,20-47; 21,1-4; Marc. 12,13-44; Matth. 22,15-46; 23,1-39. Gentilibus eum videre cupientibus clarificatur voce de caelo delapsa et mortem suam brevi futuram praedicit Io. 12,20-36. Iudaeis incredulis Io. 12, 37-50 relictis egressus e civitate praedicit eversionem urbis et finem mundi, proponit parabolas de decem virginibus et de talentis, praenuntiat sententiam iudicis aeterni Luc. 21,5-36; Marc. 13,1-37; Matth. 24,1-51; 25,1-46. Eadem die principes sacerdotum et magistratus consilium inierunt, ut Iesum dolo tenerent et Iudas cum ipsis paciscitur Luc. 22,1-6; Marc. 14,1. 2. 10. 11; Matth. 26, 1-5. 14-16. Iesus vero abiit et abscondit se ab eis Io. 12,36.

Mane (feria quinta) Iesus mittit Petrum et Ioannem, ut coenam paschalem praeparent Luc. 22,7-13; Marc. 14,12-16; Matth. 26,15-29. Vespere cum discipulis coenae accumbit Io. 13,1-38; 14,1-31; Luc. 22,14-18. 21-34; Marc. 14,17-21; Matth. 26,20-25. Post discessum Iudae finita coena Iesus instituit SS.

Eucharistiam Luc. 22,19. 20; Marc. 14, 22-25; Matth. 26,26-29, adimgit longiorem exhortationem et sublimem illam orationem pro discipulis omnibusque fidelibus Io. 15,1-17,26. Exit cum discipulis ad hortum Gethsemani, orat in agonia, osculo Iudae proditur, captus ducitur ad Annam et Caipham, negatur a Petro, a satellitibus illuditur Io. 18,1-27; Luc. 22,35-65; Marc. 14,26-54. 65-72; Matth. 26,30-58. 67-75.

Mane (feria sexta) Iesus a Caipha et synedrio condemnatur Luc. 22,66-71; Marc. 14,55-64; Matth. 26,59-66. Adducitur ad Pilatum Io. 18,28; Luc. 23,1; Marc. 15,1; Matth. 27,1. 2. Iudas desperat Matth. 27,3-10. Iesus coram Pilato accusatur Io. 18,29-38; Luc. 23,2. 3; Marc. 15,2-5; Matth. 27,11-14; ad Herodem mittitur Luc. 23,4-12; reversus ad Pilatum Barabbae postponitur Io. 18,39. 40; Luc. 23,13-23; Marc. 15,6-15; Matth. 27,15-26; flagellatur, spinis coronatur, tumultuantibus Iudaeis crucifigendus traditur Io. 19,1-16; Luc. 23,24. 25; Marc. 15,16-19; Matth. 27,26-30. Educitur in montem Calvariae et medius inter duos latrones crucifigitur titulo cruci infixo Io. 19,16-22; Luc. 23,26-33. 38; Marc. 15,20-23. 25-28; Matth. 27,31-34. 37. 38. In cruce blasphematur, septem verba proloquitur, exspirat Io. 19,23-30; Luc. 23,34-37. 39-46; Marc. 15,24. 29-37; Matth. 27,35. 39-50. Fiunt signa, latronum crura frangunturr, Iesu Christi latus lancea aperitur, corpus sepelitur Io. 19,31-42; Luc. 23,45. 47-56; Marc. 15,38-47; Matth. 27,51-61.

Sabbato inchoato pharisaei sepulcrum Christi obsignant et militibus custodiunt Matth. 27,62-66. Mulieres, quae paraverant aromata (ante inchoatum sabbatum), sabbato siluerunt secundum mandatum Luc. 23,56. Post solis occasum Maria Magdalene aliaeque mulieres emunt aromata Marc. 16,1.

Iesu Christi resurrectio et ascensio.

Die Dominica valde diluculo eunt mulieres ad sepulcrum Io. 20,1; Luc. 24,1; Marc. 16,1; Matth. 28,1. Interim terrae motus factus est et angelus revolvit lapidem a monumento Matth. 28,2-4. Maria Magdalene videns lapidem revolutum et sepulcrum vacuum properat ad Petrum et Ioannem Io. 20,2. Mulieres ab angelis docentur factam resurrectionem, regressae ob timorem silent per aliquod tempus, postea referunt discipulis, qui non credunt. Luc. 24,2-11; Marc. 16,3-8; Matth. 28,5-8. Interea Petrus et Ioannes a Maria Magdalene accersiti accurrunt et rem inveniunt, sicut mulieres dixerant Io. 20,3-10; Luc. 24,12. Revertentibus illis Maria Magdalene remanet et Iesus ei apparet Io. 20, 11-18; Marc. 16,9-11; reliquis quoque mulieribus sese ostendit in via Matth. 28,9-10. Custodibus pecunia datur, ut mentiantur Matth. 28,11-15. Apparet Iesus duobus discipulis in Emmaus euntibus Luc. 24,13-34; Marc. 16,12. 13; Petro soli Luc. 24,35; vespere congregatis discipulis excepto Thoma Io. 20,19-25; Luc. 24,36-43; die Dominica sequente congregatis discipulis cum Thoma Io. 20,26-29.

In Galilaeam profectis apparet in monte et confert missionem in universam terram Matth. 28,16-20; Petro, Ioanni et Iacobo filiis Zebedaei, Thomae Didymo, Nathanaeli et duobus aliis apparet ad lacum Genesareth et Petro primatum confert Io. 21,1-24. Etiam visus est plus quam quingentis fratribus simul, deinde Iacobo minori 1 Cor. 15,6. 7. Reversis Hierosolyma promittit dona Spiritus Sancti Marc. 16,14-18; commendat ut Hierosolymis maneant usque ad adventum Spiritus Sancti Luc. 24,44-49; Act. 1,4. 5. Educit discipulos in montem Oliveti iisque benedicens ascendit in caelum Luc. 24,50. 51; Marc. 16,19; Act. 1,3. 6-12.

Discipuli Ierosolymis se praeparant ad adventum Spiritus Sancti Luc. 24,52. 53; Matthias apostolus eligitur Act. 1,13-26. Accepto Spiritu Sancto Act. 2,1 ss. profecti praedicaverunt ubique Marc. 16,20.

Multa alia fecit Iesus, quae scripta non sunt Io. 20,30; 21,25.

IETA v. IOTA.

IETEBA (יָטְבָה, Ἰετέβα), patria Messalemeth uxoris Manasse et matris Amon regum Iuda (4 Reg. 21,19). Apud


Porta Herodis
Agrippae
BEZETHA
BETHZECHA?
Via hodierna Jericho versus
Bethsaida
Bethesda
Birket Sitti Maryam
Ecclesia S. Annae
Aaeductus
Birket Isrâ'in
Turris Hananeel
Turris Mea (Emath)
Bira Antonia
Manassis
Porta Gregis
Coenaculum angoli
Porta Judaeis
Struthion piscina
Tyropoeon
Qubbet el-Sakhra (Dodekapylon?)
MORIA
TEMPLUM
Pharurim
Pons
el-Kâs
MELLO?
Porta equorum
Palatium regium
Turris magna
Porta triplex
Xystus



E. Guillot, del. sc. Paris. P. LETHIELLEUX, Editor. Paris. Imp. Dufrénoy. Paris

Flavium Iosephum (Ant. X. 3,2) Ἰαζαβάτη *ed. Niese;* apud S. Hieronymum : urbs antiqua Iudaeae (Onom. *ed. Lag.* 134,30). *Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 s. v. suggerit *Yetma* 7 km a *Seilūn* (Silo) aquilonem versus. Non est confundenda cum Ietebatha statione Israelitarum, ut vult *Guthe* (Bibelwb. p. 336). Cf. *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien zum III. u. IV. B. d. Könige 1904 p. 324.

IETEBATHA (יִטְבָתָה, Ἐτεβαδά), statio Israelitarum inter Gadgad et Hebrona (Num. 33,33. 34), in terra aquarum atque torrentium (Deut. 10,7). Ex enumeratione quaeri debet septemtrionem versus ab Asiongaber. Situs ignoratur; descriptio illa Deut. 10,7 : « in terra fluviorum aquarum » pluribus convenit locis in occidentali parte *Wādi ʿAraba*, ubicunque aliae valles laterales cum *Wādi ʿAraba* iunguntur. Apud *Relandum* (Palaestina p. 533) Ἰωτάβη recensetur sedes episcopalis una cum Elusa, Gaza, Petra.

IETH v. IAHATH 1.

IETHELA (יִתְלָה, Σιλαθά, Onom. *ed. Lag.* Ἰεδλάν), urbs tribus Dan (Ios. 19,42). Fortasse *Beit Tūl* prope *Yālō* (Aialon) Ierusalem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 43). Alii (*Knobel, Keil*) nomen antiquum conservari putarunt in *Wādi ʿAtalla* occidentem versus a *Yālō*.

IETHER (יִתֶר, Ἰεθέρ). **1.** Primogenitus filius Gedeonis (Iud. 8,20); postquam Gedeon Madianitas devicit et urbes transiordanicas Soccoth et Phanuel ob iniuriam sibi illatam punivit, Iether a patre suo iussus est gladio percutere Zebee et Salmana captivos reges Madianitarum; sed exhortationi patris obsecundare non ausus est prae timore, quia adhuc puer erat i. e. adoleseens non omnino impar, qui reges illos ad maiorem ipsorum ignominiam sua manu occideret simulque gladium stringere disceret in hostes Israel sibique partem laudis in victoria vindicaret. Gedeone mortuo occisus est ab Abimelech una cum fratribus suis in Ephra (v. ABIMELECH 2).

2. Maritus Abigail sororis David et pater Amasa ducis militaris (3 Reg. 2,5. 32); idem 2 Reg. 17,25 hebr., chald., syr. dicitur Israelita, in Vulgata Ietra de Iezraheli, apud LXX ὁ Ἰεζραηλίτης quae tamen lectio non est sufficientis auctoritatis, cum aliqui codices Ismaelitam scribant. Genuina lectio haberi videtur 1 Par. 2,17 Ismaelita (hebr. Vulg. LXX Ἰεθὸρ ὁ Ἰσμαηλίτης); id enim reapse notatu dignum erat alienigenam uxorem duxisse cognationis David (*F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 17,25). Vide ABIGAIL 2.

3. Filius Iada ex posteris Hesron, mortuus absque liberis (1 Par. 2,32), quam ob rem successio genealogica in familiam Ionathan fratris minoris transit.

4. Filius Ezra ex posteris Iuda (1 Par. 4,17; de hoc textu vide s. v. BETHIA).

5. Princeps cognationis aseriticae fortitudine praeclarae (1 Par. 7,38; Ἰεθήρ); idem 1 Par. 7,37 vocatur Iethran (יִתְרָן, Ἰεθρά, apud *Swete* B Θερά, A Ἰέθερ).

6. Iether (יִתֵּר, יַתִּיר; Ἰεθέρ, Ἰεθάρ, Γεθόρ), urbs tribus Iuda, ad primam seu meridianam provinciam montis Iuda pertinens (Ios. 15,48), sacerdotibus concessa (Ios. 21,14; 1 Par. 6,58 [42]); recensetur inter urbes, ad quas David post cladem Amalecitarum redux in Siceleg dona de praeda misit (1 Reg. 30,27). Tempore Eusebii et S. Hieronymi erat villa pergrandis Iethira a Christianis habitata 20 mil. pass. ab Eleutheropoli in interiore Daroma iuxta Malatham (Onom. *ed Lag.* 266,42; 133,3 et etiam s. v. Ether 255, 78; 119,27). Agnoscitur hodie *Khirbet ʿAttir* fere inter Hebron et Bersabee; sed notandum est distantiam ab Eleutheropoli in Onom. indicatam esse iusto minorem et 4 mil. pass. augendam (*Guérin*).

Sunt qui putent de Iether oriundos esse heroas davidicos Ira et Gareb; sed v. IETHRAEUS. Alius quidam Ira sacerdos David 2 Reg. 20,26 vocatur Iairites seu de familia Iair, Peshitta : de Iathir; verum lectio Syri aliunde positive confirmari nequit et Ira sacerdos gratuito idem supponitur cum Ira heroe; cf. *Driver* ad h. l.

Cf. *Robinson*, Palaestina II. 422 *Guérin,* Judée III. 197-199; *Survey of West. Pal.*

Mem. III. 404. 408; *D. Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. p. 256; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 164.

IETHETH (יִתֵּת, Ἰεθέρ) enumeratur tertius inter undecim duces Edomitarum, qui Horraeis exstirpatis totam regionem Edom occupaverant (Gen. 36,40; 1 Par. 1,51). Etymon a *Gesenio* (Thesaur. p. 644 secundum *Simonis*) explicatur יִתֵּדֶת i. e. clavus, paxillus tentorii, metaphorice princeps, ex quo omnis civitatis cura quasi pendet. Vestigium tribus Iethetb hucusque non repertum est.

IETHMA (יִתְמָה, Ἐθεμά) Moabites, heros in exercitu Davidis (1 Par. 11,46).

IETHNAM (יִתְנָן, Ἀσοριωναίν quo nomine Asor et Iethnam in unum confunduntur), urbs in meridiana plaga tribus Iuda (Ios. 15,23). Est ignota.

IETHRAAM, IETHRAHAM (יִתְרְעָם, Ἰεθεραάμ, Ἰεθραάμ), ultimus inter sex filios David Hebrone natos (2 Reg. 3,5; 1 Par. 3,3); eius mater erat Egla.

IETHRAEUS, Iethreus, Iethrites (הַיִּתְרִי). Hoc nomen refertur ad aliquam cognationem tribus Iuda a Sobal patre (domino) Cariathiarim descendentem (1 Par. 2,53; LXX Αἰθαλίμ). Ad eandem cognationem pertinent Ira et Gareb duo heroes davidici (2 Reg. 23,38 LXX ὁ Ἐθιραῖος, ὁ Ἐθεναῖος et 1 Par. 11,40 LXX ὁ Ἰεθρί), quos aliqui de Iether urbe montis Iuda oriundos esse supponunt; sed de nexu inter urbem Iether et cognationem Iethraeorum nihil innotescit. Neque Ira Iairites (Syrus : de Iathir) quidquam cum Iethraeis commune habet; vide s. v. IETHER 6.

IETHRAI (יִאתְרִי, Ἰεθρεί), levita de stirpe Gersom (1 Par. 6,21[6]).

IETHRAM scribitur in Vulgata Gen. 36,26 pro Iethran 1.

IETHRAN (יִתְרָן). **1.** Filius tertius Dison filii Seir Horraei (Gen. 36,26; 1 Par. 1,41; LXX Γεθράμ, Ἰεθράν).

2. Iethran (1 Par. 7,37) v. IETHER 5.

IETHREUS, IETHRITES v. IETHRAEUS.

IETHRO (יִתְרוֹ, Ἰοθόρ), sacerdos Madian, pater Hobab et Sephorae uxoris Moysis (Ex. 3,1; 4,18; 18,1. 5. 6. 9. 12). Idem Ex. 2,18; Num. 10,29 appellatur Raguel (רְעוּאֵל, Ῥαγουήλ). Videtur Iethro esse nomen dignitatis. Sunt qui putent Raguel esse patrem Iethro et avum Hobab et Sephorae; immo nonnulli volunt Iethro eundem esse atque Hobab; sed v. s. v. HOBAB.

IETHSON legitur in Vulgata Ios. 21,36 mendose pro Cademoth (vide s. v.).

IETHUR v. ITURAEA.

IETRA v. IETHER 2.

IETUR v. ITURAEA.

IEZABAD (יוֹזָבָד, Ἰωαζαβάθ, A Ἰωζαβάδ), Beniaminita, qui Davidi in Siceleg se adiunxit, Gaderothites (1 Par. 12,4). Idem nomen hebr. gerunt, qui in Vulgata scribuntur Iozabad.

IEZABEL (אִיזֶבֶל, Ἰεζάβελ). **1.** Filia Ethbaal, regis Sidoniorum, quam uxorem duxit Achab rex Israel (vide s. v. ACHAB 1) 3 Reg. 16,31. Haec regem potissimum impellebat et incitabat ad cultum idololatricum in Israel fovendum et ad varia crimina committenda. Et quanta licentia Iezabel grassata sit rege connivente vel saltem permittente, elucet satis ex eo quod impune prophetas Iahwe interfecit; ex caede communi Abdias servavit centum eosque abscondit quinquagenos et quinquagenos in speluncis et pavit (3 Reg. 18,4. 13). Dum itaque Iezabel adeo fureret in prophetas Iahwe eorumque discipulos, cultum Baal et Astarthes quam maxime promovit; alebat enim Iezabel suis sumptibus prophetas Baal quadringentos quinquaginta et prophetas Astarthes quadringentos (v. 19). Cum Elias propheta iudicium divinum in hos idololatras exercuisset (cf. Deut. 13,5 ss.; 3 Reg. 18,40), Iezabel per deos iuravit postero die occisum iri Eliam; verum Elias abiit in Bersabee, inde in desertum et ad montem Horeb (3 Reg. 19,2-9). Mulieris impudentia et perversitas eiusque in Achab regem dominatio illustratur, cum Achab aegre ferret quod Naboth

nollet ipsi cedere vineam. Nam irridet Achab regem eo quod noluit vi eripere vineam : grandis auctoritatis es et bene regis regnum Israel (3 Reg. 21,7); dein iubet eum esse bono animo : ego dabo tibi vineam Naboth. Id quod insigni crimine perfecit. Scripsit enim litteras nomine Achab et signavit eas annulo eius et iussit seniores civitatis Naboth i. e. urbis Iezrahel (hodie *Zer'în*) subornare falsos testes qui testarentur contra Naboth : maledixit Deo et regi; tum « educite eum et lapidate sicque moriatur » (v. 8-10). Quantopere perversitate mulieris corrupti sint mores optimatum apparet quia scelestam iussionem sine mora exsecuti sunt : miseruntque ad Iezabel dicentes : lapidatus est Naboth et mortuus est. Neque Achab rex crimini obstitit, verum descendit in vineam, ut eius caperet possessionem. Elias autem mittitur a Domino ad regem, ut ipsi poenam annuntiet, et de Iezabel quoque locutus est Dominus : canes comedent Iezabel in agro Iezrahel (v. 11-23). Sententiam hanc in Iezabel latam exsecutus est Iehu, filius Iosaphat filii Namsi. Occiso enim Ioram rege, filio Achab, ingressus est Iezrahel urbem. Iezabel autem depinxit oculos stibio et ornavit caput suum et respexit per fenestram, cum Iehu ad palatium regis appropinquaret. At Iehu iussit eam praecipitari deorsum, « aspersusque est sanguine paries et equorum ungulae conculcaverunt eam » (4 Reg. 9,33). Et convivio celebrato misit Iehu servos dicens : ite et videte maledictam illam et sepelite eam, quia filia regis est. At canes cadaver eius iam devoraverant, ita ut solum invenirent servi calvariam eius et pedes et summas manus. Agnovit Iehu completum esse sermonem Domini factum per Eliam de Iezabel (v. 34-37).

Cur Iezabel se ornaverit, cum Iehu appropinquaret, aliqui explicant ex eo quod voluerit arte meretricia capere Iehu; at merito advertit *Estius* obstare quod sequitur; excipit enim Iehu cum exprobratione eum vocans Zambri eiusque qui dominum suum occidit sortem ei in memoriam revocans et quasi eandem ei minitans (v. 31). Quare dicendum erit eam depinxisse faciem seseque ornasse ex superbia et procaci quadam animositate ut quia videret sibi esse moriendum dignitatem regiam et cultum usque ad mortem tueretur (ita iam *Estius*, *Sanctius*, *Tirinus* aliique). Eam potissimum fuisse in culpa, ut Achab evaderet adeo impius, sacer auctor aperte declarat : igitur non fuit alter talis sicut Achab qui venumdatus est ut faceret malum in conspectu Domini; concitavit enim eum Iezabel uxor eius (3 Reg. 21,25).

2. Quia Iezabel cultu Baal et Astarthes quem adeo promovit Israelitas seduxit et ad impuritates cultui illi connexas induxit, nomen ipsius transfertur Apoc. 2,20 ad mulierem quandam Thyatirae degentem quae se dicebat propheten et quae sua doctrina seducebat servos Dei ad fornicationem et esum idolothytorum. Cum adeo explicite dicatur τὴν γυναῖκα, ἡ λέγουσα etc. non videtur probabile intellegendam esse personificationem quandam synagogae vel haereseos Nicolaitarum, sed potius sensu proprio aliquam mulierem perversam, illius erroris fautricem.

IEZATHA (וַיְזָתָא, Ζαβουθαῖος), decimus inter filios Aman, quos Iudaei occiderunt (Esth. 9,9).

IEZER, IEZERITES. 1. Vide s. v. ABIEZER 1.

2. Samaoth princeps quintus ex duodecim illis davidicis praefectis duodecim turmarum 1 Par. 27,8 vocatur Iezerites (הַיִּזְרָח, ὁ Ἰερσαέ) i. e. הַזַּרְחִי cf. 27,11. 13 seu de stirpe Zara filii Iuda patriarchae.

3. Iezer urbs v. IAZER.

IEZIA (יְזִיָּה, Ἀζειά), unus de filiis Pharos, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,25).

IEZLIA (יִזְלִיאָה, Ἰεζλίας, B Ζαρειά, A Ἐζλιά), unus de filiis Elphaal, princeps cognationis beniaminiticae (1 Par. 8,18).

IEZONIAS (יַאֲזַנְיָה, יַזַנְיָה, contractum יַזַנְיָהוּ Ier. 40,8, יַזַנְיָה Ier. 42,1; Ἰεζονίας, Ἐζονίας, Ἰεχονίας et Ier. 42,1 Ἀζαρίας).

1. Filius Maachati seu Maachathitae i. e. viri ex Maacha oriundi, unus ex

principibus exercitus, qui post expugnationem Ierusalem ad Godoliam reliquiis Israel praepositum in Maspha Beniamin se contulerunt (4 Reg. 25,23; Ier. 40,8); idem haud dubie partes egit in praeda ab Ismahel, perfido occisore Godoliae, recuperanda (Ier. 41,11). Postea inter principes bellatorum, qui Ieremiam rogabant, ut Dominum consuleret de itinere aegyptiaco instituendo, nominatur Iezonias (LXX Ἀζαρίας) filius Osiae (Ier. 42,1) et inter principes, qui responso accepto Ieremiam mendacii arguunt et contra Dei mandatum fugam in Aegyptum esse suscipiendam populo persuadent, imprimis eminet Azarias filius Osaiae (Ier. 43,2). Sine dubio idem princeps intellegitur 42,1 et 43,2. Unde aliqui auctores his duobus locis legunt : *Azarias filius Osaiae* et hunc Azariam utique a Iezonia distinguunt. Alii vero v. g. *Keil* iisdem duobus locis legunt *Iezonias filius Osaiae,* qui idem sit ac Iezonias filius Maachathitae.

2. Rechabita, filius Ieremiae filii Habsaniae et praecipuus inter Rechabitas tempore Ieremiae prophetae (Ier. 35,3).

3. Filius Saphan, dux septuaginta seniorum Israel, quos Ezechiel in imagine symbolica cernebat idololatriae aegyptiacae operam dare (Ez. 8,11); septuaginta seniores totum populum repraesentant; de Iezonia nihil notum est neque dici potest, cuiusnam Saphan filius fuerit.

4. Filius Azur, princeps populi, contra quem Ezechiel vaticinari iubetur (Ez. 11,1); erat igitur praecipuus fautor et suasor eorum consiliorum, quae in contextu improbantur scil. caedium iniustarum et idololatriae; eiusdem socius in consiliis improbis promovendis erat Pheltias filius Banaiae.

IEZRA (יִחְזְרָה, Ἐζιρά, A Ἰεζρίας), sacerdos ex posteris Emmer, unus ex maioribus Maasai seu Amassai (1 Par. 9, 12). Idem scribitur Neh. 11,13 Ahazi.

IEZRAEL, IEZRAHEL (יִזְרְעֶאל, יִזְרְעֵאל; Ἰεζραέλ, Ἰεζραήλ et saepe aliter) nomen proprium virorum et locorum.

1. Iezrahel de stirpe Etam in genealogia Iuda 1 Par. 4,3; ibidem recensentur eius fratres Iesema, Iedebos eorumque soror Asalelphuni; vide ETAM 3.

2. Iezrahel filius Osee prophetae et Gomer filiae Debelaim (Os. 1,4); ei hoc nomen a Iezrahel urbe Issachar derivandum impositum est ipso Domino iubente : « quoniam adhuc modicum et visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu ». Sanguis Iezrahel caedem refert iniustissimam Naboth Iezrahelitae ab Achab et Iezabel illatam et similes caedes a regibus domus Iehu perpetratas indicat. Nomen nativa sua significatione Deum commemorat seminantem, res et eventus praeparantem, dirigentem et addita rerum in Iezrahel gestarum notione scelera damnat, ultionem indicat (*Knabenbauer* ad h. l.).

3. Iezrael montis Iuda, in tertia provincia montis Iuda (Ios. 15,56); eadem erat patria Achinoam Iezrahelitidis, uxoris David (1 Reg. 25,43 et v. ACHINOAM).

4. Iezrael (Ios. 19,18), alias Iezrahel seu nomine recentiore Esdrelon (Iudith 4,5; 7,3; Ἐσδρηλώμ, Ἐσδρηλών 3,9; 4,6; 7,3), urbs tribus Issachar (Ios. 19,18), haud facili negotio Chananaeis, qui curribus ferreis multum valebant, ab Israelitis erepta (Ios. 17,16). Celebrior facta est, cum Achab eam eligeret sedem regiam pro se ac domo sua (3 Reg. 18,45 s.; 21,1 ss.; 4 Reg. 8,29; 9,10 ss.) praeter Samariam, quae ex tempore Amri fuerat sedes regum Israel. Prope vel probabilius intra Iezrahel ab Achab exstructum erat templum Baal cum idolo Astarthes (3 Reg. 16,33); verum domus eburnea ab eodem aedificata (3 Reg. 22,39) probabilius Samariae quaerenda est (cf. Am. 3,15). Ex narrationibus de vinea Naboth Iezrahelitae (3 Reg. 21,1 ss.), de morte Achab (22,31-38), de morte Ioram et Iezabel (4 Reg. 9,10 ss.; cf. 2 Par. 22, 7. 8) aliqua colliguntur pro descriptione urbis Iezrahel. Ad orientem urbis sita erat vinea Naboth Iezrahelitae ab Achab in hortum olerum mutata; ibidem Iehu ab oriente scil. a Ramoth Galaad urbi appropinquans obviam habuit Ochoziam regem Iuda et Ioram regem Israel atque hunc alterum sagitta transfossum in agro Naboth proiiciendum curavit. Hic ager seu hortus palatio Achab et Iezabel

vicinus erat. Palatium muro urbem cingenti contiguum erat, siquidem Iezabel per fenestram palatii respexit Iehu per portam orientalem vix ingressum et deorsum praecipitata ungulis equorum ingredientium conculcata est. In eadem urbis parte erat turris Iezrahel seu specula, ex qua prospectus Iordanem versus late patebat; eandem ipsi palatio fuisse coniunctam supponit Flavius Iosephus (Ant. IX. 6,4) narrans Iezabel ex ipsa turri fuisse praecipitatam. Praeterea *Guérin,* Samarie I. 315. 316 defendit currum sanguine Achab tinctum lotum esse non in piscina Samariae, ut 3 Reg. 22,38 legitur, sed in fonte Izara, ut Flavius Iosephus (Ant. VIII. 15,6) refert, seu fonte Iezrahel, ita ut canes sanguinem Achab prope Iezrahel lingerent, ubi etiam sanguinem Naboth linxerant; verum notare oportet poenam Achab regi 3 Reg. 21,19 intimatam non plenum effectum habuisse, sed propter regis spontaneam demissionem ab ipso Deo dilatam fuisse in dies Ioram filii Achab (3 Reg. 21,29) et horrendum in modum completam esse, cum Iehu in Iezrahel capita septuaginta filiorum domus Achab iuxta introitum portae duobus acervis collocaret omnesque notos et optimates illius domus deleret (4 Reg. 10,6-11). Deleta domo Achab gloria urbis Iezrahel mox decrescebat. Etiam reges de stirpe Iehu caedes et iustorum oppressiones commiserunt, unde Osee propheta minatur instare interitum regiae domus Iehu et regni israelitici dissolutionem adhibito nomine Iezrahel (Os. 1,4. 5 et vide supra n. 2), simul tamen instaurationem promittit eamque illustrat eodem nomine Iezrahel usurpato tamquam augurio salutis (Os. 1,11; 2,22). — Praeterea Iezrahel commemoratur 1 Reg. 29,11; 3 Reg. 4,12.

Apud Eusebium et S. Hieronymum (Onom. *ed. Lag.* 267,52; 133,14) describitur ut pergrandis vicus in campo maximo inter Scythopolim et Legionem; Eusebius l. c. vicum vocat Ἐσδραηλά et a Ἰεζραέλ distinguit, S. Hieronymus autem eundem locum vertens distinctionem ab Eusebio inductam expunxit. In Itinerario Burdigalensi appellatur civitas Stradela 10 mil. pass. a Maximianopoli, 12 mil. pass. a Scythopoli distans. Medio aevo vulgari appellatione dicebatur Parvum Gerinum (Gulielmus Tyr. 22,26). Hodie vicus *Zer'īn* in descensu occidentali montis Gelboe situs et amplissimum prospectum praebens occidentem versus super planitiem Iezrahel et orientem versus per campum Bethsan usque in terram Galaad.

Cf. *Robinson,* Pal. III. 391 ss.; *Guérin,* Samarie I. 311 ss.; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 88. 131; *Thomson,* The land and the book II. 177-191; *G. A. Smith,* Hist. Geogr. of the Holy Land 1894 p. 356. 381; *Zanecchia,* La Palestine d'aujourd'hui 1899 II. 609 s.; *J. Fahrngruber,* Nach Jerusalem II. 163; *Liévin de Hamme,* Terre Sainte *ed.* 4 III. 78 s.; *Baedeker-Benzinger,* Pal. u. Syr. *ed.* 5 p. 270; *F. Buhl,* Alt. Pal. 1896 p. 204-5; *Kampffmeyer* in Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 42; *J. Döller,* Geogr. u. ethnogr. Studien zum III. u. IV. B. d. Könige 1904 p. 66-7.

5. Planities Iezrahel in Vet. Test. variis nominibus commemoratur : vallis Iezrael (Ios. 17,16 hebr.; Iud. 6,33), vallis Iezrahel (Os. 1,5), etiam Iezrahel sine addito (2 Reg. 2,9), campus Mageddo (2 Par. 35,22; Zach. 12,11), campus magnus Esdrelon (Iudith 1,8), campus magnus iuxta Dothain (Iudith 4,5, graece 4,6), campus magnus scil. Galilaeae (1 Mach. 12,49); apud Flavium Iosephum τὸ μέγα πεδίον, campus magnus (Ant. XII. 8,5; Bell. iud. III. 3,1 etc.); apud Eusebium et S. Hieronymum grandis campus Legionis seu *Ledjdjūn* (Onom. *ed. Lag.* 246,54; 128,18) et maximus campus alibi passim; hodie vocatur *Merdj Ibn 'Amir* i. e. planities filii Amir.

Circumscribitur inter septemtrionem et orientem montanis Galilaeae, inter meridiem et occidentem collibus monti Ephraim praeiacentibus; ab oriente planitiem tangunt montes Gelboe et Hermon minor, ab occidente Carmelus inferior. Orientem versus iungitur per *Nahr Djālūd* cum campo Bethsan et depressione Iordanis, occidentem versus per Cisonem torrentem angustiis montium compressum cum planitie maritima Ptolemaidis seu Accho. Irrigatur tempore hiemali multis rivulis, qui in

Cisonem torrentem confluunt, cuius fontes praecipui vel in monte Thabor vel prope *Djenīn* (Engannim) et *Ledjdjūn* (Legionem, Mageddo) esse putantur. De fonte celebri prope Iezrahel, qui agnoscitur *ʿAin Djālūd* 25 minutis ad orientem urbis *Zerʿīn* vel ab aliis *ʿAin Maite* urbi paulo propinquior, vide dicta s. v. APHEC 4 et HARAD. — Urbes praecipuae in ascensu collium planitiem cingentium sitae erant : Iecnam seu Iachanan Carmeli, Mageddo, Thanach, Engannim, Iezrahel, Sunem, Naim, Endor, Dabereth, Ceseleththabor, Haroseth gentium, Gaba urbs equitum (v. GABAA 13).

Memorabilis est haec planities tum duabus victoriis, quas reportarunt Barac de Sisara duce Iabin regis Asor apud torrentem Cison (Iud. 4 et 5) et Gedeon de Madianitis prope Iezrahel (Iud. 7, 1 ss.), tum etiam duabus cladibus scil. Saulis ad montem Gelboe a Philisthaeis caesi (1 Reg. 31,1 ss.) et Iosiae regis apud Mageddo a Pharaone Nechao devicti ac lethaliter vulnerati (4 Reg. 23,29; 2 Par. 35,22). Aliqui interpretes etiam cum campo Esdrelon componunt victorias ab Achab de Benadad II. et a Ioas de Benadad III. reportatas; sed vide APHEC 5. De fuga Ochoziae regis Iuda per inferiorem partem planitiei Esdrelon vide s. v. GAVER. Holofernes Bethuliam oppugnaturus castra sua usque ad Chelmon (*Yamūn*), qui locus est contra Esdrelon (Iudith 7,3), extendebat. In campo Esdrelon Tryphon dux Syrorum aciem instruxit contra 2000 sociorum Ionathae Machabaei captivi, sed a proelio committendo destitit (1 Mach. 12,49). Ibidem frequentes pugnae erant in bello iudaico et ad radices montis Thabor Iudaei a Placido duce equitum Romanorum devicti sunt (*Flav. Ios.* Bell. iud. IV. 1,8). Accedunt proelia inter Saracenos et equites christianos medii aevi ibidem commissa et victoria a Napoleone I. de Turcis reportata prope montem Thabor anno 1799.

IEZRAHELI (2 Reg. 17,25) v. IETHER 2.

IEZRAIA (יִזְרַחְיָה, LXX omitt.), levita, praefectus cantorum in dedicatione muri Ierusalem tempore Nehemiae (Neh. 12, 41[42]).

IGAAL (יִגְאָל, Γαάλ), filius Nathan de Soba, heros in exercitu Davidis (2 Reg. 23,36). Idem appellatur 1 Par. 11,38 Ioel (יוֹאֵל, Ἰωήλ) frater (LXX υἱός) Nathan. De textu emendando cf. *F. de Hummelauer* ad 2 Reg. 23,36.

IGAL (יִגְאָל, Ἰλαάλ, A Ἰγάλ), filius Ioseph de tribu Issachar, unus ex duodecim exploratoribus (Num. 13,8[7]).

IGNIS. Inter ea quae teste Sapiente necessaria sunt ad hominis vitam secundo loco recensetur ignis (Eccli. 39, 31); inservit enim ad cibos parandos, ad carnes panesque coquendos (cf. Ex. 12,8) et ad frigus depellendum, uti v. g. Ioakim rex in domo hiemali in arula ignem habebat (Ier. 36,23) et servi et ministri stabant ad prunas, quia frigus erat (Ioan. 18,18). Die sabbati autem ignem accendere (ad cibos coquendos) prohibitum erat (Ex. 35,3); quae coquenda erant, ante sabbatum praeparare oportebat eo scil. modo, sicut iam in deserto Moyses praeceperat (Ex. 16,23). Ignem caute esse adhibendum, iam prisca lege monentur : si egressus ignis invenerit spinas et comprehenderit acervos frugum sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit (Ex. 22,6). Ad usum sacrum requirebatur ignis continuo ardens in altari holocaustorum : ignis in altari semper ardebit quem nutriet sacerdos subiiciens ligna mane per singulos dies; ignis est iste perpetuus qui nunquam deficiet in altari (Lev. 6,12. 13). Inde dicitur : Domini ignis est in Sion et caminus eius in Ierusalem (Is. 31,9). Ignem hunc sacrum de altari occulte esse absconditum in valle, quando sacerdotes abducti sunt in Babyloniam, narratur in epistula Iudaeorum (2 Mach. 1,19). Cum cultus sacrificalis instauraretur, ignem adhibuerunt non aliunde acceptum, sed noviter ex lapidibus elicitum (2 Mach. 10,3). In crematione et oblatione sacri thymiamatis minime licuit ignem assumere profanum, sed solum ignem de altari; ob ignem *alienum* assumptum Nadab et Abiu, filii Aaron,

a Deo puniti sunt, egressusque ignis a Domino devoravit eos et mortui sunt coram Domino (Lev. 10,2; Num. 3,4; 26, 61). Gentes quandoque ignem ut deum colebant (Sap. 13,2); in sacris litteris apparet ignis tamquam indicium maiestatis divinae. Ita Deus apparuit Moysi in flamma ignis (Ex. 3,2, et similiter iam sese manifestavit Abraham, Gen. 15,17); item in igne descendit in montem Sinai (Ex. 19,18 — et species gloriae Domini erat quasi ignis ardens super verticem montis 24,17); de medio ignis loquebatur ad populum (Deut. 4,12. 15. 36); in columna ignis Deus populum suum per noctem duxit atque protexit (Ex. 13,21. 22; 14,24). Etiam in tempestate fulgurum ignis dicitur a facie eius exardescere (Ps. 17,9) et igne de caelo misso Deus punit civitates scelestas (Gen. 19,24), grando et ignis mista ferebantur ad Aegyptios puniendos (Ex. 9, 24); ignis Domini devoravit extremam castrorum partem murmurantium (Num. 11,1); ignis egressus a Domino interfecit rebelles (Num. 16,35). Zelus quoque Domini accenditur velut ignis (Ps. 78,5), ut ignis est eius indignatio (Ier. 4,4; Ps. 88,47; Nah. 1,6), in igne furoris sui sufflabit in adversarios (Ez. 21,31); ignis succensus est in furore Domini, et ipsa Domini verba sunt quasi ignis (Ier. 17, 4; 23,29). Immo Deus ipse dicitur ignis consumens (Deut. 4,24).

Cum igni insit maxima vis ad destruendum et ignis nunquam dicat : sufficit (Prov. 30,16), ignis metaphorice adhibetur ad summum discrimen describendum (Ps. 65, 12; Is. 43,2) et summa supplicia dicuntur poena ignis infligi (Ps. 10,7; 20,10; 139,11; Is. 26, 11) et Christus ipse loquitur de igne inextinguibili, de igne gehennae, de igne aeterno (Matth. 5,22; 18,8; 25,41; Marc. 9,42 etc.). Quia vero igne metalla purgantur et sordes ac scoriae removentur, etiam probatio ignis quasi examinatione fieri exhibetur (cf. Ps. 16,3; Prov. 17,3) et eodem modo vis et efficacia virtutis Dei declaratur, ita baptizare in spiritu sancto et igni (Matth. 3,11); talem ignem purgationis, separationis, destructionis vitiorum Iesus venit mittere in terram (Luc. 12,49). Nam lege praeceptum erat : omne quod potest transire per flammam igne purgabitur (Num. 31,23), qua purgatione vasa et utensilia et metalla idololatrarum in usum populi electi consecrabantur. Quae purgatio cum iam effici nequeat symbolum est summae atque inveteratae impietatis (Ez. 24,11 s.). Quae purgandi et consecrandi ratio quoque exprimitur in ritu superstitioso, quo per ignem transitu vel ipsa quoque concrematione filii et filiae idolo Moloch dedicabantur (Ier. 7,31; 19,5; 4 Reg. 16,3; 17,17. 31; 21, 6; 23,10; 2 Par. 28,3 etc.).

Ob quandam cum vi ac virtute ignis similitudinem legimus de dilectione et de zelo aemulationis : lampades eius lampades ignis atque flammarum (Cant. 8,6), et similiter de iniquitate scortationis et adulterii : ignis est usque ad perditionem devorans et omnia eradicans genimina (Iob 31,12), et de sermone fornicariae : colloquium illius quasi ignis exardescit (Eccli. 9,11) et de mala cupiditate : anima calida quasi ignis ardens. Item : succensa est quasi ignis impietas (Is. 9,18), cuius vehementia ac longe lateque propagatio incendio comparatur. Tali incendio etiam lingua calumniatrix confertur : in labiis impii ignis ardescit (Prov. 16,27); lingua ignis est (Iac. 3,6).

Non quidem apud Iudaeos, verum apud alias gentes facinorosi addicebantur morti per poenam ignis (cf. Ier. 29, 22 : Sedeciam et Achab frixit rex Babylonis in igne); ita decrevit Nabuchodonosor : si quis non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis (Dan. 3,6); poena ignis torquebantur fideles legis cultores (2 Mach. 7,5). Iure belli urbes et turres simul cum incolis vel bellatoribus igne comburebantur (Deut. 12,3; Iud. 20,38; 1 Reg. 30,1; 4 Reg. 8,12; Neh. 1,3; 1 Mach. 1,33; 5,5. 28. 35. 65; 6,31; 10, 84 etc.).

I. KNABENBAUER.

IHELOM, IHELON (יִעְלָם, Ἰεγλόμ), filius Esau ex Oolibama genitus in terra Chanaan (Gen. 36,5. 14. 18; 1 Par. 1,35).

IIEABARIM, IEABARIM (עִיִּי הָעֲבָרִים i. e. Iiim terrae transiordanicae,

ut distinguatur ab Iim seu Iim tribus Iuda Ios. 15,29), castrametatio Israelitarum in termino Moab seu accuratius in solitudine, quae respicit Moab contra orientalem plagam (Num. 21,11; 33,44. 45; in v. 45 עִיִּים). LXX Ἀχαλγαὶ ἐκ τοῦ πέραν 21,11 et Γαὶ ἐν τῷ πέραν 33,44, Γαὶ 33,45; et explicant Eusebius et S. Hieronymus : « Gai castra in solitudine filiorum Israel; et usque hodie Gaia urbs dicitur Palaestinae iuxta civitatem Petram » (Onom. *ed. Lag.* 241,57; 125,11). Cum Gaia Eusebii et etiam cum Aïa in tabula geographica Medabae *M.-J. Lagrange* componit *Khirbet ʿAï* inter *Kerak* et *Wādi el-Aḥsā* (Revue bibl. IX. 1900 p. 286. 287. 443). Fueritne ibidem statio Ieabarim, dubium est.

IIM (עִיִּים i. e. rudera, ruinae; Βακώκ, A Αὐείμ), urbs in extrema parte meridiana tribus Iuda (Ios. 15,29). Est ignota. Eodem nomine appellatur Ieabarim in textu hebraeo Num. 33,45; cf. supra.

ILAI (עֵילַי, Ἠλεί), heros in exercitu Davidis (1 Par. 11,29), cognominatus Ahohites (vide s. v.). Idem scribitur 2 Reg. 23,28 Selmon (צַלְמוֹן, Ἑλλών, A Σελλώμ).

ILEX semel occurrit in prophetia Isaiae 44,14, ubi cum cedro, querceu, pino enumeratur inter ligna, quibus artifex ad idola facienda utitur. Vocem hebraicam תִּרְזָה LXX interpretes non explicant, Aquila et Theodotion ἀγριοβάλανος exponunt. Ex recentioribus *Ursinus* cum *Kimchio* et *Saadia* pinum vel cum *Tremellio* cupressum intellegit, *Hiller* potius tiliam esse censet, alii abietem vel fagum vel esculum vel etiam Ceratoniam siliquam (*Schegg*) praeferunt. At abies nomine *berōsh* designatur, esculus, fagus, tilia inter arbores palaestinenses non inveniuntur, pro ceratonia, cupresso, pino argumenta nimis infirma afferuntur. Quare praestat cum S. Hieronymo multisque recentioribus (*Celsius*, *Rosenmüller*, *Cultrera*, *Groser*, al.) vocem de ilice interpretari, quae etiam ab Aquila et Theodotione videtur designari, et contextui satis convenit, cum lignum durum statuisque idoneum praebeat et inter cedrum ac quercum bene locum inveniat; etiam etymon vocis, quod quibusdam placuit, a radice רזה *durus fuit* huic arbori bene congrueret. Intellegenda autem est non Ilex illa aquifolium, quam Linné nomine ilicis appellavit, sed ilex antiquorum seu species generis quercus, foliis non deciduis semperque virentibus. Quaenam vero ex variis huius generis speciebus palaestinensibus in S. Scriptura quercus, et quaenam ilex appelletur, difficile quis determinaverit. V. QUERCUS.

Eadem vero arbor etiam graeco nomine πρῖνος designatur, quam alter ille senior iniquus testem sceleris contra Susannam invocavit (Dan. 13,58); ubi in Vulgata nomen graecum retinetur. V. PRINUS.

Cf. de *tirza* biblica *I. H. Ursinus*, Arb. bibl. 122-35; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 431-4; *O. Celsius*, Hierobot. II. 269-71; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,312 s.; *P. Cultrera*, Flora bibl. 407 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8,348 s.: *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,232; *J. Smith*, Bible Plants 129-31; *W. H. Groser*. The trees and plants mentioned in the Bible 53 s.

L. FONCK.

ILLEL (הִלֵּל, Ἑλλήλ), pater Abdon iudicis ex urbe Pharathon (Iud. 12,13; hebr. et LXX etiam 12,15).

ILLYRICUM (Ἰλλυρικόν), regio maritima ad litus orientale maris Adriatici. Eam assignat Paulus ut terminum extremum, ad quem ab Ierusalem per circuitum praedicatio evangelii ipsius pervenerit usque ad annum, quo epistulam Romanis scripsit (15,19). Illyricum apud Romanos antiquitus ab anno 229 a. Chr. regio vocabatur inter Epirum et Dalmatiam, quae Macedoniae provinciae est attributa. Postea vero Illyricum sensu ethnographico et geographico ampliorem tractum terrae comprehendebat. « Illyrios Graeci vocant, quicunque supra Macedoniam ac Thraciam a Chaonia atque Thesprotia ad Istrum usque flumen incolunt. Hi regionis in longitudinem fines. Latitudo a Macedonia et montanis Thracibus ad Pannonios et Adriaticum mare et radices Alpium pro-

tenditur » (*Appian.* Illyr. 1). Cf. *Tacit.* Hist. 1,76. Ab anno 167 a. Chr. Illyricum erat provincia romana (cf. *Livius* 45,26; *Appian.* Maced. 16,1; Illyr. 9). C. I. Caesar Illyricum Galliamque administrabat (cf. *Dio Cass.* 38,8; *Sueton.* Caesar 22; *Caesar,* De bello gall. 2,35; 5,1). Anno 27 a. Chr. Illyricum provincia senatui tradita est (cf. *Dio Cass.* 53,12), anno 11 a. Chr. imperatori (cf. *Dio Cass.* 54,34). Quaecunque regiones orientem versus a mari Adriatico a Romanis occupabantur, ad Illyricum accedebant. Anno autem 10 p. Chr. cum Augustus Pannoniam subigeret, provincias duas constituit Pannoniam et Illyricum, cuius pars australis erat Dalmatia; sed post Augustum nomen Dalmatiae pro Illyrico paulatim substitutum est (cf. *Plin.* III. 21,139; 25,147; *Strabo* VII. 5,1 ss. : ora illyrica). *Ptolemaeus*, Geogr. II. 16,1 ss. Illyricum descripturus titulum capiti 16 praefigit : Illyrici sive Liburniae et Dalmatiae situs; ad quem titulum adnotat *C. Müller* (Ptolem. Geographia, Parisiis 1883, Vol. I. pars 1, p. 302 b) : « Quam Ptolemaeus non sui aevi, sed antiquiorem usum secutus Illyridem provinciam dicit, ea in ... titulo (n. 1741) Dolabellae (14 p. Chr.) vocatur *superior provincia Illyricum,* ut distinguatur sc. a Pannonia tamquam Illyrici provincia inferiore. Ptolemaei tempore Dalmatia seu Delmatia de populo regionis praecipuo appellari solebat ».

IMMARCESCIBILIS. Cum S. Petrus fidelibus promittat « immarcescibilem gloriae coronam » (τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον 1 Petr. 5,4; cf. 1,4), expressio proprie desumitur a coronis ex floribus immarcescibilibus factis, qui nomine florum *immortalium* (*immortelles*) appellantur et praesertim ad genera *Gnaphalium*, *Helichrysum*, *Xeranthemum* pertinent in Europa praesertim meridionali atque in Oriente diffusa.

Cf. *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3 II. 2 p. 702-4. 724; *G. E. Post*, Flora of Syria 418-20. 447 s. — *G. Henslow* in Expository Times IX. 1897-98, 381.

L. FONCK.

IMMORTALITAS animae v. s. v. ANIMA, vol. I. col. 265-6.

IMMUNDITIA, IMMUNDUS. Ut varia illa de immunditia quadam legali rite concipiantur, haec consideranda sunt : mundities corporalis symbolum quoddam est et quasi admonitio munditiei animi puritatisque morum; ita Deut. 21,6 in signum et documentum se esse immunes a scelere iubentur seniores et iudices lavare manus, et Isaias quoque monet 1,16 : lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum. Dein cum Israelitae sint populus Dei electus et qua talis sint singulari quadam dignitate praediti, omnino convenit, ut huius dignitatis quaedam relucentia et assertio etiam in consuetudine externa appareat. Ita enim pro hominum more fieri assolet. Qui dignitate quadam prae aliis eminet, etiam veste elegantiore, nobiliore habitu utitur atque a ministeriis abiectioribus abstinet. Praeceptis illis haec quasi dignitas asseritur; id quod aperte quoque affirmatur Deo dicente Lev. 11,43 s. : « Nolite contaminare animas vestras (i. e. vos), nec tangatis quidquam eorum (animalium immundorum), ne immundi sitis; ego enim sum Dominus Deus vester; sancti estote quia ego sanctus sum; ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram; ego enim sum Dominus qui eduxi vos de terra Aegypti, ut essem vobis in Deum; sancti eritis quia ego sanctus sum ». Quibus verbis immunitas ab illa contaminatione externa, legali, quae attactu animalium immundorum contrahitur, aperte connectitur cum populi electione et cum illo favore quo Deus vult esse Deus eorum. Eadem ratione mandatur, ut sordes arceantur a castris : Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum et sint castra tua sancta et nihil in eis appareat foeditatis, ne derelinquat te (Deut. 23,14). Quare haec quoque lex suo modo erat paedagogus in Christum; insuper multis illis praeceptis et lustrationibus necessariis continuo admonebantur se esse parvulos servientes sub elementis mundi (Gal. 4,3), iugo legis subditos.

Tria potissimum genera immunditiarum quibus quis lege redditur immundus distinguuntur.

Primum genus spectat cadaver et hominis et animalis. Quicumque enim morticina animalium tangit vel portat, immundus erit usque ad vesperam et lavabit vestimenta sua. Etiam in ipsas res transfertur immunditia ex attactu morticinorum quorundam animalium (Lev. 11,24-40). Hominis autem cadavere tacto vel osse vel sepulcro tacto efficitur quis immundus per septem dies; insuper omnes qui ingrediuntur tentorium (domum) in quo mortuus iacet efficiuntur immundi, etiam vasa, quae ibi sunt, per septem dies. Ad quam immunditiem auferendam et homines et res die tertio et septimo aqua lustrationis aspergi iubentur; et homines se et vestimenta die septimo lavare debebant (Num. 19,11-19; 31,19). Ab eiusmodi immunditia sibi cavere debebat sacerdos excepta morte consanguineorum (Lev. 21,1-4); pontifex vero ne ad parentes quidem mortuos accedere poterat (Lev. 21,11), sicut nec nasiraeus (Num. 6,6. 7: si quis coram eo subito mortuus fuerit, polluitur; cf. Num. 6,9-12). Immo qui a mortuo erat immundus, reddebat immundum quidquid tetigisset et quicumque horum quidpiam tetigisset, immundus erat usque ad vesperam (Num. 19,22).

Alterum genus constituitur iis quae e genitalibus profluunt. Ita effusione seminis et involuntaria et in coitu maritali facta vir et uxor immundi fiebant usque ad vesperam et debebant lavare corpus (Lev. 15,16-18; Deut. 23,10. 11). Unde pariter immundus erat qui patiebatur fluxum seminis, gonorrhoea; iste omnia quae tetigit reddidit immunda; qui eum tetigisset, immundus fiebat usque ad vesperam et debebat se et vestimenta lavare (Lev. 15,2-12; de eius post sanationem expiatione vide Lev. 15,13-15). Mulier quae menstrua patitur immunda est per septem dies; qui eam tetigisset et quae ipsa tetigerit et qui res ab ea tactas tetigerit, immunditiem contrahunt usque ad vesperam; lotione corporis et vestium immunditia est auferenda (Lev. 15,19-23); si vero inter coitum menstrua inciperent, vir immundus fiebat septem diebus (Lev. 15,24). Mulier demum quae patitur sanguinis fluxum seu haemorrhoissa pariter immunda est aliaque attactu reddit immunda (Lev. 15,25 ss.). De immunditie puerperae eiusque emundatione agitur Lev. 12,2-8.

Tertium genus consistit in lepra, quae inveniri poterat in homine, in domo, in vestimentis; vide s. v. LEPRA.

Oriuntur itaque immunditiae ex morte, ex profluviis sexualibus, ex lepra. Cur autem haec tria homines reddant immundos, aptae explicandi rationes non desunt. Hisce enim memoria peccati continetur. Mors hominis per peccatum inducta poena est peccati; et quamvis in animalibus non sit mors ex peccato orta, nihilominus morticina foeda quae iam naturalem incutiunt horrorem in se quasi exhibere videntur partem maledictionis quae in rerum quoque naturam propter hominem enuntiata est; vel saltem omnino convenit, ut populus Deo sacer ab iis recedat; cf. Deut. 14,21 : quidquid morticinum est, ne vescamini ex eo, quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. — Primum quod peccato commisso parentes experti sunt, erat pudor et erubescentia; insuper ut poena peccati proponitur : in dolore paries (Gen. 3,16); unde alterum genus apposite esse statutum elucet. — Lepra vero est corruptio quaedam et dissolutio membrorum quae cum corruptione mortis similitudinem prae se fert, ita ut leprosus iam fere ut mortuus vel sub dominio mortis consistens reputetur; Num. 12,12 dicitur de sorore Moysis lepra percussa : ne fiat haec quasi mortua et ut abortivum quod proiicitur de vulva matris.

Ceterum illud quoque efficiebatur quod Tertullianus (adv. Marc. 2,19) effert, ut istis legalibus disciplinis occurrentibus ubique ne ullo momento vacarent a Dei respectu. Et bene de iis disputat S. Thomas (1,2 qu. 102 a. 5 ad 4) ; istarum immunditiarum erat ratio et litteralis et figuralis. Litteralis quidem propter reverentiam eorum quae ad divinum cultum pertinent, tum quia homines pretiosas res contingere non solent, cum fuerint immundi; tum etiam ut ex raro accessu ad sacra ea magis venerarentur. Cum enim omnes huius-

modi immunditias raro aliquis cavere possit, contingebat quod raro poterant homines accedere ad attingendum ea quae ad cultum divinum pertinebant et sic quando accedebant, cum maiore reverentia accedebant... Ratio figuralis fuit quia figurabantur diversa peccata.

I. KNABENBAUER.

INCENDENS. Ita 1 Par. 4,22 nomen alicuius principis in Moab ex posteris Sela filii Iuda secundum aliquam eius nominis explicationem etymologicam effertur; vocatur quippe שָׂרָף; verbum שׂרף notionem habet comburendi; eo quoque vocabulo notantur qui in Vulgata serpentes igniti, flatu adurentes dicuntur (Num. 21,6; Deut. 8,15); pariter Seraphim (Is. 6,2). Apud LXX nomen Σαράφ retentum est. Enumeratur inter eos, qui olim aliquid dominii exercebant in regione Moab, LXX οἳ κατῴκησαν ἐν Μωάβ.

INCENSIO (תַּבְעֵרָה, Ἐνπυρισμός) appellatur locus ille inter montem Sinai et Sepulcra concupiscentiae, in quo murmur populi subortum est ob resumptum peregrinationis laborem. Erat iste locus non statio proprie dicta, sed brevis tantum commoratio in itinere trium dierum a monte Sinai ad primam stationem scil. Sepulcra concupiscentiae. Deus murmurantes punivit extremo agmini incendium infligens igne ab arca vel e nube instar fulguris prorumpente, quod incendium Moyse orante exstinctum est. Unde vocabatur nomen loci illius Incensio (Num. 11,3).

INCENSUM. 1. Ad incensum sacrum (hebr. קְטֹרֶת), quod in Vulgata etiam graeco nomine *thymiama* (θυμίαμα) appellatur, ex praecepto Domini (Ex. 30, 34-38) quattuor aromata sumenda erant, quae a S. Hieronymo *stacte, onyx, galbanum* boni odoris, *thus* lucidissimum dicuntur (v. singulos articulos). Ex traditione Iudaeorum hisce quattuor septem alia admiscebantur : myrrha, cassia, spica nardi, crocus, cinnamomum, costus, calamus odoratus; praeterea duae aliae species minus notae adhibebantur, quare Flavius Iosephus de tredecim aromatibus incensi sacri loquitur (Bell. iud. V. 5,5). Similis quaedam suffitus sacri compositio apud Aegyptios in usu erat, penes quos celeberrimum illud *kyphi* ex sexdecim variis elementis mixtum incensum offerebatur. Quattuor autem illa aromata in lege praescripta aequali pondere sumenda ac diligenter mixta opere unguentarii in unum thymiama componenda erant; eandem vero compositionem etiam in usu profano adhibere nefas erat mortis poena luendum (Ex. l. c.). In compositione huius thymiamatis sacri ex traditione talmudica praesertim domus Abtinae (אבטינס) excellebat.

2. Usus incensi tum profanus tum sacer frequenter in S. Scriptura commemoratur. Ac profanum quidem usum apud Israelitas, quemadmodum apud finitimas gentes, iam tempore Moysis viguisse ex ipsis verbis legis citatae atque etiam ex mentione « thymiamatis alterius compositionis » (Ex. 30,9) apparet. Postea in Psalmis (Ps. 44,9), Proverbiis (Prov. 7,17) et in Cantico (Cant. 3,6) idem usus saltem ditioribus communis supponitur (cf. AROMATA). In cultu religioso autem imprimis quotidiana incensi sacri oblatio mane et vespere peragenda in lege praecepta erat (Ex. 30,7 s.), ac praeterea in variis sacrificiis simul cum holocausto incensum in altari comburendum erat (Lev. 2,1 s. 16; 6,15). Munus offerendi incensum, sacerdotibus proprium (cf. 1 Reg. 2,28; 2 Par. 26,18), sorte inter ministros sacros distribuebatur (Luc. 1,9); populus autem hora incensi in atriis sanctuarii orans exspectabat, donec a sacerdote, oblatione peracta, benedictus dimitteretur (Luc. 1,10. 21 s.). Sola oblatio in loco a Deo electo, atque inde ab aetate Salomonis in templo hierosolymitano facta legitima censebatur; unde saepe reges ac populus reprehenduntur quod in excelsis incensa adolebant (3 Reg. 3, 3; 22,44; 4 Reg. 12,3; 15,4; 16,4 etc.). Sed etiam in cultu idololatrico tum gentium externarum tum populi israelitici praecipua fere sacrificiorum pars in oblatione incensi constabat (3 Reg. 11, 8; 4 Reg. 23,5; 2 Par. 25,14; 28,3 etc.), quemadmodum etiam ex monumentis

profanis tum apud alias nationes, tum maxime apud Aegyptios manifestum est.

Cf. *I. Meier* et *Dan. Weimar*, De suffitu, in *Ugolini*, Thes. ant. XI.; *R. Abraham ben David*, Comment. de suffitu etc. ib.; *Schlichter*, De suffitu sacro Hebraeorum, Halae 1754; *G. B. Winer*, Realwörterbuch, *ed.* 3 II. 303-5. — De Aegyptiis cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs III. 397-9. 414-6; *F. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aeg. 355-62; *A. Erman*, Aegypten 667-79; *V. Loret*, Le Kyphi, parfum sacré des anciens Égyptiens, in Journal Asiat. VIII. Sér., T. X. 1887, 76-132; *G. Maspero* in Revue de l'hist. des religions XXXV. 1897, I. 281 s., cf. 294-6. Alia v. in art. AROMATA, THUS.

L. FONCK.

INCESTUS legitur in Vulgata Lev. 18,17 pro hebr. זִמָּה eoque vocabulo designatur hoc loco flagitium, quod quis committeret, si copulam haberet cum filia uxoris suae aut cum filia filii eius vel filiae eius. Alibi vertitur זִמָּה piaculum Lev. 19,29, nefas Iud. 20,6, iniquitas Ps. 25,10, scelus Ier. 13,27; Ez. 16, 27; 22,9; nefarie Ez. 22,11 etc. — Leges contra incestuosos statutas vide s. v. MATRIMONIUM.

INCIRCUMCISUS v. s. v. CIRCUMCISIO, vol. I. col. 941.

INCREDULITAS, INCREDULUS. In Vulgata Vet. Test. increduli appellantur non tam ii qui fidem Deo denegant, quam recalcitrantes, contumaces, rebelles in Deum (ita hebr. מרה Num. 20,24; Deut. 1,26; סורר Is. 65,2; Ier. 5,23; סרב Ez. 2,6) et hostes qui dolose agunt בגד Is. 21,2 et Hab. 2,4 is dicitur in Vulgata incredulus, cuius anima ex hebr. designatur tumida (superba, arrogans). In Novo Testamento ea voce exprimuntur ἀπιστία (cf. Matth. 13,58; Marc. 6,6; 9,23; 16,14; Rom. 3,3; 11,20. 23; 1 Tim. 1,13; Hebr. 3,12. 19) quibus locis vera notio incredulitatis exprimitur, v. g. Marc. 16,14 : exprobravit incredulitatem eorum, quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt i. e. iis qui testimonium omni fide dignum exhibebant fidem non adhibuerunt; et eadem notione dicitur incredulus ἄπιστος (Matth. 17,16; Marc. 9,18; Ioan. 20,27; Apoc. 21,8). Porro incredulitas etiam habetur in Vulgata ubi graece legitur ἀπείθεια i. e. inobedientia. Describitur enim is qui Deo credere non vult merito tamquam is qui Deo obedientiam et obsequium denegat et sese divinae auctoritati et voluntati opponit. Ita Paulus eos quos de ἀπιστίᾳ reprehenderat, eosdem reprehendit de ἀπειθείᾳ (Hebr. 3, 18. 19; 4,6. 11) eosque ἀπειθήσαντας appellat, uti alias quoque loquitur de obedientia fidei (Rom. 1,5; 2 Cor. 10,5). Eodemque modo incredulitas tamquam inobedientia, contumacia appellatur Rom. 11,30. 32; Col. 3,6 et increduli ἀπειθεῖς vocantur non obtemperantes (sibi persuaderi non patientes) Luc. 1,17; Ioan. 3,36; Act. 14,2; Tit. 3,3; Hebr. 3, 18; 11,31; 1 Petr. 3,20. Et recte quidem; nam si Deus loquitur, etiam vult ut sibi fides adhibeatur. Unde qui fidem denegat, inobediens est et contumax.

INDAI (הֹדוּ, ἡ Ἰνδική) nominatur proprie regio ad Indum fluvium. Nomen hebraicum originem ducit ab Hindu, Hendu, Hidhu (apud Persas), quo prisco nomine Sindhu fluvius Indus designabatur. Assuerus i. e. Xerxes regnasse dicitur ab India usque Aethiopiam Esth. 1,1; 8,9; 13,1; 16,1. Iam Darius I. Hystaspis Indiam i. e. regionem ad partem inferiorem Indi fluminis regno Persarum adiunxit, uti inscriptione prima persepolitana traditur. Et Herodotus quoque Indos fuisse Xerxi subiectos, ei tributa solvisse, in eius exercitu stipendia meruisse narrat (7,9. 97-98; 8,65. 69). In textu hebr. Iob 28,16 legitur Ophir, quam regionem S. Hieronymus ibi de India explicavit; ceterum vide s. v. OPHIR, quae vox in aliis Vulg. locis retenta est (cf. 3 Reg. 9,28; 10,11; 1 Par. 29,4 etc.). Legimus in Vulgata Ez. 27,6 ex ebore indico, hebr. solum ex ebore. Sed cum elephantes in India reperirentur et ex India elephantes et ebur in alias transportarentur regiones, recte vocatur ebur indicum. Eadem ratione rectores elephantorum appellabantur Indi, cuius nominis exemplum habes 1 Mach. 6,37 : Indus, magister bestiae (ὁ Ἰνδὸς αὐτοῦ). De regione Indorum 1 Mach. 8,8 vide s. vv. EUMENES et IONIA.

INFERNUS, INFERUS, INFERI (שְׁאוֹל, ᾅδης) in Vet. Test. omnium mortuorum, in Novo Test. damnatorum domicilium est.

1. Veteris Testamenti de inferis doctrina, initio exilis, quo propius appetebat aetas Messiae, eo planior facta est.

Pentateuchus infernum designat locum subterraneum (Num. 16,30), quo omnes mortui descendunt (Gen. 37,35; Num. 16,30. 33) et a sepulchro diversum (Gen. 25,8; 37,35; Deut. 32,22). Hic locus, cum mors sit peccati poena (Gen. 3,3. 19), et ipse poenalis habetur; quare eo descendere omnes horrent (Num. 16,30. 33; 32,22). Nihilominus bonorum condicio minus dura videtur; congregari enim ad populum suum (Gen. 25,8; 35,29; 49,29. 33; Num. 20,24; 27,13), dormire cum patribus suis (Deut. 31,16), ire ad patres suos in pace (Gen. 15,15) dicuntur. Quin etiam appeti mors iustorum potest (Num. 23,10); salutare enim Domini exspectant (Gen. 49,18).

Ceteris libris historicis (protocanonicis) vix quicquam continetur, quod iis quae ex Pentateucho hausimus, lucem afferre possit, nisi ex Samuele suscitato (1 Reg. 28) mortuos suae mentis compotes esse colligas.

Libri poetici et ea quae diximus, illustrant et nova quaedam adiciunt. Infernum depingunt in ima terra situm, quo mortui delabuntur (Ps. 48,18; 54,16; 62,10; 138,8; 85,13; 87,7; Iob 17,16: Prov. 9.18), amplam cavernam et tenebrosam (Iob 10,21. 22; 17,13; Ps. 48,20; 87,13), domicilium omnium mortalium (Eccl. 12,5; Iob 30,23), quod nemo effugere potest (Ps. 88,49) — quare infernus personificatione quadam « insatiabilis » vocatur (Prov. 27,30) — et quo qui descenderit, redire non potest (Iob 7,9 s.; 16,23; 38,17). Appellatur אֲבַדּוֹן perditio (Iob 26,6; 28,22; 31,12; Ps. 87,12; Prov. 15,11; 27,20), אֶרֶץ נִשְׁיָה terra oblivionis (Ps. 87,13), דּוּמָה, silentium (Ps. 93,17; 113,17) חֹשֶׁךְ, tenebrae (Ps. 142,3). Qui ibi commorantur, רְפָאִים i. e. debiles nominari solent (Ps. 87,11; Prov. 2,18; 9,18; 21,16; Iob 26,5); quae in terris agantur, ignorant (Iob 14,21; Eccl. 9,5. 6. 10), imprimis Deum non laudant (Ps. 6,6; 29,10; 87,11; 113,7). Sortem malorum a bonorum differre non clare enuntiatur.

Librorum propheticorum proprium est efferre poenas malorum; pessimus enim quisque in imis vel mediis inferis collocatur (Is. 14,15; Ez. 32,21). A Daniele (12,2 s.) poenam et mercedem aeternam fore significatur.

Libri deuterocanonici praeterquam quod supplicia iniquorum (Eccli. 7,19) et praemia iustorum (Eccli. 1,43; Sap. 4,7 ss.) clarius enuntiant, duo potissimum adiciunt: unum bonos precationes ad Deum pro vivis facere (2 Mach. 15,12), alterum iustos quosdam purgationis causa poenas dare precationibusque uti, ut a peccatis solvantur, laude dignum esse (2. Mach. 12,42 ss.). Illa igitur aetate tria genera mortuorum distinguuntur : damnatorum, qui cruciatibus afficiuntur, beatorum, qui condicione satis tolerabili utuntur in ea parte inferni, quae a Luc. 16,23 sinus Abrahae vocatur, iustorum, qui peccatorum quorundam poenas luunt, quibus tamen liberari possunt.

2. In Novo Testamento infernus praeter paucos locos, quibus vel de inferis Veteris Testamenti agitur vel ad opiniones vulgares et usque ad ascensionem Christi veras oratio accommodatur (Luc. 16,19 ss.; Act. 2,24; Eph. 4,9; 1 Petr. 2,19), est sedes spirituum et hominum damnatorum. Plerumque gehenna (vide s. v. ENNOM) appellatur, rarius ᾅδης (Luc. 16,23), tartarus (2 Petr. 2,4), abyssus (Luc. 8,31; Apoc. 9,11; 20,1. 3), caminus ignis (Matth. 13,42. 50), stagnum ignis ardentis sulphure (Apoc. 19,20; 20,9; 21,8). Ibi igitur damnati aeterna peccatorum supplicia perpetiuntur. Haec poena delictis singulorum par (Matth. 10,15; 11,22; Luc. 12,47; Rom. 2,6; Apoc. 18,7) est duplex : negativa (poena damni) et positiva (poena sensus).

Privationem beatitudinis esse poenam

damnatorum in parabola decem virginum indicatur (Matth. 25,10). Ii, qui intrare per angustam portam neglexerint, audient illud « Nescio vos » et se expelli foras cum fletu videbunt (Luc. 13,24 ss.). Magnam coenam, qui vocatus accedere recusaverit, nemo gustabit (Luc. 14,16 ss.). Iniqui regnum Dei non possidebunt, sed audient illud iudicis « Discedite a me » (Matth. 7,23; 25,41). Haec poena privativa vocatur interitus, perditio, corruptio (Matth. 7,13; Phil. 3,19; 1 Tim. 6,9; Gal. 6,8), secunda mors, cuius nulla est redemptio (Apoc. 2,11; 20,6. 14; 21,8).

Ad positivam poenam pertinet ipse locus damnatorum proprius (Act. 1,25) et tenebris obductus (Matth. 8,12; 22,13; 25,30; 2 Petr. 2,17; Iud. 13.). Omnium autem summa sunt tormenta ignis (Matth. 5,22; 13,42.50; 18,9; Luc. 16,24; Ioan. 15,6; Apoc. 19,20; 20,15; 21,8), inextinguibilis (Marc. 9,43 ss.; Luc. 3,17), aeterni (Matth. 18,8; 21,41; vide s. v. AETERNITAS). Ibi est fletus et stridor dentium (Matth. 8,12; 13,42. 50; 22,13; 24,51; 50,30; Luc. 13,28) et vermis eorum (i. e. damnatorum angores conscientiae) non moritur (Marc. 9,43. 45. 47). Bibent damnati de vino irae Dei (Apoc. 14,9) nec habent requiem die ac nocte (Apoc. 14,11) neque ullam dolorum levationem (Luc. 16,24-28). Quare Christus hanc miserrimorum sortem intuitus non potest quin horrendum illud vae exclamet (Matth. 11,21; 18,7; 23,13-16; 26,24).

Cf. *L. Atzberger,* Die christliche Eschatologie in den Stadien ihrer Offenbarung im Alten und Neuen Testamente, Freiburg, 1890.

H. WIESMANN.

INIMICITIAE Gen. 26,21 est nomen putei prope Geraram, quem pastores Isaac foderunt, postquam cum pastoribus regis Abimelech de puteo Calumnia (v. s. v., vol. I. col. 722) rixati sunt. Sed etiam de novo puteo iurgium exstitit, quare Isaac eum vocavit Inimicitias (שִׂטְנָה i. e. accusatio, adversatio; LXX Ἐχθρία). Apud Flav. Iosephum (Ant. I. 18,2) puteus appellatur Σιτεννά (*ed. Dindorf*) vel Σύαινα (*ed. Niese*) et additur : ἔχθραν ἀποσημαίνει τὸ ὄνομα.

INIMICITIAE, INIMICUS. Gerere inimicitias, alterum odio habere, ultionem capere variis s. litterarum sententiis interdicitur; immo praecipitur, ut inimici quoque diligantur, qui nobis iniuriam intulerunt. Eius rei exemplum iam exhibetur in historia Ioseph qui non modo nullam capit ultionem, sed laesus quam maxime a fratribus beneficia iis rependit (cf. Gen. 45,4 ss.; 50,19-21). Praescribitur Ex. 23,4 : si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo (cf. Deut. 22,1) et Lev. 19,17 : non oderis fratrem tuum in corde tuo; non quaeras ultionem nec memor eris iniuriae civium tuorum. Id diligenter a se observatum esse testatur Iob : si gavisus sum (i. e. iuro me non gavisum esse) ad ruinam eius qui me oderat et exsultavi quod invenisset eum malum; non enim dedi ad peccandum guttur meum ut expeterem maledicens animam eius (Iob 31,29. 30). Similiter Prov. 20,22 : ne dicas : reddam malum; exspecta Dominum et liberabit te; quam doctrinam repetit Paulus : nulli malum pro malo reddentes (Rom. 12,17) et : videte ne quis malum pro malo alicui reddat (1 Thess. 5,15) idemque 1 Petr. 3,9. Item Prov. 24,17 : cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas et in ruina eius ne exsultet cor tuum, et 25, 21 : si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere (cf. Rom. 12,20) et Eccli. 8,8 : noli de mortuo inimico gaudere.

Verum hisce praeceptis contradicere videntur maledicta illa in nonnullis psalmis contra inimicos prolata; cf. Ps. 34. 51. 54. 57. 58. 68. 108. 136. Ad quae explicanda alia ab aliis proferuntur (cf. *Cornely*, Introd. II. 2 p. 120 ss.). Saepe illa diriguntur contra inimicos *Dei* et peccatores; unde explicanda sunt eodem modo quo hodie quoque Ecclesia precatur : ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris, te rogamus, audi nos! Alia potius ut vaticinia et minae peccatoribus proposita accipi possunt; in aliis

cernere licet zelum iustitiae divinae et honoris Dei, quo exigitur ne scelesti maneant impuniti, et Deus imploratur, ut inimicis repressis adiuvet pios.

Caritas in inimicos quam maxime commendatur et praescribitur a Christo : ego autem dico vobis : diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (Matth. 5,44; Luc. 6,27) atque haec opponit sententiae : diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Et ipse Patrem rogans pro carnificibus : Pater, dimitte illis etc. optimum praebet exemplum eius amoris (Luc. 23,34). Idem amor praeclare manifestatur, cum pro impiis et inimicis mortem subiit (Rom. 2,6-10), qua morte etiam solvit et abstulit inimicitias inter Iudaeos et gentes, utrosque reddens cives sanctorum et domesticos Dei (Eph. 2,14. 19). Uti Siracides dicit : homo iracundus incendit litem et vir peccator turbabit amicos et in medio pacem habentium immittet inimicitiam (Eccli. 28,11), ita apostolus quoque inimicitias inter opera carnis recenset (Gal. 5,20). Cavendum esse ab inimicis Sapiens monet : non credas inimico tuo in aeternum... custodi te ab illo... amico et inimico noli narrare sensum tuum (Eccli. 12,10-12; 19,8). Ceterum Christus iubet nos eos adire qui habeant aliquid adversum nos et reconciliationem efficere (Matth. 5,23. 24); nam ut apostolus quoque docet, quantum ex nobis est, cum omnibus pacem habere debemus (Rom. 12,18; Hebr. 12,14).

Saepe inimicus dicitur notione hostis; ita si Deus populo legem servanti promittit : persequemini inimicos vestros et corruent coram vobis (Lev. 26,7; Deut. 28,7) etc.

INSANUS vide s. v. MORBI.

INSCRIPTIO. Legitur *tituli inscriptio* praefixa Psalmis 15. 55-59; hebr. מִכְתָּם, LXX στηλογραφία. Sed de notione parum constat (cf. *Cornely*, Introd. II. 2 p. 24 ss.). Veteres saepe explicarunt ex כֶּתֶם *aurum*, carmen aureum, pretiosum; alii ex Ier. 2,22 *insculpendi* notionem derivantes exponunt ἐπίγραμμα, carmen quod in perpetuam rei memoriam monumento sit insculpendum, menti alte imprimendum. Quae acceptio a LXX commendatur. Alii ex arabico inferunt notionem carminis *occulti*, quod scil. ignotum fuerit, donec in psalterium insereretur, vel quod sensum includat *occultum*, typicum, mysticum. Uti aliae inscriptiones Psalmorum, ita haec quoque plane incerta est.

INSULA, INSULAE. In Vulgata ita exprimitur hebr. אִי, אִיִּים, qua voce designantur insulae, sed etiam ora maritima, regio ad mare sita (cf. Is. 20,6; 23,2. 6). Saepius eo nomine terrae vel regiones longinquae in mari sitae, vel ultra mare Hebraeis notum sitae indicantur; cf. Ps. 71,10; Is. 24,15; 42,4; 60,9 etc.

IOAB (יוֹאָב, Ἰωάβ). 1. Filius Sarviae, sororis David (1 Par. 2,16), dux exercitus David. Prima eius mentio fit 2 Reg. 2,13, cum contra Abner et servos Isboseth filii Saul pugnaret ad thronum David stabiliendum. Quando vero ad partes David accesserit, certo dici nequit. Eius quidem frater Abisai comes erat David commorantis in deserto et fugientis a Saul; verum in s. litteris nihil eo tempore de Ioab comite David indicatur. Contra Abner et milites Isboseth feliciter pugnavit (2 Reg. 2,13-32); eo in proelio Abner occiderat Asael fratrem Ioab; unde postea Ioab dolose interfecit Abner (2 Reg. 3,27), quamobrem David, ad quem Abner se adiunxerat, tristis de eius caede diras in Ioab imprecatus est (2 Reg. 3,28-30), conquestus quoque : isti filii Sarviae (Ioab et Abisai) duri sunt mihi (v. 39). Egregium autem pugnatorem se exhibuit Ioab, cum David Iebusaeos oppugnaret. Nam cum David dixisset : omnis qui percusserit Iebusaeum in primis, erit princeps et dux, Ioab ascendit primus et factus est princeps (1 Par. 11,6). Ea itaque re fortiter gesta novam et maiorem dignitatem nactus est; nam dux belli iam exstitisse censendus est, cum contra Abner et Isboseth turmam militum duceret (2 Reg. 2,13); verum inde minime sequitur — quod aliqui obiiciunt — id quod 1 Par. 11,6 narretur

non posse consistere. Insuper nota loco priore nullum honoris titulum ei indi; sed post expugnatam arcem Sion legimus : Ioab erat super exercitum (2 Reg. 8,16; 20,23). Summus belli dux Ioab quoque cernitur in bello contra Syros, quos Ammonitae in auxilium vocaverant contra David iratum de iniuria legatis illata (2 Reg. 10,7 ss.). Quo in certamine ipse Ioab partem exercitus duxit contra Syros; alteram partem tradidit Abisai fratri suo contra Ammonitas. Utrique, et Syri et Ammonitae fusi fugatique sunt (2 Reg. 10,9-14). Mox Ioab regionem Ammonitarum vastavit et urbem eorum primariam obsedit Rabba; dum urbem oppugnaret, David ei per epistulam mandavit : « ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est proelium et derelinquite eum, ut percussus intereat », id quod Ioab exsecutus est (l. c. 11,14 ss.). Ita autem Ioab Davidi regi addictus erat, ut gloriam urbis expugnatae non sibi, sed regi adscribi vellet. Cum itaque res iam eo processisset ut urbs caperetur, misit nuntios ad regem, ut ipse veniret et urbem caperet, « ne cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria » (12,27 s.).

Per Ioab quoque factum est, ut David induceretur ad Absalom filium ex exsilio revocandum — quem Ioab ex Gessur in Ierusalem adduxit — et cum Absalom non admitteretur ad regem, usus est Ioab intercessore qui Davidi persuasit, ut filium in gratiam reciperet (14,19 ss.). Cum autem Absalom rebellasset, Ioab causam Davidis contra ipsum Davidem tueri desiderans, Absalom filium rebellem interfici iussit quamvis rex omnibus praecepisset : servate mihi puerum Absalom (18,5. 10 ss.). Eandem curam utilitatis regis ostendit cum reprehendens quod propter luctum de Absalom suos neglegeret (19,5 ss.). David ea in re monitis eius acquievit : surrexit ergo rex et sedit in porta et omni populo nuntiatum est quod rex sederet in porta (v. 8); at offensus eo quod Ioab non pepercisset Absalomi, Ioab e dignitate deiicere statuit, promittens Amasae : haec faciat mihi Deus et haec addat, si non magister militiae fueris coram me omni tempore pro Ioab (19,13). Quare cum Seba, filius Bochri, rebellasset, Amasa iussus est convocare Iudam. Verum Amasa officio suo segniter functus est; quare David iussit Abisai fratrem Ioab milites educere contra rebellem. Cum usque ad Gabaon pervenissent, etiam Amasa veniens occurrit eis. Ioab autem simulans blandam salutationem eum gladio percussit. Cur eum occiderit, explicari poterit et ex invidia quod David in eum transtulerit summam belli et ex indignatione quod adeo neglegenter bellum gereret. Eo enim occiso omnes secuti sunt Ioab persequentes rebellem et res ad prosperum exitum perducta est. Ioab autem iterum fuit super omnem exercitum Israel (20,1-23). Quando contra Idumaeos usque ad internecionem pugnaverit (3 Reg. 11,16) non clare indicatur; ex 2 Reg. 8,14 fortasse colligi potest eam stragem Idumaeis esse illatam Ammonitis Syrisque devictis. Ioab prudenter se opposuit Davidi, cum numerari vellet Israel et Iudam; at rex ei minime acquievit et Ioab per novem menses et viginti dies in numerando populo cum aliis principibus militum occupatus erat.

Ioab a partibus stetit Adoniae, dum is Davide superstite regnum affectaret quod David iam Salomoni destinaverat (3 Reg. 1,7. 19). Demum David moriturus iniunxit Salomoni, ne caedes impunitas relinqueret quas Ioab commisisset dolose interficiens Abner et Amasam (3 Reg. 2,5). Cum Salomon occidisset Adoniam et Abiathar qui eum adiuverat sacerdotio eiecisset, Ioab quoque sibi timuit et, ut vitam servaret, fugit in tabernaculum Domini et apprehendit cornu altaris. At frustra. Iussu Salomonis ibi a Banaia occisus est (3 Reg. 23-33). Laudanda in Ioab est fidelitas et sedulitas qua causam Davidis iuvit et promovit; vituperanda eius ferocitas. Cf. 1 Par. 19,8 ss.; 20,1; 21,2; 26,28; 27,24. 34.

2. Ioab, filius Saraiae ex posteris Cenez, pater vallis artificum (1 Par. 4,14), quae vallis erat in regione prope Lod et Ono (Neh. 13,35). Cum pater nominetur, posteri eius ibi incolebant.

3. Princeps familiae, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,6; 8,9; Neh. 7,11).

4. Corona domus Ioab (1 Par. 2,54 v. ATAROTH 6.

IOACHAZ (יְהוֹאָחָז, Ἰωάχαζ). 1. Filius Iehu, rex Israel, qui anno 23. Ioas regis Iuda regnare incepit et decem et septem annis super Israel in Samaria regnavit (4 Reg. 10,35; 13,1). Fecit malum coram Domino secutus peccata Ieroboam i. e. idololatriam fovit et eo scelere etiam populum peccare fecit. In cuius poenam vehementer afflictus est per reges Syriae Hazael eiusque filium Benadad; cladibus variis inflictis ei relicti sunt solum quinquaginta equites et decem currus et decem millia peditum. In afflictione sua confugit ad Dominum, qui eum audivit in tantum, ut regnum Israel ab ulteriore ruina servaretur (4 Reg. 13,2-9). Sepultus est in Samaria.

2. Filius Iosiae, quem Iosia rege in proelio ad Mageddo occiso populus regem sibi constituit natum annos viginti tres. Verum brevi regnavit fecitque malum coram Domino i. e. uti complures ex regibus antecedentibus idololatriae operam dedit. Iam post tres menses regni a Nechao rege Aegypti, victore in pugna ad Mageddo, regno est privatus et in Rebla quae est in terra Emath catenis vinctus est (4 Reg. 23,30-33; 2 Par. 36,1-3). Abductus est captivus in Aegyptum ibique mortuus est, uti clare id enuntiat Ier. 22,10-12; cf. Ez. 19,2-4. Ieremias l. c. eum vocat Sellum, quod nomen ei proprium fuisse videtur, cum etiam 1 Par. 3,15 eo nomine recenseatur. Unde nomen alterum Ioachaz sibi attribuisse videtur, cum regnum capesseret, sicut Eliacim rex factus Ioakim nominatur et Matthanias in regnum provectus Sedecias appellatur (cf. 4 Reg. 23,34; 24,17).

3. Eo nomine appellatur quoque 2 Par. 21,17; 25,23 filius minimus natu Ioram regis (hebr. et Vulg.) qui alias nominatur Ochozias, uti 2 Par. 22,1 et 4 Reg. 8,24 etc.; vide s. v. OCHOZIAS 2.

4. Pater Ioha scribae regis Iosiae 2 Par. 34,8 (יוֹאָחָז, Ἰωάχ).

IOACHIN (יְהוֹיָכִין, יוֹיָכִין, יְכָנְיָהוּ, יְכָנְיָה, etiam כָּנְיָהוּ Ier. 22,24. 28; 37,1; Ἰωαχίμ, Ἰεχονίας, Ἰωακείμ), filius Ioakim, qui octodecim annos natus coepit regnare in Ierusalem; verum regnavit solum per tres menses (4 Reg. 24,8; et decem dies, uti additur 2 Par. 36,9) et fecit malum coram Domino. Cum Nabuchodonosor octavo anno regni sui ascenderet in Ierusalem et urbem oppugnaret, Ioachin ad eum egressus est, sed ipse et mater eius et uxores et principes et decem millia militum et artifices abducti sunt in captivitatem in Babylonem. De qua ruina regiae familiae loquitur Ieremias 13,18 et 22,24-30 neque de eius semine fore qui sedeat super solium David. Mansit in captivitate babylonica — neque tamen semper carcere erat inclusus; cf. Par. 1,3 —; anno tandem transmigrationis trigesimo septimo, die 25. mensis duodecimi elevavit Evilmerodach rex Babylonis caput Ioachin regis Iuda et eduxit eum de domo carceris et locutus est cum eo bona et posuit thronum eius super thronos regum » etc.; prae aliis regibus subiectis qui aderant in aula honorabatur; praeterea ad mensam regiam conviva adhibebatur quotidie et eius familiae vel comitibus quoque commeatus a rege assignabatur (Ier. 52,31-34; 4 Reg. 25,27-30). Omnino licet supponere Ioachin longa illa captivitate (597-560) ab iniquitate sese toto corde convertisse ad Deum; quare tandem levamen nactus sit. Honor autem eius simul potuit esse pro Iudaeis exsulibus praesagium quoddam quod Deus promissionum memor misericordiam suam a suo populo non auferat. — Nominatur in Vulgata quoque Iechonias 1 Par. 3,16; Ier. 22,24. 28; 24,1; 27,20; 28,4; 37,1; Bar. 1,3; Esth. 2,6; 11,4; Matth. 1,11. 12.

IOACIM v. IOAKIM 3 et 4.

IOADA v. IARA 2.

IOADAN (יְהוֹעַדָּן, Ἰωαδίμ, Ἰωαδάν), uxor Ioas et mater Amasiae regum Iuda, hierosolymitana (4 Reg. 14,2; 2 Par. 25,1).

IOAH (יוֹאָה). 1. Levita de stirpe Gersom (1 Par. 6,21; LXX Ἰωάβ).

2. Levita de stirpe Gerson tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12; A Ἰωά). Nomen Ioah l. c. bis legitur: Ioah filius

Zemma et Eden filius Ioah (Ἰωαχά); sed quamquam LXX nomina diverso modo reddunt, idem levita designari videtur filius Zemma et pater Eden.

IOAHA (יוֹאָה, Ἰωάθ, A Ἰωαά), levita de stirpe Core, tertius filius Obededom, ianitor domus Domini (1 Par. 26,4).

IOAHE (יוֹאָח, Ἰωάχ, Ἰωάχ), filius Asaph et regi « Ezechiae a commentariis » (vide s. v. COMMENTARIUS), legatus simul cum Eliacim et Sobna ad duces Sennacherib, regis Assyriorum, missus, cum isti iuxta aquaeductum piscinae superioris stetissent et postularent, ut Ierusalem traderetur (4 Reg. 18,18. 26. 37; Is. 36,3. 11. 22).

IOAKIM (יְהוֹיָקִים, Ἰωακίμ). **1.** Filius Iosiae regis Iuda et frater Ioachaz regis. Nechao rex Aegypti Ioachaz regem regno privavit et in eius locum constituit Eliacim, cuius nomen in documentum suae dominationis vertit Ioakim simulque imposuit multam terrae, centum talentis argenti et talento auri. Hoc itaque tributum colligere et regi Aegyptiorum solvere Ioakim rex tamquam regni initium sortitus est. Viginti quinque annorum erat cum regnare coepisset et undecim annis regnavit in Ierusalem et fecit malum coram Domino (4 Reg. 23,33-37). Cum populus Iosia rege in proelio ad Mageddo occiso fratrem Ioakim iuniorem constituisset regem, vid. Ioachaz natum viginti tres annos, concludi potest Ioakim mores iam tum eos fuisse quibus regno bene administrando ineptus esse merito iudicaretur. Neque eventus hanc populi opinionem fefellit. Nam qualis fuerit rex, satis declaratur querelis Ieremiae: « vae qui aedificat domum suam in iniustitia et coenacula sua non in iudicio » etc. 22,13 ss.; palatium sibi aedificat splendidum, ad cuius sumptus opprimit subditos neque opificibus mercedem solvit; « tui oculi ad avaritiam et ad sanguinem innocentem fundendum et ad calumniam (i. e. oppressionem et vexationem) et ad cursum mali operis » (Ier. 22,17). Quantae esset impietatis, documenta edidit, dum Uriam prophetam gladio perculeret et occisum quoque ignominia afficeret (Ier. 26,20-23), dum Ieremiam et Baruch prophetas persequeretur et librum oraculorum Domini scinderet et combureret (Ier. 36,22 ss.). Quarto anno regni eius Nabuchodonosor in pugna ad Charcamis devicit Nechao regem Aegypti (Ier. 46,2); qua victoria dominatio in Syriam quoque ac Palaestinam ad Babylonios translata est. Eodem anno Ieremias Iudaeis aliisque gentibus denuntiat servitutem quam per annos septuaginta Babyloniis praestare debebunt (25,1 ss.) eodemque anno sermones suos iussu Domini volumine comprehendit, quod sequenti anno Baruch publice legit et rex impius combussit. Uti Ieremias praedixerat, Nabuchodonosor venit ad urbem et obsedit eam et tradidit Dominus Ioakim regem in manu eius et vinxit eum rex catenis, ut duceret eum captivum Babylonem, id quod tamen exsecutus non est; at partem vasorum templi asportavit et posuit ea in templo dei sui. Ioakim autem ut regem sibi subiectum in urbe Ierusalem manere permisit (cf. 4 Reg. 24,1; 2 Par. 36,6. 7 hebr.; Ier. 35,11; 36,29; Dan. 1,2). Per tres annos Ioakim imperio Babyloniorum obedivit, verum postea rebellavit. Unde regnum Iudaicum magnis periculis obiecit; nam ut rebellem puniret, Nabuchodonosor milites Chaldaeos in Syria relictos et Moabitas Ammonitasque ad praedam ex Iudaea agendam semper promptos contra Ioakim immisit; in iis certaminibus ipse Ioakim modo ignominioso interiit, uti Ieremias praedixerat (22,18. 19; 36,30). Mox ipse Nabuchodonosor Iudaeam petiit ad rebelles puniendos et filius Ioakim regis Ioachin luit patris perfidiam, ductus in captivitatem babylonicam (4 Reg. 24,11 ss.).

2. Sacerdos, filius Helciae filii Salom, ex familia pontificia (cf. 1 Par. 5,39; hebr. 9,11), ad quem quinto anno post urbem a Chaldaeis incensam exsules ex Babylonia pecuniam miserunt (Bar. 1,7), ut sacrificia offerrentur ad aram Domini in ruinis urbis. Cum l. c. Ioakim sacerdos prae aliis nomine efferatur, aliorum princeps censendus erit, qui scil. vices gesserit pontificis exsulis; fortasse constitutus erat in dignitate sacerdotis secundi (vide ad Ier. 22,24) vel ducis in

domo Domini (cf. Ier. 29,26; 1 Par. 9,11 hebr.; 2 Par. 31,13; Neh. 11,11).

3. Ioacim vocatus est pontifex, filius Iosue et pater Eliasib (Neh. 12,10. 12. 26).

4. Ioacim pontifex, qui de Ierusalem venit in Bethuliam, cum universis presbyteris suis, ut videret Iudith (15,9). Hic 4,5. 11 appellatur Eliachim (in Vulgata; graece 4,6. 8 retinetur Ἰωακίμ), quem aliqui eundem esse atque Eliacim putant de quo 4 Reg. 18,18 et Is. 22,20 (cf. *Cornely,* Introd. II. 1 p. 405).

5. Ioakim etiam appellatur maritus Susannae, vir valde dives, habitans in Babylone, qui inter Iudaeos exsules magna auctoritate pollebat et in cuius domo iudicia habebantur (Dan. 13,1. 2. 4. 6). Innocentia Susannae manifestata Ioakim maritus cum aliis cognatis Deum laudavit quia non esset inventa in eo res turpis (Dan. 13,63).

IOANNA. 1. Ioanna (Ἰωανάν) in genealogia Christi Luc. 3,27; v. HANANIAS 7.

2. Ioanna (Ἰωάννα, Ἰωάνα), uxor Chusae procuratoris (ἐπιτρόπου) Herodis Antipae; una ex piis mulieribus, quae curatae erant per Iesum a malignis spiritibus et infirmitatibus et quae ei et discipulis ministrabant de facultatibus suis (Luc. 8,3). Ioanna Iesum quoque ex Galilaea in Iudaeam secuta est et erat cum iis quae summo mane ad sepulcrum venerunt, ut ungerent corpus Iesu et quibus angeli Iesum iam resurrexisse nuntiabant (Luc. 24,10).

IOANNES (Ἰωάννης, Ἰωάνης), quod nomen idem est ac hebr. יְהוֹחָנָן et יוֹחָנָן i. e. Iahwe dedit gratiam. Nomen est satis frequens. Verum hoc loco ii solum enumerandi sunt qui in Vulgata nomine Ioannes efferuntur (alios vide s. v. IOHANAN).

1. Pater Mathathiae (1 Mach. 2,1).

2. Unus e filiis Mathathiae, qui primo loco recensetur, cognominatus Gaddis (1 Mach. 2,2). Hic captus et occisus est a filiis Iambri (vide s. v.); eius sanguinem ulti sunt Ionathas et Simon fratres eius (1 Mach. 9,35 ss.).

3. Ioannes, pater Eupolemi (1 Mach. 8,17; 2 Mach. 4,11) legati a Iuda Machabaeo Romam missi.

4. Ioannes Hyrcanus, filius Simonis, fortis proelii vir, quem pater posuit ducem exercitus in Gazaris (1 Mach. 13,53). Ei et fratri eius Iudae Simon pater senex commisit bellum gerendum contra Cendebaeum, ducem Antiochi VII.; quo bello Ioannes se prudentem et fortem praebuit. Cum enim eius exercitus trepidaret ad transfretandum torrentem, qui medius erat inter castra, ipse transfretavit primus suoque exemplo aliis omnibus animum addidit. Pugna exorta fugatus est Cendebaeus, fugientes Ioannes insecutus est usque Cedronem et usque ad turres quae erant in agris Azoti, quam urbem igni succendit. Parta victoria reversus est in Iudaeam in pace (1 Mach. 15,38-16,10). Ptolemaeus filius Abobi et gener Simonis, qui Simonem et eius filios, Mathathiam et Iudam, convivio exceptos in Doch trucidavit, etiam misit qui Ioannem Gazaris interficerent. Sed Ioannes ea de re certior factus viros illos comprehendit et occidit (l. c. v. 11-22). Pro ceteris rebus ab eo gestis remittimur v. 23. 24 ad librum dierum sacerdotii eius. Qui liber cum iam non exstet, reliqua de Ioanne ex Flavio Iosepho (Ant. XIII. 8-10; Bell. iud. I. 2,2 ss.) petenda sunt. Sunt autem breviter haec: Ioannes pontificatum gessit per annos 31 (135-104 a. Chr.); Ptolemaeum fugere coegit; oppugnatus ab Antiocho VII. tributum solvere coactus est et urbem Ierusalem a praesidio alienigenarum immunem servavit datis obsidibus et solutis argenti talentis quingentis. Aperto sepulcro Davidis tria millia talentorum argenti inde extulit et primus Iudaeorum coepit externum militem pecunia conducere. Inita amicitia cum Antiocho, cum is in Parthos expeditionem susciperet, eum comitatus est. Eo mortuo Ioannes expeditionem fecit in urbes Syriae, destruxit templum in Garizim et Idumaeos ad circumcisionem assumendam coegit et cum Romanis amicitiam renovavit. Tum Samaritanis bellum intulit urbemque destruxit Samariam. Cum diu a partibus Pharisaeorum stetisset, tandem ab iis offensus ad Sadducaeos transiit. Asserit Flavius

Iosephus (l. c. 10,7) eum optime (τὸν ἄριστον τρόπον) per annos triginta et unum imperio praefuisse tria maxima consecutum a Deo principatum gentis, pontificalem honorem et vaticinationem (?).

Cf. de Ioanne Hyrcano *Ewald*, Gesch. d. Volkes Israel *ed.* 3 IV. 446-502; *Grätz*, Gesch. d. Iuden *ed.* 4 III. 64-117; *Werner*, Iohann Hyrkan, ein Beitrag zur Geschichte Iudaeas im zweiten vorchristl. Iahrhundert 1877; *J. Wellhausen*, Die Pharisäer u. die Sadducäer 1874 p. 89-95; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 I. 256-273. — Quoad nummos vide *Madden*, Coins of the Jews 1881 p. 74-81.

5. Unus e legatis quos Iudaei ad Lysiam ducem Syrorum miserunt (2 Mach. 11,17).

6. Ioannes Baptista, praecursor Domini. Eius nativitas per Gabriel angelum annuntiatur patri Zachariae offerenti incensum ad altare aureum in sacro : uxor tua Elisabeth pariet tibi filium et vocabis nomen eius Ioannem... erit magnus coram Domino et vinum et siceram non bibet et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae (Luc. 1, 13-17). Quibus verbis quantus qualisque futurus sit Zachariae filius adumbratur. Quod angelus promisit fore ut Spiritu Sancto repleretur adhuc ex utero matris suae, interventu Mariae Virginis matris Messiae completum est testante Elisabeth : ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis exsultavit in gaudio infans in utero meo (Luc. 1,44). Cum Luc. 1,80 clare statuatur : puer erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel, facile explicatur, quomodo Ioannes Iesum non cognoverit facie; « ego nesciebam eum » (Ioan. 1,33) neque quidquam valet quod recentiorum aliqui obiiciunt : si ex synopticorum narratione tam arta intercessit cognatio inter Elisabeth et Mariam, cogitari nequit pueros non inter se nosse atque proinde exsistere contradictionem inter synopticos et quartum evangelium. Verum separati erant loco habitationis : Iesus adolescebat in Nazareth, Ioannes a puero in desertis Iudaeae.

Anno demum quintodecimo imperii Tiberii Caesaris factum est verbum Domini ad Ioannem (Luc. 3,1. 2), qua dictione iam declaratur eum a Deo mitti prophetam. Habitu quoque et more prophetae se turbis exhibuit. Vestitus erat, ut olim Elias; vitae austeritatem quam turbae semper magna cum reverentia suspiciunt eximiam prae se tulit; more prophetarum intrepide ac severe in vitia omnium ordinum invehebatur et emendationem veram et sinceram expostulabat. Edidit quoque vaticinium de fortiore qui venturus sit; quod eventu comprobatum est. Ergo ea etiam ratione se probavit prophetam a Deo missum (cf. Deut. 18,21. 22). Per plura iam saecula non surrexerat in Israel propheta quamvis talis exspectaretur et desideraretur (cf. 1 Mach. 4,46; 9,27; 14,41). Unde quoque intellegitur cur tanta omnium ordinum facta sit commotio, cum subito propheta more antiquo a Deo populo excitaretur : exibat ad eum Ierosolyma et omnis Iudaea et omnis regio circa Iordanem (Matth. 3, 5). Sentiebant omnes in eo peculiare Dei consilium apparere et revelari; et quale illud esset, eius concione pandebatur : appropinquavit regnum caelorum; parate viam Domini (Matth. 3,2; Marc. 1,2); qua regnum instare messianum, novam illam theocratiam a prophetis annuntiatam, omnibus palam fiebat. Quare synedrium misit sacerdotes et levitas, ut interrogarent eum essetne ipse Christus; respondit : ego vox clamantis in deserto : dirigite viam Domini; i. e. se profitetur nuntium Domini venturi. Quem ut ipse videret certe magno desiderio exspectabat. Scivit revelatione divina Christum ad se venturum esse (Ioan. 1,19-34). Quare Christum, qui sane toto habitu et vultu summam quandam prae se ferebat modestiam dignitati coniunctam, simul ac ad baptismum accessit, statim cognovit profitens : ego a te debeo baptizari et tu venis ad me (Matth. 3,14); neque ulla est contradictio inter eam narrationem et Ioan. 1,33. Dein signo caelitus dato, de quo revelationem acceperat, divini-

tus comprobatus est Iesus ut Christus et Filius Dei : « super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto ; et ego vidi et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei » (Ioan. 1, 33. 34). Quod testimonium audientibus discipulis saepius Iesu reddidit; videns enim Iesum ait : ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi; hic est de quo dixi : post me venit vir etc. (Ioan. 1,29. 30. 36). Ab eo Iesus etiam primos suos accepit discipulos. Et cum aliqui ex discipulis Ioannis aegre ferrent, quod maior populi concursus ad Iesum fieret, iterum praeclarum edidit testimonium de Christo sponso Ecclesiae Ioan. 3, 26 ss.

Sortitus est Baptistae nomen, qui novum quendam baptismi ritum divinitus edoctus (qui misit me baptizare in aqua, Ioan. 1,33) populum subire docuit. Iste enim erat baptismus poenitentiae; suscipiebatur in signum poenitentiae et emendationis vitae cum spe remissionis peccatorum a Deo obtinendae; ut documentum ederetur detestationis peccatorum, singuli qui ritum illum subibant confitebantur peccata sua (Matth. 3,6. 11; Marc. 1,5). Unde apparet hunc baptismum longissime differre a lotione quam Iudaei faciebant ad immunditiem leviticam amovendam. Differebat quoque, quia *a Ioanne* baptizabantur. Quare interrogarunt qui missi erant a synedrio, cur novum induceret ritum (Ioan. 1,25). Ab omnibus postulabat, ut dignos poenitentiae facerent fructus; singulis ordinibus congrua tradebat documenta et monita. Pharisaeos monebat ne fiduciam suam ponerent in carnali ab Abraham descensu; milites et publicanos hortabatur, ut ab omni abstinerent iniustitia. Uti a prophetis iam erat annuntiatum, declarat simul cum ortu regni messiani fore iudicium in contumaces : iam securis ad radicem arborum posita est...; in manu Messiae esse ventilabrum : permundabit aream suam, paleas comburet igni inexstinguibili (Matth. 3,7-12; Luc. 3,7-18). Neque pepercit Herodi Antipae, peccatori nobilissimo, qui Herodiadem uxorem fratris sui adulterio sibi copulaverat. Audacter scelus castigavit : non licet tibi habere uxorem fratris tui (Matth. 14,4; Marc. 6,18). Quare ab Herode instigante adultera Ioannes missus est in carcerem, in castello Machaerunte. Timore populi Herodes impediebatur quominus cederet Herodiadi mortem importuni morum censoris postulanti; praeterea Herodes sciens Ioannem esse virum sanctum et iustum eum religioso quodam timore prosequebatur, cum ab insidiis Herodiadis tuebatur et cum saepe audiret, ex eius colloquiis de multis quae fecerat reddebatur dubius et anxius (Marc. 6,19. 20 graece ἠπόρει; vide *Knabenbauer,* Comm. in Marc. p. 169). Cum itaque Herodes ita erga eum esset affectus, non est mirum habuisse discipulos Ioannis liberum ad eum accessum. Ioannes autem certe praesagiens mortem sibi instare, etiam e carcere voluit testimonium reddere Christo et suos discipulos et populum monere, ut Christo fide integra adhaererent. Quare ex carcere misit duos ex discipulis ad Iesum, qui eum interrogarent : tu es qui venturus es an alium exspectamus? Qua interrogatione omnibus exemplo praeit declarans affirmationi Iesu de se plenam adhibendam esse fidem simulque iterum munere suo parandi Domino plebem perfectam fungi vult quantum potest (Matth. 11,2 ss.; Luc. 7,18. 19).

Ex eo eventu aliqui concluserunt ipsum Ioannem dubitasse essetne Iesus Christus. Verum hi ad tria quae omnino considerare oportet non attenderunt. Primo enim Ioannes divinitus erat edoctus eum super quem videret Spiritum descendentem esse Christum, esse eum ad quem annuntiandum et demonstrandum ipse esset missus (Ioan. 1,33). Iam nonne maxima infertur Ioanni iniuria, si dicitur dubitasse, num Deus sibi verum revelasset? quomodo sine scelere posset in dubium vocare quod Deus affirmavit? Dein explicite narrat Matthaeus : Ioannes cum audisset in vinculis opera *Christi,* mittens duos de discipulis etc. (11,2); ergo audit et agnoscit *opera Christi,* et ut omnes ad illa reddat attentos, eam palam fieri vult quaestionem. Tertio perpendenda est laus eximia constantiae et magna illa di-

gnitas quam Christus publice ei attribuit ea ipsa occasione, neque minus advertendum, quam acriter Iudaeos reprehendat eo quod Ioanni non credidissent (Matth. 11,7-18). Quibus omnibus plane excluditur ullum Ioannis de Christo dubium; praeterea tali dubitatione totam suam missionem et praedicationem et ministerium ad deceptionem et fraudem reiecisset et repudiasset. Declaratur a Christo maximus inter omnes Veteris Test. sanctos et prophetas, cui illud quoque singulare et eximium contigit, ut eius adventus oraculo prophetico annuntiaretur (Mal. 3,1; Matth. 11,10; Marc. 1,27) et nativitas et praeclara virtus et officium ministerio angelico patri indicaretur.

Herodias assidue ei insidiabatur. Demum nacta est opportunitatem quam diu iam expetebat. Herodes vino temulentus et voluptate incensus filiae Herodiadis saltatrici iureiurando coram insigni convivarum corona promiserat: quidquid petieris dabo tibi licet dimidium regni mei. Puella tanta promissione attonita consulit matrem. Quae sane gaudio tripudiavit! Herodes suis verbis captus est! Et puella a matre edocta redit cum festinatione ad regem: volo ut protinus des mihi hic in disco caput Ioannis Baptistae (Marc. 6,21 ss.; Matth. 14,6 ss.). Rex quidem ea petitione contristatus est; at propter iusiurandum et propter simul discumbentes noluit puellam contristare. Ioannes decollatus est in carcere; caput eius in disco allatum est puellae, quae illud dedit matri. Discipuli autem Ioannis tulerunt corpus eius et posuerunt in monumento (l. c.). Ioannem ab Herode iussum esse necari Flavius Iosephus quoque refert; vocat Ioannem cognomento Baptistam « virum bonum, qui Iudaeos ad virtutis studium excitarit praecipiens, ut iuste quidem inter se, erga Deum autem pie agentes ad lavacrum accederent. Cumque multi ad eum undique confluerent, Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas subditos ad defectionem impelleret (videbantur enim omnia de consilio eius facturi esse) satius esse duxit, priusquam novi aliquid ex illo oriretur, illum e medio tollere, quam ut ipse mutatione rerum facta in discrimen adductus poenitentiam ageret. Atque ille quidem ob hanc Herodis suspicionem in vincula coniectus missusque ad castellum Machaeruntem ibidem caesus est; Iudaei vero persuasum habebant in ultionem necis eius deletum esse exercitum (ab Areta) Deo propterea Herodi infenso » (Ant. XVIII. 5,2). Quae Flavius Iosephus dicit, facile ex iis consequuntur, quae evangelistae narrant. Cum enim Baptista adulterium Herodis reprehenderet, Herodes pro eius apud populum auctoritate haud immerito sibi timere poterat ne subditi illa denuntiatione sceleris a se averterentur.

Initio quidem Ioannis praedicatione magna populi commotio est effecta; ipsi quoque nobiliores ad horam voluerunt exsultare in luce eius, qui erat lucerna ardens et lucens (Ioan. 5,35). At scribae et Pharisaei non crediderunt ei neque poenitentiam agebant; immo austeram eius vitae rationem traducebant dicentes: daemonium habet (Matth. 11,18) et interrogati a Christo, unde baptismus Ioannis fuisset, e caelo an ex hominibus, nolunt dicere eum e caelo fuisse, neque audent propter populum asserere ex hominibus fuisse. Apud nobiliores itaque Ioannes parum effecit, verum Christo teste: publicani et meretrices crediderunt ei et isti praecedent illos in regnum Dei (Matth. 21,31. 32).

7. Ioannes, discipulus ille quem Iesus diligebat, apostolus. Filius erat Zebedaei et Salomes (cf. Marc. 15,40 cum Matth. 27,56). Zebedaeus erat piscator qui habebat mercenarios (Marc. 1,20), Salome inter eas enumeratur pias mulieres, quae Dominum secutae erant a Galilaea ei ministrantes de facultatibus suis (Matth. 27,55; Marc. 15,41); quare Ioannes a familia fortunata vel satis divite ortus est. Aliqui putabant Ioan. 19,25 « soror matris eius » comparatione facta cum Matth. et Marc. l. c. intellegi posse de Salome; unde arta exsisteret inter Iesum et Ioannem propinquitas; quae tamen loci illius acceptio nullatenus est probabilis; nam grammatice « Maria Cleophae » est appositio ad « soror matris eius » quia et ante et post singulae enuntiationes nominum καὶ inter se

iunctae sunt; insuper *haec* acceptio suffragio antiquitatis et plurimorum interpretum commendatur. Dicitur Ioannes « notus pontifici » (γνωστός, Ioan. 18,15) i. e. cognitus ei; unde pariter colligunt eius familiam non fuisse ignobilem. Ipse Ioannes discipulum se addixerat Baptistae; cum audisset Baptistam testimonium perhibentem Iesu : ecce agnus Dei, simul cum Andrea secutus est Iesum et invitatus benigne a Iesu cum eo mansit illo die (Ioan. 1,35 ss.). Ad continuam sequelam Iesu invitatus est simul cum fratre Iacobo post miraculosam piscationem (Luc. 5,1 ss.; cf. Matth. 4,21; Marc. 1,19); postea electus est apostolus (Luc. 6,14). In albis apostolorum semper enumeratur in primo quaternione et quidem loco secundo (Act. 1,13), tertio (Marc. 3,7), quarto (Matth. 10,3; Luc. 6,14). Est ille discipulus, quem Iesus prae ceteris diligebat, qui in coena ultima paschali « in sinu » Iesu recubuit, unde ὁ ἐπιστήθιος a Patribus appellatus, qui unus ex apostolis ad crucem adstitit et cui Iesus moriens matrem suam commendavit (Ioan. 13,23; 19,26. 27). Simul cum fratre Iacobo nactus est a Domino cognomen filii tonitrui, Boanerges (vide s. v.). Quae sit eius nominis ratio, plerumque explicant vel ab indole ferventiore vel ab eloquentia quasi tonante. Illa utique cernitur Marc. 9,37; 10,35 et Luc. 9,54 et in epistulis Ioannis (1 Ioan. 2,22; 3,8 et 2 Ioan. 7-11) et in variis locis Apoc.; ex qua indole etiam consequitur praedicatio ardens.

Ioannes quoque erat inter tres illos qui Christo maxime erant familiares, qui soli a Christo assumebantur, ut interessent resuscitationi filiae Iairi, transfigurationi, agoniae Christi in horto (Marc. 5,37; 9,1; 14,33). Simul cum Petro missus est ad parandam coenam paschalem, in qua recumbens in sinu Iesu ab eo exquirit et signo dato intellegit quis sit proditor (Ioan. 13,23-28). Sequitur Christum in atrium pontificis, testis est mortis eius et transfixionis lateris. Die resurrectionis nuntio de vacuo sepulcro accepto cum Petro currit ad monumentum et primus apostolorum credit Iesum resurrexisse; ad lacum Tiberiadis primus Dominum agnoscit (Ioan. 18,15; 19,35; 20,2. 8; 21,7).

Post pentecosten comes Petri erat cum is sanaret claudum; simul cum eo loquebatur ad turbam et cum eo a magistratu templi positus est in carcere; postero die testimonium magna constantia reddiderunt coram synedrio; iussi autem non amplius loqui in nomine Iesu ulli hominum responderunt Deo esse obediendum : non enim possumus quae vidimus et audivimus non loqui. Simul cum Petro Samariae neophytis manuum impositione sacramentum contulit confirmationis (Act. 3,1 ss.; 4,3 ss.; 8,14). In concilio quod dicunt apostolorum simul cum Petro et Iacobo « Ecclesiae columnis » accensetur et Pauli ad gentes apostolatum approbat (Gal. 2,6 ss.).

Ex eo tempore in sacris libris de eo rebusque ab eo gestis iam non fit mentio; solum Apoc. 1,9 legimus : ego Ioannes frater vester et particeps in tribulatione et regno et patientia in Christo Iesu, fui in insula quae appellatur Patmos, propter verbum Dei et testimonium Iesu.

De Joanne tamquam auctore Apoc. et evangelii et epistularum atque de reliqua vitae eius historia vide *Cornely*, Introd. III. p. 207 ss. 657 ss. 689 ss.; *Belser*, Einleitung in d. Neue Test. 1901 § 21-32.

Ultimis hisce decenniis multum agitatur quaestio de Ioanne presbytero, cui critici moderni evangelium, epistulas, Apocalypsin Ioannis adscribunt. Obiiciunt enim Ioannem apostolum nunquam in Asia minore fuisse et alterum quendam Ioannem presbyterum erronee ab illis testibus, qui scripta ioannea S. Ioanni apostolo adscribunt, habitum et nominatum esse Ioannem apostolum. Sed illum presbyterum, quem Eusebius (Hist. eccl. 3,29) ab apostolo Ioanne distinguere voluit, antiquitas christiana ignoravit. De qua quaestione cf. *Knabenbauer*, Comm. in Ioan. p. 3-7; *Poggel*, Der 2. und 3. Brief des Apostels Iohannes p. 7-51; *F. S. Gutjahr*, Die Glaubwürdigkeit des Irenäischen Zeugnisses über die Abfassung des vierten kanonischen Evangeliums, Graz 1904 (cum plurimis notis bibliographicis);

J. Labourt, De la valeur du témoignage de S. Irénée dans la question Johannine in Revue bibl. VII. 1898 p. 59-73; *A. Camerlynck*, De quarti Evangelii auctore dissertatio, Lovanii 1899; *id.* La question Johannine in Revue d'Histoire ecclésiastique t. 1900 p. 201-11. 419-29. 633-44.

8. Ioannes Marcus, vide s. v. MARCUS.

9. Pater Petri apostoli, qui vocatur Simon Ioannis (Ioan. 21,15. 16. 17); v. PETRUS.

10. Ioannes, unus ex synedristis, sacerdos, coram quo Petrus et Ioannes die post sanationem claudi testimonium de Iesu reddiderunt (Act. 4,6).

IOARIB (Neh. 11,10; 1 Mach. 2,1) v. IOIARIB.

IOAS (יוֹאָשׁ, Ἰωάς). **1.** Filius Ochoziae, rex Iuda. Cum Athalia omne semen regium interficeret, unus Ioas parvulus cura et industria Iosabae, sororis Ochoziae, et uxoris Ioiadae sacerdotis, servatus est et per sex annos clam educatus (4 Reg. 11,2 ss.; 2 Par. 22, 11 ss.). Dein cum esset septem annorum, per Ioiadam regina impia est occisa et ipse rex constitutus et per 40 annos regnavit. Praeclare edoctus per Ioiadam sacerdotem, quamdiu eius utebatur superstitis consiliis, fecit rectum coram Domino. Excelsa quidem, in quibus populus immolabat et adolebat incensum, non abstulit, at pro instauratione templi, quod Athalia pessime tractarat (2 Par. 24,7), sedulam adhibuit curam et pecuniam collectam iussit sacerdotes impendere ad domum Domini in statum pristinum cum debito ornatu restituendam (4 Reg. 12,1 ss.; 2 Par. 24, 1 ss.), immo neglegentiam vel tarditatem sacerdotum sua reprehensione et fervore castigavit et excussit. Ita studio ac pietate regis cultus Dei reflorui t. Verum mortuo Ioiada, optimo regis consiliario, principes Iuda impetrarunt a rege, ut idololatriam toleraret, « et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum servieruntque lucis et sculptilibus; et facta est ira contra Iuda et Ierusalem propter hoc peccatum; mittebatque eis prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos protestantes illi audire nolebant » (2 Par. 24,18. 19). Sed scelus hoc Zacharias pius Ioiadae filius, propheta, vehementer reprehendit. Verum censorem molestum imperio regis in atrio domus Domini lapidaverunt; « et non est recordatus Ioas rex misericordiae quam fecerat Ioiada pater illius secum, sed interfecit filium eius; qui cum moreretur ait : videat Dominus et requirat » (2 Par. 24,21. 22). Atque mox ultio divina ingruit. Post annum enim Hazael rex Syriae expugnata urbe Geth ascendit contra Ierusalem et proelio facto occisi sunt multi ex principibus Iuda; Ioas autem pretio ingenti soluto ex thesauris templi et palatii sui, ut rex Syriae recederet, impetravit. Postea facinoris poenam aliam quoque rex luit; coniuratione facta Ioas in domo Mello in lectulo suo occisus est et sepultus in civitate David, sed non in sepulcris regum (4 Reg. 12, 18 ss.; 2 Par. 24,23 ss.). Praeterea eius nomen legitur 4 Reg. 13,1. 10; 14, 1. 13.17. 23; 1 Par. 3,11; 2 Par. 25,23. 25.

2. Filius Ioachaz, rex Israel; sedecim annis regnavit in Samaria, rex tertius ex familia Iehu, ambulavit in omnibus peccatis Ieroboam filii Nabat, qui Israel ad idololatriam perduxerat (4 Reg. 13,9 ss.). Nihilominus pietate quadam prosecutus Eliseum prophetam, cum is ad mortem aegrotaret, ad eum descendit et flens inclamavit : pater mi, pater mi, currus Israel et auriga eius. Et Eliseus ei praedixit victoriam de Syris reportandam. Hazael enim afflixerat populum Israel cunctis diebus Ioachaz; sed Ioas ter devicit Benadad, filium Hazael, regem Syriae et recuperavit urbes quas Hazael tulerat de manu Ioachaz iure proelii. Moabitae quoque regionem infestabant (4 Reg. 13,14-25). Cum eum Amasias ad certamen provocaret, Ioas quidem non sine insolenti iactantia ei bellum dissuasit, et cum Amasias nequiquam acquiesceret, bello inito magnam cladem Iudaeis intulit, ipsum Amasiam captivum duxit in Ierusalem, cuius murum spatio quadringentorum cubitorum interrupit. Cum ingenti praeda auri et argenti et vasorum templi et palatii regii reversus est Samariam (4 Reg. 14,1. 8-16; 2 Par. 25,17-24). Post eum

regnavit Ieroboam filius eius (4 Reg. 13,13; 14,17. 23. 27; Os. 1,1; Am. 1,1).

3. Pater Gedeonis, vir potens ex familia Abiezritarum, cuius urbs patria erat Ephra in sorte cisiordanica seu occidentali tribus Manasse (Iud. 6,11-32; 7,14; 8,13. 29. 32).

4. Princeps in Samaria tempore Achab regis (3 Reg. 22,26; 2 Par. 18,25). In Vulgata legitur : Ioas filius Amelech, sed LXX υἱὸς τοῦ βασιλέως, hebr. בֶּן־הַמֶּלֶךְ; unde vel filius iunior ipsius Achab vel princeps ex consanguineis regis fuisse censetur.

5. Filius Samaa, Gabaathites, qui cum fratre suo Abiezer Davidi in Siceleg fugitivo se adiunxit (1 Par. 12,3).

6. Unus ex praefectis Davidis, super apothecas olei constitutus (1 Par. 27, 28).

7. Ioas (1 Par. 4,22), Vulgata : Securus (vide s. v.).

8. Filius Bechor, princeps cognationis beniaminiticae, quae Davide regnante florebat (1 Par. 7,8); sed nomen hebr. est יוֹעָשׁ.

IOATHAM, IOATHAN (יוֹתָם, Ἰωάθαμ, Ἰωάθαν). **1.** Ioatham filius Gedeonis natu minimus, qui solus ex internecione fratrum suorum ab Abimelech facta servatus est et parabola in monte Garizim contra Abimelech pronuntiata in urbem Bera (vide s. v.) aufugit (Iud. 9,5. 7. 57).

2. Filius Oziae seu Azariae regis Iuda et Ierusae filiae Sadoc; is Ozia lepra percusso gubernabat palatium et populum iudicabat, patre autem mortuo thronum adscendit 25 annos natus et sedecim annos regnavit. Fecit quod rectum erat coram Domino; verumtamen excelsa non abstulit et adhuc populus delinquebat. Ipse portam templi excelsam aedificavit, muro Ierusalem munitiones quasdam addidit, in variis regni partibus urbes, castella, turres exstruxit; Ammonitas devicit et coegit, ut sibi tributum solverent, sicut iam Oziae solverant. Versus finem regni eius iam Rasin rex Damasci et Phacee rex Israel expeditionem bellicam contra Iuda aggrediebantur, quam regnante Achaz, filio Ioathan, continuarunt (4 Reg. 15,5. 7. 30 s.; 16,1; 1 Par. 3,12; 5,17; 2 Par. 26,21. 23; 27,1-9; Is. 1,1; 7,1; Os. 1,1; Mich. 1,1; Matth. 1,9; in Vulgata saepius Ioathan).

3. Filius Iahaddai in genealogia Iuda (1 Par. 2,47; Vulgata : Ioathan).

IOB (Gen. 46,13) v. IASUB 1.

IOB (אִיּוֹב, Ἰώβ), vir ditissimus in terra Hus (vide s. v.), cuius in Deum pietas acerbissimo morbo exploratur. Cum laude commemoratur Ez. 14,14; Tob. 2,12; Iac. 5,11. Totum quod de eo scimus, libro Iob continetur. In eius prologo (cp. 1. 2) res ita disponitur, ut statim pateat Deum permisisse calamitates Iobi sincerae eius pietatis probandae et exercendae causa. Huius consilii ignari sunt et Iobus et amici eius. Cum enim Iobus totus ulceribus plenus humi sederet, tres amici ad eum accedunt; verum tanta miseria conspecta prae stupore tacent, donec Iobus acerbissimis querelis doloris magnitudinem declaret. Inde oritur disceptatio de origine et causa calamitatis Iobi. Tribus disputantium quasi congressibus haec quaestio discutitur eo ordine, ut singuli Iobo respondeant. Et in primo quidem congressu Eliphaz contendit non affligi nisi improbos; quare Iobum monet, ut ab impietate ad Deum revertatur. Cum indignatione eam accusationem Iobus repellit; doloris magnitudinem testatus cum Deo expostulat, cur tantas a se exigat poenas. Hisce oggerit Baldad, filios Iobi iuste esse punitos, sapientia maiorum constare solos impios prosterni, pios non affligi. Opponit hic, experientia constare pios quoque affligi, immo impios saepe agere prospere; se vero ultra omnem normam a Deo cruciari. Id Sophar aegerrime ferens affirmat eum poenas dare minores quam pro impietate meritus sit. Iobus autem pluribus suam sententiam defendit et suam innocentiam coram Deo iudice affirmat. In altero congressu Eliphaz duas has assertiones impugnat : Iobum affligi innocentem et impios prospere agere; insuper acriter in Iobum invehitur. Quibus expostulationibus Iobus ad impatientiam provocatur et eo magis suam iactat integritatem. Contra quam Baldad

disputans Iobum impietatis arguit. Frustra Iobus amicorum miserationem imploral; spem tamen firmam enuntiat fore ut Deus causam suam tueatur. Attamen Sophar maiore vehementia Iobum scelerum accusat et ruinam impiorum necessariam exaggerat. Contra quod Iobus asserit impios multiplici frui prosperitate et raro contingere eversionem impii, immo eos servari immunes in aliorum calamitate et post mortem quoque nancisci honores. Verum interlocutores a sua sententia impios semper ac solum affligi non recedunt, quod in tertio congressu patet, Iobus vero cursu vitae suae commemorato se purum et innocentem probat; cur affligatur, nescit; falsa amicos proferre contendit. Sed cur boni quoque affligantur, nequit explicare.

In hac conditione quartus exsurgit interlocutor Eliu, qui Iobi cum Deo expostulationem audaciorem, qua a Deo sibi dari rationem voluerit, acerbe reprehendit et declarat calamitates esse bonis salutares, quibus scil. erudiantur, ne in peccata ruant et ut in bono proficiant. Humili animi submissione omnia esse a Deo accipienda; quem in finem maiestatem Dei sublimi modo praedicat. Tacet Iobus, Deus vero disceptationi ab Eliu propositae calculum adiicit et Iobum magnitudine sapientiae ac potentiae divinae edocet modeste sentire. — Prologo itaque et sermonibus Eliu aliquae panduntur rationes, cur pii quoque affligantur. Qua ratione simul patet haec minime abesse posse, nisi quis totam disputationem plane inanem ac sine ullo exitu esse voluerit.

Iobus quamvis quandoque vehementius loquatur atque nimium suam iactet integritatem, Deo pietatem ac fidelitatem servat; edocetur tamen non esse hominis rationem a Deo exigere, verum abiecta omni superba de sua innocentia opinione occultis Dei consiliis maxima animi demissione esse acquiescendum. Ita Iobus se occulta superbia laborasse edidicit.

Merito tamen commendatur eius patientia, quam SS. Patres et scriptores ecclesiastici laudibus celebrant (cf. *Knabenbauer*, Comm. in Iob p. 12 s.). Nam iacturam bonorum, mortem filiorum, morbum foedissimum ac molestissimum summa in Deum pietate ac patientia accepit, quamvis conditiones calamitatum quasi data opera tales essent, quibus facillime quivis ad iracundiam provocaretur; uno enim quasi ictu omnia concidunt, plagam immediate sequitur et excipit plaga, nuntium subsequitur nuntius, semper unus solum evadit incolumis, ut perferat nuntium priore vix audito. At Iobus dolore utique perculsus signa moeroris summa edit; verum animi sensus pandit praeclaros: Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum (1,21). Immo cum ipse elephantiasi foedissima aeque ac acerbissima cruciaretur et ab ipsa uxore de pietate impeteretur conviciis, animum ostendit plane generosum et heroicum: si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus (2,10)? Si postea vehementius loquitur, ipsi amici in culpa sunt; primo enim taciturni lugent per septem dies quasi mortuum; ipse ille taciturnus eorum consessus ac diuturnus molestiam Iobi auxit; dein constanter ac perfracte contendunt solos impios affligi, neque contraria experientia quam Iobus repetito urget, a sententia recedunt, immo Iobum criminum gravissimorum reum ac plane impium esse vehementer affirmant. Ita Iobum provocant isque in postulanda ratione a Deo, in asserenda sua integritate iustos modestiae limites excedit quidem conquestus de acerbo Dei secum agendi modo, at simul aperte removet omnem iniustitiam a Deo (cf. 10,3 ss.) et eius consilia inscrutabilia veneratur opponens divinae maiestati hominis fragilitatem et miseriam et efflagitans levamen. Demum ad spem praeclaram assurgit (19,23) et inde multo pacatius loquitur spe illa suffultus.

Librum Iob arte poetica excellere omnes concedunt. Eum strophis, antistrophis, alternis strophis distinctum exhibet *J. Hontheim* in periodico *Zeitschrift für Kath. Theologie*, Innsbruck 1900 et 1901 et in libro: Das Buch Iob als strophisches Kunstwerk nachgewiesen, übersetzt u. erklärt [Bibl. Studien IX. 1904, Heft 1-3].

I. KNABENBAUER.

IOBAB (יוֹבָב, Ἰωβάβ). **1.** Ultimus ex tredecim filiis Iectan filii Heber (Gen. 10,29; 1 Par. 1,23 quo loco LXX Ὠράμ). Ex opinione *Bocharti* (Phaleg 2,29) Iobabitae iidem sunt, qui apud Ptolem. VI. 7,24 scribuntur Ἰωβαρῖται ad mare Indicum iuxta Sachalitas incolentes. Ceterum nullum eius gentis vestigium hucusque repertum est.

2. Filius Zarae de Bosra, secundus in enumeratione regum Edom, antequam filii Israel regem haberent (Gen. 36,33. 34; 1 Par. 1,44. 45). LXX Iob 42,18 (additamentum) eum faciunt eundem ac Iob.

3. Rex Madon cum Iabin rege Asor contra Iosue foedere iunctus (Ios. 11,1).

4. Beniaminita, filius Saharaim, de Hodes uxore genitus in terra Moab (1 Par. 8,9).

5. Beniaminita de filiis Elphaal (1 Par. 8,18).

IOBANIA (יוֹבַנְיָה, Ἰεμναά, apud *Swete* B Βαναάμ, A Ἰεβναά), filius Ieroham, Beniaminita in Ierusalem habitans (1 Par. 9,8).

IOCHABED (יוֹכֶבֶד, Ἰωχαβέδ), uxor Amram et mater Aaron et Moysis (Ex. 6,20; Num. 26,59). Erat filia Levi in Aegypto nata neque tamen immediate a Levi procreata dici debet.

IODAIA (Neh. 12,19) v. IDAIA 1.

IOED (יוֹעֵד, Ἰωάδ), Beniaminita, unus ex maioribus Sellum, incolae Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,7).

IOEL (יוֹאֵל, Ἰωήλ), Vulgata 1 Par. 6, 33. 36 et 7,3 Iohel.

1. Filius primogenitus Samuel prophetae et pater Heman cantoris (1 Reg. 8,2; 1 Par. 6,33[18]; 15,17). Praeterea 1 Par. 6,28[13] legitur : Filii Samuel, primogenitus Vasseni et Abia; quo loco nomen Ioel excidit et Vasseni (וַשְׁנִי i. e. *et secundus*, LXX Σανί) velut nomen proprium habebatur; potius lege : Filii Samuel, primogenitus Ioel et secundus Abia.

2. Princeps cognationis in tribu Simeon, unus ex illis tredecim, qui ad introitum Gador (fortasse Gerara) profecti Chamitas inde expulerunt (1 Par. 4,35).

3. Rubenita, cuius prosapia per septem generationes usque ad tempus captivitatis assyriacae recensetur (1 Par. 5,4); sed a quonam ex quattuor filiis Ruben ipse Ioel descendat, incertum est. Idem nominari videtur 5,8.

4. Princeps quidam Gaditarum in Basan (1 Par. 5,12).

5. Unus ex posteris Caath filii Levi et ex maioribus Heman cantoris (1 Par. 6,36[21]), distinguendus a Ioel patre Heman cantoris.

6. Filius Izrahia de tribu Issachar (1 Par. 7,3).

7. Unus ex heroibus davidicis, frater Nathan de Soba (1 Par. 11,38); sed v. IGAAL.

8. Princeps filiorum Gersom tempore Davidis, qui se sanctificarunt, ut arcam Domini de domo Obededom in Ierusalem afferrent (1 Par. 15,7. 11).

9. Levita de filiis Gersom, filius Iehieli (v. IAHIEL 2) ex posteris Leedan super thesauros templi a Davide positus (1 Par. 23,8; 26,22); fortasse idem est ac praecedens.

10. Filius Phadaiae, princeps tribus Manasse cisiordanicae seu occidentalis tempore Davidis (1 Par. 27,20).

11. Filius Azariae de filiis Caath tempore Ezechiae regis (2 Par. 29,12).

12. Unus de filiis Nebo, qui uxores alienigenas mandante Esdra dimiserunt (Esdr. 10,43).

13. Filius Zechri, Beniaminita, praepositus Beniaminitarum in Ierusalem post captivitatem (Neh. 11,9).

14. Ioel propheta, filius Phatuel, qui secundus est in ordine duodecim prophetarum. De eius origine, patria, vita, tempore nihil nobis traditum est, nisi id solum quod ex eius libro colligi potest. In eo autem prius maximam quandam calamitatem per locustarum turbas inductam describit, quae maior sit omni alia cuius exstat memoria et posteris quae sit enarranda; ingenti quippe vastitate ac desolatione cuncta iacere prostrata, ita ut ne sacrificium quidem et libatio offerri possit. Quare ad planctum et poenitentiam agendam admonet; admonitionemque ulteriore calamitatis descriptione fulcit et precatione

in exemplum aliis praeit (1,2-20). Nam nisi conversi fuerint, haec calamitas multo maiore excipietur : Deus quippe hostes plane horrendos, iustitiae suae vindices, iis immittet. Quod ut avertatur, iis delineat modum agendi poenitentiam, quae sit interna cum spe in Deum misericordem et quae externis etiam actibus exhibeatur (2,1-17).

Deus populo qui resipuit benigne pepercit eique bona promittit et quidem bona temporalia pro tempore praesenti abundantissima, quibus large restituantur quae calamitate amisissent (2, 19-27) ; promittit pro futuro dona spiritualia et salutem invocantibus nomen Domini; promittit se capturum vindictam de hostibus qui oppresserint populum suum; praeprimis de Tyro, Sidone, Philisthaea et generatim sanctum bellum motum iri contra omnes adversarios, quibus profligatis Deus erit bonorum largitor pro Iuda et Ierusalem (2,28-3,21).

Eum in Iuda, in Ierusalem praedicasse, ex vocibus Sion, montis sancti, vestibuli et altaris et ex adhortatione et descriptione vocibus illis adiuncta patet. Quando vero praedicaverit, incertum est. Sententiae maxime oppositae sunt : tempore Ioas regis, immo ante regni divisionem, et tempore aliquo post Nehemiam! Verum aliquod traditionis vestigium habetur eo ipso ordine quo in libro duodecim prophetarum collocatur. Cum enim apud ceteros ordo temporis observatus videatur, cur non in Ioele? Ergo vel aequalis Osee erat vel forte paulo ante Osee; ante Amos certe, quippe qui saepius ad plagam locustarum verbis Ioelis alludat (1,2; 4,9; 9,11-15). Ad Oziae regis initia itaque Ioelis praedicatio referenda erit. — Ad vaticinium eius de effusione Spiritus S. provocat Petrus (Act. 2,12); Paulus (Rom. 10,13) verbis Ioel ostendit in regno messiano non esse distinctionem Iudaeos inter et gentes.

IOELA (יוֹעֵאלָה, Ἰελία), filius Ieroham de Gedor, vir fortissimus, qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12,7).

IOEZER (יוֹעֵזֶר, Ἰωζαρά, ℵ et A Ἰωζαάρ), vir de posteris Core et socius David in Siceleg fugitivi (1 Par. 12,6).

IOGLI (יָגְלִי, Ἐγλί), pater Bocci principis tribus Dan (Num. 34,22).

IOHA (יוֹחָא, Ἰωδὰ 1 Par. 8,16; Ἰωζαέ 1 Par. 11,45).

1. Unus ex filiis Baria Beniaminitae (1 Par. 8,16).

2. Heros davidicus, filius Samri, cognominatus Thosaites (1 Par. 11,45); quaenam urbs vel cognatio hoc cognomine designetur, non liquet.

3. Ioha (יוֹאָח, Ἰουάχ), filius Ioachaz a commentariis, a Iosia rege constitutus, ut cum Saphan scriba et Maasia principe templum Domini instauraret (2 Par. 34,8). Erat a Commentariis, de qua dignitate diximus s. v. COMMENTARIUS.

IOHANAN (יוֹחָנָן, יְהוֹחָנָן; Ἰωνά, Ἰωάναν, Ἰωανάν, Ἰωνάν).

1. Filius Carec, unus ex principibus militiae indaicae, qui strenue tuebantur partes Godoliae, quem Nabuchodonosor reliquiis populi praefecerat; cum Godolias in Masphath ab Ismahel occisus esset, Iohanan occisorem persecutus est et omnem populum, quem Ismahel captum abduxerat, in Masphath reduxit; deinde vero contra praeceptum Ieremiae ipse et reliquiae Iudaeorum in Aegypto refugium quaesierunt, ubi Ieremias iis iterum funesta vaticinatur (4 Reg. 25,23; Ier. 40,8. 13. 15. 16; 41, 11. 13. 14. 15. 16; 42,1. 8; 43,2. 4. 5); abhinc nulla eius mentio fit.

2. Primogenitus Iosiae regis (1 Par. 3,15), praematura morte abreptus, ut ex eo colligere licet, quod non ipse, sed fratres eius Ioakim, Sedecias, Sellum thronum patris aliquo tempore obtinebant.

3. Quintus filius Eliocnai de regia domo David descendens per Zorobabel (1 Par. 3,24).

4. Pontifex inter duos Azarias enumeratus (1 Par. 6,9. 10[5,35. 36]), quorum prior Salomone regnante pontifex erat, alter tempore Asa regis Iuda (v. AZARIAS 1 et 2).

5. Beniaminita, qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12,4).

6. Princeps ex tribu Gad, qui Davidi in Siceleg se adiunxit (1 Par. 12,12).

7. Sextus inter filios Meselemiae seu

Mosollamiae (vide s. v.) Coritae de filiis Abiasaph, ianitor domus Domini (1 Par. 26,3; LXX Ἰωνάθαν).

8. Dux bellicus in exercitu Iosaphat, qui 280 000 virorum praeerat (2 Par. 17, 15).

9. Pater Ismahel centurionis cum Ioiada contra Athaliam conspirantis (2 Par. 23,1).

10. Pater Azariae principis Ephraim tempore Achaz (2 Par. 28,12; LXX τοῦ Ἰωανοῦ).

11. Filius Ecceta de filiis Azgad, e captivitate redux cum 110 viris (Esdr. 8,12).

12. Filius Eliasib, ceteroquin ignotus, qui ex nomine suo appellaverat quoddam novi templi cubiculum, in quo Esdras matrimonia cum uxoribus alienigenis facta lugebat (Esdr. 10,6); fortasse erat ex posteris Eliasib 1 Par. 24,12.

13. Unus ex filiis Bebai, qui uxores alienigenas iubente Esdra dimiserunt (Esdr. 10,28).

14. Filius Tobiae Ammonitae, matrimonio iunctus cum filia Mosollam filii Barachiae (Neh. 6,18).

15. Sacerdos tempore Ioacim pontificis post captivitatem, princeps familiae sacerdotalis Amariae (Neh. 12,13).

16. Unus ex pontificibus post captivitatem, quorum hic est ordo tum generationis tum successionis in pontificatu : Iosue, Ioacim, Eliasib, Ioiada, Iohanan (Ionathan), Ieddoa (Neh. 12,11. 22. 23); adverte 12,11 legendum esse Iohanan pro Ionathan et 12,23 in Vulgata mendose haberi Ionathan, dum textus hebr. et LXX ibi legunt : Iohanan.

17. Levita tempore Nehemiae (Neh. 12,41[42]).

IOHEL (1 Par. 6,33. 36; 7,3) v. IOEL 1 et 5 et 6.

IOIADA (יְהוֹיָדָע, יוֹיָדָע; Ἰωδαέ).

1. Pater Banaiae, sacerdos (v. BANAIAS 1).

2. Princeps domus Aaron (non summus sacerdos), qui Davidi in Hebron 3 700 viros bellatores adduxit (1 Par. 12,27; LXX Ἰωδάς); fortasse idem est ac pater Banaiae.

3. Filius Banaiae, consiliarius Davidis post mortem Achitophel (1 Par. 27,34); suspicantur aliqui pro Ioiada filio Banaiae in textu adfuisse Banaiam filium Ioiadae scil. notissimum illum, sed sufficiens ratio coniecturae deficit.

4. Summus sacerdos tempore Athaliae et Ioas regis Iuda; eius uxor erat Iosabeth filia regis Ioram et soror Ochoziae, quae Ioas filium Ochoziae de medio filiorum regis furata est et abscondit, ne ab Athalia interficeretur; Ioiada vero Ioas septennem regem Iuda fecit, Athaliam occidi iussit, cultum Dei restituit, regi Ioas consiliarius erat et in regno administrando adiutor (2 Par. 24, 6 : princeps), donec 130 annos natus diem supremum obiit et in civitate David cum regibus Iuda sepultus est. Cf. 4 Reg. 11,4 ss.; 12,2 ss.; 2 Par. 22,11; 23, 1 ss. Eius filius Zacharias, qui idololatriam post mortem Ioiadae reviviscentem fortiter arguebat, in atrio domus Domini lapidatus est iuxta Ioas regis imperium (2 Par. 24,20-25); hunc esse illum Zachariam filium Barachiae, de quo Matth. 23,35 (cf. Luc. 11,50) agitur, est sententia apud veteres satis pervulgata et communis recentiorum, de qua vide plura apud *Knabenbauer* ad Matth. 23,35 et s. v. ZACHARIAS 34.

5. Sacerdos, praefectus templo tempore vel saltem initio regni Sedeciae (Ier. 29,26; Vulgata : pro Ioiade).

6. Filius Phasea in aedificanda porta vetere Ierusalem occupatus (Neh. 3,6; Ἰωΐδά)).

7. Pontifex post captivitatem, filius Eliasib et pater Iohanan (v. IOHANAN 16) pontificum (Neh. 12,10. 11. 22; 13, 28; LXX 12,22 et 13,28 Ἰωαδά).

IOIADE v. IOIADA 5.

IOIARIB (יוֹיָרִיב, plenius 1 Par. 9,10 et 24,7 יְהוֹיָרִיב; Ἰωαρίβ, Ἰωαρίμ).

1. Princeps primae classis sacerdotalis ex 24 a Davide constitutis (1 Par. 24,7). Eius posteri Hierosolymis habitabant post exsilium (1 Par. 9,10; Neh. 11,10, quibus locis nomina Idaia, Ioiarib, Iachin probabilius familiam sacerdotalem significant). In diebus Ioacim filii Iosue pontificis princeps familiae Ioiarib erat Mathanai (Neh. 12,6. 19). Ex

filiis Ioiarib erant Mathathias et quinque heroes Machabaei (1 Mach. 2,1; 14,29). Etiam Flavius Iosephus gloriatur se non solum ex sacerdotum genere, sed ex classe prima inter illas 24 oriundum (Vita 1). — Vulgata Neh. 11,10 et 1 Mach. 2,1 scribit Ioarib et 1 Mach. 14,29 Iarib (Ἰαρίβ).

2. Unus ex illis, quos Esdras misit ad Eddo in pago Chasphia, ut levitas et Nathinaeos ad iter hierosolymitanum induceret (Esdr. 8,16); duo ex illis, Ioiarib et Elnathan, designantur sapientes, reliqui principes.

3. Unus ex posteris Phares et maioribus Maasiae (Neh. 11,5).

IONA. 1. Iona (Ἰωνάμ), filius Eliakim in geneologia Christi (Luc. 3,30).

2. Iona (Matth. 16,17; Io. 1,42) v. BAR IONA.

IONADAB (יוֹנָדָב, יְהוֹנָדָב, Ἰωναδάβ).

1. Filius Semmaa fratris David, amicus Amnon, vir prudens valde, qui pessimum consilium Amnon dedit, ut Thamar sororem opprimeret (2 Reg. 13,3. 5. 32. 35).

2. Filius Rechab, comes ac socius Iehu regis, cum hic sacerdotes Baal insidiose trucidaret (4 Reg. 10,15. 23); ab eodem Ionadab originem et nomen ducunt Rechabitae (Ier. 35,2 ss. et v. RECHABITAE).

IONAS (יוֹנָה, Ἰωνᾶς), filius Amathi, propheta, oriundus ex Gethhepher in regione tribus Zabulon (cf. Ios. 19,13). Est scil. ille propheta qui Ieroboam II. praedixerat in sermone Domini fore ut ipse restitueret terminos Israel (cf. 4 Reg. 14,25). Propheta, qui in ordine duodecim prophetarum quintus est, pariter est Ionas filius Amathi; quin hic de cuius missione ninivitica libellus narrat idem ille propheta apud Ieroboam sit nemini est dubium (cf. *Cornely*, Introd. II. 2, *ed.* 2, p. 557). De hoc autem propheta eiusque historia et missione ninivitica imprimis attendenda sunt verba Christi: sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus; viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae; et ecce plus quam Ionas hic (Matth. 12,39. 40; cf. 16,4; Luc. 11, 29. 30). Quibus verbis aperte res vere gesta indicatur eodem modo, quo Christus continuo adiungit aliud exemplum vere historicum: regina austri surget in iudicio etc. (Matth. 12,42; Luc. 11,31; cf. 3 Reg. 10,1; 2 Par. 9,1). Quare libellum Ionae ad mythum vel allegoriam reiicere nefas est.

Deus Dominus etiam in Vetere Testamento se Deum aliarum quoque gentium exhibuit, dum et prophetas ad illas mitteret et varia vaticinia de iis a prophetis edenda curaret. Uti Elias, Eliseus, et postea Daniel cum extera gente conversati sunt, ita Ionas mittitur, ut Ninivitis praedicet. Frustra mandatum Domini declinare vult; punitione resipiscit, obedit, Ninivitae agunt poenitentiam, iis parcitur; ipse vero propheta de immiti sua indole a Domino reprehenditur. Miraculum sane est Ionam per longius tempus (rabbini dicunt per horas 36) — confer tempus quo Christi corpus in sepulcro erat — servari vivum in ventre magni alicuius piscis. At miracula multa quoque de Elia et Eliseo narrantur; unde quod miraculum de Iona refertur, non potest esse ratio, cur narratio in meram redigatur parabolam. Neque quod de Ninivitis refertur, per se est improbabile. Nam prophetam mitti ad exteram gentem, alias quoque habetur. Missio autem Ionae incidit in tempus, quo imperium assyriacum ab antiquo splendore recedere, peste, seditionibus, impetu hostili graviter concuti coeptum est; continuae fere erant Armeniorum rebelliones contra Salmanassar III. (782-773), frequentiores aliorum populorum rebelliones contra Asur-Dan III. (772-755); eius tandem successori Asur-Nirari II. (754-745) imperium ereptum est a Chaldaeo Phul (Theglathphalasar); tempore Asur-Dan III. praeter perturbationes internas bis quoque gravi pestilentia regionem esse afflictam incolasque solis eclipsi perterritos esse ex catalogo eponymorum discimus (cf. *Cornely* l. c. 559). Hisce itaque Ninivitae

in angustias acti facile imperii ruinam numinisque supremi in se iram suspicari poterant; quare satis facile explicatur, cur prophetae voces ac minae tantum iis incusserint timorem; adde ipsum Deum cum praedicatione prophetae suam coniunxisse gratiam ad animos commovendos. Praeterea inscriptionibus quoque constat homines valde pronos fuisse ad fidem adhibendam verbis ac praedictionibus magorum et vatum.

Assyrii iam ante Ieroboam II. regno Israel mala intulerunt. Unde explicatur prophetam aegre tulisse quod mitteretur ad praedicandum hostibus populi sui; vel etiam timuit molestias et labores. Quare se mandato Domini subducere conabatur. In eo quod irascitur de venia poenitentibus concessa manifestatur indoles illa alienigenis inimica, Iudaeis satis familiaris, et insuper rigida illa animi dispositio, quae summopere postea in Pharisaeis apparuit, peccatores non ad conversionem invitandi sed abiiciendi et despiciendi et interitui devovendi. Dedocetur a Deo. Nam propheta dolet de planta solis ardore adusta, gemit plantae interitum; unde merito audit: tu doles de planta in qua non laborasti, quam crescere non fecisti, et ego non parcam Ninive civitati magnae, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram suam et iumenta multa? (4,11). — Collis quidam ruinarum Ninive appellatur *Nebi Yunus* in memoriam Ionae prophetae; v. NINIVE.

I. KNABENBAUER.

IONATHAN, IONATHAS (יְהוֹנָתָן, יוֹנָתָן i. e. Iahwe dedit cf. Theodorus; Ἰωνάθαν).

1. Filius Gersam filii Moysis, levita de Bethlehem Iuda, qui domicilium quaerens primum a Micha in monte Ephraim velut sacerdos pro idolis suis exceptus est, deinde cum Danitis in Lais-Dan (v. DAN 3) profectus et ibidem officio sacerdotis functus est (Iud. 18,30; cf. 17,7 ss.), quod utique a sacerdotio aaronitico distinctum et legi Moysis contrarium erat.

2. Ionathas filius Saul natu maximus. Imprimis in bello philisthaico audacissimum ac fortissimum sese praestitit. Mille viris in Gabaa Beniamin praefectus contra Geba (*Djeba'*) progreditur ibique stationem (monumentum) Philisthaeorum destruit; paulo post ipse solus cum armigero apud Geba in saltum (*Wādi Suweinīt*) descendit et contra Machmas ascendens stationem Philisthaeorum ibidem positam adortus percussit; praeclarum facinus secuta est magna confusio et insignis clades Philisthaeorum; temerarium votum, quo Saul ex occasione populum adstrinxerat, Ionathas inscius transgressus morti addicitur et sola populi deprecatione servatur; eiusdem iuramenti discussione effectum est, ut post victoriam partam tempus tereretur et hostium persecutio cessaret (1 Reg. 13,2 ss.; 14,1 ss.). Praeterea celeberrimus est vera illa et maxime generosa erga Davidem amicitia, cuius praeclara documenta narrantur 1 Reg. 18,1 ss.; 19,1 ss.; 20,1 ss.; 23,16-18. Indolem eius bene depingit *F. de Hummelauer* (Comment. in ll. Samuelis p. 153-154): « Vir fuit robustus corpore et mente. Spirabat fidem et fiduciam in Deum salvatorem Israel: hac tessera Machmis dimicavit. Ipse apud patrem unius factionis princeps, quam theocraticam vel prophetarum appellabis: nam factiones ibi erant omnino; dum altera factio, commodis domus Saul unice intenta, ipso rege utebatur et capite et instrumento. Ipse in aula primus eorum consiliorum patronus, quae Samuel constanter inculcaverat, quae post continuam prophetarum seriem difficillimis temporibus novissimi Isaias et Ieremias apud reges propugnaverunt quaeque hac una formula consignantur: Dominus salvator Israel. Ipse, primogenitus regis, divinum transferendi a domo Saul regni decretum aequo et generoso suscepit animo; Davidem quanto magis in eo caelestia charismata et divina praeordinatio elucerent, tanto sincerius adamavit et fovit. Ipse prae ceteris utique suggessit consilium sororis Davidi nuptui dandae, velut planissimam viam qua, domo Saul quam minime obscurata, imperium in virum a Deo designatum transferretur ».

Obiit Ionathas cum Saule et fratribus suis in pugna ad montem Gelboe (de quorum cadaveribus et sepultura vide s. v. BETHSAN, IABES 1, SELA); David autem amicum praeclaro encomio celebravit eiusque filio Miphiboseth (Meribbaal) misericordiam et benevolentiam exhibuit propter Ionathan (1 Reg. 31,2; 2 Reg. 1,4 ss.; 4,4; 9,1 ss.; 21,7. 12. 13. 14). Praeterea cf. 1 Par. 8,33. 33; 9,39. 40; 10,2; 1 Mach. 4,30.

3. Ionathas, filius Abiathar summi sacerdotis, Davidi ab Absalom fugienti nuntians, quae in Ierusalem agebantur (2 Reg. 15,27. 36; 17,17. 20) et altera occasione Adoniae usurpatori nuntians Salomonem unctum esse regem (3 Reg. 1,42. 43); ex verbis Adoniae: « Ingredere quia vir fortis es et bona nuntians » fortasse inferre licet Ionatham exemplo patris sui Abiathar partes Adoniae usurpatoris tuitum esse.

4. Filius Samaa fratris David, celeber quod gigantem de origine Arapha in Geth, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, percussit (2 Reg. 21,21; 1 Par. 20,7). Coniiciunt nonnulli eundem 1 Par. 27,32 nominari.

5. Filius Sage Ararites, heros davidicus (2 Reg. 23,32; 1 Par. 11,33[34]).

6. Filius natu minor Iada ex posteris Hesron, pater Phaleth et Ziza (1 Par. 2, 33).

7. Filius Oziae a Davide thesauris quibusdam in urbibus, vicis, turribusque praefectus (1 Par. 27,25).

8. Patruus (דוד) Davidis, consiliarius, vir prudens et litteratus (1 Par. 27,32). Vox דוד significat fratrem patris; putant nonnulli eam latiore sensu accipi posse et nostro loco designari illum filium fratris David, de quo sub n. 4 diximus.

9. Levita tempore Iosaphat regis (2 Par. 17,8).

10. Scriba, praepositus carceris, in quem Ieremias a principibus populi regnante Sedecia coniectus est (Ier. 37,14. 19 hebr. 15. 20; 38,26).

11. Filius Caree (Ier. 40,8); sed vide s. v. CAREE.

12. Ionathan Neh. 12,11 et in Vulgata etiam 12,23 v. IOHANAN 16.

13. Pater Abed de filiis Adan (Esdr. 8,6).

14. Filius Azahel, aequalis Esdrae (Esdr. 10,15).

15. Sacerdos in diebus Ioacim pontificis, filii Iosue pontificis, princeps familiae Milicho (Neh. 12,14).

16. Sacerdos in diebus Ioacim pontificis, filii Iosue pontificis, princeps familiae Semaia (Neh. 12,18).

17. Pater Zachariae tempore Nehemiae (Neh. 12,34[35]).

18. Filius Absalomi, qui a Simone Mach. missus Ioppen occupavit (1 Mach. 13,11); erat frater Mathathiae (1 Mach. 11,70).

19. Sacerdos orationem faciens apud sacrificium, quod Nehemias reperto sacro igne obtulisse legitur in epistula Iudaeorum hierosolymitanorum ad alexandrinos (2 Mach. 1,23).

20. Ionathas (Ἰωνάθαν), filius Mathathiae sacerdotis, ultimo loco enumeratus inter fratres machabaicos (1 Mach. 2,5; cf. 2 Mach. 8,22), cuius res gestae (161-143 a. Chr.) narrantur 1 Mach. 9, 23-13,30. Cognominatur 1 Mach. 2,5 Apphus, Ἀπφοῦς (vide s. v.).

Mortuo Iuda Machabaeo *impii* et *iniqui* in Iudaea dominabantur, Bacchides dux Syrorum et Alcimus pontifex *pios* opprimebant (1 Mach. 9,23-27). Hi autem Ionathan principem et ducem elegerunt (9,28-31). Dum Ionathas trans Iordanem in desertum Thecuae se recipit et minoribus proeliis cum hostibus contendit (9,32-49), Bacchides varias urbes munivit et obsides Iudaeorum in arce hierosolymitana inclusit (9,50-53). Mortuo interim Alcimo (v. s. v.) Bacchides in Syriam rediit anno 160 vel 159 a. Chr. (9,54-57). Per septem fere annos insequentes (160-153 a. Chr.) Ionathas paulatim vires factionis machabaicae restituit; infra hoc tempus etiam Bacchides cum exercitu in Iudaeam a. 158 a. Chr. rediit, sed cum nihil contra Ionathan valeret, pace composita Iudaeam reliquit nunquam reversurus (9, 57-73).

Verum multo plus Ionathas invaluit, cum Alexander Balas a. 153 a. Chr. Demetrio I. throni aemulus se opponeret; uterque enim amicitiam et societatem Ionathae ambiebat. Demetrio I. consentiente Ionathas Hierosolyma occupavit

atque urbem et montem templi munitionibus instruxit (10,1-14). Sed brevi post ab Alexandro Bala pontifex constitutus ad eius partes transiit et anno 153 a. Chr. die festo tabernaculorum stola pontificali se induit (10,15-21). Novis Demetrii I. promissis Ionathas a re Alexandri dimoveri non potuit (10,22-47). Neque spes eum fefellit. Alexander Balas regno potitus (10,48-50) cum Cleopatram filiam Philometoris regis Aegypti Ptolemaide uxorem duceret, Ionathan pontificem illuc invitavit et purpura indutum ducem et participem principatus (στρατηγὸν καὶ μεριδάρχην) constituit (10,51-66). Neque tunc finis bellorum erat. Cum Demetrius II. a. 147 a. Chr. Alexandro se opponeret, Ionathas Alexandri Balae partes tuebatur et Apollonium, praefectum Coeles Syriae, qui ab Alexandro defecerat, apud Azotum devicit (10,67-89). Nihilominus a Demetrio II. qui ope et auxilio Ptolemaei Philometoris regnum Syriae arripuit (11,1-19), Ionathas denuo pontifex et princeps, sicut antea fuerat, agnitus est et litteras immunitatis a tributis accepit (11,20-37).

Etiam Demetrio II. regnante Ionathas perturbationibus syriacis implicatus est. Rex cum Antiochenses sibi infensos videret, Iudaeis arcem hierosolymitanam et praesidia reliqua se traditurum promisit, si ipsum iuvarent; quare Ionathas tria millia virorum Antiochiam misit, qui seditionem civium armis oppresserunt (11,38. 41-52). Demetrius II. promissis non stetit (11,53). Interim Tryphon Antiochum VI., filiolum Alexandri Balae, regem constituere (11,39. 40. 54-56) et cum Ionatha foedus pangere (11,57-59) conabatur. Demetrii perfidiam perspiciens Ionathas cum Antiocho VI. foedus iniit, urbes Ascalon et Gaza ut Antiocho VI. obsequerentur coegit, Demetrii ducem in campo Asor Galilaeae septemtrionalis devicit; Simon, frater Ionathae pontificis, Bethsuram in parte Iudaeae meridionali Demetrio eripuit (11,60-74); variis expeditionibus bellicis feliciter gestis urbibusque munitis Ionathas arcem hierosolymitanam a reliqua urbe muro exstructo separavit et munimenta roboravit (12,24-38). — Neque gladio tantum, sed etiam legatis Romam, Spartam et ad alia loca missis Ionathas se firmavit, ut foedus cum Romanis a Iuda Machabaeo initum renovaret, cum Spartiatis aliisque nova foedera iniret (12,1-23).

Tandem ipse per fraudes et ambitionem Tryphonis occubuit. Timebat enim Tryphon, qui Antiochi VI. diadema sibi impositurus erat, ne Ionathas ipsi adversarius esset; cum exercitu in Palaestinam profectus, sed amicitiam fingens Tryphon Ionathae persuasit, ut exercitu suo dimisso cum mille tantum electis viris secum Ptolemaida veniret; urbem ingressus Ionathas dolo captus est et omnes, qui cum eo erant, interfecti sunt (12,39-54). Loco Ionathae Simon frater eius a populo dux electus est. Ut fratrem redimeret, Simon pecuniam a Tryphone petitam et filios Ionathae obsides misit; Tryphon vero patrem et filios apud Bascamam in terra transiordanica perfide interfecit. Simon Ionathan in Modin civitate patrum suorum iuxta Mathathiam patrem et fratres suos sepelivit ac postea patri et fratribus monumentum magnificentissimum ibidem exstruxit (13,1-30).

IONIA (Ἰωνία) in sacro textu non legitur, sed ab aliquibus censetur substituenda esse 1 Mach. 8,8 pro regione Indorum (ἡ Ἰνδική), quam Antiochus III. a Romanis devictus Eumeni II. regi Pergami cessisse fertur; vide s. v. EUMENES.

IOPPE (יָפוֹ, Ἰόππη et apud auctores profanos etiam Ἰόπη), celeberrimus portus Iudaeae, hodie Jaffa, Jafa et apud Arabes *Yāfā*. Erat urbs perantiqua (*Plin.* V. 13,69 : Iope Phoenicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt).

Iuxta terminum aquilonarem tribus Dan sita (Ios. 19,46) a Danitis non videtur esse occupata, etsi in cantico Debborae Iud. 5,17 innuitur Danitas mercaturam in portubus exercuisse. Ad portum Ioppe ligna cedrina de Libano ratibus applicabantur, ut inde Hierosolyma transferrentur pro exstruendo templo Salomonis (2 Par. 2,16; cf. 3 Reg. 5,9) et iterum pro secundo templo (Esdr. 3,7). Ioppen descendit Ionas mandatum Dei effugiens ibique navim euntem in

Tharsis (Tartessum Hispaniae) invenit (Ion. 1,3). Aetate Persarum Ioppe regi Sidoniorum Eshmunazar donata est (Inscriptio Eshmunazar lin. 18. 19 in Corpus Inscript. Semit. I. p. 9-20). Aetate diadochorum Antigonus urbem Ptolemaeo Lagi anno 315 eripuit, Ptolemaeus Lagi recuperatam solo aequavit anno 312 a. Chr. (*Diodor.* 19,59. 93). Aetate machabaica multum de ea dimicatum est. Antiochus IV. Epiphanes Hierosolyma profecturus Ioppen visitavit (2 Mach. 4,21). Inter ethnicos Iudaei quoque ibi sedem fixerant; etenim propter ducentos Iudaeos a Ioppitis dolo in altum mare submersos Iudas Mach. impetu nocturno portum et classem urbis incendio delevit (2 Mach. 12,3-7). Anno 147 vel 146 a. Chr. Ionathas Mach. Ioppen aggressus a civibus sponte exceptus est (1 Mach. 10,75. 76). Ibi Ionathas et Ptolemaeus Philometor amice congressi invicem se salutarunt (1 Mach. 11,6). Ab hoc tempore usque ad Pompeii adventum urbs Iudaeis parebat et iudaicis quoque moribus imbuebatur. Cum aliquot annis post occupationem a Ionatha factam Ioppitae iterum partibus Syrorum faverent, Simon frater Ionathae praesidium in urbe posuit (12,33. 34) et assectatores Syrorum eiecit (13,11); postea portum quoque et urbem munivit (14,5. 34); et cum Antiochus VII. Sidetes praeter alias urbes etiam Ioppen Syris reddendam esse clamaret, Simon centum talenta pro Ioppe et Gazara solvere paratus alia postulata reiecit (15,28-30. 35). A Pompeio Iudaeis erepta (*Flav. Ios.* Ant. XIV. 4,4; Bell. iud. I. 7,7), a Caesare restituta est (Ant. XIV. 10,6). Intra annos 34-30 urbem possidebat Cleopatra, postea Herodes eoque mortuo Archelaus, donec regnum Archelai a Romanis provinciae Syriae annexum et per procuratores romanos administratum est.

Christianis autem Ioppen celeberrimam reddiderunt commoratio S. Petri, qui ibidem Tabitham discipulam resuscitavit, multos dies in domo Simonis coriarii degebat, visionem de gentibus ad evangelium admittendis habuit et a Cornelio centurione invitatus inde Caesaream profectus est (Act. 9,36-43; 10,5. 8. 23. 32; 11,5. 13). Notat *Quaresmius* (Elucidatio Terrae Sanctae *ed. Cypr. de Tarvisio*, Venetiis 1881 II. p. 7): « Non longe a ruinis Ioppes versus Ierusalem eundo monstrantur fundamentum et residuum domus Tabithae ». Altera traditio pro domo Simonis coriarii, quae erat iuxta mare (Act. 10,6) assignat sanctuarium muhamedanum, cui nomen: aedes sacra propugnaculi (*mosquée du Bastion*).

Praeterea nota Ioppen a Plinio perperam inter undecim toparchias Iudaeae recenseri (v. IUDAEA). Magni denique momenti sunt vestigia Hellenismi tum antiquitus tum etiam aetate iudaica cum hac urbe connexa. Mythus de Andromeda vinculis in saxo Ioppensi ligata et a Perseo liberata apud Ioppenses diutissime vigebat, ut testantur *Scylax*, *Strabo*, *Mela*, *Plinius*, *Flav. Iosephus*, *Pausanias*, *S. Hieronymus* (ad Ion. 1,3). Ipse Cepheus pater Andromedae urbem condidisse et a Iope uxore sua ei nomen dedisse a Graecis traditur (*Stephanus Byz.* s. v. Ἰόπη). Addit *Plinius* V. 13,69: « colitur illic fabulosa Ceto », quae alias vocatur Derceto et Atargatis (vide s. v.). De his mythis cf. *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes etc. *ed.* 3, II. p. 25. 26.

Cf. generatim *Reland*, Palaestina p. 864-867; *Ritter*, Erdkunde XVI. p. 574-580; *Raumer*, Palaestina *ed.* 4 p. 204 s.; *Tobler*, Topographie von Ierusalem II. p. 576-637; *Sepp*, Ierusalem *ed.* 2. I. 1-22; *Mislin*, Les Saints Lieux 1858 II. p. 127 ss.; *Guérin*, Judée I. 1-22; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 254-255. 275-278; *Baedeker-Benzinger*, Pal. und Syrien *ed.* 5 p. 9 ss.; *Guy le Strange*, Palestine under the Moslems p. 550 ss.; *Schlatter*, Zur Topographie und Geschichte Palaestinas 1893 p. 1-28. 321-324; *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes *ed.* 3 II. 99-103; *Buhl*, Alt. Pal. p. 187; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. III. 1880 p. 44 ss.; *Liévin de Hamme*, Terre Sainte 1897 I. 90 ss.; *L. Heidel* apud *Vigouroux*, Dict. de la Bible III. 1631-40.

IORA v. HAREPH.

IORAI (יוֹרַי, Ἰωρεί, A Ἰωρές), princeps cuiusdam cognationis Gad in Basan (1 Par. 5,13).

IORAM (יוֹרָם, יְהוֹרָם, Ἰωράμ). 1. Filius Thou regis Hemath (2 Reg. 8,10), idem ac Adoram 2.

2. Levita ex maioribus Selemith a Davide super thesauros sacros praepositi (1 Par. 26,25; hebr. יֹרָם).

3. Sacerdos, qui regnante Iosaphat cunctas urbes Iuda circumiens populum legem Domini docebat una cum Elisama sacerdote aliisque (2 Par. 17,8).

4. Filius Iosaphat, rex Iuda; triginta duos annos natus, tamquam primogenitus filius Iosaphat regnum accepit ex patris dispositione (2 Par. 21,3) et octo annis regnavit in Ierusalem. Uxor eius erat Athalia, filia Achab; ipse quoque ambulavit in viis domus Achab et fecit malum coram Domino. Iosaphat pater aliis filiis suis sex dederat multum auri et argenti eosque duces urbium munitarum constituerat. Verum Ioram quam primum se vidit satis confirmatum in regno, fratres suos aliosque principes occidit. Cum fratres eius dicantur a propheta Domini « meliores te », hos removisse videtur et ob avaritiam et quia ipsi obsistebant. Ioram enim innovavit scelera idololatriae et populum ad idololatriam seduxit (4 Reg. 8, 18; 2 Par. 21,6. 11 ss.). Ultio divina mox manifestata est. Edomitae sese subtraxerunt dominationi eius et sibi regem constituerunt; neque bello inito valuit Ioram eos in suam ditionem redigere; praeter Edom Lobna quoque recessit, Philisthaei etiam et Arabes invaserunt Iudaeam et « vastaverunt eam diripuerunt que cunctam substantiam quae inventa est in domo regis, insuper et filios eius et uxores; nec remansit ei filius, nisi Ioachaz qui minimus natu erat » (2 Par. 21,16. 17). Demum per duos ultimos regni annos morbo viscerum gravissimo laborabat et longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera, mortuus est in infirmitate pessima. Neque ei secundum morem parentatum est, ita scil. ut pretiosa aromata et ligna odorifera in eius honorem comburerentur (de quo more cf. 2 Par. 19,14). Cf. generatim 3 Reg. 22,51; 4 Reg. 1,17; 8,16 ss.; 11,2; 12,18; 1 Par. 3,11; 2 Par. 21,1 ss.; 22,1; Matth. 1,8.

5. Filius Achab, rex Israel, qui post mortem fratris sui, Ochoziae, regnavit in Samaria (4 Reg. 1,17) per annos duodecim (4 Reg. 3,1); melior erat parentibus suis; nam statuas Baal quas fecerat pater eius removit; ceterum tamen non recessit a peccatis Ieroboam. Cum Mesa, rex Moab, rebellis exsisteret nec tributum solveret, Ioram opem rogavit a Iosaphat rege Iuda, qui prompte exercitum suum cum rege Israel et rege Edom coniunxit. Cum exercitus penuria aquae laboraret, Iosaphat suasit, ut deprecarentur Dominum per prophetam. Atque Eliseus in verbo Domini felicem rei exitum praedixit; Moabitae devicti sunt et regio eorum devastata est (4 Reg. 3,4-27). Cum rex Syriae pugnaret contra Israel, Eliseus, qui divinitus consilia hostium cognita habebat, regi indicandum curavit quomodo insidias Syrorum evitaret (4 Reg. 6,8 ss.). Benadad autem rex Syriae obsidebat Samariam et fames maxima exorta est, ita ut duae mulieres inter se pactum fecerint de filiis comedendis; cum altera mulier suum filium nollet immolare, prior mulier regem adiit, qui audito scelere scidit vestimenta viditque omnis populus cilicium quo vestitus erat, simulque minatus est Eliseo mortem, a quo antea auxilium acceperat et a quo se iam derelictum putabat. Verum insequente nocte terror Domini irruit in Syros qui praecipite fuga abierunt castris cum amplissimo commeatu relictis (4 Reg. 6,24-7,20), sicut praedixerat Eliseus. Contra Ioram iubente Eliseo unctus est Iehu in regem, qui iudicium Domini in domum Achab exsequeretur; Ioram a Iehu sagitta percussus interiit (4 Reg. 8,28. 29; 9,1 ss.; 2 Par. 22,5-7).

IORDANIS (הַיַּרְדֵּן cum articulo, in poesi sine articulo Ps. 42[41],7 et Iob 4,23[Vulgata 18]; ὁ Ἰορδάνης), fluvius nobilissimus et proprie loquendo unicus Palaestinae, quae Ps. 41[42],7 terra Iordanis audit. Nomen hodiernum est *el-Sherī'a* i. e. aquatio vel *Sherī'at el-Kebīre* i. e. aquatio magna. Apud scriptores arabicos vocatur *el-Urdunn*. In papyro Anastasi I legitur *Y-ira-du-na* (cf. *W. M. Müller*, Asien u. Europa p. 97 s. 196). Nomen plerumque explicatur *fluvius* a ירד = descendere, defluere, ut germanice *Rhyn, Rhein* a verbo *rinnen*.

Alii vero nomen comparant cum voce syriaca *yarda* i. e. lacus et cum verbo arabico *warada* i. e. adaquari (*wirdun* i. e. aquatio); unde nomini antiquo Iordanis eadem subesse significatio videtur ac nomini hodierno *el-Sherī'a* scil. aquatio (*Cheyne* in Encyclopaedia biblica II. 2575; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 125-7).

Iordanis ex tribus fontibus coalescit. Primus est *Nahr Bāniyās*, qui prope vicum *Bāniyās* (Paneas, Caesarea Philippi) oritur infra specum admodum pulchram deo Pan olim consecratam (cf. *Flav. Ios.* Ant. XV. 10,3) et aqua limpidissima prae aliis duobus fontibus Iordanis distinguitur. Secundus, *Nahr Leddān*, oritur ex *Tell el-Qādi* (Lais-Dan; v. DAN 3) ad occidentem Paneadis; apud Flav. Iosephum vocatur minor (ὁ μικρὸς Ἰορδάνης Ant. VIII. 8,4) vel fons Dan (Δάνος I. 10,1). His duobus hora et dimidia infra Paneadem confluentibus mox adiungitur tertius, *Nahr Ḥāṣbānī*, qui in descensu occidentali Hermon maioris prope vicum *Ḥāṣbeyā*, oritur et per *Wādi el-Teim* decurrens eandem directionem meridionalem tenet, quam ipse Iordanis ex hisce tribus fluviis coalescens. *Nahr Ḥāṣbānī*, quem scriptores veteres ignorant, longitudine alios duos superat, medius autem *Nahr Leddān* est brevissimus, sed copia aquae largissimus. Asserit quidem Flavius Iosephus (Bell. iud. III. 10,7) : « Et Iordanis quidem fons Panium esse videtur : sub terram vero huc occulto defertur ex Phiala quae appellatur »; lacum autem Phiala a rotunditate dictum 120 stadia a Caesarea Philippi abesse dicit (hodie *Birket el-Rām* inter meridiem et orientem a *Bāniyās*). Sed lacus ille exitu aquae caret et insuper in regione depressa situs aquas ad Panium mittere nequaquam posset. Apud Flav. Iosephum cf. praeterea de Iordane Ant. V. 3,1; XIII. 1,3; Bell. iud. I. 21,3; IV. 1,1.

Iordanis primum Semechonitidis paludes i. e. lacum *Ḥūle* medius secat, deinde per fauces rupium tribus fere horis planitiem *el-Baṭīha* attingit et lacum Tiberiadis intrat. In hoc cursu superiore commemorandus est pons Iacob, *Djisr Benāt Ya'qūb* i. e. pons filiarum Iacob, non multum infra lacum *Ḥūle* Iordani impositus; illac enim ducebat via maris a Ptolemaide Damascum versus, quae iam antiquissimis temporibus Aegyptum et terras euphratenses coniungebat.

A lacu Tiberiadis usque ad mare Mortuum perficitur Iordanis cursus medius et inferior, qui in linea recta circa 110 km habet, sed ob innumeros sinus ac tortus saltem in triplicem longitudinem protrahitur. Distinguere oportet alveum Iordanis et vallem Iordanis. Ipse alveus fere quadrantem horae latus est et directionem meridionalem satis constanter retinet, ita ut intra ipsum fluvius multiplices istos tortus perficiat. Consitus est arundinibus, cannis, virgultis salicum, populorum, platanorum, tamaricum, a suibus feris aliisque bestiis habitatus, olim etiam a leonibus (Ier. 49,19; 50,44; Zach. 11,3); in Vetere Test. vocatur superbia Iordanis (loc. cit. et Ier. 12,5), hodie *el-Zōr*. Huius alvei ripas Iordanis tempore messis implere consueverat (Ios. 3,15; cf. 1 Par. 12,15; Eccli. 22,24[36]). — Sed vallis Iordanis, *el-Ghōr*, altior est; generatim 12 m, nonnullis locis 46 m supra alveum assurgit, duarum vel trium horarum latitudinem habet, est desertum sterile, calore candens, ex utraque parte praeruptis montibus conclusum; nonnullae tamen oases aquosae solitudinibus interiectae sunt et imprimis frugiferae sunt regiones circa Bethsan, Soccoth, Iericho et regio lacui Genesareth adiacens.

Ab oriente in Iordanem influunt fluvius *Yarmūk*, Hieromax veterum, hodie *Sherī'at el-Menāḍire* et Iaboc (vide s. v.), ab occidente *Wādi Djālūd* prope Bethsan, *Wādi Fār'a* et *Wādi Qelt* prope Iericho, qui torrens Carith (vide s. v.) a nonnullis esse putatur.

Totus cursus Iordanis a fonte *Nahr Ḥāṣbānī* usque ad mare Mortuum in linea recta et inclusis etiam lacubus *Ḥūle* ac Genesareth complectitur c. 200 km, ex quibus fere tres quartae partes scil. c. 146 km infra maris aequor deprimuntur. Qua ratione velocitatis aquae Iordanis deferantur, ex tabella subiecta perspicitur :

In parenthesi indicatur elevatio (+) vel depressio (—) relate ad maris Mediterranei aequor.	Distantia :	Libramentum aquae pro 1 km :
A fonte *Nahr Ḥāṣbānī* (+ 520 m) usque ad confluentes (+ 43 m)..	c. 35 km	13, 6 m
A fonte *Nahr Bāniyās* (+ 369 m) usque ad confluentes (+ 43 m)..	7-8 km	45 m
A fonte *Nahr Leddān* (+ 154 m) usque ad confluentes (+ 43 m)..	c. 8 km	14 m
A confluentibus (+ 43 m) usque ad austrum lacus *Ḥūle* (+ 2 m)..	c. 18 km	2,3 m
A lacu *Ḥūle* (+ 2 m) usque ad lacum Genesareth (— 208 m).....	c. 16 km	13 m
A lacu Genesareth (— 208 m) usque ad mare Mortuum (— 394 m)..	c. 110 km	1,7 m

Velocitas igitur Iordanis satis magna est. Quodsi addimus permulta esse vada, vortices, impetus aquarum, syrtes, scopulos, facile intellegimus eundem navium vix patientem esse. Dum igitur alii fluvii commercio hominum inserviunt, Iordanis potius erat limes ac terminus terrae promissae (Gen. 32,10; Num. 34,12; Ios. 1,2; Ez. 47,18); regio ad orientem Iordanis terrae Chanaan opponitur et nominatur terra trans Iordanem (Gen. 50,10. 11; Num. 35,14; Ios. 14,1. 3 et saepius).

Tota vallis a lacu Tiberiadis usque ad sinum Aelaniticum hebraice vocabatur *ʿAraba* (עֲרָבָה, LXX Ἀραβα) i. e. desertum, solitudo (cf. Ios. 12,1; 2 Reg. 2,29; 4,7; 4 Reg. 25,4). Hodie sola vallis a mari Mortuo usque ad sinum Aelaniticum *el-ʿAraba* audit. Vallis autem Iordanis a lacu Tiberiadis usque ad mare Mortuum, quae hodie *el-Ghōr* i. e. depressio audit, vocabatur circulus Iordanis (כִּכַּר הַיַּרְדֵּן vel brevius הַכִּכָּר); cf. Gen. 13,10. 12; 19,17. 25. 28. 29; 2 Sam. 18,23; 1[3] Reg. 7,46; in Novo Test. eadem vallis designatur ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου, regio circa Iordanem (Matth. 3,5), regio Iordanis (Luc. 3,3).

Traiectus Iordanis. Quattuor vel quinque sunt traiectus praecipui, qui nonnullos eventus ex historia sacra in memoriam revocant. Immediate infra lacum Tiberiadis cernuntur ruinae pontis *Djisr el-Samakh* a vico *Samakh* dicti; inde via romana Damascum ducebat. Paulo infra ostium fluvii *Yarmūk* alius pons, *Djisr el-Mudjāmiʿ*, traiectum antiquum indicat; ea via Naaman Syrus (cf. 4 Reg. 5,14) et Syri a Samaria fugientes (4 Reg. 7,15) Iordanem traiecisse censentur; ibi Iudas Mach. et Ionathas frater eius ex Galaad Hierosolyma redituri Iordanem traiecerunt contra faciem Bethsan (1 Mach. 5,52; 2 Mach. 12,29). Iterum paulo infra ostium fluvii Iaboc est traiectus *el-Dāmiye*, quo via a Sichem versus Ramoth Galaad ducebat; ibi fere erant vada, quae Galaaditae occuparunt, ut fugientes Ephraimitas interciperent (Iud. 12,5 ss.). A Iericho denique duae viae antiquae in terram transiordanicam ducebant, altera superior per vadum hodiernum *Makhāḍet Hadjle* versus Ramoth Galaad, altera inferior per vadum hodiernum *el-Ḥenu* versus Hesebon; in ea regione populus Israel Iordanem miraculo siccatum traiecit (Ios. 5,1 ss.); praeterea cf. 1 Reg. 13, 7; 2 Reg. 19,18; 4 Reg. 2,8; 6,6; 1 Mach. 9,48; Marc. 10,1. 46 et Io. 10,40. Intra ista duo vada traditio locum figit, in quo Ioannes Baptista baptizabat (Matth. 3,6; Marc. 1,5) et Iesus ab eo baptizatus est (Matth. 3,13; Marc. 1,9; Luc. 3,21).

IORIM (Ἰωρείμ), qui fuit Mathat, in genealogia Christi (Luc. 3,29).

IOSA (יוֹשָׁה, Ἰωσειά), filius Amasiae, unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui tempore Ezechiae pascua Gador occuparunt (1 Par. 4,34).

IOSABA, IOSABETH (יְהוֹשֶׁבַע, יְהוֹשַׁבְעַת; Ἰωσαβέέ, Ἰωσαβεέθ), filia Ioram regis Iuda, soror Ochoziae et uxor Ioiadae pontificis, quae Ioas filium Ochoziae a facie Athaliae abscondit, ne interficeretur (4 Reg. 11,2; 2 Par. 22,11). Flav. Iosephus (Ant. IX. 7,1) eam dicit Ochoziae sororem eodem patre genitam neque textus sacer eam asserit filiam

Athaliae, sed solummodo filiam Ioram; unde conicere licet eam a Ioram ex alia quadam concubina fuisse genitam.

IOSABHESED (יוֹשַׁבְ־חֶסֶד, Ἀροβάσουκ), unus de filiis Zorobabel (1 Par. 3,20).

IOSABIA (יוֹשַׁבְיָה, Ἰσαβία), pater Iehu principis in tribu Simeon tempore Ezechiae regis (1 Par. 4,35).

IOSACHAR (יוֹזָכָר, Ἰεζεχάρ), filius Semmaath Ammanitidis, servus Ioas regis Iuda (4 Reg. 12,21[22]); loco parallelo 2 Par. 24,26 scribitur Zabad (זָבָד, Ζαβέλ); is cum alio servo Iozabad regem in lecto interfecit: v. IOAS 1.

IOSAIA (יוֹשַׁוְיָה, Ἰωσειά), filius Elnaem, heros in exercitu Davidis (1 Par. 11,46).

IOSAPHAT (יְהוֹשָׁפָט, Ἰωσαφάτ).

1. Filius Ahilud, primum Davidi (2 Reg. 8,16; 20,24; 1 Par. 18,15), deinde Salomoni (3 Reg. 4,3) a commentariis; de qua dignitate vide s. v. COMMENTARIUS.

2. Vir fortissimus in exercitu Davidis (1 Par. 11,43); hebr. scribitur יוֹשָׁפָט.

3. Sacerdos tempore Davidis (1 Par. 15,24).

4. Filius Pharue, praefectus in Issachar tempore Salomonis (3 Reg. 4,17).

5. Filius Namsi, pater Iehu regis (4 Reg. 9,2.14).

6. Iosaphat rex Iuda, filius Asa, thronum ascendit triginta quinque annos natus et viginti quinque annis regnavit; ambulavit in omni via Asa patris sui et fecit quod erat rectum coram Domino. Excelsa quidem non abstulit, at reliquias quasdam cultus impuri ex tempore Asa exterminavit (cf. 3 Reg. 22,41-47; 2 Par. 17,6; 19,3; 20,33). Et tertio anno regni sui misit viros nobiles quinque et levitas novem cum sacerdotibus duobus, qui habentes librum legis Domini docerent cunctas in circuitu urbes Iuda et populum erudirent, et de Bersabee usque ad montem Ephraim revocabat populum ad Dominum (2 Par. 17, 7-9; 19, 4). Cultum sacrum ab eo promotum esse templumque donis positis exornatum innuitur 4 Reg. 12,18 et 2 Par. 20,19. Huic pietati non deerat merces divinitus concessa : « itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum quae erant per gyrum Iuda nec audebant bellare contra Iosaphat. Sed et Philisthaei Iosaphat munera deferebant et vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pecora arietum septem millia septingenta et hircorum totidem » (2 Par. 17,10. 11). Sed multum quoque rei militari prospiciebat. Praesidia militum constituit in urbibus Iuda, urbes munivit turribus aedificatis et constructis moenibus, in civitatibus quoque Ephraim collocavit praesidia. Maximum quoque exercitum paratum habebat sub quinque ducibus numero sane stupendo 1 160 000 militum secundum numeros 2 Par. 17, 14-18.

Verumtamen non in omnibus se praestitit regem vere theocraticum. Nam affinitate coniunctus est domui Achab, impii regis Israel (2 Par. 18,1). Filio enim Ioram uxorem dedit filiam Achab (4 Reg. 8,18; 2 Par. 21,6). Familiariter quoque ipse cum Achab conversatus ei opem tulit in bello animo paratissimo loquens ad Achab : « ut ego et tu, populus meus et populus tuus unum sunt, et equites mei equites tui » (3 Reg. 22,4; 2 Par. 18,3). Ita cum eo bellum movit contra Syriam, ut recuperaret Achab Ramoth Galaad quadringentis pseudoprophetis fausta nuntiantibus et propheta Michaea frustra regem de infelici eventu monente. Proelio commisso Iosaphat quem regem Israel Syri putabant in magno versatus discrimine « clamavit ad Dominum et auxiliatus est ei atque avertit eos ab illo » (2 Par. 18,31), Achab vero sagitta percussus obiit. Iosaphat autem revertenti in regnum suum occurrit Iehu propheta acri reprehensione, quod impio praebuisset auxilium et cum inimico Dei inisset amicitiam (3 Reg. 22,5-37; 2 Par. 18,4-19,2). Curam dein impendit, ut iudices constituerentur et recte munere suo fungerentur (2 Par. 19,5-11). Praesentem Dei opem expertus est quando cum Ioram, rege Israel, contra Mesam regem Moab bellum iniit (4 Reg. 3,4-27) et cum Moabitae, Ammonitae,

Maonitae bellum contra eum moverent. Contra quod periculum iciunio et oratione ad Dominum confugit, qui eum exaudivit et per Iahaziel prophetam faustum rei exitum promisit. Hostes enim inter se discordes facti mutuis caedibus sese interemerunt, et Iudaei amplis spoliis collectis Domino laudes cecinerunt de felici belli exitu (2 Par. 20,1-29). Hisce peractis « quievit regnum Iosaphat et praebuit ei Deus pacem per circuitum ». Uti antea cum Achab, ita quoque cum impio eius filio, Ochozia, iniit amicitias ad construendas naves, quae de Asiongaber irent in Ophir propter aurum. Sed, uti Eliezer vaticinatus est, propter foedus cum Ochozia Dominus percussit opera Iosaphat; et naves confractae sunt in Asiongaber (3 Reg. 22,49; 2 Par. 20,35-37).

Cf. generatim 3 Reg. 15,24; 22, 2 ss.; 4 Reg. 1,17; 3,1 ss.; 8,16; 12,18; 1 Par. 3, 10; 2 Par. 17,1 ss.; 18,1 ss.; 19,1 ss.; 20, 1 ss.; 21, 1 s.; 22,9; Matth. 1,8.

I. KNABENBAUER.

7. Iosaphat vallis. In prophetia Ioelis Dominus ultionem de hostibus Sionis capiendam indicens « congregabo, inquit, omnes gentes et deducam eas in vallem Iosaphat » (עֵמֶק יְהוֹשָׁפָט, ἡ κοιλὰς Ἰωσαφάτ Ioel 3[hebr. 4],2. 12); alio nomine mox eadem vallis *concisionis* (s. decisionis) (vocatur חֶרוּץ, κ. τῆς δίκης, ib. v. 14). Nomen huius vallis Iosaphat i. e. *Dominus iudicat* a multis interpretibus allegorice exponitur, idque satis probabiliter, cum verba prophetae iudicium Dei in omnes gentes vario tempore et variis modis exercendum describant (cf. *I. Knabenbauer* in h. l.); occasionem vero huius denominationis propheta fortasse desumpsit ex victoria a rege Iosaphat in valle benedictionis de hostibus reportata (2 Par. 20,16-26; עֵמֶק בְּרָכָה, ὁ αὐλὼν τῆς εὐλογίας v. 26), quam vallem nonnulli recentiores ideo supponunt eandem esse cum valle Iosaphat, sed immerito (v. BENEDICTIONIS VALLIS).

At multis tum Iudaeis, tum Christianis, tum Mahometanis placuit opinio antiquissima, quamvis ex hoc non magis vera, secundum quam vallis Iosaphat eadem dicitur cum torrente Cedron in ea potissimum parte, quae urbem Hierosolymorum a monte Oliveti seiungit. Quam opinionem iam auctor libri Henoch videtur indicare (c. 27), Eusebius eiusque interpres S. Hieronymus expressis verbis sequuntur; et iam eorum aetate, atque sequentibus saeculis usque ad nostra tempora vallis Iosaphat communis appellatio illius torrentis evasit (cf. *Itinera hierosolymitana*, passim) cuius « fluvium parvum » *Breviarius de Hierosolyma* refert (c. a. 590) « ignem in consummationem saeculi vomiturum » (cf. nomen hodiernum *Wādi el-nār*, vallis ignis). Sed verba Ioelis nullum opinioni de iudicio universali in hac valle futuro fundamentum praebent, eamque S. *Cyrillus* Alexandrinus tamquam frivolum atque anile et ridiculum Iudaeorum commentum reiciendam censet (in Ioel 3,2; *Migne* 71,389 D), quamquam appellationem iam tunc usitatam admittit.

De valle ipsa v. CEDRON (vol. I. col. 798. 799) et IERUSALEM II. 2. — Cf. *Eusebius* — *S. Hieronymus*, Onomastica sacra, *ed. P. de Lagarde* 273,89 s. 111,13 s.; *Breviarius de Hierosolyma* in Itinera hierosolymitana, *ed. P. Geyer*, p. 155,17 s.; *Itin. Burdig.* ib. 23,7; *Petrus diac.* ib. 109,13; *Eucherius* ib. 127,10; *Theodosius* ib. 142,15; *Antoninus* [Anonymus] *Plac.* ib. 170,18; 173, 15. 17; 176,9; *Adamnanus* ib. 240, 7. 10; 241, 19; 242,1; 246,6; 248,15; *Ven. Beda* ib. 308, 23; 309,10. — *Fr. Quaresmius*, Elucid. Terrae S. IV. peregr. 5, c. 2 s., *ed. Venet.* II. p. 117-20; *Ad. Neubauer*, La géographie du Talmud p. 51 s.

L. FONCK.

IOSEDEC (יְהוֹצָדָק, Ἰωσεδέκ), filius Saraiae pontificis, in captivitatem babylonicam abductus (1 Par. 6,14. 15), postquam Saraias in Reblatha occisus est (cf. 4 Reg. 25,18. 21). Procul dubio in exsilio babylonico mortuus est; eius filius Iosue (Iesus) pontificatum gessit tempore Zorobabel (Esdr. 3,2. 8; 5,2; 10,18; Eccli. 49,14; Agg. 1,1. 12. 14; 2,3. 5; Zach. 6,11).

IOSEPH (יוֹסֵף, Ἰωσήφ). **1.** Filius Ia-

cob ex uxore praedilecta Rachel, quae eum post longiorem sterilitatem peperit dicens: abstulit Deus opprobrium meum; et vocavit nomen eius Ioseph dicens: addat יסף mihi Dominus filium alterum (Gen. 30,23). Genitus a patre sene ex uxore praedilecta patri maxime carus erat; unde invidiam fratrum Ioseph non effugit, quam narratis somniis, quibus praecellentia eius portendi videbatur, etiam magis auxit. Praeterea patrem de quorundam fratrum crimine certiorem reddiderat; quare molestum censorem et somniatorem Madianitis mercatoribus aromata in Aegyptum portantibus servum tradiderunt pretio viginti argenteorum accepto. In Aegypto Ioseph venditus est Putiphari (Peti-para, deditus deo solis, Phra; cf. *Ebers*, Aegypten und die Bücher Mose's 1868 p. 296), eunucho Pharaonis, magistro militum (Gen. 37,36); erat Putiphar dux vel princeps satellitum (*Ebers* l. c.), dux praetorianorum, qui simul erant lictores; ei suberant carceres (*F. de Hummelauer* in Gen. p. 531). Cum Ioseph optime rem administraret, mox ab hero constitutus est oeconomus et gubernator omnium bonorum domus (Gen. 39,4-6). Vocatur quidem Putiphar eunuchus, quod nomen est vel solius dignitatis et officii aulici, vel rei ipsius; minime insuetum erat etiam eunuchos habere uxores (cf. *Ebers* l. c.) et cum insuper in Aegypto mulieres magna uterentur libertate, narratio de pessimo mulieris tentamine minime a vero aliena est. Odio mulieris eiusque calumnia Ioseph mittitur in carcerem (Gen. 39,7-23), in quo tamen non tam captivus quam captivorum praepositus a principe carceris habebatur. Appellatur carcer בית סהר (LXX δχύρωμα) domus arcis; quod nomen sohar aegyptiacum est (*Ebers* l. c. 319). Quae porro narrantur de somniis duorum aulicorum, plane expressa sunt ad mores Aegyptiorum in iis quae spectant ad officia aulica; somniis apud Aegyptios summam esse attributam vim ac significationem divinationis pariter certum est. Quod olim ex Herodoto 2,77 opponebatur uvas et vinum fuisse Aegyptiis ignota, monumentis aegyptiacis luculentissime refutatur, in quibus vites cernuntur, viri portantes uvas, eas exprimentes etc. (*Ebers* p. 323 ss.).

Deo benigne disponente Ioseph explicatione somniorum Pharaonis ad summam evehitur dignitatem. Notandum est quanta accuratione singula ad morem aegyptiacum exhibeantur; ita v. g. quod Ioseph antequam coram rege appareat, tondeatur et vestes mutet. Consilium quod regi dederat ipse constitutus gubernator exsecutus est. Per septem fertilitatis annos ingens frumenti copia collecta est, qua per septem annos sterilitatis populus ali poterat. Fame in Palaestina quoque praevalente fratres Ioseph descendunt in Aegyptum frumentum empturi. Ioseph eorum indolem et animos explorat, sintne etiam tum invidia et aemulatione pleni, ideoque filium Beniamin a patre praedilectum quasi criminis reum coram illis sistendum curat eumque sibi in servum postulat aliis libere abire iussis. Fratres moribus esse emendatos agnoscens magna eos caritate fovet atque ut patrem ad se adducant et ut tota familia domicilium in terra Gessen capiat Ioseph efficit. Ipse fratribus crimini minime vertit quod olim in se peccaverant, sed in omnibus cernit suavem Dei providentiam; « pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum; non vestro consilio sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis et dominum universae domus eius et principem in omni terra Aegypti » (Gen. 45,5-9). Ioseph uxorem duxerat Aseneth (nomen derivatum a nomine deae Neith), filiam sacerdotis Heliopoleos, quae ei duos peperit filios, Manasse et Ephraim (Gen. 41,50-52). Tempore famis suppeditavit Ioseph Aegyptiis frumenta; sed cum illi iam non haberent quo emerent, suas possessiones vendebant et terra Aegypti cessit in possessionem regis; acceptis seminibus quintam partem messis regi dare debebant; « ex eo tempore usque in praesentem diem in universa terra Aegypti regibus quinta pars solvitur et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali quae libera ab hac conditione fuit » (Gen. 47,26).

Patri moriturO promisit Ioseph fore,

ut eum sepeliret in sepulcro maiorum suorum; ad eum adduxit quoque filios suos duos, quibus Iacob benedixit et quos tamquam suos adoptavit (Gen. 48,5). Ipsi Ioseph quoque dixit : do tibi partem unam extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrhaei [in gladio et arcu meo] (Gen. 48,22); cf. Gen. 33,19 et vide *F. de Hummelauer* p. 584. Quam carus Ioseph patri fuerit, maxime quoque ex benedictione Gen. 49,22-26 eiucet. Mortuo patre cum fratres Ioseph timerent ne iniuriam olim acceptam ulciscereturr, eum patris nomine et auctoritate obsecrarunt, ut oblivisceretur sceleris; quibus animo commoto respondit eos consolans et divinam in rebus gestis providentiam praedicans (Gen. 50,15-21). Usque ad provectam aetatem centum et decem annorum vixit et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem et filios Machir, filii Manasse, adoptavit. Demum, sicut patrem mortuum et aromatibus conditum magna pompa sepeliverat in terra Chanaan in spelunca duplici quam emerat Abraham, ita ipse postulavit a contribulibus suis, ut, si Deus eos adducturus sit ad terram quam iuravit patribus, ossa sua asportarent; id quod in exitu ex Aegypto factum esse legimus (Gen. 50,24; Ex. 13, 19; Ios. 24,32); ossa enim eius sepelierunt in Sichem in parte agri quem emerat Iacob a filiis Hemor. Laudes Ioseph etiam Sapiens celebrat (Eccli. 49,17).

Praeterea nomen Ioseph saepe usurpatur pro duabus tribubus Ephraim et Manasse, quae vocantur domus Ioseph (Ios. 17,17; 18,5; Iud. 1,22, 35; 3 Reg. 11,28), tribus Ioseph (Num. 13,11), filii Ioseph (Num. 1,10. 32; Ios. 14,4) vel etiam simpliciter *Ioseph* (Ez. 47,13). Et quia tribus Ephraim praesertim in regno decem tribuum potentissima erat et quasi dux, etiam populus Israel i. e. populus decem tribuum vocatur Ioseph (Ez. 37,16. 19; Am. 5,15; Zach. 10, 6 etc. ; immo nomen Ioseph quandoque de toto populo electo dicitur, sicut domus Iacob, ita domus Ioseph (Abd. 18); ita filii Iacob et Ioseph, Israel et Ioseph (Ps. 76,16; 79,2).

I. KNABENBAUER.

2. Pater Igal, principis Issachar, exploratoris (Num. 13,8[7]).

3. Cantor ex filiis (seu posteris) Asaph (1 Par. 25,2).

4. Unus de filiis Bani, qui uxores alienigenas duxerant (Esdr. 10,42).

5. Princeps familiae sacerdotalis Sebeniae tempore Ioacim pontificis (Neh. 12,14).

6. Unus ex maioribus Iudith (Iudith 8,1).

7. Iosephus (Ἰώσηφος et Ἰωσήφ), filius Zachariae, belli dux, qui una cum Azaria duce apud Iamniam devictus est a Gorgia duce Syrorum (1 Mach. 5,18. 56. 60).

8. Iosephus (Ἰώσηφος) vocatur 2 Mach. 8,22; 10,19 nominis quadam mutatione frater ille Iudae Machabaei, qui alias Ioannes appellatur (cf. 1 Mach. 2,2; 9. 36. 38).

9. Unus ex maioribus Ioseph sponsi b. Virginis (Luc. 3,24).

10. Alius in eadem genealogia (Luc. 3,26).

11. Tertius in eadem genealogia (Luc. 3,30).

12. Unus ex « fratribus » Iesu vocatur Ioseph vel, ut alii habent, Ioses (Ἰωσῆς); mater eius est Maria uxor Cleophae (Matth. 13,55; 27,56; Marc. 6,3; 15,40. 47; cf. Ioan. 19,25).

13. Ioseph (Ἰωσήφ), sponsus b. V. Mariae, ex domo David, pater nutritius Iesu. Eius a David origo affirmatur Luc. 2,4 et duplici genealogia (Math. 1,1 ss.; Luc. 3,23 ss.), qua et pater Ioseph naturalis et pater legalis recensetur. Ita enim duplex illa genealogia commode explicatur etiam secundum documentum antiquum Iulii Africani qui illud ab ipsis Iesu cognatis traditum esse affirmat (vide s. v. GENEALOGIA et cf. *Mai,* Nova bibl. IV p. 231; *Migne* 10,53; apud *Eus.* Hist. eccl. 1,7; *M.* 20, 89; Quaest. ad Stephanum 4,2; *M.* 22, 901). Merito potest vocari et vocatur ab evangelista pater Iesu (Luc. 2,41. 48); nam Iesus erat genitus ex eius sponsa; insuper ut Iesus posset nasci ex virgine matre, ad id suavi providentia divina debuit Ioseph sua continentia contribuere; unde aliquo sensu exstitit causa originis Iesu, non causa physica, sed

quae moralis dici solet. De mysterio in sponsa facto ab angelo edoctus est. Dum de conditione sponsae dubius haereret, se praestitit virum iustum atque benignum. Sponsa de mysterio tacet; sponsus crimen sponsae subesse profecto non suspicatur; nam certe mores eius integerrimos habuit perspectos. Sed si vim passa est, cur tacet? quomodo res sit explicanda nescit. Quare id elegit, quo sibi et illi melius se consulere existimat. Nam si vim passa esset ante desponsationem, is qui intulit tenebatur eam dotare et uxorem habere (Ex. 22, 16; Deut. 22,28); si postea, etiam maxime consultum erat, ut ei plenam restitueret libertatem. Stricto iure poterat eam accusare, ut de sua conditione rationem redderet; at advertens sponsam ne sibi quidem velle rem pandere, abhorruit rem deferre; unde voluit occulte eam dimittere. Omnem dubitationem removit nuntius caelestis. Quo accepto sponsam in domum suam recepit. Quod aliqui putant Iosephum iam antea mysterium cognovisse, nequit admitti; pugnat enim cum narratione : noluit eam traducere, δειγματίσαι; pugnat cum verbis angeli quibus edoceatur de mysterio; et si nosset mysterium, summae imprudentiae fuisset eam occulte dimittere, neque cum ea scientia dici potuisset : noluit eam diffamare, in publicum sermonem efferre; vide de ea re plura apud *Knabenbauer* ad Matth. 1,18 ss.

Ioseph habitavit in Nazareth artem exercens fabrilem; ut profiteretur in descriptione ascendit in Bethlehem. Nato Iesu et in templo praesentato videtur domicilium stabile fixisse in Bethlehem; nam redux ex Aegypto, quo statim post magorum discessum angeli monitu perrexit cum matre et prole, voluit commorari in Iudaea; verum audiens quod Archelaus regnaret ibi, timuit illo ire et admonitus in somnis secessit in partes Galilaeae (Matth. 2,22). Ultima eius mentio in evangelio fit, quando Iesus duodecim annos natus remansit in templo parentibus eius redeuntibus; inventus tandem in templo compellatur a matre : fili quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te (Luc. 2,48). Postea, dum Iesus post annum trigesimum praedicaret, turbae quaerunt : nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria? et fratres eius et sorores eius, nonne omnes apud nos sunt? (Matth. 13,55; Marc. 6,3). Ita loquuntur, ut patrem iam obiisse colligendum sit; neque obstat Ioan. 6,42 : nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem ac matrem (cf. 1, 43); immo cum Iesus moriens matrem commendet Ioanni, planum est neque Ioseph fuisse superstitem, neque alios matris filios unquam exstitisse.

14. Ioseph ab Arimathaea (Matth. 27, 57-60; Marc. 15,43-46; Luc. 23,50-53; Ioan. 19,38-42), discipulus Iesu, at occultus propter metum Iudaeorum (Ioan. 19,38), nobilis decurio, synedrii membrum, qui vir bonus et iustus non consenserat consilio et actibus reliquorum (Marc. 15,43; Luc. 23,50). Post mortem Iesu in cruce omnem excussit timorem; palam se profitetur discipulum Iesu; adit Pilatum, petit corpus Iesu et simul cum Nicodemo corpus e cruce deponit illudque sindone involvit additis aromatibus et posuit illud in monumento suo novo quod exciderat in petra in horto suo prope locum crucifixionis, et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti. Virum fuisse divitem, explicite Matthaeus commemorat (27,57) et Messiae sepulcrum fore apud divitem Isaias praedixerat (54,9 hebr.). — Ceterum lege romana statutum erat, ut corpora damnatorum ad sepulturam concederentur cognatis vel amicis id petentibus (*Quintil.* declam. 6,9; *Ulpianus,* digest. 48, 24,1). De loco originis v. ARIMATHAEA.

15. Ioseph qui vocabatur Barsabas v. BARSABAS 1.

16. Ioseph vel Ioses (ut alia lectio habet) vocabatur quoque qui alias Barnabas cognominatus est ab apostolis (Act. 4,36); vide s. v. BARNABAS.

IOSIAS (יֹאשִׁיָּהוּ, Ἰωσίας). **1.** Filius Amon, rex Iuda; octo annos natus coepit regnare et annos triginta et unum regnavit. Erat rex vere pius, ita ut a Sapiente Davidi et Ezechiae aequiparetur : « praeter David et Ezechiam et Iosiam omnes peccatum commiserunt » (Eccli. 49,5). Contra idololatriam, quam

Manasses, avus eius, et Amon, pater eius, foverant, Iosias mox bellum movit : « octavo anno regni sui cum adhuc puer esset, coepit quaerere Deum patris sui et duodecimo anno mundavit Iudam et Ierusalem ab excelsis et lucis simulacrisque et sculptilibus » (2 Par. 34,3). Cultum Baal et Astarthes et aras et statuas destruere coepit et etiam cultum illum illegitimum Domini in excelsis exercitum abolevit. Neque solum in Iudaea scelera idololatriae exstirpare studuit, « sed et in urbibus Manasse et Ephraim et Simeon usque Nephthali cuncta subvertit » (2 Par. 34,6). Ad quam morum instaurationem Deus ei suscitavit adiutores, Ieremiam prophetam, qui anno 13. regni eius ad munus propheticum vocatus fuerat (Ier. 1,2) et Sophoniam prophetam (Soph. 1,1). Sed simul ex orationibus prophetarum satis superque constat, maximam populi partem minime ex animo piis regis conatibus et studiis respondisse. Anno decimo octavo regni iussit pecunia collecta templum instaurare. Cum intimi templi recessus perlustrarentur, reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manus Moysi (4 Reg. 22,8; 2 Par. 34,14). Uti ex subsequentibus elucet, iste liber erat Deuteronomium, in quo scil. et praecepta de ritibus sacris et maledictiones et comminationes in violatores legis continebantur. Quae maledictiones cum rege audiente lectae essent, misit rex ad Holdam prophetissam, quae in verbo Domini edixit mala illa omnia esse ventura, verum propter regis pietatem non in diebus regni eius.

Uti rex lectione libri maxime commotus erat, ita quae ibi praecipiebantur in opus deducere ei cordi erat. Verba foederis coram populo legenda curavit et foedus cum Deo sollemni modo renovavit et vestigia omnia idololatriae contrivit et loca cultui impio sacra contaminavit (4 Reg. 23,1-20; 2 Par. 34,19-35). Dein celebratum est phase cultu Dei pristino splendore restituto (4 Reg. 23, 21-23), quod describitur 2 Par. 35,1-19. De foederis instauratione etiam loquitur Ieremias (11,1 ss.). Verum ne hunc quidem regis pii conatum potuisse inolitam multorum impietatem superare, prophetarum querelis satis demonstratur.

Ipse Iosias in proelio contra Nechao, regem Aegypti, qui frustra eum ne iniret pugnam adhortatus erat, vulneratus est in campo Mageddo et reversus in Ierusalem obiit « et universus Iuda luxerunt eum et Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices usque in praesentem diem lamentationes super Iosiam replicant » (2 Par. 35,25; cf. 4 Reg. 23,29 ss.) et quantopere sors luctuosa pii regis celebrata fuerit per multas generationes, testimonio quoque est comparatio illa apud Zachariam 12, 11. Memoriam Iosiae suavem esse ac prorsus amabilem affirmat Sapiens : nomen Iosiae sicut incensum odoriferum, conditum, opus pigmentarii; memoria eius dulcis est sicut mel in palato et sicut cantus in convivio vini; quia doluit de aversionibus nostris et removit abominationes vanitatis (Eccli. 49,1-2 hebr.). Recensetur quoque in genealogia Christi (Matth. 1,10-11).

2. Vir Iudaeus, filius Sophoniae, cuius domum intrare iubetur Zacharias propheta (Zach. 6,10).

IOSPHIA (יוֹסִפְיָה, Ἰωσεφεία) legitur Esdr. 8,10 : « De filiis Selomith filius Iosphiae et cum eo 160 viri » scil. cum Esdra de captivitate redierunt. Sed nomen proprium videtur omissum esse et cum LXX (cod. Alex.) et Syro legendum : De filiis Bani (Βανί) Selomith filius Iosphiae.

IOSUE. 1. Iosue (יְהוֹשֻׁעַ et Deut. 3, 21; Iud. 2,7 יְהוֹשׁוּעַ; antea Osee, הוֹשֵׁעַ; Ἰησοῦς, antea Αὐσή), filius Nun. Eius genealogia habetur 1 Par. 7,22-27. Nominis mutationem fecit Moyses, cum eum mitteret cum aliis ad explorandam terram (Num. 13,17), qua mutatione eum docuit omnem opis et salutis spem collocare in Iahwe.

Iam mox post egressum ex Aegypto Iosue virum fortem se praestitit iussus a Moyse pugnare contra Amalec (Ex. 17,19), vocatur minister Moysis (Ex. 24,13) et apud eum versabatur (Ex. 32, 17; 33,11; Num. 11,28). Simul cum Caleb restitit calumniis reliquorum exploratorum et admonuit populum, ut Do-

mino contisi terram occuparent (Num. 14,6-9). A Deo electus est successor Moysis : tolle Iosue filium Nun virum in quo est spiritus, et pone manum tuam super eum (Num. 27,18); coram universa multitudine et coram Eleazaro sacerdote a Moyse impositione manuum dux populi consecratus est (cf. Deut. 3,28). Iosue populum introducturum esse ipse Moyses declaravit populo (Deut. 31,3. 7) et ipse Dominus eum ea de re certiorem fecit (Deut. 31,23). Et post mortem Moysis Iosue, repletus spiritu sapientiae (Deut. 34,9), iussus est a Domino transire Iordanem (Ios. 1,2). Iosue castra movit de Setim (Ios. 2,1 ; 3,1) et transito modo miraculoso Iordane in Galgalis populus circumcisus est, ut signaculo foederis Deo consecrati iam inciperent occupare terram quam Dominus iis promiserat. Primo paschate in terra sancta celebrato (5,10) et urbe Iericho capta (6,1-27), misit Iosue partem exercitus contra Hai. Verum ob praevaricationem Achan prior haec expeditio male cessit; sed crimine expiato Hai expugnatur et in monte Hebal pronuntiantur benedictiones et maledictiones, uti praeceperat Moyses (8,33). Hisce denuo edocetur populus, quibus conditionibus victoria certo contingat. Exinde satis celeriter variae urbes in parte meridionali captae sunt, Maceda, Lebna, Lachis, Gazer, Eglon, Hebron, Dabir; « percussit itaque Iosue omnem terram montanam et meridianam atque campestrem cum regibus suis, et percussit eos a Cadesbarne usque Gazam, omnem terram Gosen usque Gabaon » (10,40). Pari felicitate pugnavit Iosue contra plures reges ad aquas Merom (11,1 ss.) et bello per multum temporis protracto in variis terrae partibus Iosue percussit reges triginta unum (12,7-24).

Postquam istis victoriis firmam quandam in terra sedem populo collocavit, reliquum erat, ut regiones singulis tribubus sorte assignarentur. Id quoque negotii Iosue exsequendum curavit (13, 1 ss.). Assignatur Hebron in possessionem Caleb; tribubus Iuda, Ephraim, Manasse suae cuique partes dantur; de aliis eliguntur viri terni ad terram describendam et dividendam in partes septem. Iosue autem coram Domino in Silo misit sortem divisilque terram filiis Israel excepta tribu Levi, cui nulla pars concedebatur, sed solum civitates 48 cum pascuis in variis regionibus et possessionibus aliarum tribuum; eodem modo civitates refugii separavit (14,1-21, 43). Rebus ita dispositis permisit ut milites tribuum Gad, Ruben et dimidiae tribus Manasse, qui opem tulerant in expugnatione regionis cisiordanicae, reverterentur ad suas possessiones transiordanicas, commendans illis accuratam legis Dei observationem (22,1 ss.).

Itaque complevit Iosue opus, ad quod electus erat a Domino. Introduxit populum in terram eamque tribubus divisit. Quae possessio ut firma redderetur ac stabilis, id unum praeprimis requirebatur, ut populus fidem Deo servaret. Quare Iosue nihil antiquius habuit quam ut ante mortem suam sollemni modo foedus cum Deo initum renovaret et praecepta Domini iterato populo inculcaret. Quare omnes tribus, i. e. principes et seniores et iudices congregavit in Sichem et commemoratis beneficiis a Deo acceptis omnes spoponderunt : Domino serviemus et obedientes erimus praeceptis eius (24,24). « Scripsit quoque omnia verba haec in volumine legis Domini » (24,26). Mortuus est Iosue anno vitae centesimo decimo et sepultus est in possessione sua in Thamnathsare in monte Ephraim a septemtrionali parte montis Gaas. Praeclarum quoque testimonium redditur eius gubernandi rationi, cum dicatur : servivitque Israel Domino cunctis diebus Iosue et seniorum qui longo vixerunt tempore post Iosue (24,31).

2. Iosue (יְהוֹשֻׁעַ, Ὠσηέ), vir Bethsamites, in cuius agro constitit arca, quando a terra Philisthinorum reducebatur in terram Iuda; ibi Bethsamitae conciderunt ligna plaustri vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino (1 Reg. 6, 14. 18).

3. Iosue (יְהוֹשִׁיעַ, Ἰησοῦς), princeps civitatis tempore Iosiae regis. Iste ad introitum domus suae habuit aram idololatricam, quae iubente rege destructa est (4 Reg. 23,8).

4. Iosue (יְהוֹשֻׁעַ Agg. 1,1 ss.; 2,2 ss.; Zach. 3,1 ss.; 6,11; sed יֵשׁוּעַ in libris Esdr. et Neh.; LXX Ἰησοῦς), filius Iosedec, sacerdos magnus qui cum Zorobabel rediit in Iudaeam (Esdr. 2,2; Neh. 7,7; 12,1); in Vulgata vocatur Iesus in libris Aggaei et Zachariae prophetarum. Ex Esdr. 2,63 patet, eo tempore pontifici iam non concessum fuisse Dominum interrogare et accipere responsum per Urim et Thummim. Sed Dominus ei et Zorobabeli addidit prophetas, Aggaeum et Zachariam, a quibus in verbo Domini admonebantur, ut strenue opus Domini promoverent et templum aedificarent. Praeclara visione (Zach. 3,1) in Iosue munus sacerdotale ad pristinam revocatur dignitatem et sanctitatem actione symbolica, sordidis scil. vestibus depositis et suppeditatis splendidis. Ipse sacerdos summus declaratur vir portenti, figura scil. et typus illius, de quo promittitur : adducam servum meum Germen, i. e. Messiam. Instaurari itaque theocratiam eo fine indicatur, ut demum adducatur Messias, sacerdos summus in aeternum. Quomodo Iosue operam dederit ad cultum restituendum, scribitur Esdr. 3,28 ss.; 4,3; 5,2; strenue laboravit cum Zorobabel ad aedificandum templum. In eius quoque posteris remansit dignitas sacerdotii magni (Neh. 12,10. 11).

5. Iosue (יֵשׁוּעַ, Ἰησουέ, Ἰησοῦ), princeps familiae de cognatione Phahat Moab (Esdr. 2,6; Neh. 7,11).

6. Iosue (יֵשׁוּעַ; Ἰησοῦ, Ἰησοῦ), princeps familiae sacerdotalis (Esdr. 2,36; Neh. 7,39), fortasse idem ac Iosue pontifex (v. IDAIA 1).

7. Iosue (יֵשׁוּעַ; Ἰησοῦς, Ἰησοῦ), nomen familiae leviticae vel quorundam principum familiae, quae ex captivitate rediit (Esdr. 2,40; 3,9; 8,33; Neh. 3,19; 7,43; 8,7; 9,4.5; 12,8 Vulg. Iesua; 12,24). Descendebant filii Iosue, sicut etiam filii Cedmiel, quibuscum consociari solent, ab Odovia seu Oduia (v. ODUIA 3 et CEDMIEL).

8. Iosue (יֹשִׁיָּה, Ἰεσία), unus de filiis Herem qui uxores alienigenas dimittere iussi sunt (Esdr. 10,31).

IOTA (יוֹטָה, Ἰτάν), urbs tribus Iuda, in tertia provincia montis (Ios. 15,55), sacerdotibus concessa (Ios. 21,16; hoc loco scribitur Ieta, יֶטָּה, Τανύ), sed 1 Par. 6,59[44] omissa. Tempore Eusebii et S. Hieronymi erat vicus pergrandis 18 mil. pass. ab Eleutheropoli ad australem plagam in Daroma (Onom. *ed. Lag.* 266,49; 133,10); cf. Notitia Dignit. *ed. Böcking* I. 79 et 353. Est hodiernus vicus *Yuttā* 10 km a Hebron meridiem versus (*Riess*, Bibel-Atlas *ed.* 3 p. 18; *Survey of West. Pal.* Mem. III. 310).

Relandus (Palaestina p. 870) suspicatur eandem commemorari Luc. 1,39 urbem Iuda (= Iuta) patriam Zachariae sacerdotis et S. Ioannis Baptistae; idem complures admittunt. Verum *Guérin* (Judée I. 87 ss. et cf. III. 206) dubia non spernenda contra hanc opinionem proponit et patriam S. Ioannis Baptistae agnoscere mavult in *'Ain Kārim* (Iosue 15,59 LXX Καρέμ) 6 km a Ierusalem occidentem versus, cuius nomen Christianis usitatum *S. Ioannes in montanis* traditionem adhuc vigentem exprimit. Plura de hac quaestione v. in Revue bibl. I. 1892 p. 107-109; III. 1894 p. 444; IV. 1895 p. 260-261.

IOZABAD, IEZABAD. 1. Iozabad (יְהוֹזָבָד, Ἰεζεβούθ, Ἰωζαβέδ), filius Somer seu Semarith mulieris Moabitidis, servus Ioas regis Iuda (4 Reg. 12,21[22]; 2 Par. 24,26); is cum alio servo Iosachar seu Zabad conspirans regem in lecto interfecit; v. IOAS 1.

2. Iezabad (יוֹזָבָד, Ἰωαζαβάθ) Gaderothites (vide s. v.), pugnator Beniaminita, qui David in Siceleg fugitivo se iunxit (1 Par. 12,4).

3. 4. Iozabad (יוֹזָבָד, Ἰωζαβάθ, Ἰωσαβαίθ), duo ex principibus millium in Manasse, qui ante pugnam ad montem Gelboe Davidi se iunxerunt, cum ab Aphec tribus Issachar in Siceleg rediret (1 Par. 12,20).

5. Iozabad (יְהוֹזָבָד, Ἰωζαβάθ), levita de filiis Core, filius secundus Obededom, unus ex ianitoribus ad australem portam templi (1 Par. 26,4. 15).

6. Iozabad (יְהוֹזָבָד, Ἰωζαβάδ), dux

180000 expeditorum millium in exercitu Iosaphat regis (2 Par. 17,18).

7. Iozabad (יוֹזָבָד, Ἰωζαβάδ), levita tempore Ezechiae regis (2 Par. 31,13).

8. Iozabad (יוֹזָבָד, Ἰωζαβάδ), unus ex principibus levitarum tempore Iosiae regis, cum sollemne pascha celebraretur (2 Par. 35,9).

IOZABED (יוֹזָבָד, Ἰωζαβάδ). **1.** Levita, filius Iosue, adiuvans duos sacerdotes in appendendis argento, auro, vasis templi ex Babylone allatis (Esdr. 8,33).

2. Sacerdos de filiis Pheshur, uxorem alienigenam dimittere iussus (Esdr. 10, 22).

3. Levita uxorem alienigenam dimittere iussus (Esdr. 10,23). Probabiliter idem est qui nominatur Neh. 8,7 (LXX omitt.) inter levitas, qui silentium faciebant in populo ad audiendam legem, quam Esdras recitabat et Neh. 11,16 : unus ex principibus levitarum super opera, quae erant forinsecus in domo Dei, constitutus.

IRA (עִירָא). **1.** Ira Iairites sacerdos David (2 Reg. 20,26; LXX Ἰρὰς ὁ Ἰαρίν). Sacerdos latiore illo sensu dici videtur, quo 2 Reg. 8,18 etiam filii David sacerdotes vocantur. Fortasse recensendus est inter posteros Iair Manassitae (v. IAIR 1). De lectione Peshitta : Ira de Iathir diximus s. v. IETHER 6.

2. Ira Iethrites seu Iethraeus (2 Reg. 23,38; 1 Par. 11,40; LXX Ἴρας, Ἰρά) v. IETHRAEUS.

3. Ira, filius Acces de Thecua, inter Gibborim davidicos (1 Par. 11,28; LXX Ὠρά); idem 2 Reg. 23,26 et 1 Par. 27,9 scribitur in Vulgata Hira, LXX Ἴρας, Ὀδουΐας.

IRAD (עִירָד, Γαιδάδ), filius Henoch et pater Maviael (Malaleel) in genealogia Cainitarum (Gen. 4,18). Distinguendus est a Iared Sethita filio Malaleel et patre Henoch; de genealogia Cainitarum cum Sethitarum comparata cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 184-187.

IR HA-HERES appellatur in vaticinio Is. 19,18 una de quinque civitatibus Aegypti, quae erunt loquentes lingua Chanaan i. e. fidem terrae Chanaan amplectentes. Vulgata : civitas solis vocabitur una. Textus massorethicus legit עִיר הַהֶרֶס quam lectionem ex hebr. explicant urbem destructionis, alii ex arab. urbem leonis (Leontopolim), alii ex syr. urbem salutis; LXX πόλις ἀσεδέκ i. e. הַצֶּדֶק, urbs iustitiae. Sed vix dubium est, quin lectio genuina sit עִיר הַחֶרֶס eaque ex hebr. explicanda : urbs solis. Haec autem urbis solis non intellegitur urbs aliqua determinata, ut Heliopolis, sed sensus prophetae est : in coetu illo aegyptiaco quantumvis parvo paucarum urbium non deerit eximius religionis ac pietatis splendor. Cf. *Knabenbauer*, Comm. in Isai. I. p. 388-391; *L. Reinke* in Theol. Quartalschrift, Tübingen LII. 1870 p. 3-31.

IRIS. Post diluvium benedixit Deus Noe et filiis eius et statuit pactum suum cum iis, quod etiam valere debebat pro posteris, ut scil. nequaquam ultra interficiatur omnis caro aquis diluvii neque sit deinceps diluvium dissipans terram. Atque signum huius foederis pacis declaravit esse arcum in nubibus : Arcum meum ponam in nubibus et erit signum foederis inter me et inter terram; cumque obduxero nubibus caelum, apparebit arcus meus in nubibus et recordabor foederis mei vobiscum etc. (Gen. 9,8-16). Illo itaque arcu, iride, foedus et promissio misericordiae et gratiae declaratur. Unde in illa apparitione, qua Ezechieli prophetae Deus se foederis assertorem fidelem manifestat (Ez. 1,28), thronus et qui in eo sedet, iride eiusmodi circumdatur et pariter Apoc. 4,3 thronus circumdatur iride, quae similis est visioni smaragdinae. Angelus quoque Apoc. 10,1 descendit de caelo amictus nube et iridem habens quasi capitis ornamentum. — Pulchritudo eius laudatur Eccli. 43,12 : vide arcum et benedic eum qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo; gyravit caelum in circuitu gloriae suae; manus Excelsi aperuerunt illum (hebr. manus Dei extendit eum; cum alia lectione in margine : manus non extendit). — Ceterum ex Gen. 9,13 ss. inferri nequit arcum,

iridem non potuisse antea exsistere; nam quae naturalia sunt, possunt in signum assumi et in symbolum irae vel gratiae Dei, sicut Gen. 3,14 in serpente habetur : super pectus tuum gradieris.

ISAAC (יִצְחָק, Ἰσαάκ), filius Abraham et Sarae, pater Iacob et Esau. Nomen est a *risu* petitum, quod, ubi Isaac nasciturus praedicebatur, riserint tam Abraham (Gen. 17,17) quam Sara (18, 12; 21,6). Acta Isaac traduntur Gen. 21 ss.; 24,1-28,9; 35,27 ss. Cf. 1 Par. 1,28. 34; Iudith 8,23; Eccli. 44,24-27; Matth. 1,2; Luc. 3,34; Act. 7,8; Rom. 9,7. 10; Gal. 4,28; Hebr. 11,9. 17 ss.; Iac. 2,21. Natus est hic Abrahae centenario e Sara nonagenaria pridemque sterili. In ipso benedicendae praenuntiabantur omnes gentes. Petente postmodum Sara, dimisit Abraham Agar ancillam cum filio Ismaele, ne hic demortuo Abraham primogeniti iura sibi vindicaret. Iubente posthaec Deo, ut Abraham filium Isaac tamdiu expetitum tamque ardenter amatum immolaret, neque Abraham neque Isaac divino mandato repugnabant. Et Isaac quidem factus est typus Christi sponte pro peccatis mundi altare crucis subeuntis; angelus vero Abrahamum, ne filium destricto gladio interimeret, cohibuit prioresque promissiones rursum confirmavit. Quadraginta annos natus Isaac uxorem duxit non Chananaeam, sed Rebeccam filiam Bathuelis filii Nachor. Rebecca primum sterilis elapsis viginti annis peperit geminos, quorum prior egressus est Esau, posterior Iacob. Ille patri carior factus est venator, hic matris deliciae vitam egit pastoris. Isaac interim, quod pater eius fecerat, per varios Chanaanitidis tractus greges circumducebat, vitam agebat comparatione tam Abrahae quam Iacob quietam et aequalem. Praeter aliquas pastorum rixas pactumque cum Abimelech rege Gerarae initum vix quidquam ea habet narratu dignum. Uxorem inter Geraritas, uti Abraham Saram apud Aegyptios, sororem esse praetendit. Neque tamen ex his concludere fas est aut totam narrationem esse fictam, aut mutato nomine bis eadem narrari. Pastorum quippe vitas esse uniformes, et iisdem angustiis easdem adhiberi excusationes, quis miretur? Isaac senescentis caligaverunt oculi. Vixit tamen usque ad aetatem 180 annorum, sepultusque est in sepulcro Abraham, in specu Machpela prope Hebron (Gen. 49,31).

Erat Isaac insignis patientia ac pietate. Typica ratio actorum Isaac a S. Paulo indicatur. Agar serva, mater Ismaelis, et Sara libera, mater Isaac, sunt duo testamenta vel foedera i. e. eorum typi. Synagoga per Agar praefigurata serva est cum filiis suis, Ecclesia vero mater nostra per Saram praefigurata libera est cum filiis suis. Nos igitur liberae filii sumus, quia sicut Isaac non secundum carnem, sed secundum spiritum vi promissionis ab Ecclesia generamur et quia hac ratione generati iterum sicut Isaac, liberae filius, a servae filiis persecutionem sustinemus et cum eo ius ad hereditatem possidemus. Cf. Gal. 4,22-31 et *Cornely* ad h. l. — Typicam rationem sacrificii Isaac indicat S. Paulus Hebr. 11,19 celebrans fidem Abraham, qui filium suum Isaac et in parabolam (ἐν παραβολῇ) accepit.

ISAAR. 1. Isaar (יִצְהָר, Ἰσσαάρ, Ἰσαάρ), levita, filius Caath filii Levi et pater Core (Ex. 6,18. 21; Num. 3,19; 16,1; 1 Par. 6,2. 18. 38; hebr. 5,28; 6,3. 23; quoad 6,22[7] v. AMINADAB 2; 1 Par. 23,12). Ab eo descendit familia Isaaritarum (Num. 3,27; 1 Par. 26, 23. 29), quorum princeps tempore Davidis erat Salemoth (1 Par. 24,22; Vulg. Isaari). Vulgata scribit Num. 3,19 Iesaar et 3,27 Iesaaritae.

2. Isaar (יִצְהָר, *Qeri* וצהר cum Waw copulativo; Σαάρ), filius Assur patris Thecuae ex Halaa uxore (1 Par. 4,7).

ISAARI v. ISAAR 1.

ISAI (יִשַׁי, Ἰεσσαί; unde in Vulgata quoque Iesse Ps. 71,20; Eccli. 45,31; Is. 11,1. 10; Matth. 1,5; Luc. 3,32: Act. 13, 12; Rom. 15,12), pater Davidis ex Bethlehem. Genus eius recensetur Ruth 4,18 et refertur ad Phares filium Iuda; prosapia erat nobilis, cum in ea enumerentur Nahasson, qui tempore Moysis

erat princeps tribus Iuda (Num. 1,7; 7,12) et Booz. Eius filii recensentur 1 Reg. 16,6 ss.; 1 Par. 2,13. Tempore Saulis familia Isai tamen non inter primarias reputabatur; nam David se vocat virum pauperem et tenuem 1 Reg. 18,23 et ipse David non sine contemptu quodam appellatur ab invidis et inimicis filius Isai (1 Reg. 25,7; 2 Reg. 20,1; 3 Reg. 12,16; 2 Par. 10,16); quare etiam radix Iesse (Is. 11,1; truncus Iesse) declarat, Messiam oriundum esse ex conditione humili. — In tabella adiecta uncinis v. g. [Rahab] vel [Roboam] indicatur nomen coniugis.

TABELLA GENEALOGICA FAMILIAE IESSE.



ISAIAS (יְשַׁעְיָהוּ, יְשַׁעְיָה, LXX plerumque Ἠσαΐας). **1.** Filius Amos, praeclarissimus prophetarum in diebus Oziae (Azariae), Ioathan, Achaz, Ezechiae regum Iuda (quos vide). Ad munus propheticum vocatus esse videtur ultimo Oziae regis anno, insigni illa theophania quam 6,1 describit et cuius mentionem quoque facit Ioannes evangelista 12,41. Cum in illa angelos audiret clamantes : Sanctus, sanctus..., sollemne est apud eum Iahwe appellari Sanctum Israel, quod nomen ei in libro Isaiae 27 vicibus inditur (13 in parte priore, 14 in altera). Regibus Ozia et Ioathan regni conditio quidem prospera erat (cf. 4 Reg. 14,22; 15,3. 34; 2 Par. 26,2 ss.; 27,2 ss.) corruptionem morum longe lateque serpsisse iam reprehensionibus Osee et Amos prophetarum panditur (Os. 4,15; Am. 2,4 etc.) et Isaias in visione illa anno ultimo Oziae habita omnem regni gloriam cernit ruinae traditam : arbore florente succisa non remanet nisi truncus, ex quo quasi semine sancto instauratio oriatur (6,10-13), atque ex tempore Ioathan propheta apparatum bellicum, magnificentiam aedificiorum, luxum, corruptionem principum, impietatem multis exagitat (2-5). Poenae impietatis et idololatriae quas annuntiaverat devolvi coeptae sunt versus finem regni

Ioathan (4 Reg. 15,37) et praesertim tempore Achaz regis impii, quo bello syro-ephraimitico magnae clades allatae sunt in regnum iudaicum. Achaz enim opem divinam oblatam sprevit et ad Theglathphalasar regem Assyriorum auxilium petiturus confugit, qui quidem hostes regni iudaici compescuit, at regnum quoque iudaicum tributis impositis afflixit (2 Par. 28,20; cf. Is. 7,17 etc.). Frustra conabatur propheta eum insigni auxilio divino promisso a foedere illo fatali prohibere, in poenam ei annuntiat et regiae domus ruinam (— Messias enim, praeclarissima stirpis davidicae soboles, in terra Israel, in paupertate adolescit Is. 7,14-16) et summam populi miseriam et terrae vastationem (Is. 7,17 ss.). Meliore successu propheta utebatur apud Ezechiam regem pium, qui populi mores ad veram pietatem et integritatem reducere studebat (4 Reg. 18,4; 2 Par. 29, 4 etc.). Ipse rex, monitis vatis obsecutus, in difficillima regni conditione, cum propter imminentem Sennacherib regis Assyriorum invasionem primores plerique ac principes foedus aegyptiacum et suaderent et appeterent, horum suasiones reiecit, minas Assyriorum sprevit et divinis fretus promissis urbem regionemque vidit e maxima calamitate ereptam (Is. 28-33; 36-37).

Liber Isaiae in duas partes maiores solet dividi. Priore continentur oracula quae res gestas tempore Ioathan, Achaz, Ezechiae spectant (1-37); altera parte, quae de exsilio babylonico, de liberatione ex exsilio et de liberatione et instauratione messiana agunt (40-66); praemittitur narratio de occasione qua vates exsilium babylonicum praedixit (38. 39). Quod in visione inaugurali ei ostensum est, id in oraculis accuratius per singula prosequitur; ex ea quippe visione derivatur norma illa in prologo statuta : Sion in iudicio redimetur, quae norma, uti ad Israel, ita demum ad orbem universum applicatur. Ostendit enim, quomodo iudicio divino omnis pompa et fastus et superbia deiiciatur oporteat, ut salus exsurgat messiana; idque exsequitur pro Israel (2-12) et pro reliquis quoque gentibus (13-27), et cum a cap. 28 et deinceps regem populumque doceat de invasione Assyriorum fide et spe divina superanda, iterum iudicio et cladi illi particulari subiungit promissionem salutis messianae (34. 35). Dein quod in priore parte saepius innuerat facta abductione populi theocratiaeque destructione (1,30. 31; 5,5; 6, 11-13 etc.) fore instaurationem messianam (2,2; 4,2; 6,13; 9,6; 11,1 etc.), id in altera libri parte videmus copiose explicatum. Descripta enim liberatione ex exsilio et reditu in Palaestinam indicato se convertit ad liberationem alteram spiritualem (42,1-12) eiusque opus (49, 50. 53 ss.) et gloriam ac bona instaurationis messianae (60 ss.).

Nostro tempore multum discutitur quaestio de auctore partis alterius. Hic unum solum adnotasse sufficiat contra sententiam adeo hodie pervulgatam, partem eam tandem in fine exsilii babylonici esse conscriptam. Oracula enim de Cyro, eius victoriis, de liberatione ab ipso concedenda ita proponuntur, ut conceptis verbis asseratur annuntiationem factam esse diu antequam rei praedictae germina vel indicia adfuerint vel adfore cognosci potuerit; ad eam praedictionem diu ante eventum factam provocatur tamquam ad argumentum quo probetur Iahwe esse verum Deum, dum idola nihil tale unquam praestare potuerint. Atque talis pro Iahwe argumentatio septies cum emphasi repetitur (41,21-29; 43,9. 12; 45,21; 46,9; 48,5. 16). Iam talis loquendi et arguendi modus eo tempore, quo Cyrus iam partis victoriis imperio babylonico immineret, esset plane absurdus et blasphemus. Vates maxima indignatione invehitur in fraudes praestigiatorum; iam quomodo fingi potest eum eadem fraude velle divinitatem Iahwe aliis persuadere? Immo neque concipi potest eum potuisse, etsi voluisset, eiusmodi fraudem committere. Nam qua fronte potuisset in fine exsilii oracula haec aliis proponere tamquam ab antiquo tempore praedicta? nonne et se et Deum tamquam deceptorem et mendacem aperte professus esset? nonne aequales eum risui et contemptui habuissent quippe qui vaticinia nemini antea cognita, a se recenter

edita tamquam iam dudum a Deo data vendere vellet?

Dicendi genus Isaiae eximium esse eumque etiam eo principem esse inter prophetas omnes fatentur. Inter alia hoc iudicium fert *Lowth* (De sacra poesi Hebr. praelect. 21): « idem elegans et sublimis, ornatus et gravis, cum ubertate et copia, tum vi et pondere mirabilis ». Quam laudem ei, uti recentiores, ita veteres quoque abunde tribuebant (cf. *Cornely*, Introd. II. 2 p. 306; *Knabenbauer*, Comm. in Is. I. p. 10). Praeter librum quem habemus res gestas Oziae conscripsit, uti 2 Par. 26,22 explicite narratur. Eum quoque historiam Ezechiae regis litteris consignasse aliqui ex 2 Par. 32,32 collegerunt; at ibi dicitur res Ezechiae et beneficia accepta scripta esse in *visione* Isaiae, qui est titulus libri eius prophetici; quare nullus alius liber ea loeutione indicari videtur.

Eum vixisse usque ad tempora Manasse regis et ab eo crudeli mortis genere esse interemptum i. e. serratum, teste S. Hieronymo est apud Iudaeos certissima traditio, « unde et nostrorum plurimi illud quod de passione sanctorum in epistula ad Hebraeos legitur *serrati sunt* (11,37) ad Isaiae referunt passionem » quos locos vide apud *Cornely* l. c. p. 310 et apud *Knabenbauer* l. c. p. 9.

Laudes eius ipsis s. litteris celebrantur: Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Dei... spiritu magno vidit ultima et consolatus est lugentes in Sion; usque in sempiternum ostendit futura et abscondita antequam evenirent (Eccli. 48,25-28). Et inter eius laudes haud ultimo loco referendum est, quod adeo frequenter ab ipso Christo et in scriptis apostolorum ad eius librum alluditur; nam, uti recte notat *a Lapide*, in Novo Testamento saepius citatur et auditur quam ceteri prophetae omnes simul iuncti; atque fere centies in libris Novi Testamenti vel aperte vel tacite ad eum remittimur.

1. KNABENBAUER.

2. Isaias, filius Rahabiae (1 Par. 26, 25) v. IESIAS 4.

3. Filius Athaliae de filiis Alam vel potius Aelam (v. AELAM 4), princeps, qui cum 70 viris Esdra duce ex captivitate rediit (Esdr. 8,7; cod. B Ἰοσειά).

4. Levita de stirpe Merari, qui Esdra duce ex captivitate rediit (Esdr. 8,19; B Ὠσαΐας).

5. Beniaminita, incola Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,7; Ἰεσία, Ἰεσσεία).

Idem nomen hebr. gerunt, qui in Vulgata scribuntur IESEIAS et IESAIA.

ISARI (הַיִּצְרִי, Ἰεσδρεί), princeps quartae classis cantorum tempore Davidis (1 Par. 25,11). Idem appellatur 1 Par. 25,3 Sori (צֹרִי, Σουρί), unus de filiis Idithun.

ISBAAL (יִשְׁבָּאַב, Ἰεσβαάλ, apud *Swete* B Γελβά, A Ἰσβαάλ), sacerdos, cui decima quarta sors in ministerio Domini a Davide designata est (1 Par. 24,13).

ISBOSETH (אִישׁ־בֹשֶׁת, Ἰεβοσθέ) 2 Reg. 2,8-4,12 idem est, qui 1 Par. 8, 33; 9,39 nominatur Esbaal (אֶשְׁבַּעַל, Ἀσαβάλ) i. e. vir-Baal, filius quartus regis Saul, uti videtur (cf. 1 Reg. 14,49) natu minimus, qui non interfuit exitiali in monte Gelboe proelio (1 Reg. 31,2; 1 Par. 10,2) aut certe fuga ex illo se proripuit. Nomini idoli בַּעַל pie substituta est vox בֹּשֶׁת « ignominia », itaque Esbaal factus est Isboseth, similiter atque Meribbaal (1 Par. 8,34; 9,40) factus est Miphiboseth (2 Reg. 4,4). Esbaal igitur quadragenarius post mortem Saul ab Abner, principe exercitus, renuntiatus est rex in Mahanaim trans Iordanem super Beniamin omnesque tribus septemtrionales et orientales. De bello, quod tum actum est inter Abner et David v. ABNER. Aegre tulit Esbaal, quod Abner rem habuerit cum Respha, quae fuerat concubina Saul: Abner vero, reprehensionem indigne ferens, pacem cum David quaerebat. Hic tamquam primam pacis conditionem ab Esbaal repetiit uxorem suam Michol, quam per iniuriam Saul alteri viro concesserat. Ceterum actionem de pace abruperunt nex cum Abneri a Ioab patrata, tum ipsius Isboseth per duos suarum par-

tium homines effecta. Fuerat is rex biennis, vir imbecillae indolis, quo mortuo brevi David ab omnibus rex agnitus est.

ISCARIOTES (Ἰσκαριώτης, Ἰσκαριώθ), cognomen Iudae (v. IUDAS 8) proditoris (Matth. 10,4; 26,14; Marc. 3,19; 14,10. 43; Luc. 6,16; 22,3; Ioan. 6,72; 12,4; 13,2. 26; 14,22) i. e. אִישׁ קְרִיּוֹת = vir Carioth, oriundus ex Carioth urbe in meridie (Negeb) Iuda (Ios. 15,25 et v. CARIOTH 1). Confirmatur haec explicatio eo, quod Ioan. 6,71 in cod. א* et in aliquibus minusculis codicibus scribitur απο καρυωτου, quae eadem forma reperitur in codice Bezae (cantabrigiensi D saeculi 6.) ad Ioan. 12,4; 13,2. 26; 14, 22. Sicut igitur apud LXX 2 Reg. 10,6. 8 ex dictione אִישׁ טוֹב i. e. viri (ex) Tob ortum est Ἰστώβ (v. ISTOB), ita apud Graecos dicitur Iscariotes pro Cariothes. Etiam in codicibus versionis Italae legitur quandoque : carioth, scarioth, scariothes; cf. *Knabenbauer* ad Matth. 10,4, qui alias quoque explicationes commemorat ac refutat.

ISHHOD (אִישְׁהוֹד, Ἰσούδ), filius Machir ex Molecheth (Vulgata : regina) genitus (1 Par. 7,18); sed Vulgata eius nomen reddit : Virum decorum.

ISH SECHEL (אִישׁ שֵׂכֶל i. e. vir intellegentiae, LXX ἀνὴρ σαχών), unus ex levitis, quos Esdras ab Ahava fluvio secum in Ierusalem adduxit (Esdr. 8,18); in Vulgata eius nomen redditur : vir doctissimus.

ISMAEL, ISMAHEL (יִשְׁמָעֵאל i. e. Deus exaudit; Ἰσμαήλ).

1. Filius Abrahae, quem 89 annos nato peperit Agar, ancilla Sarae, Aegyptia. Ita quippe Sara fide infirmior et natura sterilis putavit semen promissum esse procurandum. Tredecim annorum puer cum universa domo Abrahae circumciditur. Et Ismaeli quidem numerosa posteritas promittitur, pactum vero et promissiones messianicae filio a Sara generando reservantur. Ablactato Isaac eiicitur Agar cum Ismaele. Quos angelus in deserto confortat. Habitavit Ismael in deserto Pharan duxitque uxorem aegyptiam. Eius posteritas Gen. 25,12-18 enarratur. Vixit ad aetatem 137 annorum. Cf. Gen. 16; 17,18. 20. 23. 26; 21,9-21; 25,9; 1 Par. 1,28 ss.

2. Filius Nathaniae, filii Elisama, de stirpe regia Iudaeorum, unus eorum qui contra Nabuchodonosor dimicaverant, sed postea Godoliae, eius in Iudaea praefecto, se iunxerant. Incitatus a Baalis, rege Ammonitarum, tres menses post destructam Ierusalem Godoliam Masphae dolo interemit cum Iudaeis et Chaldaeis, qui cum ipso erant; secundo die post octoginta viros de Sichem, Silo et Samaria, qui religionis causa adventabant, trucidavit. Persequentibus iis, qui Godoliae adhaeserant, fugit ad Ammonitas. Cf. 4 Reg. 25,23. 25; Ier. 40 ss.

3. Filius Asel de stirpe Ionathae filii Saul (1 Par. 8,38; 9,44).

4. Pater Zabadiae ducis in domo Iuda tempore Iosaphat regis (2 Par. 19,11).

5. Filius Iohanan, unus e centurionibus, quos adscivit Ioiada pontifex, ut Athaliae tyrannidem convelleret (2 Par. 23,1).

6. Sacerdos e familia Pheshur (Phassur); duxerat is uxorem alienigenam (Esdr. 10,22).

ISMAELITAE, ISMAHELITAE (יִשְׁמָעֵאלִים, Ἰσμαηλῖται). Gen. 25,13-15 recensentur duodecim tribus ab Ismaele derivatae : Nabaioth, Cedar, Adbeel, Mabsam, Masma, Duma, Massa, Hadar, Thema, Iethur, Naphis, Cedma (v. s. vv.), qui scribuntur incoluisse ab Hevila usque ad murum, qui Delta aegyptiacum defendit Asiam versus. Ismaelis posteri credendi sunt aliis tribubus, quae per desertum negotiationem et rapinas exercebant, plurimum esse permixti; unde iidem Madianitae audiunt, qui et Ismaelitae Gen. 37,25. 28. 36; 39,1; Iud. 8,3. 24. Cf. Iudith 2,13. Componuntur cum Idumaeis Ps. 82 [83],7. Cf. etiam Gen. 28,9; 36,3; 1 Par. 2,17; 27,30. Ismaelitas se esse gloriantur Arabes, at certe non omnes ab eo derivantur.

ISMIEL (יִשְׁמַעְיָאֵל, Ἰσμαήλ), unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui tempore Ezechiae regis pascua Gador occuparunt (1. Par. 4,36).

ISRAEL (יִשְׂרָאֵל, Ἰσραήλ). **1.** *No-*

men Israel, quod Iacob inditum est ab angelo (Os. 12,3. 4), qui ad vadum Iaboc cum eo luctabatur. Cum Iacob superari non posset et angelo dicenti : « dimitte me » respondisset : « non dimittam te nisi benedixeris mihi », angelus nomen eius in posterum fore Israel ait, quia pugnasti cum Deo (כִּי שָׂרִיתָ עִם אֱלֹהִים); quo nomine indicatur Iacob maximo desiderio benedictionem Dei efflagitasse eamque quasi ab invito impetrasse nec difficultatibus molestiisque obiectis animum despondisse. Talis itaque animus qui fortis est cum Deo (Vulg. Gen. 38,28 contra Deum) et vehementi studio bona Dei sibi acquirere adnititur neque obstaculis frangitur, eo nomine declaratur. Quare ab ea significatione non abest bellator Dei, neque quod alii interpretari malunt : Deus regnat; nam ut Deus vere regnet et dominetur in homine, homo forti animo Deo adhaerere debet; vel potius : tum demum Deus revera in terris regnare dicitur, si totum hominis studium ad Deum dirigitur. Nomen vero hoc patriarchae inditum est, ut sit in monumentum et exemplum posteris, qui scil. exemplo patris discant forti conatu beneficia Dei sibi acquirere, et ipsa nominis memoria edoceantur quanta constantia et fortitudine et patriarcha egerit et sibi agendum sit, ut bona regni Dei percipere mereantur. Quae nominis Israel ad posteros habitudo innuitur Gen. 35,10. 11. Hac nominis impositione facta et Iacob eo appellatur 35,21 (hebr.); 37,3. 13; 43,6. 8 (hebr.). 11; 45,28 (hebr.) etc. et posteri eius vel filii Israel vel Israel vocantur. Ex nominis occasione et significatione consequitur nomen hoc referri ad honorem, et eo designatur populus a Deo electus, in quo Deus regnum suum constituit; quare iuremerito apostolus Christifideles nuncupat Israel Dei (Gal. 6,6).

2. *Regnum Israel.* Artiore significatione Israel dicitur tempore regum de regno septemtrionali decem tribuum, quae post mortem Salomonis se separarunt a domo David et duce Ieroboam regnum distinctum a regno Iuda constituerunt, quod regnum Israel vocari solet (cf. 3 Reg. 12, 1 ss.). Quae separatio quo redderetur firmior, Ieroboam duo erexit sanctuaria in Bethel et Dan, in quibus imagine vitulorum, uti olim in deserto, numen colebatur; praeterea sacerdotes constituit de plebe, fecit fana in excelsis, instituit sollemnitatem mense octavo (3 Reg. 12,26 ss.). Sacerdotes aaronitici et levitae ditione novi regni relicta in regnum Iuda migrarunt et etiam de populo non deerant qui in Ierusalem ascenderent Dominum adoraturi (2 Par. 11,13-16). Quae tamen separatio regno Israel non erat saluti. Deus enim elegerat David eiusque domum (2 Reg. 7,14), elegerat Ierusalem, ut ibi sanctuarium exsisteret (cf. 3 Reg. 9,3); quare qui recedebant a domo David, etiam a foedere et regno Dei recedebant. Atque regnum Israel fere continuo in peiore erat conditione quam regnum Iuda. In eo enim multo magis idololatria et vitia ei coniuncta grassabantur, contra quae prophetae, uti Elias, Eliseus, Osee, Amos pugnabant quidem, verum haud multum proficiebant. Praeterea regnum hoc crebris agitabatur seditionibus; ita iam Baasa insidias struxit Nadab filio Ieroboam eumque interfecit et omnem domum Ieroboam percussit et delevit (3 Reg. 15,27) et contra filium Baasa Ela rebellavit Zambri eumque occidit et omnem eius domum delevit; verum Zambri bello oppressus mox succendit se cum domo regia et regnum divisum est per aliquod tempus in partes duas (3 Reg. 16,16-23). Domus Achab, idololatria et iniustitiis facinorosa deleta est a Iehu (4 Reg. 9, 23 ss.); domus Iehu quoque in quarta generatione, in Zacharia rege percussa est a Sellum (4 Reg. 15,10), Sellum interfectus a Manahem; contra filium Manahem, Phaceiam, coniuravit Phacee, contra Phacee coniuravit Osee (4 Reg. 15,14. 25. 30).

Praeter bella haec interna ab externis quoque hostibus regnum Israel impetebatur. Ab initio regni pugna erat inter Iuda et Israel : fuit bellum inter Roboam et Ieroboam cunctis diebus; bellum erat inter Asa et Baasa regem Israel (3 Reg. 14,30; 15,6. 16. 32). Dein Israel oppugnabatur a Syris, contra quos

Baasa, Achab, Ioram, Iehu, Ioachaz, Ioas, Ieroboam II. dimicabant (3 Reg. 15,20; 20,21 ss.; 4 Reg. 6,8 ss.; 10,32; 13,3. 25; 14,28). Uti ex monumentis assyriacis didicimus, Achab devictus est a Salmanassar II. in pugna apud Karkar; eidem regi Iehu solvit tributum. Etiam cum Philisthaeis et Moabitis bella gerebantur (cf. 3 Reg. 15,27; 16, 15; 4 Reg. 3,7 ss.). Demum regnum Israel multum afflictum est ab Assyriis (4 Reg. 15,20), oppida capta, incolae abducti (15,29), donec regnum ab iis est destructum (4 Reg. 17,4 ss.); « iratus est Dominus vehementer Israeli et abstulit eos a conspectu suo » (17,18). Cur autem abiecti sint, sacer auctor pluribus prosequitur 4 Reg. 17,7-22; scelera regni huius Ezechiel graviter perstringit sub nomine Oolla 23,5-10 et varia quoque reprehendunt Osee et Amos.

Urbs regia primo erat Sichem, in qua Ieroboam habitavit (3 Reg. 12,25), deinde Thersa a Ieroboam I. usque ad Amri (3 Reg. 14,17; 15,21. 23; 16,6. 8. 9. 15. 17); Amri ibi regnavit sex annis (3 Reg. 16,23), dein exstruxit Samariam; Achab saepius versabatur in Iezrahel (3 Reg. 18,45; 21,1 ss.), ubi Iezabel quoque periit (4 Reg. 9,30). Conditio regni labilis, uti crebris regum caedibus significatur, ita ipsa quoque mutatione urbis regiae innuitur. Corruit tandem anno 722 a Chr.; abductis Israelitis in terram Assyriorum homines de Babylone, Cutha, Avah, Emath, Sepharvaim in civitatibus Samariae collocati sunt (4 Reg. 17,24; cf. Esdr. 4,10). Ceterum singula vide sub nominibus regum : Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, Ochozias, Ioram, Iehu, Ioachaz, Ioas, Ieroboam II., Zacharias, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee, Osee, et vide de ratione temporis s. v. CHRONOLOGIA II. 1 in vol. I. col. 900-909. Regnum Israel quandoque nominatur a tribu potentissima Ephraim (vide s. v.).

ISREELA v. ASARELA.

ISSACHAR (יִשָּׂשׂכָר, *Qeri* perpetuum יִשָּׂכָר; Ἰσσάχαρ, Flav. Iosephus : Ἰσσαχάρης, Ἰσαχάρης, et (tribus) Ἰσαχαρίς.

1. Issachar filius nonus Iacob patriarchae et quintus ex Lia genitus (Gen. 30,17.18). Tempore descensus in Aegyptum quattuor filii ei adscribuntur Thola, Phua, Iasub, Semran, a quibus descendunt familiae Tholaitarum, Phuaitarum, Iasubitarum, Semranitarum (Gen. 46, 13; Num. 26,23. 24; 1 Par. 7,1).

Interpretatio nominis Issachar continetur verbis Liae Gen. 30,18: Dedit Deus mercedem mihi (שְׂכָרִי mercedem meam), quia dedi ancillam meam (Zelpham) viro meo appellavitque nomen eius Issachar (*Kethib* secundum pronuntiationem Eliae Levitae יִשָּׂשָׂכָר ortum ex יֵשׁ שָׂכָר = est merces). Aliam interpretationem innuit *Qeri* perpetuum quod efferri iubent יִשָּׂכָר i. e. qui data mercede emptus seu acquisitus est, quo alluditur ad priora verba Liae 30,16 : Ad me intrabis (Iacob), quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Cf. *Gesenius*, Thesaur. p. 1331. — Inter locos Genesis a Ben-Asher et Ben-Naftali diverse punctis signatos affert *Seligm. Baer* (Liber Genesis, 1869 p. 84) etiam 30,18 Ben-Naftali : יִשָּׂשָׂכָר et adnotat : « Ex utriusque sententia pronuntiandum יִשָּׂשָׂכָר, sed inter se dissident eo, quod haec lectio secundum Ben-Asher *Qeri* quod dicitur perpetuum est. Sunt vero qui Ben-Naftali יִשָּׂשָׂכָר (*affert praemium*) sicut Mosen ben-Mocha יִשָּׂשָׂכָר legisse putent. At certe de Ben-Naftali falluntur ».

2. Issachar tribus Israel. Sors tribus Issachar describitur Ios. 19,17-23, quam finium descriptionem *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. p. 424) his verbis exponit : « De Issachar nonnisi fragmenta supersunt. Annuntiatur v. 17. 18ᵃ descriptio termini. Sequitur vero v. 18ᵇ-21 non descriptio termini, sed elenchus aliquis urbium cuiusdam provinciae, sua carens summa. Quem excipiunt fragmenta duo descriptionis termini. Sequitur summa urbium provinciae cuiusdam atque v. 23 consueta clausula » scil. « Haec est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes et viculi

carum ». Possunt tamen termini Issachar aliquatenus delineari partim ex ipso textu 19,17-23 partim ex descriptionibus aliarum tribuum contiguarum. Occidentem tribus Issachar attingunt Aser et Manasse, meridiem Manasse, orientem Iordanis, septemtrionem Zabulon et Nephthali (i. e. pagus commutatorius Nephthalitis concessus inter montem Thabor, Iordanem et lacum Tiberiadis, v. NEPHTHALI 2 et cf. tabulam geogr. Chanaan tributim descripta, vol. I. col. 828-9). Ex Deut. 33,18. 19 autem inferri nequit Issacharitas ipsum mare (Mediterraneum vel Tiberiadis) attigisse; dicuntur enim affluentiam marium sugere, qui in litore vel etiam haud procul a litore incolentes mercibus mari advectis ditantur (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Deut. p. 554).

Flavius Iosephus (Ant. V. 1,22) longitudinis terminum indicat Carmelum montem et Iordanem, latitudinis autem Itabyrium montem (Thabor); terminum Issachar meridionalem ex Iosepho vix discere poterimus, quoniam l. c. statuit Ephraim usque ad campum magnum (planitiem Esdrelon?) extendi (v. EPHRAIM 2). Comprehendebat igitur Issachar magnam partem planitiei Esdrelon, descensum meridionalem montis Thabor, Hermon minorem, montes Gelboe. Urbes Issachar recensentur sedecim cum viculis suis (Ios. 19,22), quibus addenda est Dabereth ex catalogo quattuor urbium leviticarum Issachar (Ios. 21,28. 29; 1 Par. 6,72). Praeterea intra fines Issachar erant aliquae urbes manassaeae : Bethsan, Ieblaam, Endor (sed v. ENDOR), Thenac, Mageddo (Ios. 17,11; Iud. 1,27; 1 Par. 7,29).

Fertilitas territorii Issachar erat hodieque est maxima. Occidentem versus ab urbe Iezrael extenditur planities Esdrelon, cuius ipsum nomen Iezrael (i. e. Deus sevit) sementem Dei benedictionibus affluentem indicat; ab eadem urbe orientem versus altera vallis patescebat in campum magnum Scythopolis (Bethsan), qui ob fertilitatem suam rabbinis audiebat ostium paradisi (v. BETHSAN). Ad hanc territorii fertilitatem alludunt Iacob in benedictione sua : Issachar asinus fortis (hebr. asinus ossis) accubans inter terminos; vidit requiem quod esset bona et terram quod optima (Gen. 49,14. 15) et iterum Moyses : Lactare Issachar in tabernaculis tuis (Deut. 33,18). Hisce iam indoles agrestis Issacharitarum satis innuitur; erant ruricolae. Divitiis etiam ad mercaturam adducebantur (Deut. 33,19). Ex ea autem indole simul vituperium intellegitur, quod Iacob moriturus de Issachar addit : Et supposuit humerum suum ad portandum factusque est tributis serviens (Gen. 49,15) i. e. luxuria terrae contenti iugum Chananaeorum non excutiunt. Verum aliam interpretationem Gen. 49,15 proponit *E. Seydl* (Katholik LXXX. 1900 II. p. 347) Issacharitas fuisse conductores mercium in *via maris* vehendarum.

Historia tribus Issachar paucis absolvitur. Princeps tribus anno secundo egressionis ex Aegypto erat Nathanael filius Suar (Num. 1,8). Apud montem Sinai de Issachar numerabantur 54 400 viri bello apti (1,28. 29), postea in campestribus Moab 64 300, qui numerus a solis tribubus Iuda et Dan superabatur (26,25; cf. 26,22. 43). In castris Issachar cum Iuda et Zabulon ad orientem tabernaculi erat (2,5); eaedem tribus in ordine itineris primo loco proficiscebantur (10,13-16). Oblationes Nathanael principis Issachar in dedicationem altaris factae sunt die secundo statim post oblationes Iuda primo die factas (7,18-23). Inter duodecim exploratores a Moyse in terram Chanaan missos de tribu Issachar erat Igal filius Ioseph (13,8), inter viros ad terram promissam sorte dividendam electos Phaltiel filius Ozan (34,26). Post ingressum in terram promissam Issachar cum Simeon, Levi, Iuda, Ioseph (Ephraim et Manasse), Beniamin benedictionem in monte Garizim pronuntiavit (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,12). Ab hoc tempore coniunctio Issachar cum Iuda cessat (exceptis duabus occasionibus infra notandis), cum tribu vicina Zabulon perdurat.

Sine dubio Issacharitis certamina subeunda erant cum Chananaeo. Mirum quidem videri potest, quod inter tribus, quae Chananaeum non deleverunt, Is-

sachar non recensetur (Iud. 1,19-36); attamen urbes manassaeae Bethsan, Ieblaam, Thenac, Mageddo, ex quibus Chananaeus non est expulsus (Iud. 1,27), sitae erant intra fines Issachar coepitque Chananaeus habitare in terra illa (hebr., LXX, Syr., Chald.). Huius regionis subigendae specialis erat difficultas; per eam enim viae mercatorum ab Aegypto Damascum versus et a Iordane ad sinum Ptolemaidis (Accho) ducebant, unde Chananaeorum intererat, ne hac regione exclusi mercaturae lucris privarentur. In Issachar iuxta aquas Mageddo i. e. iuxta torrentem Cison Debbora et Barac insignem victoriam de Asoritis reportarunt (Iud. 5,19) nec defuerunt in certamine principes Issachar (5,15). Unus ex iudicibus minoribus in Israel erat Thola filius Phua vir de Issachar, qui 23 annis iudicavit in Samir montis Ephraim ac proinde extra tribum suam in finibus Ephraim ibique sepultus est (10,1. 2); duo nomina Thola et Phua fuerant nomina duorum filiorum Issachar patriarchae (Gen. 46,13; 1 Par. 7,1); a quibus malis vel hostibus hic iudex Israel salvaverit, nescimus; a Flavio Iosepho (cf. Ant. V. 7,6) omittitur. Post interitum Isboseth filii Saul, cum David in Hebron ab universis tribubus rex agnosceretur, aderant de filiis Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad praecipiendum, quid facere deberet Israel, principes ducenti, quorum prudenti iudicio ac consilio tota tribus permota est, ut Davidi adhaereret (1 Par. 12,32. 40; cf. 2 Reg. 5,1 ss.); illam eruditionem fuisse astronomicam et astrologicam (ut volunt Chaldaeus, rabbini, *Clericus*) in textu non innuitur neque illud quod Flav. Iosephus contendit: adfuisse ducentos futurorum praescios et armatorum 20000 (Ant. VII. 2,2). Versus finem regni davidici numerabantur de Issachar 87000 viri bellatores (1 Par. 7,1-5). Circa hoc tempus princeps tribus erat Amri filius Michael (1 Par. 27,18; cf. 7,3); suspicantur aliqui hunc Amri fuisse progenitorem domus Amri regis Israel, cuius opinionis indicium utique nullum adest. Secundum traditionem antiquam Iudaeorum viris sapientibus Issachar accensendus est Amasias filius Zechri, tempore Iosaphat regis Domino consecratus cum 200000 virorum fortium (2 Par. 17,16; cf. *Ps.-Hieron.* Quaest. hebr. in h. l.). Issacharitae erant Baasa eiusque filius Ela reges Israel (3 Reg. 15,27; 16,8). Eiusdem tribus fuisse creditur Eliseus propheta, cuius patria erat Abelmehula (vide s. v.). Unionis pristinae inter Issachar et Iuda redintegratio facta est, quando Ezechiae regi omnem Israel et Iuda Hierosolyma convocanti Issachar quoque aures praebuit ac sollemnitatem paschalem cum universo populo celebravit (2 Par. 30,18). Accedit mentio Issachar in descriptione symbolica terrae sanctae et Ierusalem novae Ez. 48,25. 26. 33 et in Apoc. 7,7.

3. Issachar levita, septimus filius Obededom, ianitor templi (1 Par. 26,5).

ISTEMO urbs v. ESTHAMO.

ISTOB (אִישׁ טוֹב, Ἰστώβ; *Flav. Ios.* Ant. VII. 6,1 Ἴστοβος scil. βασιλεύς), regnum aramaicum, quod cum aliis regnis aramaicis Soba, Rohob, Maacha et cum Ammonitis foedus inierat contra Davidem (2 Reg. 10,6. 8); sed Aram et Ammon a Ioab et Abisai devicti sunt prope Medabam in tribu Ruben (cf. 1 Par. 19, 6. 7; in hoc textu omissa sunt nomina Rohob et Istob). Omnes quidem versiones et Flavius Iosephus l. c. Istob unam vocem exprimunt; attamen textus hebraeus verti potest: viri Tob. Unde permulti censent intellegi regionem Tob (Iud. 11,3. 5), quae eadem esse creditur ac Tubin (1 Mach. 5,13) seu regio Tubianaeorum (2 Mach. 12,17) in Galaad. Ex locis citatis Istob quaerenda est inter Ammonitidem et Syriam. De situ Tob vide s. v.

ISUHAIA (יִשּׁוֹחִיָּה, Ἰασουιά), unus ex tredecim principibus cognationum Simeon, qui tempore Ezechiae regis pascua Gador occuparunt (1 Par. 4,36).

ITALIA (Ἰταλία). In Vulgata Num. 24,24 et Ez. 27,6 legitur Italia pro Cethim (vide s. v.), praeterea Is. 66,19 pro Thubal (vide s. v.). In N. T. vox usurpatur sensu nostro geographico pro peninsula inter Alpes et fretum Siculum (Act. 18,2; 27, 1. 6; Hebr. 13,24).

ITALICA cohors (ἡ σπεῖρα ἡ καλουμένη

Ἰταλική) Caesareae constituta, cuius centurio erat Cornelius (Act. 10,1). Designari videtur cohors ex civibus romanis Italiae formata saltem quoad magnam partem. Talem cohortem circa a. 40 p. Chr. Caesareae fuisse *E. Schürer* (Gesch. d. jüd. Volkes etc. *ed.* 3. t. 462. 463) asserit non esse probabile, cum aliunde probabiliter constet ante magnum bellum iudaicum seu ante a. 66 Caesareae nonnisi copias auxiliares fuisse, quae maiorem partem ex provincia Syriae delectae erant (*Flav. Ios.* Ant. XIX. 9,2; XX. 8,7; Bell. iud. II. 13, 7; III. 4,2). Ex locis citatis apparet quinque cohortes ibidem fuisse; dividebantur copiae auxiliares non in legiones, sed in cohortes. Iamvero nihil impedit, quominus una ex illis teste S. Luca Act. 10,1 fuerit Italica sensu supra indicato. Nam primum quidem nobis desunt notitiae directae de copiis intra annos 6-66 p. Chr. in Iudaea constitutis. Deinde ex Flavio Iosepho solum discimus maiorem partem (τὸ πλέον, τοὺς πλείστους) ex Syria delectos fuisse. Accedit denique quod in inscriptionibus commemorantur : cohors I. Italica civium Romanorum voluntariorum (Corp. Inscr. Lat. t. XIV. n. 171), cohors II. Italica civium Romanorum..... exercitus Syriaci (Corp. Inscr. Lat. III. Suppl. n. 13483 a) circa a. 69 p. Chr., de qua cf. Archaeologisch-epigr. Mittheilungen aus Oesterreich-Ungarn XVIII. 1895 p. 218 et *Pauly-Wissowa,* Real-Encycl. der klass. Altert. IV. 304. Eadem cohors II. censetur esse, quae commemoratur cohors miliaria Italica voluntariorum, quae est in Syria (Corp. Inscr. Lat. XI. n. 6117), cohors II. Italica (Corp. Inscr. Lat. t. VI. n. 3528), cohors II. Italica civium Romanorum inter cohortes « quae sunt in Suria sub Attidio Corneliano legato » 157 p. Chr. (cf. Jahreshefte des oesterr. archaeol. Institutes III. 1900 p. 21 ss. et p. 29). Apud *Arrianum* (Acies contra Alanos) ἡ σπεῖρα ἡ Ἰταλική brevius quoque designatur οἱ Ἰταλοί (Arriani Scripta minora *ed. Hercher* 1854; *ed. Blancard* p. 102 et 99). Ex Arriano igitur ad nomen sufficere videtur, si milites erant Itali (*Knabenbauer* ad Act. 10,1). — Notandum est, etsi vox cohortis etiam de legione interdum adhibeatur, cohortem Italicam non confundendam esse cum legione italica (*Tacit.* Hist. 1,59. 64; 2,100; 3,22), quae postea Nerone imperante efformata est.

ITHAI v. ETHAI 2.

ITHAMAR (אִיתָמָר, Ἰθαμάρ), filius natu minimus Aaronis (Ex. 6,23; Num. 26,60; 1 Par. 6,3), una cum patre et tribus fratribus Nadab, Abiu, Eleazar sacerdotio initiatus (Ex. 28,1 ss.). Nadab et Abiu igne caelesti consumptis (Lev. 10,1. 2) Eleazar et Ithamar erant socii Aaronis in sacerdotio (Lev. 10,6. 12. 16; Num. 3,2. 4; 1 Par. 24,1. 2). In distributione officiorum leviticorum Ithamar constitutus est praefectus Gersonitarum et Meraritarum (Num. 4,28. 33; 7,8), sicut iam antea praefuerat levitis, qui in constructione tabernaculi singuli metalla oblata et expensa aestimabant (Ex. 38,21). Sacerdotium aaronificum permanebat apud posteros Eleazar et Ithamar; magis numerosi erant priores; ex 24 classibus seu vicibus sacerdotalibus a Davide in ministerium Domini designatis solum octo erant filiorum Ithamar (1 Par. 24,3-6). Summum sacerdotium in familiam Ithamar transiit cum Heli et ad lineam Eleazar rediit per Sadoc (cf. 3 Reg. 2,35; *Flav. Ios.* Ant. VIII. 1,3). Vide s. v. PONTIFEX et SACERDOTIUM. Ex exsilio cum Esdra rediit Daniel sacerdos de filiis Ithamar (Esdr. 8,2).

ITURAEA (Ἰτουραία) commemoratur Luc. 3,1 tamquam pars tetrarchiae Philippi, filii Herodis Magni et Cleopatrae. Ituraei haud dubie descendunt a Iethur, Ietur (יְטוּר, Ἰετούρ), qui Gen. 25,15 et 1 Par. 1,31 enumeratur decimus inter duodecim filios Ismael, principes tribuum suarum. Idem 1 Par. 5,9 leguntur foedere iuncti fuisse cum Agareis (vide s. v.), quos Rubenitae, Gaditae, Manassitae transiordanici insigni clade affecerunt. Inter gentes a Davide debellatas etiam Ituraeos nominat *Eupolemus*, hellenista iudaicus medio saeculo secundo a. Chr. (apud *Euseb.* Praepar. Evang. 9,30). Flav. Iosephus attestante Strabone ex auctoritate Timagenis narrat magnam

Ituraeae partem ab Aristobulo I. rege Iudaeorum (105-104 a. Chr.) expugnatam et Iudaeae additam, incolas autem, si in sua regione manere vellent, circumcidi coactos esse (Ant. XIII. 11. 3). Inde ab hoc tempore frequentius commemorantur modo ut Syri (*Appian.* Civ. 5,7; *Plin.* V. 23,81), modo ut Arabes (*Dio Cassius* 59,12). Tempore quo Romani Palaestinam occuparunt, Ituraei erant « omnium gentium maxime barbari » (Cicero) et praestantes sagittarii in exercitibus Romanorum (*Cicero*, Philipp. 2,19. 112; 13,18; *Caesar*, Bell. African. 20; cf. *Vergil.* Georg. 2,448).

Regio Ituraeorum alium alio tempore habebat ambitum. Strabo XVI. 2,10. 18 Ituraeam describit regionem montanam eamque collocat iuxta planitiem Massyam seu Marsyam, quae inter Libanum et Antilibanum a Laodicea Libani meridiem versus patet et urbem principalem habet Chalcidem ad Libanum (probabilissime *ʿAndjar*, mediam fere inter Damascum et Berytum; distingue hanc Chalcidem ab altera ad Belum, Chalcide Syriae seu *Qinnesrīn* ad meridiem Aleppo). Cum igitur Ituraei etiam dicantur Arabes, ut supra diximus, intellegenda erunt imprimis montana Antilibani. Ante Pompeii adventum Ituraeam (montana et planitiem) regebat Ptolemaeus filius Mennaei (circa 85-40 a. Chr.), qui totam regionem a Byblo et Beryto Damascum usque vi armorum impetebat (*Strabo* l. c.; *Flav. Ios.* Ant. XIII. 15,2; 16,3; Bell. iud. I. 4,8; 5,3). Idem a Pompeio mille talentis peccatorum veniam redemit (Ant. XIV. 3,2). Attamen Pompeius loca munita Libani delevit (*Strabo* l. c.) et procul dubio fines Ptolemaei coarctavit sicut et Iudaeorum. De Ituraeis a Pompeio subactis etiam referunt *Appianus*, Mithrid. 106, *Eutrop.* 6,14 et *Orosius* 6,6. Reliqua de Ptolemaeo vide apud *Flav. Ios.* Ant. XIV. 7,4; 12,1; 13, 3; Bell. iud. I. 9,2; 13,1; nunquam *rex* appellatur, sed Ant. XIV. 7,4 δυναστεύων. Ptolemaeo successit filius Lysanias (Ant. XIV. 13,3; Bell. iud. I. 13,1), quem Dio Cassius appellat regem Ituraeorum; Antonius Ituraeis gravia vectigalia imposuit (*Appian.* Civ. 5,7) et instigante Cleopatra ipsum Lysaniam morte punivit, quod cum Parthis conspirasset magnamque Ituraeae partem Cleopatrae donavit (*Flav. Ios.* Ant. XV. 4,1; Bell. iud. I. 22,3; *Dio Cassius* 49,32).

Ab hoc tempore regnum illud Ituraeorum in minora territoria (saltem quattuor) discissum est, quorum distinctio lucem affundet difficultatibus quibusdam contra Luc. 3,1 prolatis.

Prima pars est tetrarchia Zenodori, qui in aliqua inscriptione heliopolitana (*Baʿalbek*) appellatur Lysaniae tetrarchae filius (Corp. Inscript. Graec. n. 4523; *F. de Saulcy*, Voyage autour de la mer Morte, Atlas [1853] pl. LIII. n. 5); haec tetrarchia, *Ulatha* seu regio prope lacum *Ḥule* et Panias (postea Caesarea Philippi), quam Zenodorus pretio conduxerat (sine dubio a Cleopatra), eo mortuo ab Augusto Herodi Magno tributa est (Ant. XV. 10,1. 2. 3; Bell. iud. I. 20,4; *Dio Cassius* 54,9); pars autem eiusdem tetrarchiae Zenodori post mortem Herodis Magni Philippo filio Herodis data est (Ant. XVII. 11,4; Bell. iud. II. 6,3). Verba igitur Luc. 3,1 : « Philippo tetrarcha Ituraeae » vera esse probantur saltem quoad hanc partem magni Ituraeorum regni; num quoad hanc partem solam, infra discutiemus.

Secunda pars est tetrarchia Abilae seu Abilina (v. ABILINA et LYSANIAS).

Tertia pars erat Ituraea montana in Libano; ad hanc referuntur, quae tempore Quirini procuratoris romani Aemilius Secundus dux militaris de se testatur in quadam inscriptione : missu Quirini adversus Ituraeos in Libano monte castellum eorum cepi (Ephemeris epigraphica vol. IV. 1881 p. 538); anno 38 p. Chr. Caligula Soemo cuidam regionem Ituraeorum donavit (*Dio Cassius* 59,12), quo mortuo Ituraea provinciae Syriae addita est (*Tacit.* Annal. 12,23).

Quarta pars erat Chalcis ad Libanum, urbs quondam principalis Ituraeae Ptolemaei et Lysaniae, eiusque territorium in Coele Syria inferiore. Nihil quidem de hoc regno nobis innotescit a morte Cleopatrae usque ad Claudium imperatorem. Claudius statim ab initio regni sui Chalcidis regnum donavit Herodi, qui erat frater Agrippae I., filius Aristobuli filii Herodis Magni (Ant. XIX. 5,1;

Bell. iud. II. 11,5); postea Agrippa II. Chalcidem pro aliquo tempore obtinebat (Ant. XX. 5,2; 7,1; Bell. iud. II. 11,6; 12,1. 8); nihil praeterea de ea innotescit.

De his partibus regni Ituraeorum cf. *Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 I. p. 707 ss. Quibus expositis vix concipitur, quomodo idem *Schürer* l. c. p. 427 asserere potuerit verba Luc. 3,1 partim tantum vera (« nicht ganz unrichtig ») probari. Ipse enim ostendit primam Ituraeae partem, tetrarchiam Zenodori, ad tetrarchiam Philippi pertinuisse et insuper profanos auctores prorsus tacere de fatis Ituraeae montanae et Chalcidis quoad illud praecise tempus, de quo Luc. 3,1 agitur. Quid igitur impedit, quominus verbis S. Lucae plena fides habeatur? Id unum obiicit *Schürer* p. 427 : Ituraea (montana) annis 38-49 p. Chr. regebatur a quodam Soemo; iamvero eodem tempore Agrippa I. totam tetrarchiam Philippi possidebat (Ant. XVIII. 6,10; XIX. 8,2); ergo Ituraea ad tetrarchiam Philippi pertinere non poterat. Verum haec argumentatio non consistit; neutro enim loco Flavius Iosephus dicit totam tetrarchiam Philippi Agrippae I. esse datam: praeterea Soemo subiecta erat sola Ituraea montana, ut ipse *Schürer* rem exponit. Denique perperam supponitur ambitum tetrarchiae Philippi a tempore nativitatis Christi semper eundem fuisse usque ad Agrippam I.; conclusio igitur ex annis 39-41 p. Chr. ad tempus nativitatis Christi nullo modo valet, praesertim cum Ituraea continuas mutationes subierit. Ceterum Iosephus regiones ad tetrarchiam Philippi pertinentes vario modo enumerat modo hac modo illa omissa.

Praeter Ituraeam S. Lucas (3,1) Philippi tetrarchiae etiam adscribit Trachonitidem, quae tum apud Flavium Iosephum Philippo attribuitur (Bell. iud. II. 6,3) tum integram Philippi tetrarchiam designat in epistula Agrippae apud Philonem (Legat. ad Caium 41, *ed. Mangey* II. 593). Unde non defuerunt, qui Ituraeam eandem esse dicerent ac Trachonitidem, ut Eusebius (Onom. *ed. Lag.* 268,93 et 298,53). Verum S. Lucas recte utramque regionem distinguit, ut ex supra dictis patet.

Alii nomen Ietur agnoscunt in *Djeidûr* regione inter meridiem et occidentem Damasci; concedi potest hanc regionem etiam ab Ituraeis infestatam esse, sed ipsa nominis similitudo, quae huic opinioni faveat, desideratur. Multo minus Ituraea in Auranitide quaerenda est, ut putaverat *Wetzstein* (Reisebericht über Hauran und die Trachonen 1860 p. 90-92).

IUBAL (יוּבָל, Ἰουβάλ), filius Lamech, pater canentium cithara et organo, ex Ada matre genitus (Gen. 4,21); eius frater ex eadem matre genitus erat Iabel pater habitantium in tentoriis atque pastorum.

IUBILAEUS ANNUS dicitur quinquagesimus quisque annus, qui 49 annis ab ultimo anno iubilaeo elapsis i. e. post septenas hebdomadas annorum celebrandus erat: initium ducebat a die 10. Tishri mensis septimi seu die propitiationis (Lev. 25,8-10; *Flav. Ios.* Ant. III. 12,3).

1. Nomen. Vocatur שְׁנַת הַיּוֹבֵל vel simpliciter יוֹבֵל (Lev. 25,28) a strepitante sono buccinae (שׁוֹפָר תְּרוּעָה buccina vociferationis), quo per nuntios in universum Israel missos annuntiandus erat. Etiam vocatur שְׁנַת הַדְּרוֹר annus remissionis (Ezech. 46,17), LXX ἔτος τῆς ἀφέσεως, ἄφεσις. In Vulgata dicitur annus iubilaei, annus iubilaeus scil. annus iubili, ita apte vocatus quoad rem, et probabilissime etiam quoad etymon; nam derivatio, qua יוֹבֵל interpretantur iubilum laetumve clamorem, philologice melius probari videtur, quam plurimae aliae explicationes maxime diversae, de quibus vide *Kranold*, De anno iub. Hebr. I. 2 p. 11 ss.; *Carpzov*, De anno iobelaeo p. 5 ss.; *P. Schmalzl*, Das Jubel-Jahr bei d. alten Hebräern 1889 p. 5 ss.

2. Tria sunt praecepta ac privilegia anni iubilaei.

Praecipitur primo quies terrae sicuti anno sabbatico: Non seretis neque metetis. Quae humus sponte gignebat, non colligebantur, sed omnibus in usum

quotidianum communia erant (Lev. 25, 11.12). Per duos igitur annos terra cultu vacabat scil. anno undequinquagesimo, quia sabbaticus et anno quinquagesimo, quia iubilaeus erat. Promiserat autem Deus (Lev. 25,20-22) se fructus anni sexti multiplicaturum esse, ut pro tribus annis scil. sabbatico, iubilaeo et etiam pro anno nono usque ad initium messis sufficerent.

Praecipitur secundo possessionis venditae reditus ad primum dominum. Possessio intellegitur immobilis i. e. agri in singulas familias a Iosue distributi et iure hereditario ad posteros transmissi. Agri igitur, qui vel donatione vel venditione ad alios transierant, anno iubilaeo ad primum dominum vel eius heredes legitimos nullo pretio soluto redibant, nisi forte iam ante annum iubilaeum a venditore vel cognatis eius redempti erant. Unde manifestum est, cur pretium agri decresceret, quo propius annus iubilaeus instaret; venditio agrorum apud Hebraeos erat nonnisi locatio usque ad annum iubilaeum (Lev. 25,13-16. 23-28). Idem ius, quod agrorum, erat etiam domorum in villis et pagis muro non cinctis (25,31). Alia autem erat conditio domorum in urbe muro cincta; qui talem domum vendiderat, eam intra anni spatium redimere potuit, quam primum vellet, non vero postea; quodsi ergo illa domus anno primo redempta non erat, ipso iubilaeo non ad pristinum dominum redibat, sed emptori manebat propria (25, 29. 30).

Domus levitarum perpetuo redimi poterant et anno iubilaeo ad dominos redibant (25,32. 33); agros autem suos ne vendere quidem poterant (25,34). — Accedunt leges de agris sanctuario votis. Si quis agrum hereditarium sanctuario voverat et ante iubilaeum non redemerat, iste ager, si a sanctuario venditus erat, anno iubilaeo ab emptore non ad pristinum dominum, sed ad sanctuarium i. e. ad sacerdotes rediit (27,17-21). Si quis vero agrum ab alio domino emptum sanctuario voverat, annuos proventus agri usque ad annum iubilaeum sacerdotibus solvere et agrum ipsum anno iubilaeo domino reddere debebat (27,22-24).

Praecipitur tertio dimissio servorum. Generatim servus Hebraeus libertati reddendus erat anno septimo servitutis suae (Ex. 21,2; Deut. 15,12). Sed iam ante septem annos elapsos, si annus iubilaeus incidebat, eodem privilegio fruebantur servi Hebraei in servitute Israelitarum vel advenarum degentes, nisi forte iam antea se redemerant vel per cognatos suos redempti erant; ministerium igitur servi Hebraei non erat servitus perpetua, sed opera mercenaria, quae ultra sex annos ipso invito extendi non poterat (Lev. 25,39-43. 47-55). Servi autem de advenis vel de aliis nationibus oriundi anno iubilaeo non erant dimittendi, sed in familia dominorum suorum iure hereditario ad posteros transmitti poterant (25,44-46), quamquam et ipsi circumcisi erant (cf. Gen. 17,23. 27).

Quod Flavius Iosephus (Ant. III. 12,3) dicit scil. anno iubilaeo omnia debita remissa vel exstincta esse, neque in Sacra Scriptura neque in traditione rabbinica fundamentum habet; id unum veri subest, debita etiam anno iubilaeo, sicuti anno sabbatico exigi non potuisse ex paritate rationis; si enim anno sabbatico solvendo impares censendi erant, multo magis anno iubilaeo, qui sabbaticum excipiebat.

3. Finis anni iubilaei proxime quidem erat politico-oeconomicus, ut haec restitutio in integrum rempublicam iudaicam conservaret, prout a Deo instituta erat. Altior autem est finis religiosus. Innumera enim sunt beneficia anni iubilaei: Deus populum suum a lege laboris et sudoris dispensat, benedictione sua victui necessario providet, Israelitas omnes a paupertate et necessitate liberat, ad possessionem patrum reducit, a servitute solvit, omnibus redemptorem se exhibet. His beneficiis toti populo in memoriam revocatur Israelitas in regno theocratico vera libertate gaudere et ipsius Domini proprietatem esse. Huic fini religioso accedit ratio typica. Anno iubilaei annuntiatur et praefiguratur periodus messianica, qua, quodcunque per peccatum perditum erat, reparatur, servitus peccati tollitur, libertas filiorum Dei ad culmen perducitur; cf. Is. 61,1-3

et Luc. 4,21. Hoc ipso annus iubilaeus est etiam typus istius iubilaei, quod in consummatione temporum per angelos tubis canentes annuntiabitur. — Hanc Veteris Testamenti institutionem esse praefigurationem iubilaeorum, quibus Ecclesia Novi Testamenti gratiarum thesauros in fideles solito abundantius effundit, facile intellegitur.

4. Qua fidelitate annus iubilaeus servatus sit, sacrae litterae explicite non tradunt. Attamen ex silentio S. Scripturae inferri nequit eum non fuisse servatum, sed contrarium potius praesumendum est. Neque contra observationem anni iubilaei argumenta valent ex querelis prophetarum de legibus mosaicis quandoque (cf. Is. 5,8; Mich. 2,2. 4; 3 Reg. 21,2) non observatis neque ex bellicis perturbationibus tempore iudicum et regum. Cf. *P. Schmalzl* o. c. p. 102-110. — Asserunt autem doctores talmudici post exsilium usque ad destructionem templi secundi annum quinquagesimum non celebratum, attamen numeratum esse ad annos sabbaticos recte computandos (cf. *Otho,* Lexicon rabb. philol. p. 337. 338).

IUCADAM (יָקְדְעָם, Ἀριχάμ), urbs tribus Iuda in tertia provincia montis (Ios. 15,56). Situs ignoratur.

IUCHAL (יְהוּכַל, Ἰωάχαλ), filius Selemiae, legatus a Sedecia rege Iuda ad Ieremiam missus, ut propheta apud Dominum intercederet (Ier. 37,3); idem recensetur inter illos principes, qui Sedeciae auctores fuerunt, ut Ieremias in lacum (cisternam vel foveam) coniiceretur (38,1).

IUD (יְהוּד, Ἀζώρ, A Ἰούθ), urbs tribus Dan (Ios. 19,45). Censetur esse vicus *el-Yehūdīye* duabus horis a Lydda septemtrionem versus in planitie frugifera situs (*Guérin*, Judée I. 321. 322; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 258).

IUDA (יְהוּדָה, Ἰούδας). **1.** Iuda sive Iudas, filius quartus Iacob patriarchae ex Lia genitus. Nomen explicatur exclamatione matris de dono Dei gaudentis Gen. 29,35 : « et ait : Modo confitebor (אוֹדֶה) Domino et ob hoc vocavit eum Iudam cessavitque parere ». Eodem lusu verborum Iuda dicitur obiectum laudis in benedictione Iacob Gen. 49,8 : « Iuda, te laudabunt (יוֹדוּךָ) fratres tui ». Ante ipsum Lia pepererat Ruben primogenitum, Simeon, Levi, post ipsum interiecto tempore sterilitatis Issachar et Zabulon (35,23). Inter fratres suos Iuda saepius partes principaliores agit. Ipse reliquis auctor fuit, ne Ioseph fratrem occiderent, sed potius Ismaelitis venderent (37,26 ss.); postea apud Iacob patrem praevaluit, ut Beniamin curae suae commissus in Aegyptum dimitteretur (43,3 ss.); reliquorum nomine coram Ioseph praefecto Aegypti verba facit tenerrimi amoris erga patrem senem et fratrem natu minimum plena, quibus auditis Ioseph fratribus se manifestat (44,14 ss.); a Iacob in Aegyptum profecturo praemittitur, ut eius adventum nuntiet Ioseph proregi quasi viam parans in terra Gessen (46,28).

Iuda ante descensum in Aegyptum degebat in eadem Palaestinae parte, quam postea eius tribus occupatura erat scil. in monte Iuda prope Odollam et Thamnam. Ex filia Chananaei Sue tres filios genuit, quorum duo priores Her cum Thamar matrimonio iunctus et Onan morte praematura a Deo puniti sunt, tertius Sela nunquam principaliores partes egit. Postea ex Thamar nuru sua, quam inscius pro meretrice cognovit, habuit duos filios geminos Phares et Zara, quorum prior factus est progenitor stirpis regiae aliarumque illustrium familiarum Iuda (Gen. 38,1 ss.). Sela, Phares et Zara una cum patriarcha Iacob in Aegyptum descenderunt (46,12; Ex. 1,2). Iuda inter fratres suos eo maxime eminet, quod in ipsum translata est dignitas primogeniti, quam Ruben violato thoro patris sui amiserat, ius principatus (1 Par. 5,2). Haec dignitas regia effertur in benedictione Iacob Gen. 49,8-10 : « Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda etc. Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est » ; cf. *F. de Hummelauer* ad h. l. — In genealogia Christi prae aliis filiis Iacob solus Iuda expri-

mitur (Matth. 1,2. 3; Luc. 3,33), ex cuius tribu Christus descendit (Hebr. 7,14), unde : vicit leo de tribu Iuda (Apoc. 5,5).

2. Iuda tribus Israel. Territorium Iuda accuratissime describitur Ios. 15,1-12. 20-63. Terminus meridionalis, qui cum termino meridionali Palaestinae coincidit (cf. Num. 34,3-5), incipit a lingua maris Mortui, quae respicit meridiem, pertransit ascensum Scorpionis, Sina seu Senna, Cadesbarne, Esron (Hesron), Addar, Carcaa, Asemona et perveniens usque ad torrentem Aegypti (*Wādi el-ʿArīsh*) litore maris Mediterranei finitur. Terminus orientalis est mare Mortuum usque ad ostium Iordanis. Terminus septemtrionalis coincidit cum termino meridionali tribuum Beniamin (cf. Ios. 18,15-19) et Dan; eius cursum designant ostium Iordanis, ascensus Adommim, Debera, Fons Solis (Ensemes), Fons Rogel, vallis Ennom, Nephtoa, Cariathiarim, Cheslon, Bethsames, Thamna, Accaron, Iebneel prope litus maris Mediterranei. Ab occidente sortem Iuda terminat litus maris inter Iebneel et torrentem Aegypti. Sed notandum est etiam sortem Simeon intra fines Iuda fuisse conclusam (Ios. 19,1-9).

Tribus Iuda in quattuor territoria dividitur : Negeb seu meridies, Sephela seu planities occidentalis, mons Iuda, desertum Iuda.

Negeb (נֶגֶב, νότος) est tractus australis Palaestinae pascuis abundans, quem cingunt mons Iuda ab aquilone, mons Seir ab oriente, desertum Exodi a meridie, planities maritima ab occidente; est igitur regio media inter terram cultam et desertam tum situ tum indole. Enumerantur Ios. 15,21-32 urbes Negeb 36 (37?), ex quibus 16 (15) postea tribui Simeon assignatae sunt (cf. Ios. 19,1-9); sed adverte numeros in textu hodierno indicatos saepius non congruere cum summa urbium enumeratarum. Praeterea secundum varias gentes, quae in Negeb habitabant, distinguuntur Negeb Iuda, Negeb Ierameel, Negeb Ceni seu Cinaeorum cum Iudaeis foederatorum, Negeb Cerethi seu tribus cuiusdam Philisthaeorum, Negeb Caleb (1 Reg. 27, 10; 30,14 et cf. *F. de Hummelauer* ad h. l.). Posteriore tempore (Euseb. et S. Hieron. in Onom.) Negeb vocabatur Daroma, ita tamen ut Daroma aquilonem versus latius pateret quam Negeb (cf. *Relandus*, Pal. p. 185 ss.; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 88).

Sephela (שְׁפֵלָה, ἡ πεδινή, τὸ πεδίον) est regio depressior ad mare Mediterraneum a Ioppe usque ad torrentem Aegypti patens et etiam iuga collium comprehendens, quae orientem versus ad montana Iuda ascendunt. In Mishna (Shebiith 9,2) distinguitur Sephela circa Lyddam a Sephela australi, item a S. Hieronymo in Abd. 19 Sephela circa Lyddam (Diospolim) et Emmaus (Nicopolim) distinguitur a Sephela circa Eleutheropolim. De sola Sephela circa Eleutheropolim loquuntur Eusebius et S. Hieronymus s. v. Sephela (Onom. *ed. Lag.* 296,9; 154,11). Sed ex modo dictis colligitur Sephelam Ioppen usque patuisse et campestria Dan complexam esse. Urbes Sephelae, quatenus haec ad tribum Iuda spectat, dividuntur in tres provincias; prima provincia mediterranea aquilonaris continebat 15(14) urbes, secunda provincia maritima 16, tertia provincia mediterranea australis 9 (LXX 10) urbes ex quibus duae scil. Asam et Ether postea Simeonitis tributae sunt; his adduntur Accaron, Azotus, Gaza. Cf. Ios. 15,33-47. Si excipimus arenas litoris exaggeratas, solum est hordei et tritici feracissimum, vinetis et olivetis consitum, arboribus punicis et medicis abundans, gregibus numerosis prata praebens (*Stanley*, Sinai and Palestine p. 257 ss. et cf. Iud. 13, 14; 14,5; 15,1. 5). Sephela igitur erat hortus et horreum tribus Iuda. Hinc intellegitur, cur Philisthaei tam constanter pentapolim philisthaeam (Gazam, Azotum, Ascalon, Geth, Accaron) sibi vindicaverint.

Mons Iuda (הַר־יְהוּדָה, ἡ ὀρεινή) occidentem versus transit in colles Sephelae, meridiem versus descendit ad Negeb, orientem versus deserto Iuda adiacet, aquilonem versus monti Ephraim coniungitur, ita ut mons Iuda etiam partem tribuum Beniamin et Dan comprehendere dicendus sit (cf. s. v. EPHRAIM 3).

Urbes montis Iuda in sex provincias distribuuntur. Prima provincia 11 urbium meridiem spectat (Ios. 15,48-51). Ad septemtrionem primae habentur secunda 9 urbium occidentem versus (15,52-54) et tertia decem urbium orientem versus (15,55-57). Ad septemtrionem secundae et tertiae provinciae extenditur quarta sex urbium (15,58. 59). At notandum est tertiam provinciam fortasse non fuisse continuam, cum duae eius urbes, Gabaa et Thamna, in territorio quartae provinciae reperiri videantur. Quinta provincia 11 urbium ad septemtrionem quartae Ierusalem usque protensa deest in textu massorethico et in Vulgata, sed conservatur in LXX inter vv. 59 et 60 inserta; complectitur Bethlehem et oppida prope Bethlehem et Ierusalem (de hoc additamento LXX cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Ios. p. 362-5). In sexta demum provincia 15,60 duae tantum urbes recensentur : Cariathiarim ad occidentem Ierusalem in confinibus Iuda et Beniamin et Arebba, cuius situs non certo innotescit.

Mons Iuda est divortium aquarum inter mare Mortuum et Mediterraneum, maximam altitudinem attingit prope Hebron (c. 1000 m), de qua paulatim deprimitur tum Bethlehem (c. 800 m) tum meridiem versus; terra est calcaria et ut plurimum inaequalis ac saxosa; cacumina nuda eminent, pascua inculta extenduntur. Attamen passim etiam inveniuntur arbores, virgulta, herbae, pomaria quoque, oliveta ac vineta v. g. prope Hebron; valles et planities quaedam ampliores ab agricolis sedulo coluntur et bonas segetes praebent (cf. *Ritter*, Erdkunde XV. p. 618. 637).

Desertum Iuda (מִדְבַּר) est tractus sterilis, qui a termino aquilonari tribus Iuda inter mare Mortuum et montem Iuda decurrit usque ad *Wādi Fikre* et partem Negeb; cf. *Riess*, Bibel-Atlas III. FE d. Partes huius deserti in S. Scriptura commemorantur desertum Thecue (2 Par. 20,20; 1 Mach. 9,33), desertum Ziph (1 Reg. 23,14 ss.; 26,2) desertum Maon (1 Reg. 23,24 ss.), desertum Engaddi (1 Reg. 24,2). Descensus orientalis a montanis Iuda ad mare Mortuum est multo magis praeceps et abruptus, quam descensus occidentalis ad Sephelam et quasi per tres gradus perficitur, ita ut ternus descensus fiat a triplici planitie montana superposita. Terra calcaria pyrite intermixta passim nuda cernitur. Flora abundantior nonnisi prope fontes progerminat. Valles saxosae et fauces horrendae eo magis sunt praeruptae, quo mari Mortuo propiores. Regio haec deserta antiquitus non multum incolebatur; Ios. 15,61. 62 sex civitates deserti Iuda enumerantur, ex quibus notissima est Engaddi; aetate christiana eremitae et monachi in hanc regionem a mundi strepitu remotam se receperunt, ut ruinae etiam superstites testantur; hodie aliqui vici exigui et stationes Arabum tabernaculis tendendis aptae ibidem reperiuntur. Cf. Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. III. 1880 p. 2 ss.; *Ritter*, Erdkunde XV. p. 643 ss.; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 167-8.

Historia tribus Iuda. In historia Israelitarum tribus Iuda potestate et auctoritate reliquas tribus superabat. Anno secundo egressionis ex Aegypto princeps tribus erat Nahasson filius Aminadab (Num. 1,7). Apud montem Sinai de Iuda numerabantur 74600 viri bellatores (1,26. 27), postea in campestribus Moab 76500 (26,22), qui numeri in utroque censu ne a Danitis quidem ceteroquin numerosissimis attingebantur. In castris erat Iuda cum Issachar et Zabulon ad orientalem plagam tabernaculi (2,3-9); eaedem tribus in ordine itineris primo loco proficiscebantur (10,14-16). Oblationes Nahasson principis Iuda in dedicationem altaris die primo ex duodecim diebus oblationum factae sunt (7, 12-17). Caleb filius Iephone tribum Iuda repraesentat inter duodecim exploratores terrae Chanaan (13,7 hebr. 6) et inter viros ad sortes terrae promissae dividendas electos (34,19). Post ingressum in terram promissam Iuda cum Simeon, Levi, Issachar, Ioseph (Ephraim et Manasse), Beniamin benedictionem in monte Garizim pronuntiarunt (Ios. 8,33. 34), ut Moyses mandaverat (Deut. 27,12); de crimine Achan ex tribu Iuda, quod brevi

ante commissum fuerat apud Iericho v. ACHAN et ACHOR.

In distributione terrae promissae sors prima tribui Iuda egressa est (Ios. 15, 1); sacerdotibus ex territorio Iuda et Simeon novem urbes concessae sunt, octo ex Iuda, quarum praecipua erat Hebron urbs confugii et una scil. Asan (Ain) ex Simeon (21,13-16; vide ASAN et AIN 2); aliquae urbes Iuda scil. Saras (Sarea), Esthaol, Hirsemes (Bethsames 1), Themna (Thamna), Acron (Accaron) postea Danitis attribuuntur (19, 41-43), quod aliquam fluctuationem terminorum inter singulas tribus innuere videtur. Territorium Iuda (Simeon) prima Iosue expeditione (10,28 ss.) in ore gladii percussum, sed non in plenam potestatem Israelitarum redactum erat; quare Iuda et Simeon variis pugnis primum montana, deinde maiore cum difficultate campestria, in quibus Chananaei curribus ferreis ad proeliandum utebantur, subegerunt; speciali mentione dignae sunt expugnationes urbium Hebron per Caleb filium Iephone et Dabir (Cariath Sepher) per Othoniel (Iud. 1,3-20; cf. Ios. 14,6 ss.; 15,13 ss.). Urbes Philisthaeorum nonnisi pro brevi tempore in ditione Israelitarum erant (Iud. 1,18; 3,3). Reliquam partem territorii filii Iuda quietam possederunt. Debborae et Barac pro liberatione tribuum septemtrionalium proeliantibus Iuda et Simeon opem non tulerunt neque ab illis Debbora opem exspectaverat; cuius rei aliqua ratio in eo cerni potest, quod fortasse pugnis cum Philisthaeis nimium distinebantur, potissima autem ratio in eo, quod hae duae tribus iam aetate iudicum magis in se conclusae atque ab aliis distinctae suas res publicas administraverunt (Iud. 4 et 5). Inter iudices solus Othoniel erat de tribu Iuda (v. OTHONIEL); Abesan iudex septem annorum, qui ex opinione veterum interpretum de Bethlehem Iuda oriundus erat, probabilius alteram Bethlehem Zabulon patriam habuit (v. ABESAN). In communi tamen tribuum contra Beniamin certamine Iuda non defuit, immo reliquarum dux a Domino constituta est (Iud. 20,18). Aetate Samuelis et Saulis non montana Iuda, sed potius territoria Beniamin et Dan a Philisthaeis campestria Iuda occupantibus infestabantur (cf. 1 Reg. cpp. 4. 5. 7. 13. 14), immo etiam regiones magis dissitae, planities Iezrahel, Bethsan (1 Reg. 31); cum autem in ipsa montana Iuda progredi conarentur per vallem terebinthi (*Wādi el-Sanṭ* prope *Shuweike* seu Socho), efficaciter repulsi sunt (1 Reg. 17,2. 19) neque feliciores fuerunt contra Ceilam urbem Sephelae, sed monti Iuda haud dubie vicinam (1 Reg. 23,1). Indicium distinctionis et oppositionis inter tribus septemtrionales et meridionales seu inter Iuda et Israel deprehenditur 1 Reg. 11,8 et 15,4: cf. *F. de Hummelauer* ad 1 Reg. 8,4. De David fugitivo in variis partibus Iuda v. DAVID, HACHILA, MAON, SICELEG, ZIPH. Saule mortuo Iuda David regem suum agnovit (2 Reg. 2,4) et in eo quoque vigorem internum patefaciebat, quod magis constanti sui confirmatione, quam felici belli eventu reliquas tribus ad unitatem regni adduceret (2 Reg. 3,1 ss.). Unitate stabilita (2 Reg. 5,1) Iuda culmen gloriae ascendebat regnantibus Davide et Salomone (vide s. vocibus); attamen antiqua illa tribuum oppositio nunquam exstincta et scissione regnorum Iuda et Israel consignata est (vide s. v. EPHRAIM 2 in fine). Abhinc historia tribus est historia regni Iuda (v. infra n. 9).

3. Iuda ad Iordanem (יְהוּדָה הַיַּרְדֵּן; LXX ὁ Ἰορδάνης omisso Iuda) in termino orientali tribus Nephthali (Ios. 19,34) est nodus, qui plurimos interpretes torsit. Probabilissimum est textum esse corruptum; unde *Ewald* (Geschichte des Volkes Israel *ed.* 3 II. p. 411) et *Dillmann* ad Ios. 19,34 coniiciunt pro בִּיהוּדָה restituendum esse בִּכִנְרוֹת provocantes ad 3 Reg. 25,20 (universam Ceneroth), Ios. 11,2 (meridies Ceneroth), Deut. 3,17 (terminos Cenereth); quomodo autem forma nostri textus massorethici exorta sit, nondum liquet. Coniecturas obsoletas de Iuda Iordanis Nephthalitarum vide, si lubet, apud interpretes. *F. de Hummelauer* ad Ios. 19, 34 Iuda simpliciter delendum censet

cum LXX, ut textus primitus fuerit : Et Iordanis (est) orientem versus.

4. Iuda, levita, cuius filii magno zelo instaurationem templi post exsilium promoverunt (Esdr. 3,9), fortasse idem est ac Odovia (v. ODUIA 3).

5. Unus ex levitis, qui uxores alienigenas dimittere ab Esdra iussi sunt (Esdr. 10,23). Idem probabilius est, qui Neh. 12,8. 35[36] nominatur.

6. Unus ex principibus Iuda tempore Nehemiae (Neh. 12,33[34]).

7. Filius Senua, Beniaminita, incola Ierusalem post instaurationem (Neh. 11,9).

8. De civitate Iuda (Luc. 1,39), patria Zachariae et S. Ioannis Baptistae in tribu Iuda vide s. v. IOTA.

9. Regnum Iuda. Quod Iacob patriarcha iamiam moriturus filio Iuda vaticinatus erat, in Davide coeptum est impleri (cf. Gen. 49,10; 1 Par. 5,2); de Iuda enim elegit principes, porro de domo Iuda domum patris mei, inquit David, et de filiis patris mei placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israel (1 Par. 28,4). Saule mortuo primum sola domus Iuda sequebatur David, qui per septem annos et sex menses in Hebron regnavit (2 Reg. 2,10. 11). Postquam Isboseth filius Saul interfectus est, universae tribus Israel Davidem regem agnoverunt et David expugnata arce Sion Ierusalem elegit regiam urbem ibique 33 annis regnavit super omnem Israel et Iudam (2 Reg. 5,1 ss.). Item post eum Salomon. Cum autem Roboam onera populo imposita nollet imminuere, decem tribus recesserunt a domo David et regnum Iuda a tribu potentiore Iuda nomen sortitum est. Ei adhaerebant tribus Beniamin, sacerdotes et levitae, qui a regno Israel recesserunt (2 Par. 11,13. 14), Israelitae qui habitabant in civitatibus Iuda et pars meridionalis Palaestinae. Regnum Iuda continuo reges habebat ex domo David neque tot internis seditionibus ac perturbationibus erat obnoxium quot regnum Israel. Athalia, uxor Ioram, filia Achab et Iezabel, post mortem filii sui Ochoziae regis interfecit omne semen regium; solum Ioas parvulus Ochoziae filius furori eius subreptus est (4 Reg. 11,1). Ioas post regnum annorum 41 a coniuratis occisus est (12,20. 21), itemque Amon (21,23), neque tamen successio regum ex domo David interrupta est. Uti Salomon iam contaminaverat regnum idololatria, ita etiam postmodum eo vitio regnum haud semel laborabat; ita sub Roboam et Abia (3 Reg. 14,22 ss.; 15,3); at Asa purgavit universas sordes idolorum (15,11 s.). Res in peius iterum cesserunt sub Ioram; gener enim domus Achab fuit (4 Reg. 8,18. 27; 2 Par. 24,7); sed Ioas fecit rectum coram Domino, quamdiu eum docuit Ioiada sacerdos (4 Reg. 12,2); postea a principibus seductus ipse quoque est ad idololatriam, cui pariter indulgebant Amasias, Achaz, Manasse, Amon (cf. 2 Par. 24,17; 25,14; 4 Reg. 16,2; 21,2. 20), dum Ezechias et Iosias, reges pii, omni studio conarentur idolorum cultu deleto veram restituere pietatem (4 Reg. 18,4 ss.; 22,2 ss.). In regno Iuda plures quoque prophetae quam in regno Israel causam cultumque Domini tuiti sunt et vitiis bellum indixerunt. Templum in Ierusalem, quamvis etiam saepius cultu idololatrico contaminaretur, tamen multum contulit, ut religio in regno Iuda melius conservaretur; verumtamen neque reges pii neque prophetae ruinam regni templique avertere poterant.

Regnum Iuda, ab internis dissidiis fere immune, ab hostibus externis multum impetebatur. Iam in quinto anno regni Roboam Sesac rex Aegypti tulit thesauros domus Domini et thesauros regios et universa diripuit (3 Reg. 14, 26; 2 Par. 12,2); post eum sub rege Asa regnum Iuda ita a Baasa rege Israel infestabatur, ut Asa omne argentum et aurum ex thesauris templi et regis colligeret et ad regem Syriae mitteret opem efflagitaturus (3 Reg. 15,17 ss.; 2 Par. 16,2). Per aliquod tempus regnum Iuda et Israel amico foedere coniungebantur; Iosaphat et Achab bellum Syris intulerunt (3 Reg. 22,2 ss.); immo Ioram filius Iosaphat in matrimonium duxit filiam Achab, Athaliam; at mox denuo inimicitiae exardescebant Amasia rege regnum Iuda, quod antea sub Ioas rege a Syris erat graviter afflictum (4 Reg. 12,17), iterum a rege

Israel Ioas magno damno est affectum, murus Ierusalem magnam partem interruptus, thesauri omnes ablati (4 Reg. 14,12 ss.). Cum Edomitis quoque pugnandum erat saepius (4 Reg. 8,21; 14, 7; 2 Par. 21,8; 25,11; 28,17) et contra Ioram impium regem, qui omnes fratres suos occiderat et idola colebat, suscitavit Dominus Philisthaeos et Arabes, qui terram Iuda vastaverunt et thesauros regis eiusque filios et uxores abduxerunt (2 Par. 21,16); Azarias autem feliciter contra utrosque pugnavit (2 Par. 26,6. 7). Achaz vero rex impius tempora adduxit calamitatibus plena, quia monitis Isaiae prophetae non obsequebatur; gravi clade regnum Iuda percussum est a Syris et Israelitis, ab Edomitis et Philisthaeis (2 Par. 28,8. 17.18); imploravit Achaz opem Theglathphalasar regis Assyriorum, qui quidem Syros devicit, at regnum quoque Iuda afflixit (4 Reg. 16, 7 ss.; 2 Par. 28,2). Ezechias rex pius percussit Philisthaeos et ope divina in periculo extremo ab invasione Assyriorum liberatus est (4 Reg. 18,8. 14 ss.; 2 Par. 32,1 ss.). Nihilominus regnum quoque Iuda vergebat ad interitum. Sceleribus enim Manasse et Amon regum Dominus poenam indici iussit : ecce ego inducam mala super Ierusalem et Iuda et delebo Ierusalem (4 Reg. 21,12; Ier. 15,4). Iosias quidem omni conatu mores populi emendare studuit; verum nimis altas radices egerat idololatria et quamvis per prophetas Ieremiam et Sophoniam valide iuvaretur, tamen parum effectum est. Ipse in pugna contra Nechao regem Aegypti occisus est. Exinde regnum Iuda praedae erat prius Aegypto, dein Chaldaeis. Et demum Sedecias rex, cum Ieremiae oraculis et monitis contemptis nollet se subiicere Nabuchodonosor regi, regnum Iuda interitui obiecit; maior populi pars in exsilium babylonicum abducta est urbe et templo incensis (4 Reg. 25,1 ss.). De ratione temporis vide s. v. CHRONOLOGIA II. 1. in vol. I. col. 900-909.

Stetit regnum usque ad annum 588. Singula vide sub nominibus regum : Roboam, Abiam, Asa, Iosaphat, Ioram, Ochozias, Athalia, Ioas, Amasias, Azarias, Ioatham, Achaz, Ezechias, Manasses, Amon, Iosias, Ioachaz, Ioakim, Ioachin, Sedecias. De regni conditione moribusque populi et principum multa referuntur apud prophetas quoque (Is. 1-10; 28-39; apud Ier. Ez. Abd. Mich. Soph. Hab.).

IUDAEA (יְהוּדָה, ἡ Ἰουδαία), provincia meridiana Palaestinae cisiordanicae, eo nomine post exsilium appellata, quia potissimum filii Iuda reduces eam incolebant; latius tamen patebat quam antiqua tribus Iuda; terminos habebat ab aquilone Samariam, ab oriente Iordanem et mare Mortuum, a meridie Idumaeam, ab occidente Philisthaeam et mare Mediterraneum, ita ut etiam Beniamin, Dan et partem Ephraim meridianam comprehenderet neque fines regni Iuda multum excederet. Illi vero termini variis temporibus mutationes et fluctuationes subierunt. Iam tempore exsilii Edomitae meridianam Iudaeae partem sibi arripuerant (Ez. 35,10-13; 36,6) et fines Hebron, quae post exsilium denuo a Iudaeis incolebatur (Neh. 11,25), in ditione retinebant, donec a Iuda Machabaeo inde expulsi sunt (1 Mach. 5,65). Aetate machabaica a Iudaea sine dubio exclusae erant urbes maritimae, quae maximam partem ab ethnicis incolebantur et suas res publicas legibus propriis administrabant; cf. *Schürer*, Gesch. des jüd. Volkes etc. *ed.* 3 II. p. 73 ss. Illis autem urbibus ethnicorum seu hellenisticis etiam accensendas esse aliquas a litore maris remotiores ex eo colligitur, quod Accaron nonnisi tempore Ionathae (1 Mach. 10,88. 89), Gazara nonnisi tempore Simonis (1 Mach. 13,43-48; v. GAZARA) Iudaeae adiunctae sunt. Neque terra transiordanica Iudaeae accensebatur; ibi quoque erant urbes hellenisticae (*Schürer* l. c.) et praeterea gentes indigenae Iudaeis infensae (1 Mach. 5,6 ss.; 2 Mach. 5,8). Eadem aetate machabaica iam clare distinguebatur Iudaea a Samaria et Galilaea (*Flav. Ios.* Ant. XII. 4,1. 4; 1 Mach. 10, 30. 38; 11,28. 34) et cum 1 Mach. 10,30. 38 solum tres civitates (νόμοι) ex Samaria Iudaeae legantur additae fuisse,

omnino probabile est Samariam et Galilaeam cum re publica Iudaeorum nonnisi a Ioanne Hyrcano (135-105) eiusque successoribus coniunctas esse.

Apud Flav. Iosephum, in Novo Testamento et in Mishna constanti usu loquendi distinguuntur Iudaea, Samaria, Galilaea, Peraea. Flav. Iosephus (Bell. iud. III. 3,5) Iudaeam circumscribens terminum orientalem assignat Iordanem, occidentalem Ioppen (μέχρις Ἰόππης), ita ut Ioppe non ad Iudaeam accenseatur; meridionalem assignat vicum Arabibus conterminum Iordan a Iudaeis appellatum (Arad?), septentrionalem vero vicum Anuath alias Borcaios dictum (ἡ Ἀνουάθου Βόρκαιος προσαγορευομένη κώμη), qui idem videtur ac Anuabor Eusebii 15 mil. pass. a Sichem Ierusalem versus distans seu Anua S. Hieronymi 10 mil. pass. a Sichem Ierusalem versus distans (Onom. *ed. Lag.* 223,54; 94,21), hodie fortasse *Berūkīn* orientem versus a Ioppe; urbem Ierusalem ipsissimo in medio ponit Iosephus; addit marinis deliciis non carere Iudaeam utpote locis maritimis Ptolemaidem usque extensam (τοῖς παραλίοις κατατείνουσα).

Maximi momenti sunt undecim toparchiae (κληρουχίαι) a Iosepho l. c. recensitae : 1. Ierusalem 2. Gophna 3. Akrabeta 4. Thamna 5. Lydda 6. Ammaus 7. Pella 8. Idumaea 9. Engaddi 10. Herodeion 11. Iericho. Solummodo decem toparchias enumerat Plinius (V. 14,70) : Hiericuntem..., Emmaum, Lyddam, Iopicam, Acrebitenam, Gophaniticam, Thamniticam, Betholeptephenen, Orinen in qua fuere Hierosolyma..., Herodium. Perperam a Iosepho nominatur Pella, a Plinio Ioppe; utraque enim erat res publica suis legibus utens neque in Iudaea sita; alibi autem etiam Iosephus (Bell. iud. IV. 8,1) Bethleptenpha caput toparchiae nominat. Hac igitur loco Pellae substituta et ordine geographico servato undecim toparchiae erunt : Ierusalem (Orine), aquilonem versus Gophna (*Djifnā*) et Akrabeta (*ʿAqrabe*), occidentem versus Thamna (*Tibne*), Lydda (*Lud*), Emmaus (Nicopolis, *ʿAmwās*), Bethleptenpha (inter Emmaus et Idumaeam; Flav. Ios. l. c.), meridiem versus Idumaea (in qua Ioannes Hyrcanus religionem legesque iudaicas restituerat Ant. XIII. 9,1; XV. 7,9; Bell. iud I. 2,6), orientem versus Engaddi (*ʿAin Djidī*), Herodeion (*Djebel el-Furcidīs*, Mons Francorum), Iericho (*Rīḥā*). Tota autem haec divisio probabilius aetate romana ortum habuit, cum antea nullum eius vestigium deprehendatur.

Cf. *Reland*, Pal. p. 31 ss. 176 ss. 185 ss.; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 59 ss.; *G. A. Smith*, Hist. Geogr. of the Holy Land 1894 p. 201 ss.; *Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 81. 82. 131 ss.; *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 I. 183. 184. 185. 232. 233; II. 1-5. 11.

IUDAEI (יְהוּדִים). Nomen hoc pro incolis regni Iuda in libris antiquioribus raro adhibetur; legitur 4 Reg. 16,6: Rasin eiecit Iudaeos de Aila, et 25,25; saepius legitur apud Ieremiam 32,12; 34,9; 38,19; 40,11. 12; 41,3 etc. et apud Danielem 3,8. 12. Post exsilium, cum fere soli ex regno iudaico exsules redirent, nomen omnino evadit commune ad eos designandos qui sint originis israelitici. Ita frequenter in libris Esdr. Neh. Esther, Mach. et in libris novi foederis, praesertim apud Ioannem.

Lingua in terra Iuda iam rege Ezechia appellatur iudaica, ut distinguatur ab aramaica; cf. 4 Reg. 18,26. 28; 2 Par. 32,18; Is. 36,11. 12, ubi scil. legati regis petunt a Rabsace, ut loquatur אֲרַמִּית, non יְהוּדִית (syriace, non iudaice), ne populus sermonem intellegat.

Iudaismus vocatur conditio atque institutio Iudaeorum, quae eorum religione, cultu, legibus continetur; cf. 2 Mach. 2,21 (graece); 8,1 dicuntur Iudaei qui legibus suis ac religioni fideles erant permansisse in iudaismo; 14,38. Et apostolus quoque scribit Galatis : audistis conversationem meam aliquando in iudaismo;... et proficiebam in iudaismo i. e. in studio, cognitione, zelo pro institutis, moribus, traditionibus pharisaicis. Eodem modo dicit apostolus iudaizare de observantia iudaica in cibis, in commercio cum alienigenis; cf. Gal. 1,13. 14; 2,14.

IUDAIA (יְהוּדִיָּה, Ἰαδία), secunda uxor Mered viri ex tribu Iuda, quae ei

peperit Iared patrem Gedor et Heber patrem Socho et Icuthiel patrem Zanoe (1 Par. 4,18); de emendatione textus vide s. v. BETHIA.

IUDAS (Ἰούδας). **1.** Iudas Machabaeus, filius Mathathiae sacerdotis, heros maxime conspicuus in bellis machabaicis. Cognominatur Machabaeus i. e. malleator vel forte exstinctor (v. MACHABAEI). Mathathia mortuo Iudas, tertius natu ex quinque filiis eius, exercitui machabaico praeesse coepit a. 146 aer. Seleuc. (1 Mach. 2,70) seu a. 167/166 a. Chr. « Similis factus est leoni in operibus suis et sicut catulus leonis rugiens in venatione » (1 Mach. 3,4). Res ab eo gestae narrantur 1 Mach. 3,1-9,22; 2 Mach. 8-15. Dux fuit per sex fere annos (166-161 a. Chr.).

Iudae prima gesta usque ad purificationem templi (166-165 a. Chr.). Primo Apollonium ducem syriacum devicit ac ducis occisi gladio potitus est, quo in posterum utebatur (1 Mach. 3, 10-12; videtur idem Apollonius esse ac princeps tributorum 2 Mach. 5,24 et 1 Mach. 1,30[29] commemoratus). Dein Seron « princeps exercitus Syriae » apud Bethoron a Iuda fugatus est (1 Mach. 3,13-26). Quapropter Antiochus IV. Epiphanes consilia acerrima contra Iudaeos initurus, dum ipse in Parthos proficiscitur, Lysiam procuratorem regni ac tutorem filioli sui constituit, qui virtutem Israel et reliquias Ierusalem exstirparet. Lysias tres duces in Iudaeam misit, Ptolemaeum, Nicanorem, Gorgiam ac tanta erat spes victoriae Syrorum, ut mercatores e civitatibus maritimis a Nicanore invitati in castra venirent ad coemendos captivos Iudaeos; promiserat enim Nicanor se nonaginta mancipia iudaica venditurum pretio unius talenti, ut Romanis duo millia talentorum tributi retro debiti a Syris exsolverentur (1 Mach. 3,27-41; 2 Mach. 8,8-11 ubi Ptolemaeus accuratius dicitur dux seu praefectus Coelesyriae et Phoenicis, qui res militares Nicanori et Gorgiae exsequendas reliquit). Iudas vero exercitum suum congregavit « in Maspha contra Ierusalem, quia locus orationis erat in Maspha ante in Israel » (1 Mach. 3,46; cf. Iudic. 20-21; 1 Reg. 7,5 ss.; 10,17 ss.). Proelium commissum est prope Emmaus (hodie *ʿAmwās*) seu Nicopolim, quo consilia Gorgiae a Iuda delusa, Syri fugati, castra eorum combusta sunt a. 166/165 a Chr. (1 Mach. 3,42-4,25 ubi solus Gorgias, dux nocturnae expeditionis, nominatur et 2 Mach. 8,12 ss. ubi solus Nicanor, dux maioris partis exercitus, nominatur). Eodem fere tempore alter hostium exercitus, quem Timotheus et Bacchides ducebant missi a Ptolemaeo praefecto (cf. 2 Mach. 8,8), a Iudaeis deletus est (2 Mach. 8,30-33). Autumno anni 165 a. Chr. Lysias maioribus cum copiis rediit et alia via scil. a meridie per Idumaeam progressus castra posuit Bethsuris (vigesimo ab Hierosolymis milliario prope Hebron) ibique devictus est a Iudaeis numero perquam inferioribus (1 Mach. 4,28-35; pro Idumaea et Bethsuris, quae in graeco leguntur, latina exemplaria habent Iudaeam et Bethoron). Ducibus Antiochi devictis templum hierosolymitanum a Iuda expiatum est; dedicatio templi sollemniter celebrata est die 25. mensis Casleu a. 148 aer. Seleuc. = mense Decembri anni 165 a. Chr., id est : ipso die anniversario, quo ante tres annos altare holocausti ab Antiocho IV. Epiphane (v. ANTIOCHUS 3) profanatum fuerat. Per octo dies festum celebrarunt in modum tabernaculorum ac decreverunt Iudas et fratres eius et universa Ecclesia Israel, ut in posterum quotannis per dies octo a 25. die mensis Casleu encaenia (τὰ ἐγκαίνια Io. 10,22) celebrarentur. Atque haec est institutio festi dedicationis templi, quod 2 Mach. 1,9 etiam vocatur scenopegia mensis Casleu (1 Mach. 4,36-59; 2 Mach. 10,1-8).

Iudas libertatem populi armis victricibus munit (165-163). Primum quidem mons Sion muris turribusque firmatus est, etsi arx ipsa in potestate Syrorum permansit; Bethsur, quae est Iudaeae ianua in confinibus Iuda et Beniamin, communita est contra faciem Idumaeae (1 Mach. 4,60. 61). Dein contra finitimas gentes bella gerens Idumaeos et Ammonitas devicit, Galilaeis oppressis Simonem fratrem auxilio misit, fratres in Galaad angustiis pressos

ipse cum Ionathan fratre contra Timotheum aliosque vexatores defendit, Iudaeos ex Galaad et Galilaea in Iudaeam transtulit, ubi securius degerent; interea vero Ioseph et Azarias a Iuda Hierosolymis relicti, quia proprio Marte Iamniam aggressi erant, a Gorgia devicti sunt (1 Mach. 5; 2 Mach. 10 et 12). Sed etiam Lysias, Antiochi IV. absentis procurator, novo exercitu in Iudaeam irruens a Iuda prope Bethsuram iterum victus fugatusque est; comperta autem morte Antiochi IV. cum Iudaeis pacem composuit (2 Mach. 11; cf. 1 Mach 6,17).

Iudae bella contra Antiochum V. Eupatorem et Demetrium I. Soterem gesta (163-161 a. Chr.). Postquam Lysias Epiphanis filium Eupatorem regem constituit, Iudas praesidium regium in arce hierosolymitana inclusum oppugnavit; hinc novi belli occasio. Syri magno cum exercitu in Palaestinam irruperunt, prope Modin a Iuda impetu nocturno turbati sunt, Bethsuram obsederunt, apud Bethzacharam Iudaeis haud infeliciter restiterunt, montem Sion oppugnarunt. Sed quia Philippus, quem Epiphanes procuratorem regni tutoremque filii nominaverat, thronum occupare conabatur, Eupator (vel potius Lysias) Iudaeis pacem concedere coactus est et ducem Palaestinae constituit Hegemonidem (vide s. v.) quendam; Philippus vero qui Antiochiam occupaverat, facili negotio a Lysia superatus est (1 Mach. 6,17-63; 2 Mach. 13). — Anno 162 a. Chr. Demetrius I. Soter, filius Seleuci IV., Lysia et Eupatore occisis thronum Syriae occupavit. Ab Alcimo, quem Iudaei propter ethnicos mores summo sacerdotio privaverant, incitatus Demetrius Bacchidem misit, ut Palaestinam expugnaret; is vero Iudam vincere non potuit. Eius loco missus est Nicanor, qui duobus proeliis apud Capharsalama et Bethoron devictus est. In memoriam victoriae apud Bethoron reportatae, ubi Nicanor ipse occisus est, institutum est festum pridie Mardochaei dici i. e. die 13. mensis Adar celebrandum. Iudas igitur principatum in Iudaea sibi suisque confirmasse videbatur. Verum ut contra Syros se in tuto collocaret, per legatos foedus cum Romanis iniit, quo et Iudaei et Romani ad mutua auxilia tempore belli praestanda se obstrinxerunt. Simul Romani Demetrio praeceperunt, ne quid contra Iudaeos socios Romanorum moliretur. At Demetrius Nicanoris clade ac morte nuntiata tanta egit celeritate, ut ruina Iudaeis imminceret, antequam Romani intervenire possent. Ingens exercitus Syrorum Bacchide duce in Iudaeam irrupit primo mense anni 152 aer. Seleuc. = mense Aprili a. 161 a. Chr. i. e. uno vel duobus mensibus post cladem Nicanori apud Bethoron inflictam. Bacchides castra posuit apud Beream cum viginti millibus peditum et duobus millibus equitum, Iudas apud Laisam cum tribus millibus virorum electorum. Quia vero multi timore perculsi Iudam reliquerunt, non remanserunt ei nisi octingenti; nihilominus fugere noluit, at in proelio devictus et occisus est. Ionathan et Simon fratres eius eum in sepulcro patrum suorum in civitate Modin sepelierunt (1 Mach. 7,1-9,22).

2. Iudas qui 2 Mach. 1,10 una cum synedrio epistulam scripsisse legitur Aristobulo magistro Ptolemaei regis, est Iudas Machabaeus (vide s. v. ARISTOBOLUS 1), ut iam *Lyranus, Bellarminus* aliique censuerunt, non vero Iudas quidam Essenus, quem Flavius Iosephus (Ant. XIII. 11,2; Bell. iud. I. 3,5) dono prophetiae insignem fuisse tradit.

3. Iudas, filius Calphi, praefectus militiae in exercitu Ionathae Machabaei (1 Mach. 11,70).

4. Iudas, filius Simonis Machabaei et frater Ioannis Hyrcani, in felici pugna cum Cendebaeo prope Modin commissa vulneratus et postmodum dolo occisus in castello Doch una cum altero fratre Mathathia et patre Simone (1 Mach. 16, 2. 9. 14); vide s. v. SIMON 3.

5. Iudas, qui fuit Ioseph, in genealogia Christi Luc. 3,30 recensetur octavus a Davide, hinc circa tempus Ioas regis fuisse dicendus est.

6. Iudas, qui fuit Ioanna, in genealogia Christi Luc. 3,26 recensetur tertius a Zorobabel. De Ioanna cf. HANANIAS 7. Putant aliqui (*Hervey*, Genealogies p. 118 ss.) hunc Iudam esse eundem qui Abiud Matth. 1,13 et Oduia 1 Par. 3,24.

7. Iudas Thaddaeus seu Iudas Iacobi, frater Domini. In catalogis apostolorum apud Matthaeum et Marcum enumeratur simul cum Iacobo Alphaei (Matth. 10,3; Marc. 3.18) solo nomine Thaddaei; a S. Luca vero nominatur Iudas Iacobi post Simonem zeloten (Luc. 6,6; Act. 1,13). Ipse se vocat: Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi (Iud. 1,1). Quare illud quoque « Iudas Iacobi » explicandum est: Iudas frater Iacobi; neque id a lingua graeca alienum est (cf. *Winer*, Grammatik des neutestam. Sprachidioms § 30, 3). Unde Iudas quoque inter fratres Domini recensetur (Matth. 13,55; Marc. 6, 1). Nomen Thaddaei תדאי etiam apud talmudicos reperitur. Pro Thaddaeo Matth. 10,3 fertur etiam, uti S. Augustinus de nonnullis codicibus testatur, Lebbaeus (ita quoque codex Beza, cantabrigiensis D saeculi sexti; 122) et codices sat multi habent : Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος. Nomen explicant a לֵב corde praeditus i. e. fortitudine insignis; qua ratione etiam Thaddaeus (תד i. e. שַׁד mamma) quandoque exponitur. Alii nomen Lebbaei a Lebba oppido Galilaeae maritimo derivare malunt, ut inde oriundus designetur (*Lightfoot* ad Matth. 10,3). Praeter ea quae de omnibus apostolis in evangeliis et Actibus narrantur, nihil certi de Iuda constat. De iis quae a variis traduntur atque de eius epistula, quae est una ex catholicis, vide *Cornely*, Introd. III. p. 650 ss. Immerito distinguunt haud pauci moderni scriptorem epistulae ab apostolo Iuda; eorum rationes vide apud *Cornely* l. c.

8. Iudas Iscariotes. De cognomine Iscariotes vide s. v. In catalogis apostolorum Iudas ultimo loco recensetur et additur : qui et tradidit eum (Matth. 10, 4; Marc. 3,19), qui fuit proditor (Luc. 6, 16). Dubitandum non est quin Iudas cum eligeretur bonus fuerit et quin cum reliquis apostolis fuerit missus ad praedicandum potestate patrandi miracula instructus (Matth. 10,5 ss.; Luc. 9,6). Verum iam uno anno ante passionem Christi fidem veram in Christum abiecerat. Cum enim Petrus nomine aliorum respondisset Christo: verba vitae aeternae habes et nos credidimus et cognovimus quia tu es Christus filius Dei, Iesus reponit, unum ex duodecim esse diabolum, eum esse adversarium et insidiatorem impulsu diaboli agitatum (Ioan. 6,68-72). Iam fide in Christum amissa nihil aliud ex eius consortio spectabat, nisi commodum et utilitatem temporalem; ei inserviebat furtis ex pecunia communi commissis — fur erat et loculos habebat et ea quae mittebantur portabat Ioan. 12,6. — Crescente mala concupiscentia crevit quoque fastidium de Iesu doctrina et societate. Neque eum latuit odium letale quo synedristae Iesum prosequerentur. Amore pecuniae obcaecatus de Christo iam nihil sperari posse ob continuam doctrinam de abnegatione, humilitate sibi persuasit. Quare vitam suam in tuto collocare studens et pecuniam corrogare voluit antequam a Christo recederet et cum principibus in gratiam redire. Cum itaque lucrum illud trecentorum denariorum quod unctione in Bethania perditum vidit (Ioan. 12,5) fur arripere non posset, inspiravit ei Satan offerri iam eximiam opportunitatem et pecuniae acquirendae et favorem synedristarum sibi conciliandi, cum illi quaererent quomodo Iesum caperent. Unde mox post coenam illam in Bethania abiit ad principes sacerdotum et suum consilium enuntians : quid, inquit, vultis mihi dare et ego vobis eum tradam (Matth. 26,15) i. e. si tradam, vel ut tradam. Illi constituerunt ei triginta argenteos. Nam cum iam a synedrio decretum esset, ut si quis nosset ubi Iesus esset indicaret (Ioan. 11,56), ex opinione sacerdotum Iudas, ut quivis alius, tenebatur ad Iesum prodendum; quare ei pecuniam statuunt non pro auctoritate eius quem capere volebant, sed solum pro labore et incommodo Iudae. Evenit Iudae quod solet peccatoribus accidere. Ante scelus minime recogitant, concupiscentia obcaecati, quid ex scelere consequi possit; post scelus autem facile in desperationem propelluntur. Ita Iudas a diabolo instigatus surdus est ad omnes Christi in coena paschali admonitiones, surdus ad gravissima Christi verba : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille, amice ad quid venisti (Matth. 26,24. 50) et prae vehementissimis animi commo-

tionibus ne cogitasse quidem videtur neque ei curae fuit quid ex proditione sequeretur. Sed postea cum cerneret quid tandem effecisset, i. e. cum Iesus traderetur Pilato et ad mortem inferendam procuratori romano sisteretur, desperavit et desperatione obrutus et a sacerdotibus dure et cum opprobrio repulsus laqueo se suspendit (Matth. 27, 3-5). Et praeceps factus πρηνὴς γενόμενος crepuit medius et diffusa sunt omnia viscera eius (Act. 1,18); cecidit itaque postquam se suspenderat, in terram et crepuit medius. Narrationes de morte eius fabulosae feruntur apud Papiam, quas referunt quoque Apollinarius (in Catena graeca, *ed. Cramer,* ad Matth. 27,5), Euthymius, Theophylactus etc..

Movetur quaestio interfueritne Iudas institutioni S. Eucharistiae. Qui affirmant potissimum nituntur narratione Luc. 22,21, ubi scil. statim post verba consecrationis calicis additur : verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa. Attamen hisce res definiri nequit. Nam secundum alios evangelistas verba ea dicta sunt ante institutionem (cf. Matth. 26,21 ; Marc. 14,20 ; Ioan. 13,18 post lotionem pedum). Neque narratio Lucae repugnat. Nam ibi Lucas eum sequitur ordinem, ut referat coenam paschalem, dein institutionem, dein aliqua quae vel ante coenam paschalem vel inter eam et coenaculo relicto dicta et facta sunt. Ita disceptationem discipulorum quis eorum esset maior v. 23 ss. non esse factam post institutionem Eucharistiae, verum vel ante coenam vel ante lotionem pedum plerique sentiunt. Proinde merito etiam v. 21. 22 eodem loco collocari dixeris, praesertim cum id ex aliis synopticis manifestum sit. Accedit quod Ioan. 13,30 Iudas accepta buccella *exivit continuo* i. e. lotione pedum peracta cum Iesus recubuisset iterum quaestione de proditore facta Iesus ei intinctum panem porrexit more patrisfamilias qui aliquem e convivis honorare vult. Proinde porrexit buccellam coena paschali seu manducatione nondum finita. Sed accepta buccella Iudas exivit continuo, ergo ante institutionem Eucharistiae quae non fiebat nisi postquam coenavit (1 Cor. 11,25); ad quam Eucharistiae institutionem quasi inaugurandam mirifice faciunt verba, quae Iesus dixit Iuda egresso : nunc clarificatus est Filius hominis etc. Ioan. 13,31 ss.

Iis quae ex evangelica narratione colliguntur addenda sunt testimonia antiquitatis. Iam enim a Tatiano ita textus sacer est dispositus, ut Iudas ante institutionem abiisse dicatur; S. Ephraem id explicite asserit; idem traditur in Constitutionibus apostolorum (5,14; *M.* 1,873) et a S. Aphraate et a S. Hilario in Matth. et a S. Cyrillo (cf. *Corluy*, Comment. in evang. S. Ioan. *ed.* 2 p. 322; *Cornely,* Introd. II. p. 298; *Knabenbauer*, Comm. in Matth. *ed.* 2 II. p. 447). Praeterea ei sententiae accedunt *Rupertus*, abbas tuitiensis, *Petrus Comestor, Innocentius* III., *Turrianus, Salmeron*, *Barradius, Lamy* et recentiorum plurimi, uti II. cc. exponitur.

Cum narratio evangelica adeo plana sit de moribus Iudae, iure miraberis quod non defuerunt qui Iudam non amore pecuniae Christum tradidisse affirmarent, verum ut eum cogeret tandem aliquando regnum suum fundare; firmiter enim Iudam regnum prospexisse temporale; unde impatienti eius regni exspectatione et desiderio esse impulsum, ut id arriperet quod sibi videretur conducere ad huius regni conditionem; proinde cum evasisse proditorem Iesu non odio instigatum, sed amore Iesu ductum, quem regnum suum quantocius capessere vellet. Unde tristem eius exitum quasi herois tragici esse lamentandum, quippe qui errore veluti fato suo deceptus, cum praeclara moliri vellet, periisset. Verum non opus erit pluribus demonstrari haec fingi non solum gratis, sed frivole et impie.

Iudam interitui aeterno sese addixisse, ex verbis Christi concludendum erit : bonum erat ei, si natus non fuisset. Etenim si quando ad beatitatem caelestem esset perventurus, quam maxime bonum ei esset quia natus esset. Insuper gravia sunt Christi verba : quos dedisti mihi custodivi et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis (Ioan. 17,12); nam : qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum (Ioan. 13,18 Ps. 40,10).

Quaerunt quoque cur Iesus eum elegerit ad apostolatum quem proditorem fore praesciebat. Respondet *Toletus* : posses eadem ratione quaerere, cur Deus creaverit angelos quos sciebat fore daemones, cur fecerit Adam quem sciebat peccaturum etc. Variae porro afferuntur rationes, cur is quoque inter apostolos assumptus sit. Multa utique excogitari possunt et prolata sunt a S. Ambrosio, Augustino, Thoma, Toleto, Sylveira etc. (cf. *Knabenbauer,* Comm. in Matth. *ed.* 2 I. 391-2). Sufficiat dicere rem satis explicari parabolis illis de regno Dei, quibus declaratur partem seminis perire, zizania simul cum tritico crescere, in sagena capi pisces bonos et malos. Iam coetu apostolorum et discipulorum prima nobis exhibetur forma regni Dei, quare haud mirum in ea quoque iam apparere quod malitia hominum et abusu liberi arbitrii a regno Dei hisce in terris constituto nunquam aberit.

9. Iudas Galilaeus (Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος), dux rebellium Iudaeorum in diebus professionis (Vulg.) seu descriptionis, de quo Gamaliel coram synedrio mentionem fecit (Act. 5,37). Descriptio intellegitur non illa prior, de qua Luc. 2,1-5 agitur, sed altera, quam Sulpicius Quirinius legatus Syriae in Iudaea habuit anno 6 vel 7 p. Chr. (*Flav. Ios.* Ant. XVIII. 2,1 : anno 37 aerae Actiacae, quae incipit a Caesaris victoria Actiaca anno 31 a. Chr.). Iudaeorum qui hunc censum impedire conabantur, praecipuus concitator erat Iudas Gaulanites ortus ex oppido Gamala ad orientem lacus Tiberiadis (Ant. XVIII. 1,1), cognominatus Galilaeus (l. c. 1,6; XX. 5, 2; Bell. iud. II. 8,1; 17,8); ratio huius cognominis non ex eo repetenda est, quod Gamala Gaulanitidis ad Galilaeam pertinuerit (*Smith-Fuller,* Dict. of the Bible I. p. 1831[a]), sed ex eo quod ille Iudas ex Galilaea in Iudaeam ad seditionem concitandam perrexit et iam antea in Galilaea seditiosus fuerat; est enim haud dubie idem ille Iudas, qui Herode Magno mortuo coacta profligatorum hominum caterva totam Galilaeam infestaverat, filius Ezechiae latronum praefecti (Ant. XVII. 10,5; Bell. iud. II. 4,1). Iudas igitur et Sadducus quidam Pharisaeus plebem contra legatum Romanorum concitarunt simulatione libertatis ac religionis vindicandae. Seditio quidem reprimebatur et ex verbis Gamalielis Act. 5,37 ipse Iudas hac occasione periit. Verum ex asseclis Iudae orta est nova secta Iudaeorum praeter Essenos, Sadducaeos, Pharisaeos, scilicet Zelotarum, qui ceteroquin cum Pharisaeis sentientes non patienti exspectatione messianicae salutis, sed vi armorum contra hostes agendum esse populo persuadebant. Eorum conatibus merito adscribuntur seditiones subsequentes et magnum bellum sexaginta annis post exardescens. Duo quoque filii Iudae, Iacobus et Simon, insignes zelotes erant et Tiberio Alexandro Iudaeam procurante cruci affixi sunt (Ant. XX. 5,2); alius filius Manahemus erat ex praecipuis ducibus seditionis a. 66 et criminum suorum poenas ipse quoque crudeli supplicio exsolvit (Bell. iud. II. 17,8. 9; Vita 5. 11).

10. Iudas qui Damasci Saulum conversum recepit in domum suam, quae erat in vico, qui vocatur Rectus (Act. 9,11). Designatur via recta (ἡ ῥύμη ἡ καλουμένη εὐθεῖα) urbem intersecans ab oriente occidentem versus, quae hodie quoque appellatur via recta (*Derb el-Mustaqīm*) et in qua haud procul a porta occidentali ostenditur domus Iudae; cf. *Felten* ad h. l. et vide s. v. DAMASCUS 2 (col. 17. 18).

11. Iudas Barsabas v. BARSABAS 2.

IUDEX, IUDICIUM. Tempore patriarcharum munus iudicandi, lites dirimendi, scelera puniendi penes principes vel capita familiarum erat. Ita Iudas nuntio accepto Thamar nurum suam esse fornicatam fert sententiam : producite eam ut comburatur (Gen. 38, 24). Sed cum Israelitae in Aegypto opprimerentur et a magistris operum regerentur et affligerentur (Ex. 1,11), eiusmodi potestas capitum familiarum plane exstincta est vel in oblivionem abiit; nam primo tempore post egressum ex Aegypto solus Moyses munere iudicis fungitur (Ex. 18,13), ad quem populus de mane usque ad vesperam venit quaerens sententiam Dei. Verum suadente Iethro cognato Moyses

e populo elegit chiliarchas, centuriones, quinquagenarios, decanos (qui praeessent viris mille, centum, quinquaginta, decem), qui iudicarent populum omni tempore et res solum graviores ad Moysen referrent (Ex. 18,17-26; Deut. 1,9-15). Hisce praecepit Moyses : audite illos et quod iustum est iudicate, sive cives sit ille, sive peregrinus; nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis ut magnum; nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est (Deut. 1, 16. 17). Quibus verbis simul enuntiatur Deum, utpote regem populi quem peculiari foedere sibi coniunxerat, esse summum iudicem populi aliosque iudices fungi vice Dei, esse quasi instrumenta Dei per quae Deus ferat sententiam. Quare sententia iudicis dicitur sententia Dei, et iudices adire est venire ad Deum (Ex. 22,8 hebr.), et iudices etiam simpliciter Elohim dicuntur (cf. Ex. 21,6; 22,8; Ps. 81,1). Uti iudices hos iussit Moyses res difficiliores ad se referre, ita pariter statuit pro tempore futuro, ut causae graviores iudicarentur in loco quem elegisset Deus a sacerdotibus et a iudice qui esset illo tempore (Deut. 17,8). Atque quae Moyses ordinaverat, sub Iosue etiam permansisse censenda sunt; nam praeter duces etiam iudices nominantur Ios. 8,33 et 23,2 (hebr.) et 24,1. Mortuo Iosue satis magna rerum perturbatio orta est, quae describitur Iud. 17,6 et 21,24 : in diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat. At eo quoque tempore et seniores civitatis et viri illi qui singulari ratione iudices appellantur iudicia exercebant (cf. Iud. 4,4. 5; 1 Reg. 7,15 ss.); praeterea in singulis tribubus מְחֹקְקִים commemorantur (cf. Iud. 5,9. 14). Tempore regum summus iudex censebatur rex (cf. 2 Reg. 14,4; 15,2 ss.); quare munus regium eo quoque nomine designatur : dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum iudicare possit (3 Reg. 3,9 ss.; 4 Reg. 15,5; 2 Par. 1,10) et in palatio Salomonis vestibulum ad iudicia habenda destinatum esse narratur (3 Reg. 7,7). Praeter regem munere ordinario iudicum funguntur seniores et principes (cf. Ier. 26,10. 17); insuper David ex levitis elegit sex millia praepositorum et iudicum (1 Par. 23,4; cf. 26,29) et Iosaphat rex « constituit iudices terrae in cunctis civitatibus Iuda munitis per singula loca... in Ierusalem quoque constituit Iosaphat levitas et sacerdotes et principes familiarum ex Israel, ut iudicium et causam Domini iudicarent habitatoribus eius » (2 Par. 19,5. 8).

Hisce itaque ea videmus observari quae Moyses praescripserat : iudices et magistros (שֹׁטְרִים praepositos) constitues in omnibus portis tuis quas Dominus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut iudicent populum iusto iudicio; non accipies personam nec munera (Deut. 16,18) et ad eiusmodi munus seniores esse eligendos clare quoque indicatur (Deut. 21,19; 22,15; 25,7); summum vero tribunal, ad quod causae graviores deferri debent, constituitur in loco quem elegerit Dominus (Deut. 17,8 ss.).

Tamquam forum ius dicendi assignatur porta urbis (Deut. 21,19; 22,15; Ps. 126,5; Ruth 4,1; Prov. 22,22; 31,23; Am. 5,15 etc.). Iudices iubentur attente audire causam (Deut. 1,16). « Quem iustum esse perspexerint, illi iustitiae palmam dabunt, quem impium condemnabunt impietatis; sin autem eum qui peccavit dignum viderint plagis, prosternent et coram se facient verberari; pro mensura peccati erit et plagarum modus, ita dumtaxat, ut quadragenarium numerum non excedant » (Deut. 25,1-3). Praeter verbera mulcta quoque pecuniaria poterat imponi; aliis sceleribus poena mortis, lapidationis erat proposita (cf. Ex. 22,1 ss.; Lev. 23,14; Num. 15, 36; Deut. 13,9; 17,7; 22,19. 21 ss.). Ad aliquem condemnandum saltem duo testes requirebantur; « nemo occidatur uno contra se dicente testimonium... sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum » (Deut. 17,6; 19,15). Testes sollemni adiuratione obsecrabantur, ut verum dicerent et ut manifestarent quaecumque scirent (cf. Lev. 5,1; Prov. 29,24). Testis qui mendacii erat convictus ea poena erat affligendus

quam alteri suo falso testimonio irrogari voluit (Deut. 19,16-21). Qui innocens erat accusatus vel in quem suspicio criminis ceciderat, poterat se iuramento purgare; cf. Ex. 22,8. 11. Quandoque etiam sorte inquirebatur reus; vide Ios. 7,14; 1 Reg. 14,41; nam sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur Prov. 16,33 cf. 18,18; talis modus adhibebatur, si mulier adulterii suspicionem incurrit, uti lege zelotypiae exponitur Num. 5, 12-31. Iudicibus quam maxime commendatur, ut viduarum et pupillorum iura tueantur; cf. Deut. 24,17; 27,19; Is. 1,17; Ier. 7,6; 22,3.

Verum praecepta iudicibus data saepe esse neglecta, multis illis prophetarum querelis et reprehensionibus abunde monstratur : principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones; pupillo non iudicant et causa viduae non ingreditur ad illos (Is. 1,23); qui iustificatis impium pro muneribus et iustitiam iusti aufertis ab eo (Is. 5,23; cf. 10,1. 2); causam viduae non iudicaverunt, causam pupilli non direxerunt et iudicium pauperum non iudicaverunt (Ier. 5,28; cf. Ez. 22,7; Am. 5,12; 6,13); principes eius in muneribus iudicabant(Mich. 3,11; 7,3; Mal. 3,5 etc.).

Exsules quoque Iudaei in Babylonia suis utebantur iudicibus. Fortasse iudices isti a rege babylonico designabantur, uti Iudaeis in Palaestina relictis Godolias Iudaeus a rege erat praefectus. Generatim enim apud veteres non erat moris rerum omnium administrationem una eademque norma continere, sed plerumque gentibus subiectis propriae leges ac consuetudines relinquebantur. Quare plane immerito ab aliquibus in dubium revocatur quod Dan. 13,5 narratur : « et constituti sunt de populo duo senes iudices, et veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia »; et in historia Susannae specimen quoddam iudicii nobis praebetur.

Eodemque modo reduces ex exsilio iudices ex sua gente habebant. Nam Artaxerxes rex Esdrae inter alia concessit decreto scripto : tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui quae est in manu tua constitue iudices et praesides, ut iudicent omni populo qui est trans flumen (scil. Euphraten; Esdr. 7,25; cf. 10,14). Tamquam legem a Moyse latam Flavius Iosephus refert : qualibet in urbe praesint septem viri et in virtute et in studio iusti exercitati; unicuique autem magistratui tribuantur duo ministri e tribu levitica (Ant. IV. 8,14); insuper narrat quomodo ipse per singulas civitates minorum litium iudices instituerit et graviora negotia causasque capitales ad se et septuaginta viros remitti iusserit (Bell. iud. II. 20,5). Unde colligendum videtur in more positum fuisse apud Iudaeos, ut in singulis civitatibus collegium iudicum haberetur, ad quod septem ex senioribus et probis viris eligebantur. Atque iudices in civitatibus esse constitutos, etiam in narrationibus evangelicis supponitur; cf. Matth. 5,22; 10,17; Marc. 13,9; Luc. 12,14; 18,2. In tractatu Sanhedrin dicitur iudicia pecuniaria, de rapinis et laesione, de restitutione, de vi et seductione fieri a tribus; pro oppidis incolarum 120 vel secundum alios 230 constituendum esse collegium iudicum viginti trium (cf. *Surenhusius* IV. p. 207. 214; *Ugolini,* Thes. XXV. p. 2. 4). Verum nemo ignorat minime fidem esse adhibendam omnibus iis quae in tractatibus talmudicis narrantur. Res autem graviores et ea de quibus iudices minores civitatum inter se non consentiebant referri debebant ad synedrium in Ierusalem constitutum, quod ex 71 assessoribus constabat, scribis scil. seu legis peritis, sacerdotibus e pontificum familiis et senioribus (cf. Marc. 14,53). Eius synedrii potestas etiam extra Iudaeam agnoscebatur, uti patet Act. 9,2 et 22,5 et 26,12, cum Saulus ab eo accipiebat epistulas, quibus Iudaei damasceni iubebantur Christianos vinctos ei tradere. Sed ius gladii synedrio a Romanis erat ablatum (cf. Ioan. 18,31).

Verbum iudicii praeter notionem usitatam alias quoque in Vulgata induit significationes, uti hebr. מִשְׁפָּט; ita dicit potestatem iudicandi, regendi, dominandi; cf. Ez. 21,27; Apoc. 20,4; pariter decreta Dei, leges et praecepta appellantur iudicia; item ius, id quod

rectum et iustum est, quod proinde normae iuris et iustitiae, normae legis conforme est; unde facere iudicium, quaerere iudicium etc. ex contextu explicari oportet, utrum de actu iudiciali, an de observatione recti iustique sit accipiendum vel de norma rebus congrua et apta. Unde vox hebraea saepius morem, consuetudinem, ritum designat et in Vulgata etiam plerumque iis verbis vel similibus redditur (Lev. 5,10 alterum adolebit in holocaustum, ut fieri solet; cf. 3 Reg. 18,28; 4 Reg. 11,14; 17,33); retinetur vox iudicii Ps. 118, 132 : miserere mei secundum iudicium diligentium nomen tuum i. e. ex hebr. uti misereri soles diligentium nomen tuum. — Pectorale summi sacerdotis vocatur rationale iudicii, ubi iudicium refertur ad sententiam Dei exquirendam a pontifice per Urim et Thummim quae in illo pectorali recondebantur (cf. Ex. 28,30).

I. KNABENBAUER.

IUDI (יְהוּדִי, Ἰουδί), filius Nathaniae, per quem principes Ierusalem Baruch ad se arcessiverunt, ut sibi afferret volumen sermonum Ieremiae, uti Ier. 36,14 narratur. Idem vir Iudi etiam legit volumen coram principibus et rege Ioakim Ier. 36,21. 23. Cum nomen viri hebraeum significet Iudaeum, putant aliqui nomen non esse proprium sed appellativum, eumque vocari Iudaeum quia ex progenitoribus cushitis descendens generatione tertia (filius erat Nathaniae filii Selemiae filii Chusi i. e. Cushitae?) Iudaeus sit effectus; cf. Deut. 23,9. Vide s. v. CHUSI 3.

IUDICIUM UNIVERSALE. Deum iustum iudicem non solum singulis redditurum esse secundum opera, sed etiam actione quadam de universo genere humano in unum collecto sententiam iudicialem laturum esse, docemur explicite verbis Christi. Eius iudicii indicium quoddam cernitur iam apud Danielem : et multi de his qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam et alii in opprobrium, ut videant semper (Dan. 12,2). Idque Christus explicat; sibi potestatem datam esse a Patre « iudicium facere; et venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii » (Ioan. 5,27-29). Quod iudicium clarius describitur Matth. 25,31-46; veniet Iesus in maiestate et angeli cum eo, et congregabuntur ante eum omnes et separabit eos ab invicem, oves a dextris suis, hoedos a sinistris; utrisque opera et quae inde meriti sint, sententia iudiciali annuntiat.

Idem praedicant apostoli : statuit Deus diem, in quo iudicaturus est orbem in aequitate in viro in quo statuit fidem praebens omnibus suscitans eum a mortuis (Act. 17,31). Christus iudicaturus est vivos et mortuos (2 Tim. 4,1); reddent rationem ei qui iudicaturus est vivos et mortuos (1 Petr. 4,5). Vocatur hoc iudicium dies Domini, qui in igne revelabitur quo opera cuiusvis probentur (1 Cor. 3,13); vocatur revelatio Domini Iesu de caelo cum angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis qui non noverunt Deum et qui non obediunt evangelio (2 Thess. 1,7. 8). Signa quibus adventus eius ad iudicium indicatur, exponuntur Matth. 24,29. 30; Marc. 13, 24; Luc. 21,25 in maxima quadam mundi machinae perturbatione : sol obscurabitur et luna, virtutes caelorum commovebuntur, stellae cadent de caelo, signum Filii hominis parebit in caelo. Effectus eius iudicii est : ibunt iusti in vitam aeternam, peccatores in supplicium aeternum (Matth. 25,46), et caeli magno impetu transient, elementa calore solventur, terra autem et opera in ea exurentur; novos vero caelos et novam terram exspectamus (2 Petr. 3,10. 13).

IUDICUM AEVUM. Iudicum (שופטים, κριταί) liber in canone V. T. librum Iosue consequitur, praecedit vero apud Hebraeos librum 1 Sam., in LXX et Vulgata librum Ruth. Nomen inde habet, quod fere totus, scil. cap. 1-16, eorum virorum acta enarret, qui iudices vocantur. Quibus actis cap. 17-21 accedunt narrationes duae, de idolo Michae et de scelere Gabaitarum, quae locum habuerunt ante iudicum acta, circa tempus mortis Iosue. Iudicum autem acta oratio sunt e variis historia-

rum documentis consilio et arte confecta eamque demonstrans veritatem, ubi Israelitae a cultu Iahwe ad gentilium idola deficerent, consuevisse Iahwen eos gentilibus permittere opprimendos; ubi ad poenitentiam converterentur, eos per iudices liberasse.

Seniores apud Hebraeos vel ante Moysen erant Ex. 3,16. Demortuis Moyse et Iosue, quorum auctoritas inter Hebraeos suprema fuerat, summa rerum penes seniores fuisse videtur. Erant iidem etiam *iudices* et civium causas dirimebant in porta civitatis : cum Ruth 4,2 cf. Deut. 16,18; 17,8; item Dan. 13,5. Quae rerum administrandarum ratio tota et unice ex familiae ratione credenda est effloruisse. Seniores ipsa erant familiarum capita, quibus utique quandoque accensebantur aliqui sapientia vel fortitudine insignes. Nulla erant publica munera, non aerarium, non vectigalia, non exercitus. Si hostis ingrueret, quae arma prae manibus erant, prehendebat quisque, ipsa familiarum capita duces erant, annonam quisque providebat, iudices iidem erant belli duces, ars bellica aut violentia constabat aut insidiis. Neque raro tamen ob aliquorum desidiam dilabebantur omnia, populusque pugnae incertae praeferebat tributum annuum hostibus ex condicto pendendum. Iudicum igitur institutum de se gravibus rei publicae periculis par nequaquam exstitit; tamen populo in extremum discrimen vocato Deoque specialius providente, insignes illos viros produxit, quorum acta liber Iudicum enarrat.

Tres ipse liber distinguit epochas, quae sollemni aliquo divino eloquio singulae ordiuntur : 2,1-5; 6,8-10; 10, 11-14. Aliquorum iudicum sola fere nomina recensentur, aliorum acta fusius narrantur et primum quidem Israelitae a gente aliqua ethnica in poenam peccatorum subacti, dein iidem a iudice liberati. Habetur igitur

Iud.	3,8 servitus Chusan	annis	8
—	3,11 requies per *Othonielem* obtenta	—	40
—	3,14 servitus moabitica	—	18
—	3,30 requies per *Aod* obtenta	—	80
—	4,3 servitus Chananaeorum	—	20
—	5,31 requies per *Debboram* obtenta	—	40
—	6,1 servitus madianitica	—	7
—	8,28 requies per *Gedeonem* obtenta	—	40
—	9,22 Abimelechi tyrannis	—	3
—	10,2 *Thola*	—	23
—	10,3 *Iair*	—	22
—	10,8 servitus ammonitica	—	18
—	12,7 *Iephtae* principatus	—	6
—	12,9 *Abesan*	—	7
—	12,11 *Ahialon*	—	10
—	12,14 *Abdon*	—	8
—	13,1 servitus philisthaica, includens etiam annos 20 *Samsonis*	—	40

Singuli iudices non sunt censendi toti Israeli praefuisse. Othoniel ubi pugnaverit quibusve sociis, non constat; fortasse solis tribubus Iuda et Simeon praeerat. Aod, quo tempore tribus Beniamin vix non erat exstincta (Iud. 21), Ephraimitas ad bellum vocavit (3,27). Inter tribus 5,14 ss. a Debbora enumerantur expeditionis sociae, certe desiderantur Iuda et Simeon. Gedeon 6,35 vocat Manassen, Aser, Zabulon, Nephthali; Ephraimitis 8,1-3 non imperabat, regiam dignitatem 8,23 fortasse eorum imprimis reverentia recusavit. Iephthen sequuntur Manassaei transiordanici 11, 29, fortasse etiam Ruben et Gad. Ephrai-

mitae 13,2 vocati non praebuerunt auxilium, postea proelio fusi sunt; sed nulla est ratio affirmandi aut Iephten post illud proelium illos subegisse, aut illos sponte ei obsecutos esse. Videntur tempore Gedeonis et Iephte Ephraimitae et Manassaei invicem fuisse infensi, sane quod illi post Iosuen sibi primatum domus Ioseph vindicarent, dum hi origine gloriarentur e filio Ioseph primogenito. Samson ne ipsis quidem Danitis imperasse legitur, solus pugnabat.

Sed, si singuli iudices non toti Israeli imperabant, singulaque illa bella non omnium erant tribuum, tum neque ex annis supra descriptis certa atque continua confingi potest chronologia. Potuerunt eorum bellorum aliqua a quibusdam tribubus eodem fere tempore geri, quo apud alias « requies » praecedente victoria comparata perdurabat. Certa chronologia ideo etiam confingi nequit, quod plures numeri tradantur « rotundi » (40, 80, 20, 40, 40, 20) i. e. plus minusve accurati. Unus in Iudicum libro numerus legitur, qui temporibus quidem Pentateuchi nectitur, sed et ipse « rotundus » est : 11,26 Iephte a tempore occupatae a Moyse Hesebonis usque ad sua tempora 300 effluxisse annos affirmat.

Cultum divinum iudicum aevo fuisse substantialiter eundem, qualis a Moyse fuerat institutus, imprimis demonstrat narrationis pars antiquissima Iud. 17-21. Habes 20,27 ss. arcam et Phineen, Aaronis nepotem, pontificem (cf. 18,31), habes Moysen 18,30. Levitarum excellentiam confirmat narratio 17 ss. In actis Iud. 3-16 nulla erat occasio faciendae mentionis eorumdem sacrorum; sed narrationem libri Num. explicite appellat Iud. 11. Fuerunt utique aliqua iudicum aevo contra legem acta : sacerdotium a levita attentatum, idola Michae, idololatria Sichemitarum, sacrificium humanum Iephte. Haec legem mosaicam tum non exstitisse tam parum efficiunt, atque infanda quaedam inter christianos commissa scelera demonstrant religionem christianam esse figmentum.

Iudicum aevo erant utique Hebraeorum res tam religiosae quam civiles minus florentes. Erat illud tempus transitionis, quod rerum meliorum suggerebat desiderium. Terra promissa gradatim subigebatur, ab hostibus invadebatur, ab Hebraeis rursum liberabatur. Ubique bella et tribuum invidiae, vix quidquam certum aut stabile. « Sermo Dei erat rarus in diebus illis » (1 Reg. 1,3), « et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses » (Deut. 34,10). Ex altera autem parte « in diebus illis non erat rex in Israel » (Iud. 17,6; 18,1. 31; 21,24). Volebat Deus, ut haec instituta eo ardentius primum expeterentur, quo religiosius postea observarentur. — Cf. 1 Reg. 12; 2 Reg. 7,11; 4 Reg. 23,22; 1 Par. 17,6. 10; Eccli. 46, 11 ss.; Hebr. 11,32 ss.

IUDITH. 1. Iudith (יְהוּדִית, Ἰουδίθ), filia Beeri Hethaei (Gen. 26,34). Eadem vocatur Oolibama Gen. 36,2. 5. 14. 18. Vide s. v. ANA 2 in vol. I. col. 237. 238 et cf. *Cornely*, Introd. *ed.* 2 II. 1 p. 123-4; *F. de Hummelauer,* Comm. in Gen. p. 518-9.

2. Iudith (Ἰουδίθ), celebris illa vidua, quae occiso Holoferne Bethuliam ab Assyriis obsessam liberavit, cuius res gestae ex solo libro eius nomine inscripto innotescunt. Erat (Iudith 8,1) filia Merari, filii Idox, filii Ioseph, filii Oziae, filii Elai, filii Iamnor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiae, filii Enan, filii Nathaniae, filii Salathiel (Σαλαμιήλ), filii Simeon, filii Ruben (Ἰσραήλ). Salamiel (ita pro Salathiel Vulgatae legendum) erat filius Surisaddai et princeps tribus Simeon (Num. 1, 6; 2,12; 7,36. 41; 10,19). Dubium non est quin loco Ruben legendum sit Israel cum codd. ℵ, B, versione syriaca (Itala habet : filii Symeon, filii Ruben, filii Israel). Erat igitur Iudith ex tribu Simeon (cf. Iudith 9,2), sicuti etiam eius vir Manasses secundum textum graecum 8,2 : τῆς φυλῆς αὐτῆς καὶ τῆς πατριᾶς αὐτῆς.

De historia Iudith cf. *Montfaucon,* La vérité de l'histoire de Judith, Paris 1690; *Nickes,* De libro Iudithae p. 16 ss.; *Robiou,* Deux questions de chronologie et d'histoire éclaircies par les annales d'Assurbanipal in Revue archéol., nouv. sér. XXX. 1875 p. 23 ss. 80-82; *Delattre,* Le peuple et l'empire des Mèdes, in Mémoires de l'Académie

de Bruxelles XLV. 1883 p. 148 ss.; *id.* Le livre de Judith, Paris 1884; *Palmieri*, De veritate historia libri Judith, Gulpen 1886; *Neteler*, Untersuch. d. gesch. u. d. kanon. Geltung des Buches Judith, Münster 1886; *Brunengo*, Il Nabucodonosor di Giuditta, Roma 1888; *Riessler*, Chronol. Fixirung der Heldenthat Judiths, in periodico Katholik 1894 II. p. 1 ss.; *Fl. de Moor*, Le livre de Iudith 1895; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. 99-131.

Allegorice narrationem libri Iudith interpretatus est imprimis *H. Grotius* (Opp. ed. Basil. 1732 I. p. 578). Simili ratione eam concipiunt *J. Jahn* (Einleitung p. 919), *Movers* (Bonn. Zeitschr. f. Philos. u. Theol. XIII. p. 47 s.), *Fr. Lenormant* (Lettres assyriol. I. p. 72; La divination chez les Chaldéens p. 183 s.).

Allegorico-propheticam esse narrationem censet *Ant. Scholz* (D. B. Judith eine Prophetie 1885; Commentar z. B. Judith 1887 et 1896).

IUGALIS bis occurrit in Vulgata pro iugo equorum (רֶכֶב 2 Reg. 8,4) vel boum aliorumve iumentorum (צֶמֶד Ier. 51,23).

IUGUM. Uti hodie, ita olim in Palaestina iugum animalibus impositum lignum vel tignum est transversarium, quod cervici iumenti imponitur et fune sub collo firmatur et temoni connectitur. Eius descriptionem et figuram vide v. g. in Zeitschrift d. D. Pal.-Ver. IX. p. 28; XII. p. 159. Vacca rufa quae non portaverit iugum requirebatur ad parandam aquam lustrationis Num. 19,2; cf. Deut. 21,3; vaccae quae non portaverant iugum seliguntur ad arcam vehendam 1 Reg. 6,7. Frequentissime iugum sensu translato dicitur de servitute, oppressione; ita iugum ferreum Deut. 28,48; durissimum, gravissimum 3 Reg. 21,4 ss.; iugum oneris Is. 9,4; unde iugum confringere idem est ac se dominio et obedientiae alicuius subtrahere Ier. 2, 20 et vide actionem symbolicam Ier. 28, 2 ss. Christus quoque ait : tollite iugum meum super vos; sed addit : iugum meum suave Matth. 11,29. 30.

IULIA (Iulias?) Rom. 16,15 : salutate Philologum et Ἰουλίαν. Quaerunt sitne Iulia, nomen mulieris, vel Iulias, nomen viri. Sed cum l. c. sequatur : salutate Nereum et sororem eius, communiter nomen feminae, fortasse uxoris Philologi explicant.

IULIUS (Ἰούλιος), centurio cohortis Augustae (σπείρης Σεβαστῆς); est scil. Augusta appellatio honorifica quae copiis auxiliaribus indebatur. Ita in inscriptionibus invenitur : ala augusta ob virtutem appellata. Huic centurioni Paulus, qui Caesareae captivus fuerat, traditus est, cum in Italiam esset navigandum Act. 27,1. Hic Paulum benigne habuit eique Sidone permisit ad amicos ire et curam sui agere 27,3. Et cum venisset Lystram quae est Lyciae, centurio captivos et Paulum in navem alexandrinam navigantem in Italiam transposuit 27,6. Cum centurio Paulo suadenti ne tolleret a Creta non obsequeretur, evenit quod Paulus praedixerat; multis periculis obiiciebantur; naufragio facto milites captivos volebant occidere ne quis cum enatasset effugeret; centurio autem volens servare Paulum prohibuit fieri Act. 27,7-42.

IUMENTUM explicantur in Vulgata varia nomina hebraica בְּהֵמָה, בְּעִיר, חֲמוֹר, מִקְנֶה, צֹאן, רֶכֶשׁ et graecum κτῆνος. De singulis v. ANIMALIA, ASINUS, BOS, EQUUS, MULUS, OVIS.

IUNCUS dicitur a S. Hieronymo imprimis hebr. סִיף Is. 19,6, quod alibi *carectum* (Ex. 2,3), *papyrio* (ib. v. 5), *pelagus* (Ion. 2,6) explicat. Ex verbis S. Scripturae duae familiae plantarum nomine hebraico videntur designari : nam in oratione Ionae in profundum maris demersi « pelagus (*sūf*) operuit caput meum » manifeste plantae marinae, quas *algas* appellamus, intellegendae sunt; quarum genera plurima in mari Mediterraneo crescentia hic enumerare longum est, neque ipsum nomen magis uni quam alteri videtur convenire. In textu vero Exodi, ubi fiscella papyracea cum infantulo Moyse « in carecto (*sūf*) ripae fluminis » exposita legitur, et in prophetia Isaiae contra Aegyptum, cui vates minatur quod deficientibus aquis fluvii « calamus et iuncus (*sūf*) marcescet », de algis in mari tantum provenientibus sermo esse nequit, sed plantae variae in ripis fluminum, ac maxime

Nili, crescentes intellegendae sunt. Ad quas iuncus certe pertinet, sed praeter ipsum etiam alia varia plantarum genera, quibus pariter nomen *sūf* competit.

A plantis istis marinis etiam mare Rubrum nomen hebraicum יַם־סוּף (Ex. 10, 19; 13,18 etc.) accepit. Ex variis autem algarum generibus in sinu arabico ingens copia observatur; quare *M. Jullien* aliique praesertim ex hoc genere nomen illud derivant atque inde simul appellationem « maris *rubri* » explicant, quia istae algae aquis et litori rubrum quemdam colorem tribuunt (v. MARE RUBRUM).

Cf. *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 169 s.; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 215 s.; *O. Celsius*, Hierobot. II. 64-9; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1, 187-9; *P. Cultrera*, Flora bibl. 160 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 435 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 226; *J. Smith*, Bible Plants 41 s.; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen p. 54; *W. G. Groser*, Trees and plants ment. in the Bible 158 s. — Nomen *sūf* recentiores ab aegyptiaco *twfi* derivant; cf. auctores cit. ap. *Gesenius-Buhl*, Handwbch. *ed.* 14, 489 b.

Iuncus praeterea semel dicitur in Vulgata hebr. גֹּמֶא (Is. 35,7), qui alibi (Is. 18,2) melius papyrus explicatur. V. PAPYRUS.

L. FONCK.

IUNIAS Rom. 16,7 : salutate Andronicum et Iuniam, cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis (ἐπίσημοι i. e. optima fama noti apud Apostolos) qui et ante me fuerunt in Christo. Aliqui veterum (etiam *S. Chrysostomus*, *M.* 60,670) Iuniam mulierem esse volunt, uxorem aut sororem Andronici; verum plerique nomen explicant de viro : Iunias i. e. Iunianus; et recte quidem propter ea quae l. c. de ambobus apostolus narrat. Cf. s. v. ANDRONICUS 3.

IUNIPERUS dicitur in Vulgata frutex hebraico nomine רֹתֶם vocatus, sub quo Elias fugiens in deserto sedisse scribitur 3 Reg. 19,4 s. Etiam in libro Iob de eodem frutice legimus : « radix iuniperorum erat cibus eorum », hominum scil. miserrimorum (Iob 30,4), et in Psalmis carbones *rothem* commemorantur in descriptione linguae iniquae (Ps. 119[120], 4. Vulg. *carbones desolatorii*). Iuniperi licet etiam in deserto crescant, tamen potius nomine עַרְעָר videntur designari, quo usque nunc ab Arabibus appellantur (v. MYRICA). Alia vero arbuscula in deserto australi inter Palaestinam et Aegyptum frequentissima ab iisdem incolis eodem prorsus nomine *retem* dicitur, unde et denominationem scientificam *Retama roetam* Forskal (fam. *Leguminosae*) accepit. Tria fere metra alta, quamquam paucis ac tenuibus foliis instructa sit, ramis tamen multis ac densis iucundam umbram viatoribus in deserto praebet. Quare historiae Eliae optime convenit. Ex radicibus vero et trunco huius fruticis Arabes optimos praeparant carbones, quos in mercatu kahirico Aegyptiis vendunt; unde et textui Psalmi bene congruit. Denique radices eius, licet amarissimas, in extrema tamen penuria miseris cibum praebere, prout radices plurium plantarum eiusdem familiae Leguminosarum, haud improbabile videtur, neque opus est, ut cum Ursino *rapum* seu *orobanchen* in radicibus crescentem intellegamus aut cum *Oedmanno* et *Gesenio* verba Iobi tantum de cibo *ignis* interpretemur.

Iuniperi species, praeterquam nomine עַרְעָר, etiam voce אֶרֶז in aliquibus S. Scripturae textibus probabiliter intellegi monuimus s. v. CEDRUS.

Cf. *I. H. Ursinus*, Arb. bibl. 355-61; *M. Hiller*, Hierophyt. I. 253-7; *O. Celsius*, Hierobot. I. 246-50; *Chr. Clewberg*, *De* רתם arbore, sub qua Elias profugus recubuisse legitur, Upsaliae 1758; *Sam. Oedmann*, Verm. Samml. II. 161-72; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 1,120-3; *W. Gesenius*, Thesaurus 1317; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible, ed nova, 119 s.; *P. Cultrera*, Flora Bibl. 412 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 359 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9, 213 s.; *J. Smith*, Bible Plants 133-5; *E. Boissier*, Flora orient. II. 36 s.; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 313; *M. Jullien*, L'Égypte, Lille 1891, 276 s.; *id.* Sinai et Syrie, ib. 1893, 83; *W. H. Groser*, Trees and plants ment. in the Bible 61-3; *G. E. Post*, Flora of Syria 215.

L. FONCK.

IUPITER (Ζεύς). Antiochus Epiphanes senem quendam Atheniensem (gr.; Vulgata : Antiochenum) in urbem Ierusalem misit qui Iudaeos ad defectionem a lege paterna compelleret et templum in urbe Iovi dedicaret Olympio, templum in Garizim Iovi hospitali i. e. protectori hospitum et peregrinorum 2 Mach. 6,2. Cum Paulus Lystris claudum sanasset, Lystrenses deos ad se descendisse putabant et Barnabam quidem Iovem vocabant, Paulum vero, utpote ducem verbi, Mercurium Act. 14,11. Quod in Vulg. habetur Act. 19,35 : quis nesciat Ephesiorum civitatem cultricem esse magnae Dianae Iovisque prolis, explica ex graeco : νεωκόρον οὖσαν... καὶ τοῦ διοπετοῦς; cultricem esse Dianae et simulacri (Dianae) caelitus delapsi; τὸ διοπετές scil. ἄγαλμα.

IURAMENTI PUTEUS v. BERSABEE.

IURARE, IURAMENTUM, IUSIURANDUM. Iam tempore patriarcharum iuramentum adhibebatur ad rem aliquam sollemniore modo affirmandam vel ad promissionem confirmandam. Ita Abraham coram rege Sodomorum iurat : levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem caeli et terrae, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus quae tua sunt (Gen. 14,22. 23); unde discimus iuramentum quandoque factum esse manibus ad caelum elevatis. Item iurat Abraham rogatus ab Abimelech : iura per Deum ne noceas mihi et posteris meis (Gen. 21,23). Et a servo postulat iuramentum : pone manum tuam subter femur meum, ut adiurem te per Dominum Deum caeli et terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananaeorum (Gen. 24,3) et simili ritu Iacob postulat iuramentum a Ioseph (Gen. 47,29) quo ritu adiuratio fit vel per sanctitatem circumcisionis i. e signi foederis cum Deo initi vel ita ut posteri (qui ex femore egrediuntur) iuramenti testes et vindices quasi statuantur. Iacob postulat iuramentum ab Esau, ut sibi vendat primogenita (Gen. 25,33); Isaac iurat regi Philisthiim et iuramento foedus inter se ineunt (Gen. 26,28 ss.); Iacob iurat coram Laban (Gen. 31,53), Ioseph sub attestatione iurisiurandi denuntiavit fratribus : non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis et iuramentum ab eis exigit, ut ossa sua asportentur in terram Chanaan (Gen. 43, 3; 50,24).

Etiam lege mosaica iuramentum sancitum est : non assumes nomen Domini Dei tui in vanum (Ex. 20,7); non periurabis in nomine meo (Lev. 19,12), Dominum Deum tuum timebis... iurabisque in nomine illius (Deut. 10,20; 6,13). Iuramento praestito coram iudicibus poterat et debebat quis suspicionem furti a se depellere Ex. 22,8 ss. Iuramento per Deum cultus Dei exercetur; unde Iudaei quandoque designantur : iurantes in nomine Domini (Is. 48,1; Ier. 4,2; Soph. 1,5). Per deos alienos iurare gravissime reprehenditur Ier. 5,7; 12,16; Soph. 1,5; a qua idololatria ut caverent iam Iosue monuit 23,7, revocans in memoriam quod Moyses praeceperat : per nomen externorum deorum non iurabitis Ex. 23,13. Quam religiose viri pii iuramentum custodierint, exempla sunt quae Ios. 2, 12 ss.; 6,22; 9,19 narrantur. Iuramento sanciebantur foedera et eodem modo etiam instauratio foederis cum Deo confirmari solebat (cf. 2 Par. 15,14; Esdr. 10,5; Neh. 5,12; 13,25).

Modus iurandi varius erat : Deus testis inter me et te (Gen. 31,50 hebr.); vivit Dominus (Iud. 8,19; Ruth 3,13; 2 Reg. 2,27; Ier. 38,16 etc.); sit Dominus inter nos testis veritatis et fidei (Ier. 42, 5). Iuramentum etiam quasi confirmabatur addita exsecratione sui ipsius : haec mihi faciat Deus et haec addat, si non etc., ubi religione quadam ipsa maledictio non enuntiatur clarius; cf. Ruth 1,17; 1 Reg. 3,17; 14,44; 25,22; 2 Reg. 3,9; 19,13 etc.; quandoque ipsae maledictiones proferebantur Iob 31,8 ss. cf. Num. 5,21 vel aliorum adversitates quis imprecabatur sibi vel alteri; cf. Is. 65,15 dimittetis nomen vestrum in iuramentum; Ier. 42,18; 42,12; sicut de Petro quoque narratur : coepit detestari et iurare, anathematizare et iurare, quia non novisset hominem (Matth. 26,74; Marc. 14,71). Ritus iurandi usitatus consistebat in elevatione manus vel manuum ad caelum; cf. Gen. 14,22; Deut. 32,40;

Is. 62,8; Dan. 12,7; Apoc. 10,5. 6; quare levare manum saepius idem est ac iurare; cf. Ex. 6,8; Num. 14,30; Ez. 20,5 etc. Iuramentum quod fiebat coram Domino in sanctuario (2 Par. 6,22) vel voce magna in iubilo et in clangore tubae et in sonitu buccinae (2 Par. 15,14) vel oblatis sacrificiis (Gen. 31,53) ea sollemnitate reddebatur magis sacrum et inviolabile.

Ceterum praecipitur : si quis virorum votum Domino voverit aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit Num. 30,3; laudatur is qui iurat proximo suo et non decipit Ps. 14,4 (vel ut alii hebr. explicant : qui iurat ad damnum suum et non mutat) et qui non iuravit in dolo proximo suo (Ps. 23,4). Sapiens autem sapienter monet : iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa... vir multum iurans implebitur iniquitate Eccli. 23,9. 12; cf. 27,15.

Haud raro Deus quoque iurasse dicitur : per memetipsum iuravi, quia fecisti hanc rem..., benedicam tibi (Gen. 22, 16); ita Deus iuravit patriarchis se illis daturum terram Chanaan (Gen. 24,7; 50,23; Ex. 13,5. 11; 32,13; Num. 11,12; 14,16; Deut. 1,8 etc.); ita Deus dicitur iurasse Davidi 2 Reg. 3,9; Ps. 88,4. 36. 50; cf. Ps. 109,4; Is. 45,23; Ier. 22,5; 51,14 : iuravit Dominus per animam suam, cf. Am. 6,8. Quid hic iurandi modus significet, docet apostolus : abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui interposuit iusiurandum, ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus (Hebr. 6,17. 18).

Sollemnis quaedam asseveratio etiam fieri solebat per vitam illius ad quem sermo dirigebatur. Ita Abner dicit ad Saul : vivit anima tua rex, si novi 1 Reg. 17,55; vel Urias ad David : per salutem tuam et per salutem animae tuae non faciam rem hanc 2 Reg. 11,11; cf. 14,19; similiter Ioseph dicit loquens ad fratres : per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus Gen. 42,15. Quandoque huic modo adiungitur iuramentum per Deum; ita David ad Ionathan : vivit Dominus et vivit anima tua, quia uno tantum gradu ego morsque dividimur 1 Reg. 20,3; cf. 25,26, et Eliseus ad Eliam : vivit Dominus et vivit anima tua, quia non derelinquam te 4 Reg. 2,2. 4. 6; cf. 4,30.

Praeceptum erat : iurabis : vivit Dominus, in veritate et in iudicio et iustitia (Ier. 4,2); at uti alia Dei mandata violabantur, ita hoc quoque; Ieremias inter reliqua aequalium vitia etiam recenset iurare mendaciter 7,9 et 5,20 quod si etiam vivit Dominus dixerint, et hoc falso iurabunt; cf. Eccle. 9,2; Zach. 5,3; Mal. 3,5. Poena quaedam peieranti non erat lege statuta; at is poenam divinam non effugiet : « neque enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra » (לַשָּׁוְא in vanum, in mendacium); cf. Deut. 5,11; periurio enim nomen Dei polluitur (Lev. 19,11) idque Deus odio habet (Zach. 8,17). Pro periurio in quibusdam conditionibus certa quaedam statuebantur sacrificia (Lev. 5,1 ss.; 6, 2 ss.). Praescribebatur iusiurandum, si quod alicui commendatum fuerat periisset et testis nullus illius innocentiam testari posset (Ex. 22,10), si eo modo crimen alioquin occultum poterat reddi manifestum (Lev. 5,1).

Quantopere Pharisaei et scribae acutis ineptiis nocuerint sanctitati iuramenti, abunde ex evangeliis constat. Cum enim dicatur : reddes Domino iuramenta tua (cf. Matth. 5,33; Num. 30,3; Deut. 23,21), asserebant illa iuramenta quae non per Dominum, per nomen Iahwe fierent, fere nullam habere vim et quam astute interpretantes iuramenta alios deceperint, exemplis declaratur Matth. 23,16-22. Invaluerat enim consuetudo, ut iam non per nomen Domini iurarent, sed per templum, altare, caelum, per urbem Ierusalem, sanctuaria Israel, terram, per vitam vel caput suum, per solem, legem, per libros sacros (cf. Matth. 5,33; 23,16-22; *Buxtorf*, Lexicon chald. talm. rabb. 2315). Et quantis argutiis eiusmodi iuramenta nihil valere ostenderint, Christus reprehendit (Matth. 23,16 ss.). Et quod Christus reprehendit, etiam postea in more

positum fuisse tractatibus mishnicis perhibetur. Ita si qui iuraverint per caelum et terram, eos esse liberos docetur in tract. Shebuoth 4,13 (cf. *Surenhusius*, Mishna IV. p. 306; vide praeterea *Lightfoot*, Horae hebr. ad Matth. 5,33; *Schoettgen*, Horae hebr. I. 40).

Quo sensu autem Christus dicat : ego autem dico vobis, non iurare omnino etc. partim explicatur ex abusu illo pharisaico, partim ex eo quod iuramentum non sit per se appetendum, verum defectum aliquem connotet; atque prohibitionem non esse in universum intellegendam, iam ex eo patet quod in novo quoque foedere reperiuntur iuramenta; ita apostolus Deum testem invocat Rom. 1,9; 2 Cor. 1,23; Gal. 1,20; Phil. 1,8 et iuramenti utilitatem explicat Hebr. 6, 16 : omnis controversiae finis ad confirmationem est iuramentum, et in Apoc. 10,6 angelus quoque iurat per viventem in saecula saeculorum. Unde merito dicit *Caietanus* esse intellegendum hoc praeceptum similiter sicut illud : non occides; « prohibetur occisio non vestita circumstantiis iustitiae, ita praeceptum prohibens iurare refertur ad iurare nudum, et non ad iurare vestitum circumstantiis iudicii, iustitiae et veritatis ». Atque eodem modo intellegenda sunt verba Iac. 5,12. Insuper nota esse qui ipsum Christum iurasse censeant probabile (cf. *Suarez*, De iuramento 1,14 in tractatu 5 De Religione).

I. KNABENBAUER.

IURGIUM (Ex. 17,7) v. RAPHIDIM.

IUSTIFICARE, IUSTIFICATIO. Voci generatim notio inest aliquem iustum, probum, insontem declarare, pronuntiare; ita de iudicibus : qui iustificat impium et qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum Prov. 17,15; qui iustificatis impium pro muneribus et iustitiam iusti aufertis ab eo Is. 5,23. Et significatione generali : numquid homo comparatione Dei iustificabitur? i. e. probus et insons apparebit, exhibebitur (Iob 4,17); si iustificare me voluero i. e. me probum et integrum declarare, ab omni culpa immunem, condemnabit me os meum (Iob 9,20). Religiositas iustificabit cor (Eccli. 1,18) i. e. animum exhibebit probum; qui sine timore est non poterit iustificari (Eccli. 1,28), non poterit haberi et declarari homo iustus et probus. Comparatione instituta dicitur : iustificavit animam suam aversatrix Israel comparatione praevaricatricis Iudae Ier. 3,11 i. e. se minus culpabilem exhibuit; cf. Ez. 16, 51. 52. Homines quoque dicuntur Deum iustificare i. e. declarare et agnoscere eum iustum, eum iuste egisse (cf. Eccli. 18,1; Luc. 7,29. 35).

Si Deus dicitur aliquem iustificare i. e. iustum declarare, pronuntiare, id sane ex ipsa veracitate et sanctitate Dei ita intellegi debet, ut is revera sit absolutus a crimine, immunis a reatu peccati et iustus coram Deo; unde hisce locis notio vocis saltem ex necessaria consequentia statui potest *iustum facere* i. e. talem eum constituere qualem Deus eum esse vult, ut scil. sit eo in statu quem Deus hominibus inesse vult (vide s. v. IUSTITIA). Atque iustificare in doctrina Pauli apostoli dicere internam sanctificationem, invicte constat inter alia ex eius ad Galatas arguendi modo : providens Scriptura quia ex fide *iustificat* gentes Deus, praenuntiavit Abrahae : quia *benedicentur* in te omnes gentes. Unde aperte iustificatio dicitur benedictio, et quaenam sit haec benedictio, declarat apostolus : ut in gentibus benedictio Abrahae fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem (Gal. 3,8. 14); proin benedictio illa est ἡ ἐπαγγελία τοῦ πνεύματος i. e. Spiritus promissus, ita ut Spiritus promissus accipiatur. Ita enim τὴν ἐπ. τ. πν. esse accipiendum, ipse interpres protestans dicit esse sententiam communem et hic *unice* contextui congruam (cf. *Sieffert*, Brief an d. Gal. p. 185). Quare ex hac doctrina gentes iustificantur vel benedictionem accipiunt ita, ut Spiritus promissus illis detur; Spiritu autem Sancto inhabitante internam renovationem et sanctitatem effici manifestum est. Hanc autem iustificationem docet originem ducere ex fide, fieri per fidem, fide, concedi gratia Dei, nos iustificari in sanguine Christi i. e. causam meritoriam esse sacrificium Christi in cruce

(cf. Rom. 3,30; 5,1. 9; Gal. 2,16; 3,24). Propter hanc nostram iustificationem dicit apostolus Christum resurrexisse i. e. erat scil. ex consilio divino, ut Christus gloriose regnans fructum meriti mortis suae hominibus applicaret et ex peccatoribus iustos et Deo acceptos efficeret. Quae iustificatio dicitur iustificatio vitae, in oppositione ad condemnationem, quia sine ea vera vita non habetur (Rom. 5,18).

Ceterum iustificatio in Vulgata variam exhibet significationem. Ita Iob 27,6 : iustificationem meam quam coepi tenere non deseram, hebr. iustitiam meam teneo nec dimittam i. e. nunquam me fatebor impium, teneo et affirmo me esse iustum. Frequenter vox induit notionem statuti, praecepti i. e. in Vulgata ponitur pro hebr. מִשְׁפָּט (cf. Num. 9,3. 14; 2 Par. 19,10; Ps. 118,20 etc.) et חֹק (2 Par. 34,31; Ps. 118,5. 8. 12 doce me iustificationes tuas i. e. mandata, LXX τὰ δικαιώματα etc.); item pro צְדָקָה Dan. 9,18 neque enim in iustificationibus nostris (i. e. propter nostra iuste, bene facta) prosternimus preces i. e. quasi confisi nostra iustitia. Ea notione quoque Apoc. 19,8. Uti in Psalmis, ita quoque Bar. 2,17 et 1 Mach. 1,51 et 2,40 et Luc. 1,6 et Rom. 8,4 et Hebr. 9,1 ponitur pro graeca voce δικαίωμα lex, statutum, id quod iustum est.

I. KNABENBAUER.

IUSTITIA saepe dicitur notione generali id quod rectum est, quod legi vel normae statutae respondet; ita facere iudicium et iustitiam (Gen. 18,19), docere praecepta et iustitias (Deut. 4,5; cf. 27,10; 2 Reg. 8,15; 3 Reg. 10,9 etc.); inde oritur notio probitatis, pietatis, i. e. eius conditionis quae normae recti, normae legis virtutisque respondet; unde facile significationem sanctitatis, integritatis induit; ita ambulare coram Deo in veritate et iustitia et recto corde (3 Reg. 3,6), servare semitas iustitiae Prov. 2,8; 8,20; 10,2 etc. Significatu quoque generali eam notat hominis conditionem quae Deo probatur, quam Deus hominibus inesse vult, quam Deus venia peccatorum concessa homini largitur. Eo sensu dicitur : iustitia Dei revelatur in evangelio Rom. 1,17; 3,21. 22 et ita saepe apud S. Paulum, qui iustitiam eam docet non esse ex lege, non ex operibus legis mosaicae, sed ex fide et per fidem, et dari credentibus. Eadem notione dicitur : credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad iustitiam (cf. Rom. 4,3) i. e. quia Deo rem creditu difficillimam et viribus naturae impossibilem revelanti et affirmanti fidem adhibuit. Deus gratiose eum effecit et agnovit virum sibi probatum, qui in eo statu erat quem Deus hominibus inesse vult (cf. ἐλογίσθη), in statu gratiae et sanctitatis. Iustitia de Deo quoque dicitur et significat modum Dei agendi secundum normam sanctitatis, secundum consilium salutis quam hominibus largiri statuit; unde « narrentur iustitiae Domini » (Iud. 5,11) i. e. res a Deo gestae in salutem populi.

Strictiore sensu dicitur de ea virtute quae suum cuique tribuit, ergo de iustitia quae est una ex virtutibus cardinalibus. Ita vox accipienda erit, quando sermo est de iudicandi actione : iudicare populum in iustitia Ps. 9,9; iudica me secundum iustitiam tuam (Ps. 34,14), cum iustitia iudicare Apoc. 19,11 etc. Immo quandoque notionem induere videtur iustae causae; ita explicare poteris : exaudivit me Deus iustitiae meae : Deus iustae meae causae, qui est Deus i. e. protector iustae meae causae exaudivit me Ps. 4,2.

Ex ampla notione iustitiae etiam colligitur significatio iusti, qui scil. legi convenienter vivit, qui in ea est conditione quae Deo probatur, vir probus, pius, sanctus — et sensu strictiore qui suum cuique tribuit, iuste iudicat.

I. KNABENBAUER.

IUSTUS (Ἰοῦστος) cognominantur in Novo Testamento : Act. 1,23 Ioseph Barsabas (v. BARSABAS 1), Act. 18,7 Titus proselytus (v. TITUS 1), Col. 4,11 socius Pauli (v. IESUS 5).

IUVENCULUS i. e. bos novellus semel legitur in Vulgata pro hebr. עֵגֶל Ier. 31,18; vide BOS.

IXIOS dicitur a S. Hieronymo vul-

turis species, quae inter aves impuras in catalogo deuteronomico quartum locum occupat (Deut. 14,13). In textu hebraico hodierno haec species רָאָה vocatur; at consideranti quod in catalogo priore libri Levitici eius loco דָּאָה occurrit (Lev. 11,14) quodque idem verbum LXX, textus et versio samaritana, versio syriaca, Targum hierosolymitanum in Deuteronomio legendum supponunt, vix dubium videbitur quin forma ראה, ceteroquin ignota, librarii mendo tribuenda sit. Unde etiam in catalogo deuteronomico דָּאָה legendum et *milvum* explicandum, *ixion* vero, avem nec nomine nec specie Graecis Latinisve notam, expungendam censemus. V. MILVUS.

Nomen *ixion*, pro quo alii *ixon* scribendum volunt, ex graeco ἴξον ortum duxit, quod Aquila et cum eo aliqui codices holmesiani (IV cum * [al. ἴξιν], 15,54 [ἴεξον], 58 [ἴξονα], 75 [ἴεξον]) pro ראה habent (cf. *Field*, Hexapla in h. l.). Eius loco *Sam. Bochartus* potius ὄξυν, *oxyn* legendum avemque et visu et volatu pollentem designari censet (Hieroz. II. 6,3 *ed. Rosenmüller* III. 804).

L. FONCK.

IZRAHIA (יִזְרַחְיָה; Ἰεζραΐα, Ἰζραΐα, apud *Swete* B Ζαρειά, A Ἰεζρία), filius Ozi de tribu Issachar, progenitor quinque principum familiarum (1 Par. 7,3); sed in textu solum quattuor nomina enumerantur : Michael, Obadia, Iohel, Iesia.

L

LAABIM (לְהָבִים, Λαβιείμ), populus aegyptiacus secundo loco inter posteros Mesraim nominatus (Gen. 10,13; 1 Par. 1,11). Merito censentur iidem atque Libyes (לוּבִים), qui in exercitu Sesac (2 Par. 12, 3; 16,8) simul cum Mesraim et Chus recensentur, Nahum 3,9 cum Africa (פּוּט) et Dan. 11,43 cum Aethiopia (כּוּשִׁים) iunguntur. Vide s. v. LIBYES 1.

LAAD (לָדָד, Λάαθ), filius Iahath in genealogia Iuda (1 Par. 4,2).

LAADA (לַעֲדָה, Μαδάθ, A Λαδά), filius Sela filii Iuda, pater (seu possessor) urbis Maresa (1 Par. 4,21).

LAADAN (לַעְדָן, Λαδδάν), Ephraimita, unus ex maioribus Iosue filii Nun (1 Par. 7,26). Idem nomen hebr. gerit, qui in Vulgata scribitur Ledan seu Leedan.

LABAN. 1. Laban (לָבָן, Λάβαν) filius Bathuel, nepos Nachor, frater Rebeccae, pater Liae et Rachel, uxorum Iacob (cf. Gen. 11,26; 22,23; 28,5; 29,5), vir dives in Mesopotamia, ea in regione, ex qua Abraham egressus est. Cum Abraham misisset servum seniorem domus suae ad cognationem suam, ut inde filio Isaac quaereretur uxor, Laban visis donis pretiosis Rebeccae statim egressus est ad servum eumque magna comitate hospitio recepit (Gen. 24,1-33); Laban frater et Bathuel pater Rebeccae libenter accedunt petitioni servi, ut Rebecca fieret uxor Isaac (Gen. 24,50). Eodem modo Iacob iubetur a patre Isaac proficisci in Mesopotamiam Syriae ad domum Bathuel patris matris ipsius, ut de filiabus Laban avunculi sibi petat uxorem, et simul profectus est ad declinandam iram Esau (Gen. 27,41-28,3). Laban eum comiter in domum suam accepit; Iacob autem petiit ab eo Rachel uxorem, pro qua ei septem annorum servitium in gregibus pascendis ac custodiendis promisit. Laban vero, vir dolo et avaritia plenus, accepta conditione ei pro Rachel substituit Liam eumque, ut Rachel etiam ducere possit, ad aliud septem annorum servitium coegit. Tempore 14 annorum elapso voluit Iacob cum uxoribus filiisque reverti; at Laban, experimento didici, inquit, quia benedixerit mihi Deus propter te, constitue mercedem tuam quam dem tibi (Gen. 30,25 s.). Atque Iacob eam mercedis rationem sibi eligit quae longe maius lu-

cum Labano promittere videbatur, scil. pecora coloris non communis, ideoque numero (ni aliud remedium affertur) pauciora; quare Laban libenter concedit (Gen. 30,34). Iacob sibi exposcit inter agnos omne pecus varium et nigrum, inter capras omne pecus maculatum et varium. In Syria oves plerumque albae sunt, pauciores variae aut nigrae; caprae fere omnes fulvae, raro varii coloris; Iacob vero et artificio adhibito et Dei benedictione ex iniquiore pacti conditione plurimum lucri refert, ita ut filii Laban et Laban ipse efficerentur animo alieno in Iacob. Iacob enim valde dives effectus est, quamvis Laban conditionem mercedis decem vicibus mutaret : « si quando dixit : variae erunt mercedes tuae, pariebant omnes oves varios foetus; quando vero e contrario ait : alba quaeque accipies pro mercede, omnes greges alba pepererunt » (Gen. 31,8). Etiam Rachel et Lia conqueruntur de avaritia Laban (Gen. 31,15). Iacob autem iussus a Domino revertitur in patriam. Die tertio postquam abiit, nuntiatur id Laban qui cum fratribus suis per dies septem eum persecutus in monte Galaad consequitur. Prohibetur a Domino, ne durius agat. In domo Laban cultum quoque superstitiosum exerceri constat ex theraphim quae sibi furto ablata esse Laban conqueritur et quae Rachel absconderat. Iacob ei exprobrat durum servitium quod ei servierit per annos viginti; tandem victimis immolatis et foedere inito amice inter se separarunt. Ex nomine quod uterque titulo et monumento foederis erecti indidit, iam apparet linguam in Chanaan et in Haran paulo dialectice diversam fuisse (Gen. 31,47).

2. Laban (לָבָן, Λοβόν) legitur in exordio Deuteronomii (1,1). Ut textum illum satis obscurum explanandum censet *Cornely* (Introd. II. 1 pag. 46. 47), Laban probabiliter est Lebna (Num. 33,20), quae quinta fuit statio Israelitarum a monte Sinai profectorum ac proin, cum iter a monte Sinai usque ad Cadesbarne undecim esset dierum, centrum quoddam totius regionis, per quam Israelitae migrationem fecerunt. Attamen *F. de Hummelauer* ad h. l. pro לָבָן emendat לְבֵין *inter*, ut sensus sit : inter Pharan et inter Thophel ex una parte et *inter* Haseroth et Dizahab ex altera parte.

LABANA v. LEBNA (Lobna).

LABANATH (שִׂיחוֹר לִבְנָת, LXX τῷ Σιὼν καὶ Λαβανάθ; Vulgata : Sihor et Labanath) legitur in descriptione termini meridiani tribus Aser (Ios. 19,26). Quaeritur utrum duo loca distincta Sihor et Labanath indicentur an unus Sihor-Labanath. Peshitta quoque duo distinguit, item Onomasticon (*ed. Lag.* 294. 275; 152. 136). Verum textus massorethicus duabus vocibus unum locum exprimi suadet, praesertim quia שִׂיחוֹר alias semper *fluvium* designat (cf. Ios. 13,3); unde indicatur fluvius Labanath. Probabilissime intellegendus erit *Nahr el-Zerqā* seu Crocodilon flumen (*Plin.* V. 19,75) duabus fere horis infra Dorurbem, quae in tribu Aser sita erat, etsi tribui Manasse attributa est. Relinquenda igitur est opinio, quam proposuerant *Masius, I. D. Michaelis, Gesenius* (Thesaur. p. 1393), designari fluvium vitri h. e. Belum, qui paulo infra Ptolemaida in mare effunditur et hodie *Nahr Na'mein* audit.

De Crocodilon flumine cf. *G. Schumacher*, An excursion to the Crocodile River in *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat 1887 p. 78-85.

LABIUM induit in Vulgata significationes hebr. שָׂפָה. Unde habet notionem marginis, limbi alicuius vasis, calicis, mensae; ita Ex. 25,24 faciesque illi (mensae) labium aureum per circuitum et ipsi labio coronam; 3 Reg. 7,23 fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium; labium eius quasi labium calicis. Labia dein ponuntur pro verbis, sermone, quippe quae labiis proferuntur vel ibi quasi sedem habent. Unde Moyses', impeditus sermone et fere balbutiens, se dicit esse incircumcisum labiis Ex. 6,12. 30 et Lev. 5,4 iuramentum dicitur proferri labiis, Iob 1,22 dicitur non peccasse labiis. Notanda locutio Gen. 11,1 : erat

terra labii unius, 11,6 : unus est populus et unum labium omnibus; nam sunt qui contendant labium non significare linguam (*Sprache, langage*), sed sermonem, mentem, consilium. Eorum argumenta vide apud *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 305. 306. Plane singularis est locutio in Vulgata Os. 14,3 : reddemus vitulos labiorum nostrorum i. e. laudes et actiones gratiarum. Verum LXX et Syrus efferunt, uti apostolus (Hebr. 13,15) *fructum* labiorum; unde legerunt non פרים sed פרי. Quod hebr. habetur est pariter mirum : reddamus iuvencos labia nostra vel solvamus (tamquam) iuvencos labia nostra; alii פרים apertionem (labiorum) explicant; cf. *Knabenbauer*, Comm. in Proph. min. I. p. 180.

LABRUM AENEUM erat magna quaedam pelvis inter tabernaculum testimonii et altare posita, in qua sacerdotes lavabant manus et pedes, quando ingressuri erant tabernaculum testimonii vel accessuri ad altare (Ex. 30,17 ss.; 31,9; 35,16; 39,39; 40,7. 28 [30] s.). Labrum hoc confectum est de speculis mulierum, quae excubabant in ostio tabernaculi (Ex. 38,8); specula veterum ex metallis, argento, cupro, stanno conficiebantur, quare ex iis labrum confici potuit; insuper metalla exercebantur in Sinai (cf. *Chabas*, Recherches sur la XIXe dynastie p. 66; Zeitschr. für aegypt. Sprache und Altertumskunde 1870 p. 137 ss.).

Labrum aeneum oleo unctum et consecratum est (Ex. 30,28 hebr.; 40,11; Lev. 8,11). Apud LXX et Samaritanum Num. 4,14 (non in textu massorethico) inter vasa sacra sollemni agmine deportanda etiam recensetur labrum aeneum vestimento purpureo involvendum et operimento hyacinthino ianthinarum pellium tegendum.

Pro labro aeneo postea in templo salomonico substitutum est mare aeneum (vide s. v.).

LABRUSCA explicatur a S. Hieronymo hebr. בְּאֻשִׁים (Is. 5,2. 4), quod « Aquila interpretatus est σαπρίας i. e. *fructus pessimos;* Symmachus ἀτελῆ i. e. *imperfectos,* LXX et Theodotio [ἄκανθας i. e.] *spinas* » (S. Hier. in Is. 5,2); Arabs pariter *spinas* vertit, Syrus autem הרובא, quod communiter *siliquas* denotat, sed etiam pro labruscis sumitur. Iam vero spinae hic ex eo videntur ortae, quod באשים male cum בָּאֹשָׁה confunditur, quam vocem LXX similiter βάτος, Vulg. *spina* exponunt (Iob 31,40); v. SPINA. Eandem confusionem immerito retinent cl. *Celsius, Tristram, Duns, Groser,* al. At certe cum *Rosenmüller, Cultrera* et recentioribus communiter praeferenda est expositio S. Hieronymi, dummodo non cum citatis auctoribus de *Viti labrusca* Linnaei, planta scilicet ex America septemtrionali oriunda, sed de uvis acerbis atque amaris intellegatur, quales sunt fructus vitis silvestris. Quae vitis silvestris sub variis formis etiam nunc in partibus Syriae septemtrionalibus subspontanea crescit atque etiam antiquitus totius regionis mediterraneae incola erat, Israelitis haud ignota (cf. Ez. 15,2). V. VITIS.

Eandem labruscam S. Hieronymus iterum commemorat Is. 17,11, quanam ductus ratione haud facile quis dixerit; textus enim massorethicus ibi legit תְּשַׁגְשֵׁגִי, quod communiter « *sepiebas* » (scil. vineam) interpretantur. Cf. *I. Knabenbauer* aliosque commentatores in h. l.

Similem sensum ac באשים videtur habere alia vox hebraica בֹּסֶר, quae in Vulgata bene *uva acerba* explicatur Ier. 31,29 et Ez. 18,2; cf. Iob 15,33 (Vulg. *botrus*) et Is. 18,5 (בֹּסֶר גָּמוּל *uva maturescens,* Vulg. *immatura perfectio*).

Cf. *Herm. v. d. Hardt,* פקועת, πικρίδια, Intybum sylvestre... nec non באשים ἀγριοσταφύλεις, Bryonia in Esaiae vinea (Teufelskürbis, Es. V.), Helmstadii 1719; *O. Celsius,* Hierobot. II. 199-205; *F. Hasselquist,* Reise nach Palaest. p. 561 s.; *E. F. K. Rosenmüller,* Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1, 111; *P. Cultrera,* Flora bibl. 265; *J. Duns,* Bibl. Nat. Science II. 465 s.; *H. B. Tristram,* Nat. hist. *ed.* 8, 439; *W. H. Groser,* Script. Nat. Hist. I. 130. 173 s.; *P. Schegg,* Bibl. Archaeol. 183. — De viti silvestri cf. *Theophrast.* Hist. pl. IV. 5,4; 7,8 etc.; *Dioscurid.* Mat. med. 4,183; *Colum.* VIII. 5,23; *Plin.* XII. 28,132 s. — *E. Boissier,* Flora orient. I. 955 s.; *L. Anderlind* in Zeitschr-

d. D. Pal.-Ver. XI. 1888, 160 s.; *E. Gilg* in *Engler-Prantl*, Natürl. Pflanzenfam. III. 5,442-4; *Alph. de Candolle*, Origine des Plantes cult. 151-4; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausth. *ed.* 5, p. 65 ss.; *A. Engler* ap. *Hehn* l. c. 85-90.

L. FONCK.

LAC. **1.** Lac (חֵלֶב, similiter in linguis phoenic., aram., arab., aethiop.; gr. γάλα) magnam ciborum apud Iudaeos partem constituebat. Etenim terra a Domino promissa multoties « lacte et melle manans » describitur (Ex. 3,8. 17; 13,5; 33,3; Lev. 20,24; Num. 13,27; 14, 8; 16,14 [cf. v. 13]; Deut. 6,3; 11,9; 26, 9. 15; 27,3; 31,20; Ios. 5,6; Eccli. 46, 10; Ier. 11,5; 32,22; Baruch 1,20; Ez. 20,6. 15. Cf. Ioel 3,18). Quae « locutio, ait *Bonfrerius* (in Ex. 3,8), etsi hyperbolica sit, indicat tamen summam copiam omnium non tantum necessariorum, sed etiam quae ad delicias et voluptatem faciunt, eamque tantam, ut more fontium et rivulorum quasi fluere viderentur; quod haud dubie dictum est propter pascua optima et uberrima, quae ab armentis depasta optimum lac exprimerent et frequentia apum examina, quae in summa copia mel praeberent ». Pastores autem gregum praesertim de lacte gregis manducant (1 Cor. 9,7), idemque etiam pro aliis hominibus inter vitae necessaria recensetur (Eccli. 39,31).

2. Lac caprarum particulariter laudatur (Prov. 27,27 חֲלֵב עִזִּים; LXX aliter); quod pariter in inscriptionibus cuneiformibus specialiter commemoratur (*shi-iz-bi en-zi*, *F. Delitzsch*, Ass. Hwbch. 99ᵇ. 649ᵃ) atque etiam hodie praesertim apud Orientales magni aestimatur. De capris simul cum ovibus intellegendi sunt textus qui צֹאן ח״ commendant (Deut. 32,14; cf. Is. 7,21 s.; Ez. 34,3 cum LXX, Vulg. contra textum massorethicum חֵלֶב *adipem*), cum utriusque generis animalia commixtim in gregibus pascerentur atque hodiedum pascantur. Etiam lac bubulum in usu erat (cf. Is. 7,21 s.), ac fortasse camelinum quoque, quod aliqui ex Gen. 32,15 s. vel Iud. 4, 19 et 5,25 (v. CAMELUS) concludere volunt. Similiter auctores profani varias istas lactis species commemorant, e quibus Plinius « stomacho adcommodatissimum, ait, caprinum, quoniam fronde magis, quam herba vescuntur; bubulum medicatius, ovillum dulcius et magis alit, stomacho minus utile, quoniam est pinguius » (Plin. XXVIII. 9,124. Cf. XI. 41,236-239; *Varro*, De re rust. II. 1. 11; *Columella*, De re rust. XII. 8 etc.).

3. Lactis praecipuus usus in Scriptura exhibetur, ut recens in potum adhibeatur (Gen. 18,8; Iud. 4,19; 5,25; Ez. 25, 4); quare etiam cum vino coniungitur (Cant. 5,1; Is. 55,1) et propter colorem album in comparationibus adducitur 49,12; Thren. 4,7; cf. Cant. 5,12). Praeterea probabiliter etiam coagulatum et acidum sumebatur, atque ad butyrum et caseum conficiendum inserviebat (v. BUTYRUM, CASEUS). Atque cum infantuli lacte matris usque ad ablactationem nutriantur (Is. 28,9; 2 Mach. 7,27), lac etiam sensu spirituali pro primis doctrinae christianae veritatibus ponitur (1 Cor. 3,2; Hebr. 5,12 s.; 1 Petr. 2,2). De usu sacro ad sacrificia, qui apud Assyrios et Aegyptios commemoratur (*Nebukadnezar*, Cyl. Grotefend C. I. 20; *G. Maspero*, La table d'offrandes des tombeaux égyptiens in Rev. de l'hist. des religions XXXV. 1897, I. 288; XXXVI. 1897, II. 9), in libris sacris nihil occurrit.

Cf. *Sam. Bochart*, Hieroz. II. 32,6 et II. 45, *ed. Rosenmüller* I. 322 s. 525-7; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 66 s.; *H. J. van Lennep*, Bible Lands (London 1875), p. 200. 204; *P. Schegg*, Bibl. Arch. p. 84 s.

Iob 6,6 aliqui חַלְמוּת de lacte coagulato interpretantur; v. ANCHUSA.

L. FONCK.

LACEDAEMONII (2 Mach. 5,9 πρὸς Λακεδαιμονίους, Vulgata : Lacedaemonas profectus) v. SPARTIATAE.

LACERTA. **1.** Multae lacertarum species in Palaestina inveniuntur, ex quibus *H. B. Tristram* in ordine *Lacertilium* 11 familias cum 29 generibus et 44 speciebus enumerat. Maxime communes sunt *Lacerta viridis* Linné, *L. agilis* L., *Zootoca muralis* Laurenti, *Ophiops elegans* Ménétriés, *Gongylus ocellatus* Forskal,

Ptyodactylus Hasselquisti Schneider, *Hemidactylus verruculatus* Cuvier, *Stellio cordylina* Laurenti, *Chamaeleo vulgaris* Daudin.

Cf. *F. Hasselquist*, Reise in Pal., *ed. C. Linnaeus*, Rostock 1762, p. 348-63; *H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palestine, London 1884, p. 148-54. — Cf. *A. E. Brehm*, Tierleben, ed. 3; *Pechuel-Loesche*, VIII. Leipzig und Wien 1892, p. 31-167; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. der Thiere II. 1, Leipzig 1882, p. 51-128; *J. Leunis*, Synopsis I. 1, *ed.* 3 *H. Ludwig*, Hannover 1883, p. 545-71. — *L. Lewysohn*, Die Zoologie des Talmuds, Frankfurt a. M. 1858, p. 221-30.

2. In libris sacris septem nomina hebraica varias lacertarum species videntur designare : אַנָּקָה, Vulg. *mygale;* חֹמֶט, Vulg. *lacerta;* כֹּחַ, Vulg. *chamaeleo;* לְטָאָה, Vulg. *stellio;* צָב, Vulg. *crocodilus;* שְׂמָמִית, Vulg. *stellio;* תִּנְשֶׁמֶת, Vulg. *talpa*. Quae de singulis dicenda occurrunt, exponuntur sub voce qua nomina hebraica in Vulgata explicantur.

3. חֹמֶט Lev. 11,30 in Vulgata *lacerta*, sicut a LXX σαῦρα, vocatur; ex aliis versionibus antiquis Peshitta (חילמוטא) et Onkelos (חומטא) vocem hebraicam retinent, Ps.-Ionathan קיצוצא exponit, quod « probabiliter lacertae speciem aliquam » designare putant. Quaenam vero haec species sit, non satis liquet, cum praeter nomen ἅπαξ λεγόμενον, quo inter animalia impura recensetur, nihil de ea in Scriptura occurrat. Immo, ne lacertam quidem in genere designatam admittunt plures ex doctoribus hebraeis aliisque (*Kimchius, Pomarius, Arius, Munsterus* al. ap. *Bochart*), qui *chōmet limacem* interpretantur : at certe parum probabiliter, cum et veteres saltem in generali vocis acceptione consentiant et contextus huic maxime faveat.

4. Deficientibus aliis argumentis ad etymologiam auctores confugiunt. Ex opinione *Bocharti*, cui inter recentiores favent *Cultrera, Tristram, Hart, chōmet* a *chometon* originem duceret, quod rabbinis *arenam* dicitur significare, ideoque lacertae in arenosis degenti, ac specialim ei quae arabice *chulaca* audit convenire; pro qua Cultrera speciem *Agama galeata* a Daudin dictam supponit. At merito *Rosenmüller* ratiocinationem Bocharti reicit, cum et *chometon* Talmudistarum ex graeco ἄμαθον videatur desumptum (*Buxtorf*, Lex. chald. p. 782), et quid sit *chulaca* non satis constet.

Ex lingua assyriaca alii conferunt vocem *chulmittu*, quae serpentis speciem designat (*Frd. Delitzsch*, Ass. Hwbch. p. 277 b), sed etiam lacertilibus anguiformibus convenire posset (veluti *Anguis fragilis* L., *Seps monodactylus* Günther etc.). Alii maiore cum probabilitate ad ass. *chamṭu* seu *chanṭu* recurrunt, quod *velocem* seu *festinantem* significat (*Delitzsch* 281 b) et non soli *Lacertae agili*, verum etiam aliis lacertae speciebus satis bene attribui posset. Unde neque ex etymologia quid sit *chōmet* accuratius definiri potest.

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon IV. 5, *ed. Rosenmüller* II. 500-3; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2 p. 263 s.; *P. Cultrera*, Fauna biblica 343; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible, *ed.* 8, 268 s.; *H. Ch. Hart*, Animals of the Bible, London 1888, 150 s.; *J. G. Wood*, Bible Animals, New ed. ib. 1892, 531-3.

L. FONCK.

LACHIS (לָכִישׁ, Λαχίς), urbs in campestribus Iuda, in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,39), a Iosue post duos dies obsidionis expugnata (Ios. 10,3-35; 12,11), a Roboam rege Iuda munitionibus firmata (2 Par. 11,9). In hanc urbem munitam confugit Amasias, nonus rex Iuda, ut a coniuratione in Ierusalem facta sibi caveret; sed in ipsa urbe Lachis ab emissariis coniuratorum interfectus est (4 Reg. 14,19; 2 Par. 25,27). Ezechia rege Sennacherib in Aegyptum profecturus Lachis oppugnavit et ibidem legatos ab Ezechia missos excepit (4 Reg. 18,14. 17; 2 Par. 32,9; Is. 36,2); urbem demum ab Assyriis expugnatam esse textus sacer non directe enuntiat, sed innuere videtur (4 Reg. 19,8; Is. 37,8); idem autem confirmant monumenta assyriaca, in quibus cernitur imago sculpta Sennacherib regis in throno sedentis, cui spolia Lachis affe-

runtur, inscriptione addita, qua explicite refertur eum sedisse in throno sublimi et recepisse spolia urbis Lachis (*Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 I. 199; IV. 28). Sedecia rege Lachis denuo oppugnabatur a Nabuchodonosor (Ier. 34,7). Post exsilium denique iterum a filiis Iuda incolebatur (Neh. 11,30). De mentione urbis Lachis Mich. 1,13 cf. *Knabenbauer* in h. l.

Tempore Eusebii et S. Hieronymi erat villa 7 mil. pass. meridiem versus ab Eleutheropoli (*Beit Djibrīn*) euntibus Daromam (Onom. *ed. Lag.* 274,9; 135, 22). Nomen antiquum prae se ferunt ruinae *Umm Lāqis* inter meridiem et occidentem a *Beit Djibrīn* et occidentem versus ab *ʿAdjlān* seu Eglon, quae duae urbes in S. Scriptura saepius una commemorantur (cf. *Guérin*, Judée II. 299-303). Sed post excavationes a *Flinders Petrie* et *Bliss* susceptas Lachis probabilius agnoscitur in *Tell el-Ḥesī* iuxta *Wādi el-Ḥesī* a *Khirbet ʿAdjlān* austrum versus. Attamen non desunt qui hunc situm addubitent et alium quaerant vel *Umm Lāqis* retinendum putent (cf. *J. Döller*).

Cf. *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1890 p. 159 ss. 219 ss.; 1891 p. 282 ss.; 1892 p. 36-38. 95 ss. 192 ss.; 1893 p. 9 ss. 103 ss.; *W. M. Flinders Petrie*, Tell el-Hesy (Lachish), London 1891; *F. J. Bliss*, A Mound of many cities or Tell el-Hesy excavated, London 1893; Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XV. 1892 p. 172. 173; XVII. 1894 p. 149; *J. Döller*, Geogr. u. ethnogr. Studien z. III. u. IV. Buche d. Könige 1901 p. 266 s.

LACHMI v. ADEODATUS.

LACTUCAE AGRESTES exponuntur in Vulgata herbae amarae (מְרֹרִים πικρίδες), quae in coena paschali simul cum agno et azymo pane sumendae praecipiebantur (Ex. 12,8; Num. 9,11). Idem nomen hebraicum occurrit Thren. 3,15, ubi a Vulgata explicatur *amaritudines*. Quaenam herbae amarae nomine hebraico designentur, ex textu sacro non constat, cum praeter notas generales nihil ex eo deduci possit. Rabbini quinque varias species enumerant, inter quas *lactuca* primum locum obtinet. Ex 34 speciebus orientalibus generis *lactucae* sola *Lactuca saligna* Linné videtur in Aegypti partibus frequentior inveniri (*Boissier*, Flora orient. III. 810). — Tamquam ratio praecepti assignatur a Rabban Gamaliele in Talmude, quod « Aegyptii vitam patrum nostrorum amaritudine affecerunt in Aegypto » (Tract. Pesachim 10,5).

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon P. I. l. II. c. 50 n. 6 (*ed. Rosenmüller* I. p. 691-700); *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 130 p. 175 s.

L. FONCK.

LACUS. Notione receptaculi aquarum legitur Ex. 7,19; Is. 22,11 et significatione cognata cisternae 1 Mach. 9,33 lacus (λάκκος LXX pro hebr. בּוֹר, בְּאֵר), cisterna Asphar. Frequentissime ponitur pro hebr. בּוֹר notione foveae; Ps. 7, 16 lacum aperuit et effodit eum et incidit in foveam quam fecit. Quae vox saepe adhibetur pro sepulcro praesertim in dictione descendere in lacum; cf. Ps. 27,1 assimilabor descendentibus in lacum; 29,4 salvasti me a descendentibus in lacum; 87,5; Prov. 1,12; Is. 14,15 etc. Dein cum fovea (cisterna exsiccata, Gen. 37,24) etiam loco carceris inserviret, lacus saepius ea notione legitur : Ier. 37,15 ingressus est Ieremias in domum laci, i. e. in carcerem tenebricosum, coenosum; 38,6 et proiecerunt eum in lacum (i. e. cisternam) in quo non erat aqua, sed lutum; 38,9 etc. Unde facile critur locutio translata; eduxit me de lacu miseriae Ps. 39,3; invocavi nomen tuum de lacu novissimo Lament. 3,55; unde Apoc. 14,19 et misit in lacum irae Dei magnum. Praeterea dicitur apud Danielem cavea illa in qua leones asservabantur lacus leonum 6,7. 12. 16 etc.; cf. Ez. 19,6-9 factus est leo ... et miserunt eum in caveam. Singulari notione legitur vox Marc. 12,1 vineam pastinavit ... et fodit lacum (graece ὑπολήνιον) i. e. vas, in quod uvarum liquor expressus defluereet ex torculari superiore; torcularia excidebantur et excavabantur etiam in saxis.

De lacu Asan 3 Reg. 30,30 vide s. v. ASAN; de lacu ASPHAR s. v. ASPHAR.

LADANUM est resina fruticis in Palaestina satis communis, cui nomen *Ci-*

stus ex familia *Cistinearum;* duae praesertim eius species in flora palaestinensi occurrunt, *Cistus villosus* L. cum varietatibus *genuinus* Boissier et *creticus* Boiss., ac *C. salviaefolius* L., quibus in Amano monte tertia species accedit, *C. incanus* L. Resina hujus fruticis communiter censetur nomine hebraico לֹט designari, quod in Vulgata *stacte* explicatur. Vide STACTE.

LAEL (לָאֵל, Δαήλ), pater Eliasaph levitae de stirpe Gerson tempore Moysis (Num. 3,24).

LAGENA, LAGUNCULA ponitur in Vulgata etiam pro utre (1 Reg. 16, 20; Iob 32,19) et Is. 5,10 pro mensura bath, dein generatim pro vase fictili, urceo, hydria; cf. Iud. 7,16; Ier. 19,1. 10; Marc. 14.13. Immo Agg. 2,17 vertit S. Hieronymus פִּיָּרָה lagenam, quam vocem hebr. Is. 63,3 rite expresserat torcular, et Is. 10,33 pariter פֵּאֵרָה reddidit lagunculam; sed eandem vocem melius exposuit Ez. 17,6; 31,5 6. 8. 12. 13 propagines, ramos, frondes, arbusta; qua notione etiam Is. 10,33 capienda est; exercitus enim Assyriorum saltui, silvae comparatus est; Deus autem dicitur ramos eius vel propagines cum potentia concidere.

LAHELA in Vulgata 1 Par. 5,26 mendum est pro Hala; v. HALA.

LAHEM (1 Par. 4,22). Inter posteros Sela filii Iuda enumerantur etiam יָשֻׁבִי לָחֶם; Vulgata : qui reversi sunt in Lahem, LXX ἀπέστρεψεν αὐτούς. Videtur nomen proprium viri esse : Iashubi Lechem, quod non interpretandum est « revertens ad panem » neque « revertens Bethlehem », sed « revertens a pugna » scil. onustus praeda. Cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Num. p. 204.

LAIS v. DAN 3.

LAIS (לַיִשׁ et 2 Sam. 3,15 לָיִשׁ, *Qeri* לַיִשׁ; Ἀμείς, Σελλής), pater Phalti (Phaltiel) mariti Michol, oriundus de Gallim (1 Reg. 25,44; 2 Reg. 3,15).

LAISA (לַיְשָׁה, Σά, Λαισά, Λείς, Λαίς), urbs quae in descriptione illa poetica Is. 10,30 itineris exercitus Assyriorum ponitur inter Gallim et Anathoth (*'Anātā*) urbes beniaminiticas. Eadem est Laisa (cod. A Ἀλασά, cod. א et Venet. Ἐλασά), prope quam Iudas Mach. occubuit devictus a Bacchide, Syrorum duce, qui prope Beream castra posuerat (1 Mach. 9,5); apud Flav. Iosephum (Bell. iud. I. 1,6) hic locus scribitur Ἀδασά (*ed. Dindorf*) vel Ἀκέδασα (*ed. Niese*). Censetur esse *Khirbet 'Il'asā* inter Bethoron superiorem et inferiorem.

LAMECH (לֶמֶךְ, Λάμεχ). **1.** Filius Mathusael, Cainita, cuius duae uxores recensentur Ada et Sella (Gen. 4,18. 19). Lamechi tripudium ob arma ferrea, quae Tubalcain filius ex Sella genitus ei praebuit (4,23. 24), regulam proclamat, qua in posterum iniurias sibi illatas ulturus sit; blasphemiam continet, cum Lamech gladio suo se ipse melius defendere praetendat, quam a Deo defensus sit Cain; acta Cainitarum claudit, qui a fratricida descendentes caedibus perpetrandis delectantur.

2. Filius Methusala ex posteris Seth et pater Noe (Gen. 5,25. 26 28. 20. 31; 1 Par. 1,3; Luc. 3,36). Eius prophetia spem exprimit, per Noe maledictionem a Deo Gen. 3,17-19 pronuntiatam brevi fore removendam (Gen. 5,29) i. e. humanis artibus eludendam; eundem diluvio absorptum esse ex Pentateucho Samaritano adstruit *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 203. 204 (cf. p. 210. 211 ad 5,29).

LAMENTATRICES, praeficae, mulieres erant mercede conductae, quae ad funus lessum i. e. lugubrem eiulationem instituerent et illis luctus signis et documentis, quae apud orientales in usu erant et sunt, de morte alicuius ederent lamentum, scil. tundentes pectora, vellentes capillos, flentes, eiulantes, cinere caput aspersum habentes. Exemplum aliquod eiusmodi carminis lugubris habetur Ier. 21,18, qui de morte Ioakim dicit : non plangent eum ; vae frater; non concrepabunt ei : vae domine et vae inclyte (vae maiestas, hebr.) et 34,5 vae domine; cf. 3 Reg. 13,30; unde Eccli. 22,10 : super mortuum plora et cf. 38,16. Et eiusmodi

lamentatrices filiam Iairi ploratu suo et tumultu lugebant Matth. 9,23; Marc. 5, 38; Luc. 8,52. Atque ad significandum quanta ruina et calamitas mansura sit Iudaeos, iubet Deus per Ieremiam prophetam, ut convocent lamentatrices easque quae optime sciant lamentari, ut properent et festinent et assumant lamentum (9,17. 18).

LAMIA. **1**. Spectrum nocturnum. Is. 34,14 dicitur regionem Edom in solitudinem esse redigendam : ibi cubavit lamia et invenit sibi requiem. Voce lamiae S. Hieronymus reddit h. l. hebr. לילית; edoctus enim erat à rabbinis esse Lilith spectrum nocturnum, daemonem muliebrem quae noctu infantibus insidiatur et sub forma mulieris speciosae, alatae iuvenes ad se pellicere studeat. Unde secundum eam rabbinorum sententiam Lilith fere eodem modo se gerit, sicut lamia Romanorum et Empusa Graecorum. Recentiores vocem etiam ex sumerico explicant, esse ventum et ventum ea voce exhiberi tamquam personam (ita *Jensen*); alii Lilith apud Assyrios deam nocturnam habitam fuisse affirmant. Ad horrorem solitudinis et vastitatis describendum propheta l. c. dicit plurima ferarum genera et spectra quaedam ibi morari.

2. Eadem voce sed plane alia notione usus est S. Hieronymus Lament. 4,3 : sed et lamiae nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos; hebr. תַּנִּין, *Qeri* תַּנִּים i. e. canes aurei (germ. *Schakale*); canes aureae depromunt mamillam. Vult scil. propheta efferre maxima calamitate effectum esse, ut incolae Sion ipsius naturae obliti essent: matres cerni quasi bestiis ferociores, quia iam non alere possunt filiolos.

LAMPSACUS enumeratur 1 Mach. 15,23 inter regiones, quibus Romani anno 139 a. Chr. scripserunt, ne Iudaeis mala inferrentur. Erat Lampsacus urbs Mysiae ad Hellespontum. Sed in manuscriptis graecis plerisque legitur Λαμψάμη, in aliquibus Λαμψάκη, in Itala Lampsaco, apud Syrum Samsonos. Unde coniicitur designari urbs apud geographos arabicos vocata *Samsun*, quae apud Graecos audit Amisus, una ex praecipuis urbibus Ponti, orientem versus a Sinope ad Pontum Euxinum sita. Iudaeos usque ad remotissimos angulos Ponti dispersos fuisse testatur Philo (Legat. ad Caium § 36 *ed. Mangey* II. 587; τῶν τοῦ Πόντου μυχῶν). Obiicit quidem *Reinach* (Revue des études grecques I. 1888 p. 334 s.) Amisum ad regnum Ponticum pertinuisse nec sui iuris fuisse; sed id evincunt testimonia historica pro aetate Mithridatis Magni, non pro tempore priore.

Cf. *E. Schürer*, Gesch. d. jüd. Volkes *ed.* 3 III. p. 3. 4. De Amiso urbe cf. *Ritter*, Erdkunde XVIII. 796-806; *Forbiger*, Handb. d. alten Geogr. II. 421; *Marquardt*, Röm. Staatsverwaltung I. 1881 p. 357; *Hentze*, De civitatibus liberis 1892 p. 64 s.; *Head*, Historia Numorum 1887 p. 424 s.

LAMUEL (לְמוּאֵל) legitur in inscriptione Prov. 31,1 : verba Lamuelis regis, visio (מַשָּׂא) qua erudivit eum mater sua. Ita quoque ex textu hebr. tradito aliqui explicant. Alii eum dicunt regem Massaensem (מַשָּׂא) et revera textus hebr. ex indole linguae ita debet accipi, ut haec vox nomen sit vel gentis vel regionis; cf. Gen. 25,14 et 1 Par. 1,30, ubi Massa tribus quaedam ab Ismael orta recensetur, cum qua conferunt Mas nomen tribus in septemtrionali parte Arabiae quod in inscriptionibus cuneiformibus legitur (cf. *Schrader*, Keilinschriften u. Geschichtsforschung p. 263). Etiam ab aliquibus Lamuel nomen symbolicum ipsius Salomonis habitum est et explicatum לבוי־אל Deo consecratus (cf. *Gietmann*, Comment. in Eccl. p. 66) vel אל מוּאל Deus est refugium; alia vide apud *Delitzsch*, Das salom. Spruchbuch p. 520. Textus graecus ita habet : οἱ ἐμοὶ λόγοι εἴρηνται ὑπὸ Θεοῦ βασιλέως, χρηματισμὸς etc. Cf. dicta s. v. AGUR in vol. I. col. 171.

LANA v. LINUM.

LANCEARIUS; Act. 23,23 iubet tribunus parari ducentos lancearios, qui cum aliis militibus et equitibus Paulum salvum perducerent Caesaream ad Felicem praesidem. Graece habetur δεξιολάβους, quam vocem explicant vel dex-

tera lanceam gestantes vel iaculatores.

LAODICIA (Λαοδικεία), urbs Phrygiae ad Lycum fluvium, qui in Maeandrum influit, haud procul a Colossis. Quamvis Paulus bis Phrygiam peragraverit, Laodiciae non commoratus est (Col. 2,1; 4,13); sed Laodicenses salutari vult iisque epistulam scripsit (Col. 4,15. 16), quae tamen ad nos non pervenit. Nam quae eo nomine fertur, est reiicienda ad libros apocryphos et est consarcinata ex sententiis decerptis ex epistulis ad Colossenses et Philippenses. Eius ecclesiae conditio satis perversa describitur Apoc. 1,11; 3,14 ss.

LAOMIM v. LOOMIM.

LAPICIDINAE. In instauratione templi sub Iosia rege iubentur afferri inter alia « lapides de lapicidinis » (4 Reg. 22,6; 2 Par. 34,11). Expressio hebraica אַבְנֵי גָזִית pariter occurrit in historia regis Ioas (4 Reg. 12,13 [Vulgata 12,12]), ubi a latino interprete redditur « lapides qui excidebantur ». LXX in utroque textu libri Regum λίθους λατομητούς in Paralipomenis vero λίθους τετραπέδους exponunt. Sensus a Vulgata expressus voci hebraicae satis videtur convenire, quamvis recentiores sat multi eam potius tamquam nomen verbale pro actione caedendi, alii vero tamquam nomen instrumenti explicent.

Lapicidinas plurimas in Palaestina etiam antiquitus fuisse constat. Hierosolymis celeberrimae sunt eae, quibus nomen cavernarum regiarum inditum est quaeque iam a Flavio Iosepho in descriptione ambitus septentrionalis urbis commemorantur (Bell. Iud. V. 4,2 n. 147; cf. *Tacitus*, Hist. V. 12). Probabiliter ex hisce lapicidinis ad varia aedificia civitatis antiquae lapides excidebantur.

Cf. *Liévin de Hamme*, Guide-Indicateur *ed.* 4, I. 482; *Vigouroux*, Dict. II. 318-323.

L. FONCK.

LAPIDARE, LAPIDATIO. Lege mosaica statuitur poena lapidationis pro crimine idololatriae (Deut. 13,10; 17,5), blasphemiae (Lev. 24,14; cf. 3 Reg. 21,10), necromantiae et divinationis (Lev. 20,27), violationis legis sabbaticae (Num. 15,35), adulterii (Deut. 22,23. 24); item : si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur; populus terrae lapidabit eum (Lev. 20, 2); pari modo filius contumax, quem parentes coram senioribus variorum scelerum reum accusant, lapidibus obrui debebat a populo civitatis (Deut. 21,21); eadem poena infligenda erat puellae fornicariae (Deut. 22,20. 21). Hoc genus mortis adeo commune erat, ut eo etiam bos cornupeta esset auferendus (Ex. 21,28); Achan quoque propter furtum de anathemate lapidatus est (Ios. 7,25).

De qua poena haec statuuntur : manus testium prima interficiet eum (Deut. 17, 7) i. e. testes primi lapidem in eum coniiciant (cf. Deut. 13,9) et postea omnis populus mittat manum (Deut. 13,9; 17,7). Multo plura de modo exsecutionis praescribuntur in tractatu mishnico de synedriis cap. 6 (cf. *Surenhusius* IV. p. 233 s.). Secundum rabbinos ubique poena haec lapidationis est intellegenda, ubi legitur : sanguis eius sit super eum, vel ubi aliud mortis genus v. g. per gladium non indicatur. Tamquam occisio quae eminus inferri debeat, significatur Ex. 19,12. 13; prohibetur enim ne quis montem tangat Sinai : qui tetigerit morte morietur; manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur aut confodietur iaculis.

Furor popularis ab antiquo tempore iactis lapidibus odium et exsecrationem manifestabat. Ita de Aegyptiis : si mactaverimus ea quae colunt Aegyptii coram eis, lapidibus nos obruent (Ex. 8,26). Populus in deserto ita in Moysen furere cernitur, ut Moyses ad Dominum clamet : adhuc paululum et lapidabit me (Ex. 17,4); eodem modo rabiem exserit populus in Iosue et Caleb (Num. 14,10); pariter urbe Siceleg per Amalecitas succensa et mulieribus abductis et filiis populus volebat Davidem lapidare, quia amara erat anima uniuscuiusque (1 Reg. 30,6) et Aduram qui erat super tributa et quem Roboam miserat, lapidavit omnis Israel (3 Reg. 12,18); cf. 2 Par. 10,18; 24,21; 2 Mach. 1,16. Et Christus ipse, quod de Ierusalem conqueritur : lapidas eos qui ad te missi sunt (Matth.

23,37; cf. 21,35), in se expertus est : tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum (Ioan. 8,59) et : sustulerunt ergo lapides Iudaei, ut lapidarent eum (Ioan. 10,31; 11,8). Ita tumultuarie Stephanus morte est affectus Act. 7,58, qua occasione Saulus vestes testium i. e. pallia, amicula summa custodiebat. Paulus quoque periculo lapidationis erat expositus Iconii et lapidatus est Lystris Act. 14,5. 19; 2 Cor. 11,59.

LAPIDES PRETIOSI. 1. *Notiones generales.* Lapides pretiosi in S. Scriptura dicuntur tum gemmae proprie tales tum mineralia quaedam, quae hodie sensu tantum latiore lapidibus pretiosis adnumerantur. Generatim eae mineralium species hoc nomine comprehenduntur, quae vel rarae sunt, vel translucidae, vel pulchro colore vel duritie vel alia insigni qualitate instructae. In ipsa Palaestina lapides pretiosi non inveniuntur, sed facile ex Syria, Arabia, Aegypto aliisque finitimis regionibus obtineri poterant. Praesertim in anulis signatoriis et ad varia ornamenta adhibebantur. In sacris libris potissimum commemorantur in descriptione « rationalis iudicii » seu pectoralis summi sacerdotis (Ex. 28,17-20; 39,10-13), deinde in splendore regis Tyri enarrando (Ez. 28,13) et in prophetica imagine fundamentorum civitatis caelestis (Apoc. 21, 19 s.; cf. Tob. 13,21 s.).

Pro determinandis singulis speciebus lapidum, qui in S. Scriptura inter pretiosos enumerantur, praeter nomina hebraïca et graeca atque expositiones veterum interpretum praecipuè attendenda sunt ea quae *Fl. Iosephus* (Ant. III. 7,5 n. 166-169; Bell. Iud. V. 5,7 n. 234) et *Plinius* (Nat. hist. l. 37) referunt. Porro ii soli lapides nominibus biblicis designari possunt, qui antiquis cogniti erant; atque pro pectorali summi sacerdotis illi insuper excludendi sunt, quos sculpere antiqui nesciebant.

2. *Variae species in S. Scriptura commemoratae.* In sequenti catalogo iuxta ordinem Vulgatae varias species lapidum pretiosorum enumeramus, quae in sacris libris commemorantur, additis ubi fieri potuit nominibus hebraicis et graecis. De singulis autem singuli articuli consulendi sunt.

1) Achates שְׁבוֹ, ἀχάτης.

2) Adamas שָׁמִיר.

3) Amethystus אַחְלָמָה, ἀμέθυστος.

4) Beryllus βήρυλλος (Apoc. 21,20).

5) Chalcedonius χαλκηδών (Apoc. 21, 19).

6) Carbunculus נֹפֶךְ, ἄνθραξ.

7) Chodchod כַּדְכֹּד, ἴασπις.

8) Chrysolithus תַּרְשִׁישׁ, χρυσόλιθος.

9) Chrysoprasus χρυσόπρασος.

10) Crystallum קֶרַח, κρύσταλλος (etiam גָּבִישׁ, Vulg. eminentia Iob 28,18).

11) Hyacinthus ὑάκινθος.

12) Jaspis יָהֲלֹם, ἴασπις (Is. 54,12 pro כַּדְכֹּד).

13) Ligurius לֶשֶׁם, λιγύριον.

14) Onyx שֹׁהַם, βήρυλλος c. a.

15) Sapphirus סַפִּיר, σάπφειρος.

16) Sardius אֹדֶם, σάρδιος.

17) Sardonyx σαρδόνυξ.

18) Smaragdus בָּרֶקֶת, σμάραγδος.

19) Topazius פִּטְדָה, τοπάζιον.

20) Hebr. אֶקְדָּה quod Vulgata explicat *lapides sculpti* (q. v.).

Praeterea aliquo modo ad lapides pretiosos etiam pertinent alabastrum, marmor, parius lapis.

Cf. *S. Epiphanius*, De duodecim gemmis *M.* 43,293-372; *J. Braun*, Vestitus sacerdotum II. c. 8-19 (Amstelodami 1680,) p. 627-745); *A. Hartmann*, Die Hebräerin am Putztisch, ib. 1810, I. 276-291; III. 87-100; *J. J. Bellermann*, Die Urim und Thummim, die ältesten Gemmen, Berlin 1824; *M. Bauer*, Edelsteinkunde, Leipzig 1896; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgeschichte, *ed.* 10, Calw und Stuttgart 1902, 332-338; *J. Hastings*, Dict. IV. 619-621; *T. K. Cheyne*, Encycl. bibl. IV. 4799-4812.

L. FONCK.

LAPIDES SACCULI Prov. 16,11 dicuntur lapides qui pro ponderibus adhibebantur et qui a mercatoribus et negotiatoribus in sacculo vel marsupio portabantur. Dicuntur l. c. opera Dei, quia Deus vult, ut commercium inter

homines iusto pondere et mensura instituatur; cf. Lev. 19,36; Deut. 25,13-16.

LAPIDES SCULPTI exponitur in Vulgata hebr. אֶקְדָּח (Is. 54,12), quod LXX vertunt κρύσταλλος. Sed loco crystalli ex etymologia vocis (a radice קדח « arsit ») potius videtur designari *carbunculus* (q. v.).

L. FONCK.

LAPIDOTH (לַפִּידוֹת, Λαφειδώθ), maritus Debborae prophetidis (Iud. 4,4).

LAPIS ADIUTORII (אֶבֶן הָעֶזֶר, Ἀβενέζερ). Samuel victoria a Philisthiim reportata « tulit lapidem unum et posuit eum inter Masphath et inter Sen et vocavit nomen loci illius *Lapis adiutorii* dixitque : hucusque auxiliatus est nobis Dominus » 1 Reg. 7,12. Per anticipationem nomen istud iam reperitur 1 Reg. 4,1, ubi Israelitae eo loco dicuntur castrametati et Philisthiim venisse in Aphec, et 5,1 : Philisthiim tulerunt arcam Dei et asportaverunt eam a Lapide adiutorii in Azotum. Ex iis quae s. v. APHEC 3 diximus, Lapis adiutorii ibi fere quaerendus erit, ubi nunc est *Beit Iksā* scil. inter Maspha Beniamin (nunc *Nebi Samwīl?*) et Sen (nunc *Deir Yāsīn?*). Sed si Maspha Beniamin componitur cum *Sha'fāt* (v. MASPHA 6), etiam Lapis adiutorii magis orientem versus quaeri debet.

LAPIS ANGULARIS. Usitata est locutio : domus Iuda, domus Israel pro ipso populo usurpata. Inde eadem metaphora ii qui talem domum quasi sustentant eique firmitatem praebent i. e. principes dicuntur hebr. quandoque angulares lapides (Vulgata anguli; cf. Iud. 20,2; 1 Reg. 14,38; Is. 19,13; Zach. 10, 4). Totus quoque populus Dei vocatur domus Dei Os. 8,1; consideratur enim tamquam una familia Dei in una domo habitans, cuius paterfamilias est Deus, quae acceptio frequens est in Novo Testamento (cf. 1 Cor. 3,9; Eph. 2,21; 1 Tim. 3,15; Hebr. 3,2-6). Quare Christus qui eius domus est fundator et qui Iudaeos et gentes in unam congregat familiam etiam vocatur angularis lapis, utpote qui duos parietes iungit et sustentat; ita Eph. 2,20 et 2,14 ipse est pax nostra qui fecit utraque unum. Huic autem designationi Messiae iam praeludebatur in Vetere Testamento. Ita Is. 28,16 : ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem etc.; i. e. Sion, centrum regni Dei, non destruetur ab hostibus et fundamentum illud immotum quod a Deo ibi est collocatum et in quo ipsa urbs firma consistit est promissio messiana, quae in rege messiano consistit. Propter regnum Dei messianum quod ex Sion se diffundere debet in orbem universum urbs ipsa eripietur periculo. Id eo loco vaticinatur Isaias. Messias autem totius firmitatis regni messiani et ratio et fundamentum est. Eandem imaginem ipse Christus sibi applicat, dum quaerit ex Pharisaeis : nunquam legistis in Scripturis : lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? cf. Matth. 21,42; Marc. 12,10; Luc. 20,17; Act. 4,11, ex Ps. 117,22. Uti in parabola de vinea principes synagogae ut coloni vineae describebantur, ita hic ut qui domum Dei aedificare deberent; Christum autem qui est totius aedificii fundamentum et coniunctio firma repudiabant.

LAPIS BOEN v. ABENBOEN.

LAPIS EZEL v. EZEL.

LAPIS ONERIS Zach. 12,3 : ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis i. e. ut S. Hieronymus bene explicat, ponam Ierusalem cunctis gentibus quasi gravissimum lapidem sublevandum. Certatim omnes theocratiam aggredientur; vires exserent ad lapidem istum sublevandum i. e. conabuntur tollere, vastare urbem; verum « omnes qui levabunt eum concisione lacerabuntur ». In dictione latere videtur allusio ad eos qui ponderosissimorum lapidum sublevatione vires suas certatim ostentare solent.

LAPPA exponitur hebr. הוֹח Os. 9,6 et קוֹץ ib. 10,8. Lappa est herba mala satis nota (germ. *Klette,* gall. *bardane*), cuius una species, scil. *Lappa maior* Linné (fam. *Compositae*) in Oriente invenitur. At utraque vox hebraica non

hanc plantam, sed species spinarum designat; v. SPINAE.

Cf. de lappa *E. Boissier*, Flora orient. III. 457; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 722 s.; *G. E. Post*, Flora of Syria 451.

L. FONCK.

LAQUEARE. Ea voce utitur S. Hieronymus 3 Reg. 6,9 : texit quoque domum (templum) laquearibus cedrinis; hebr. explicabis : texit domum trabibus et tabulis cedrinis; et 3 Reg. 6,15 summitatem parietum videtur explicare additis verbis : et usque ad laquearia; hebr. usque ad parietes tecti. Etiam Ier. 22,14 laquearia cedrina explicabis : palatium esse contignatum tabulis cedrinis. Proprie designantur lacunaria Cant. 1,17 : laquearia nostra cypressina. Domus autem laqueatas (Agg. 1,4) intellege tabulatas, quarum muri tabulis tecti et ornati sunt; quare Deus eos reprehendit qui domus suas exornant, domum vero Dei vastam ac desertam relinquunt.

LARUS in catalogo avium immundarum in libro Levitici nonum (Lev. 11, 16) et in Deuteronomio (14,15) decimum locum occupat. Explicatio vocis hebraicae שַׁחַף de laro, quam versio graeca λάρος confirmat, etiam a recentioribus generatim admittitur, ita tamen, ut nomen potius totam familiam *laridarum* quam unam aliquam huius familiae speciem designare merito supponatur. — Ex hac familia sat multae species palaestinenses enumerantur ad tria praesertim genera pertinentes, *Sterna*, *Hydrochelidon* et *Larus*. Forsitan cognatae quoque familiae, v. g. *Procellariidae*, eodem nomine comprehendi dicendae sunt.

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon P. II. l. II. c. 18 (*ed. Rosenmüller* III. p. 1-4); *P. Cultrera*, Fauna biblica p. 311 s.; *H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palestine, London 1884, p. 135-138; *id.* The nat. hist. of the Bible *ed.* 9, p. 210 s.

L. FONCK.

LASTHENES (Λασθένης), vir Cretensis qui multos milites mercenarios Demetrio tradiderat (*Flav. Ios.* Ant. XIII. 4,3). Eum Demetrius vocat parentem suum inscribens epistulam Λασθένει τῷ πατρὶ χαίρειν; erat igitur ei quam maxime familiaris et Lasthenes, qui ab eodem συγγενής appellatur, ei erat a consiliis. Similiter Gen. 45,8 Ioseph pater Pharaonis vocatur. Epistula Demetrii ad Lasthenen legitur 1 Mach. 11,32 ss. et eius exemplum missum est a Demetrio rege ad Ionathan l. c. 30.

LATER. De confectione laterum in planitie babylonica refertur Gen. 11,3 : « venite faciamus lateres et coquamus eos igne; habueruntque lateres pro saxis et bitumen pro caemento ». Atque revera antiquissima Babyloniae aedificia habent lateres coctos bitumine illitos (cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 334 s.). Nam ea in regione lapides ad aedificandum apti deficiunt, sicuti etiam in regione inferiore Nili deficiunt. Quare Israelitae quoque in Aegypto lateres conficere cogebantur (Ex. 1,14). Ut massa lutea, ex qua lateres conficiebantur, tenacius cohaereret, ei admiscebantur paleae, quae antea Israelitis dabantur, postea vero eas conquirere ipsi debebant et nihilominus eandem mensuram laterum conficere (Ex. 5,7 ss.). — Uti Assyrii et Babylonii in molli latere (antequam sole siccatus durescere) scripturae formas cuneatas imprimebant, ita simili modo iubetur Ezechiel in latere describere urbem Ierusalem vel delineare (4,1). Etiam in Palaestina aedificia ex lateribus sole siccatis esse confecta, patet ex arroganti iactantia Israelitarum : lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus aedificabimus (Is. 9,10). Irrisorie adhortatur Nahum Ninivitas, ut subigant lutum, lateres conficiant, ut interrupta scil. murorum struant (3,14). Muros cocti lateris (Is. 16,7. 11) intellege arcem ex lateribus exstructam i. e. Qir Moab, hodie *Kerak*.

LATITUDO, nomen putei (Gen. 26, 22) vide s. v. RECHOBOTH.

LATRINA (4 Reg. 10,27 ; ut maximum contemptum in Baal exprimerent, fanum eius dirutum est et fecerunt pro eo latrinas, cloacam (κοπρῶνα LXX). Ita similiter legitur in decreto Darii : qui hanc mutaverit iussionem, domus eius reddatur acervus stercoris vel cloaca

Esdr. 6,11 (aramaice); item Dan. 2,5 minatur rex Chaldaeis, si nequivissent indicare somnium et eius interpretationem « peribitis vos et domus vestrae in sterquilinium (acervum stercoris) redigentur » Dan. 2,5 (aramaice).

LATRO. Ea voce saepius S. Hieronymus reddit hebr. גְּדוּד quo vocabulo significatur turma militum, utique haud raro turma militum grassantium, praedam agentium. Ita qui 2 Reg. 4,2 principes latronum dicuntur, duces erant militum turmae qui partes tuebantur Isboseth filii Saul. Razon quoque, adversarius Salomon, princeps latronum i. e. dux turmae militum factus est (3 Reg. 11,23). Ad notionem turmarum praedatoriarum vox referenda erit 4 Reg. 6,23 : et ultra non venerunt latrones Syriae (Aram) in terram Israel. Sed de turma militum vox dicitur ter. 18,22 et 2 Par. 22,1; immo Iob 19,12 : simul venerunt latrones eius i. e. milites Dei, quos dolores intellegit divinitus immissos sibi. Ceterum eam vocem S. Hieronymus etiam vertit cuneum (1 Reg. 30,5), exercitum (2 Par. 25,13).

Eodem modo etiam latrunculus saepius ponitur, ubi in hebr. גְּדוּד habetur. Et revera milites praedam agentes intelleguntur 1 Reg. 30,8, ubi David Dominum consulit : persequar latrunculos hos etc.? et pariter v. 23 et 4 Reg. 5,2; 13,20. 21; 24,2; 1 Par. 12, 21. Eadem voce Os. 7,1 turma quaedam rapinis et lucro inhians designatur, quemadmodum Osee 4,2 furtum inter praecipua populi crimina enumerat, et ipsos quoque sacerdotes turmae praedantium similes esse conqueritur (6,9 hebr.). Eodem modo Isaias primores quasi latrones accusat : populum meum exactores sui spoliaverunt; vos depasti estis vineam et rapina pauperis in domo vestra (Is. 3,12. 14); neque aliter Michaeas 2,2. Et quod prophetae in principibus populi reprehenderunt, etiam Christus Pharisaeis exprobrat : quod intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate (Luc. 11,39); pleni estis rapina et immunditie (Matth. 23,25). Et apostolus quoque mandat, ut si quis frater i. e. homo christianus, sit rapax, omnes ab eius consuetudine se plane retrahant, et serio monet : nolite errare : neque fures neque rapaces regnum Dei possidebunt (1 Cor. 5,11; 6,10). — Quo magis augeretur opprobrium supplicii crucis pro Christo, duo latrones simul cum eo educti et in crucem acti sunt, quorum alter in Christum in cruce pendentem convicia iecit, alter priorem reprehendit et a Christo audire meruit : hodie mecum eris in paradiso (23,33 ss.; Matth. 27,38; Marc. 15,27).

LATUSIM, LATUSSIM (לְטוּשִׁם, Λατουσιείμ), tribus arabica, quae ab Abraham et Cetura originem duxit per Iecsan eiusque filium Dadan (Gen. 25,3 et in Vulgata 1 Par. 1,32). Quaerenda est in Arabia septemtrionali ad occidentem vergente. Aliquam coniecturam vide in Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XX. 1866 p. 175; XXIII. 1869 p. 298 et cf. XIV. 1860 p. 503 s. 447. 477 s.

LAUS. Quandoque is qui laudatur et celebratur, de quo quis gloriatur, appellatur laus; ita de Deo dicitur : fortitudo et laus mea Dominus Ex. 15,2; item Deut. 10,21; Is. 12,2. Saepius dicitur in Vulgata sacrificium laudis pro hebr. sacrificium תּוֹדָה, ita Ps. 49,14. 23; 106,12; 115,17; immo etiam laus, laudes quandoque eiusmodi sacrificium dicunt, uti 2 Par. 29,31; 33,16 et Ps. 55,13 laudationes. Inde quoque petitur Hebr. 13,15 : offeramus hostiam laudis i. e. fructum labiorum confitentium nomini eius. Hoc sensu translato dicitur Tob. 8,19 sacrificium laudis Deo offerre. Aliis in locis haec vox hebr. redditur sacrificium pro gratiarum actione; cf. Lev. 7,12. 13; 22,29. Pertinent haec sacrificia laudis vel gratiarum actionis, sicut sacrificia ex votis vel sponte facta, ad sacrificia pacifica שְׁלָמִים cf. Lev. 7,11-16. Vide s. v. HOSTIA. Apud LXX pro תּוֹדָה poni solet αἴνεσις.

LAVARE. Ablutiones et profanae et religiosae sat frequenter commemorantur. Ita in more positum erat, peregrinis, hospitibus pedes lavare; cf. Gen. 18,4; 19,2; 24,32; Luc. 7,14; 1 Tim. 5,10; id quod etiam inter officia famulorum recensetur; unde Abigail dicit ad David :

ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei (1 Reg. 25, 41); unde apparet, quantae humilitatis fuerit quod Christus pedes discipulorum lavit Ioan. 13,5. Lavabantur infantes recenter nati; quare eam ablutionem esse omissam recensetur Ez. 16,4 inter opprobria originis. Lotiones ad munditiem corporis et ad ornatum quendam instituebantur; cf. Ex. 2,4 filia Pharaonis descendit, ut lavaretur in flumine; admonetur Ruth a socru: lavare et ungere etc. Ruth 3,3; cf. 2 Reg. 11,2; David monet Uriam ex castris reversum: vade in domum tuam et lava pedes 2 Reg. 11,8; cf. Ez. 16,9; 23,40; Iudith 10,3; Dan. 13,15.

Multo frequentius sermo fit de ablutionibus religiosis. Ita in consecratione sacerdotum et levitarum. Nam Ex. 29,4 Moysi dicitur: cum laveris patrem (Aaron) cum filiis suis aqua, induces Aaron vestimentis suis (pontificalibus) et Num. 8,7 ei de levitis praecipitur: aspergantur aqua lustrationis. Porro labrum aeneum erat confectum et aqua impletum, quia sacerdotes manus et pedes lavare debebant ingressuri tabernaculum testimonii et accessuri ad altare Ex. 30,19; cf. Ex. 40,12. 29. Lotiones summo sacerdoti praescribebantur die expiationis Lev. 16,4. 24. Ad legem in Sinai accipiendam populus sese praeparabat lotis vestimentis Ex. 19,10. In ritu sacrificali quoque variae lotiones praecipiebantur; ita intestina et pedes victimae lavabantur aqua Lev. 1,9. 13; 8,21; 9,14; Ex. 29, 17. Si de sanguine victimae vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto Lev. 6,27; item vas aeneum, in quo caro victimae cocta erat, aqua lavari debebat Lev. 6,28; cf. 2 Par. 4,6.

Ad tollendas varias immunditias ablutiones corporis vel lotiones vestium inter alia praescriptae erant. Qui portaverit animal mortuum, lavabit vestimenta sua Lev. 11,25. 28; qui lepra infectus et a lepra sanatus est, lavabit vestimenta sua Lev. 13,6. 34; item vestis lepram quae habere videtur lavari debebat Lev. 13,54. 56. 58. Pariter sacrificio pro leproso oblato, debuit leprosus et vestimenta et se lavare Lev. 14,8. 9. Qui in domo de lepra suspecta comederit vel dormierit, lavabit vestimenta sua Lev. 14,47. Multae lotiones vestium et ablutiones corporum praescribuntur iis qui virum seminifluum vel aliquid ex eius rebus tetigerint, qui actum matrimonialem exercuerint Lev. 15,5 ss., qui morticinum comederit Lev. 17,15, et immundum tetigerit Lev. 22,6, qui caprum die expiationis emiserit et qui pelles et carnes victimarum combusserit Lev. 16,26. 28, similiter qui in victima vaccae rufae varia ministeria obierit Num. 19,7 ss. et qui aqua lustrationis expiatus fuerit Num. 19,19. Naaman iussus est lavari septies in Iordane, ut a lepra mundaretur 4 Reg. 5, 10. Demum lotio manuum in testimonium et significationem innocentiae vel immunitatis a crimine adhibebatur; cf. Deut. 21,6 venient maiores natu civitatis illius ad interfectum lavabuntque manus suas et dicent: manus nostrae non effuderunt sanguinem hunc; cf. Matth. 27,14 Pilatus lavit manus etc. — Tempore Christi a Pharisaeis multae lotiones observabantur: manibus non lotis manducare iis videbatur a pietate alienum: nisi laverint manus non manducant et a foro (reduces) nisi baptizentur non comedunt et observant baptismata calicum et urceorum et aeramentorum et lectorum Marc. 7,3. 4; cf. Matth. 15,2; Luc. 11,38. In signum luctus lotiones consuetae omittebantur; item tempore poenitentiae et afflictionis et ieiunii; quare David solvens ieiunium lotus unctusque est (2 Reg. 12,20) et Christus reprehendit eos qui exterminant facies suas ut appareant hominibus ieiunantes, et e contra monet: cum ieiunas, faciem tuam lava (Matth. 6,16. 17).

Cum sordes lotione eluantur et abstergantur, notio lavandi facile transfertur ad animi a sordibus peccatorum emundationem; unde: amplius lava me ab iniquitate mea Ps. 50,4; Is. 1,16 lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum; 4,4; Ier. 2,22 si laveris te nitro et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua; quibus verbis maximam quandam perversitatem notat propheta (simul autem docemur adhibitum esse ad vestes, lintea lavanda alcali fossile et

vegetabile, uti verbum כָּבַס indicat etiam calcando lotionem esse peractam); 4,14 lava a malitia cor tuum. Ad quam vocis translationem Christus quoque respicit in lotione pedum apostolorum dicens : qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet et est mundus totus Ioan. 13,10. Eodem modo dicitur Christus nos lavisse a peccatis nostris in sanguine suo Apoc. 1,5 et sancti laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni Apoc. 7,14; 22,14. Quare baptismus vocatur lavacrum regenerationis (Tit. 3,5); eo enim mundamur lavacro aquae in verbo vitae (Eph. 5,26) et ad vitam gratiae nascimur (Ioan. 3,5).

LAZARUS. Nomen erat frequens apud Iudaeos; est enim idem quod אלעזר Eleazar. Sed sub forma Lazari solum reperitur de paupere illo mendico in parabola Luc. 16,20 ss. et de fratre Mariae et Marthae, qui a Christo e sepulcro suscitatus est.

1. Lazarus mendicus Luc. 16,20 ss. Significatio nominis : *Deus iuvat* apta est ad sortem aeternam pauperis declarandam. Eius autem nomen aliquod opus erat efferre propter ipsam parabolam, in qua scil. dives in flamma cruciatus eum appellare nomine narratur : pater Abraham, mitte Lazarum etc. Quia itaque ex ipsa narrationis forma necessario nomen debuit indi, non licet concludere, rem non esse parabolam, sed vere gestam, cum habeatur nomen. Porro nomen Lazari consulto a Domino esse selectum, facile tibi persuaseris, si attenderis divitem rogare, ut Lazarus mittatur ad fratres convertendos, Christum vero respondere : si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent; quibus adde, mox postea revera Lazarum e mortuis resurrexisse neque tamen Iudaeos credidisse.

2. Lazarus, frater Mariae et Marthae, de castello (ἐκ τῆς κώμης) Bethania, hanc habet laudem, ut de eo Christo nuntietur : ecce quem amas infirmatur Ioan. 11,1 ss. et ut evangelista insuper addat : diligebat autem Iesus... Lazarum. Iesus nuntio de eius morbo accepto mansit in Peraea et non venit Bethaniam nisi die quarto a morte Lazari. Hoc miraculo resuscitationis Lazari synedristae quam maxime exacerbati sunt : quid facimus quia hic homo multa signa facit (Ioan. 11,47); itaque mors Christi decreta est (11,49). Quod consilium scelestum et mortem suam crudelissimam ex miraculo fore praevidens Iesus antequam miraculum operaretur infremuit spiritu et turbavit seipsum (11,33). Synedristae, principes sacerdotum eo miraculo, quod plurimorum admirationem et fidem in Iesum excitabat (11,45; 12,9), in tantam rabiem simul et obcaecationem acti sunt, ut et Lazarum interficere deliberarent (12,10). En, adeo verum est, quod Christus in parabola Lazari affirmarat : si Moysen et prophetas non audiunt (Ioan. 5,46), neque si quis ex mortuis resurrexerit credent. — Quae de Lazaro traditione feruntur (eum episcopum in Galliam cum sororibus profectum esse etc.), vide Kirchenlexicon *ed.* 2 VIII. p. 738, et *Duchesne* in libro de Maria Magdalena, et Analecta bolland. XII. p. 296; traditionem de Maria Magd. defendit *Dom François Plaine* (Correspondance catholique n. 16-18); verum in Analectis l. c. merito dicitur neminem qui sit rerum gestarum narrator aliquantulum serius (il n'est plus d'écrivain tant soit peu sérieux) quidquam momenti attribuere istis traditionibus de Lazaro etc.

LEAENA v. LEO.

LEBANA (לְבָנָה, Λαβανώ), Nathinaeus, cuius posteri duce Zorobabel ex captivitate redierunt (Esdr. 2,45); idem scribitur Neh. 7,48 לְבָנָא, Λαβανά.

LEBAOTH v. BETHLEBAOTH.

LEBBAEUS (Λεββαῖος) cognominatur Iudas Thaddaeus (v. IUDAS 7).

LEBES ponitur in Vulgata pro hebr. סִיר plerumque et etiam pro כִּיּוֹר. Significatur Ex. 27,3 vas ad suscipiendos cineres et eadem notio erit quoque 3 Reg. 7,40. 45 et 2 Par. 4,11. 16 retinenda et Ier. 52,18. Vasa haec fuisse confecta ex aurichalco (ex aere polito) narratur 3 Reg. 7,45. Alias lebes vas est ad carnes coquendas 1 Reg. 2,14;

2 Par. 35,13; Ez. 11,3 ss.; Mich. 3,3 et generatim olla Zach. 14,21; vas ad lavandum intellegitur Ps. 107,10 : Moab lebes spei meae i. e. explica ex hebr. non spei meae, sed רַחְצִי lotionis meae i. e. Moab quasi servus erit qui pelvim ad lavandum mihi praebere debebit, uti Edom l. c. servus est cui calceamenta portanda et purganda proiiciuntur.

LEBNA (לִבְנָה, Λεβωνᾶ), statio Israelitarum in deserto inter Remmomphares et Ressa (Num. 33,20. 21).

LEBNA, LOBNA et Ios. 15,42 Labana (לִבְנָה, Λεβνά, Λοβνά, Λεμνά, Λομνά), urbs in campestribus Iuda, in tertia provincia Sephelae (Ios. 15,42), antiqua urbs reguli chananaei (12,15), a Iosue expugnata post excidium Macedae et ante excidium Lachis (10,29. 30. 31. 32. 39). Sacerdotibus attribuitur Ios. 21,13; loco parallelo 1 Par. 6,57 [42] una cum Hebron urbibus refugii accensetur, sed pro עָרֵי haud dubie עִיר *urbs* sicut Ios. 21,13 legendum est, ita ut sola Hebron urbs refugii esse dicatur; textum enim librorum Paral. multipliciter corruptum esse multis aliis discrepantiis constat. Urbem in extremis finibus regni Iuda sitam et ab alienigenis quoque habitatam fuisse eo suadetur, quod regnante Ioram una cum Idumaeis a Iuda defecit (4 Reg. 8,22; 2 Par. 21,10). Eandem fuisse urbem munitam et in via, quae Aegyptum ducit, pro re militari magni momenti ex eo elucet, quod Sennacherib de Lachis adversus Lobnam castra movit (4 Reg. 19,8; Is. 37,8). Postmodum regno Iuda denuo subiecta fuisse censetur; de Lobna enim oriunda erat Amital, uxor Iosiae regis, mater Ioachaz et Sedeciae regum Iuda (4 Reg. 23,31; 24,18; Ier. 52,1).

Tempore Eusebii eadem Λοβανά appellabatur, in regione eleutheropolitana sita (Onom. *ed. Lag.* 274,13; 135,26). Attamen situs nondum repertus est. Proponuntur *Tell el-Ṣāfiye* (*Blanche-Garde*) plus tribus horis ab Eleutheropoli septentrionem versus (*Thenius, Riess*, Bibel-Atlas; *Stanley*, Sinai and Palestine 1866 p. 258), *el-Menshiye* duabus horis ab Eleutheropoli occidentem versus (*Van de Velde*, Memoir 1858 p. 330; *Survey of West. Pal.* Mem. III, 259. 261), *Khirbet el-Dawāime* duabus horis ab Eleutheropoli meridiem versus (*Kiepert*).

LEBNI, LOBNI (לִבְנִי, Λοβενί), filius primogenitus Gerson filii Levi, progenitor familiae leviticae Lebnitarum (Ex. 6,17; Num. 3,18. 21; 26,58; 1 Par. 6,17. 20 [6,2. 5]. Vulgata scribit Lebni Num. 3,18. 21, alias Lobni.

LEBONA (לְבוֹנָה, Λεβωνᾶ) Iud. 21,19 obiter tantum commemoratur ad determinandum situm Siluntis, quae ad meridiem oppidi Lebona collocatur. Communiter agnoscitur in vico *Lubban* quattuor horis a Sichem meridiem versus iuxta viam, quae in Ierusalem ducit; Silo (*Seilūn*) ab eo vico horae itinere distat inter meridiem et orientem. Cf. *Survey of West. Pal.* Mem. II. 286; *Guérin*, Samarie II. 165. In Mishna (Menachoth 8,6) *Beth Laban in monte* recensetur inter regiones, ex quibus potissimum Iudaei vinum in Ierusalem adducebant; haec probabilius eadem est quae Lebona (cf. *Neubauer*, Géogr. du Talmud, p. 82).

LECHA (לֵכָה, Ληχάβ) in genealogia Iuda 1 Par. 4,21 legitur; videtur urbs ceteroquin ignota designari, cuius pater seu possessor erat Her ex posteris Sela filii Iuda.

LECHI v. RAMATH LECHI.

LECI (לֶקִי, Λακεείμ), filius Semida Manassitae (1 Par. 7,19).

LECTICA; ita merito explicavit S. Hieronymus Is. 66,20 צִבִּים (quam vocem coniunctam cum עֲגָלוֹת Num. 7,3 plaustra tecta exposuit); LXX ἐν λαμπήναις in plaustris tectis. Eiusmodi lecta etiam Antiochus morbo perculsus gestabatur 2 Mach. 9,8 : nunc humiliatus ad terram in gestatorio (ἐν φορείῳ) portabatur.

LECTUS dicitur quandoque pro sola sponda; ita si de lecto ferreo Og regis Basan sermo fit Deut. 3,11 vel de lectis eburneis Am. 6,4 i. e. de spondis ebore tessellatis, sed plerumque de sponda

simul cum stragulo, opertorio, cervicali intellegitur. Saul iratus Davidi, quem aegrotare audierat, iubet eum afferri ad se in lecto (1 Reg. 19,15). Lectus pauperis pallio constabat; nam Ex. 22,26 : si pignus a proximo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei; ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius nec habet aliud in quo dormiat; cf. Deut. 24,13. Lectus in quo paralyticus portabatur vix alius erat quam ferculum cum stragulo (Matth. 9, 2), cum iubeatur tollere lectum suum (9, 6; Luc. 5,24). Ceterum vide s. v. GRABATUS.

LECUM (לֵקוּם, LXX Δωδάμ, sed Onomast. Λακούμ) assignatur Ios. 19,33 tamquam terminus tribus Nephthali. Putarunt aliqui, ut *Knobel,* significari montes Lokham i. e. partem septemtrionalem Libani quae ab Oronte fluvio occidentem versus inter Laodiceam et Antiochiam protendatur. Verum manifestum est terminum Nephthali non extendi in tantam a Palaestina distantiam. Ceterum ex ordine enumerationis Lecum probabilius quaeri debet, inter Iebnael (*Yemmā*) et Iordanem, ibi fere ubi hodie *'Aulam.* Pertinebat igitur ad illum pagum commutatorium, qui Nephthalitis ad austrum lacus Tiberiadis concessus est pro finibus, quos Danitae in Nephthali sibi arripuerant (cf. *F. de Hummelauer,* Comm. in Ios. p. 138).

LEDAN, LEEDAN לַעְדָן, 'Εδάν, Λαδάν), unus ex posteris Gerson, princeps familiae Gersonitarum (1 Par. 23,7. 8. 9; 26,21).

LEGATUS. Ex versione 2 Par. 9,14 posset videri legatos diversarum gentium Salomoni quotannis attulisse certum auri pondus. At in loco parallelo 3 Reg. 10,15 S. Hieronymus vocem תָּרִים non legatos transtulit, sed viros qui super vectigalia erant. Neutra tamen explicatio admitti potest. Alias ipse vocem de exploratoribus explicat (cf. Num. 14,6); fortasse ll. cc. textus emendatione indiget. Neque Ps. 67,32 de legatis ex hebr. est mentio, sed : venient pingues (i. e. nobiles, divites) ex Aegypto; cum LXX praebeant πρέσβεις, patet versio Vulgatae. Aliis in locis legatus idem est qui nuntius Prov. 13,17; 25,13; Is. 18,2 hebr. צִיר, et 1 Mach. 9, 70; 10,51; 11,9 etc. πρέσβεις; 13,21 πρεσβευταί, item 14,21. 22. 40; 15,17.

Phinces et decem principes, singuli de singulis tribubus missi sunt ex Silo ad Rubenitas et Gaditas in terram Galaad (Ios. 22,13); quare hos vocat S. Hieronymus principes legationis Israel (Ios. 22,21. 30). Tamquam legatum qui auctoritate praeditus a Christo mittatur se profitetur apostolus : pro Christo legatione fungimur πρεσβεύομεν, munere legati fungimur 2 Cor. 5,20, quod munus etiam captivus sibi adscribit : legatione fungor in catena Eph. 6,20. — De legatione mittenda Gen. 32,5 non est sermo, sed solum : mittam ad annuntiandum (hebr.).

LEGIO. Vocem eam S. Hieronymus quandoque versioni inseruit. Ita 2 Reg. 15,18 legiones Cerethi et Phelethi, et 1 Par. 18,17 Banaias (erat constitutus) super legiones Cerethi et Phelethi; at 4 Reg. 11,19 videtur legiones dicere pro hebr. רָצִים cursores, satellites, custodes corporis regis. In 1 Mach. 6,35. 45; 9, 12 ponitur, ubi graece φάλαγξ legitur i. e. generatim cohors instructa, acies (1 Mach. 6,38; 10,82 legitur apud aliquos testes φάραγξ; Vulgata praebet legionem, uti apud alios testes habetur φάλαγξ et sensu requiritur). Nomen legionis ponitur pro magna multitudine; ita si daemon respondet interrogatus de nomine : legio (λεγεών) mihi nomen est, quia multi sumus (Marc. 5,9; Luc. 8,30. 36). Voce significatur turma militum; verum numerus militum alius erat alio tempore; et primo quidem tempore legionem constituebant tria millia peditum et trecenti equites; tempore Valerii publicolae 4000 peditum et 300 equitum; tum 4200 peditum et 300 equitum; mox 5000 peditum et 300 equitum; 5200 peditum et 300 equitum; sub Mario 6000 peditum; *Vegetius* (2,6) legionem constare dicit 6100 peditum et 726 equitum. Ceterum dici potest quod *Tacitus* (Ann. 4,5) scribit : sed persequi incertum foret, quum ex usu temporis huc illuc mearent, gliscerent numero et aliquando

minuerentur (cf. *Pauly*, Realencyclopaedie der classischen Alterthumswissenschaft IV. p. 857 s.). Unde concludere poteris, maximum numerum angelorum designari, cum Christus dicat Petro : an putas quia non possum rogare Patrem meum et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum (Matth. 26,53); proin si vellet se defendere a turba, non indigeret auxilio apostolorum, quia posset habere duodecim legiones exercitus angelici.

LEGISPERITUS (νομικός), legis mosaicae doctor, interpres. Ea voce potissimum utitur S. Lucas (cf. Matth. 22,35; Tit. 3,13). Idem ordo designatur nomine frequentiore scribarum. Vide s. v. SCRIBA.

LEGUMINA, quae Daniel sibi cum tribus sociis cibum expetebat (Dan. 1, 12. 16), hebr. dicuntur זֵרְעִים (v. 12) et זֵרְעֹנִים (v. 16). Versio graeca Theodotionis σπέρματα, LXX autem et Fl. Iosephus (Ant. X. 10,2 n. 190) ὄσπρια exponunt. Eodem sensu quo Vulgata etiam recentiores interpretes vocem hebraicam generatim explicant de variis olerum et leguminum generibus, quae in cibum adhiberi solent. Haec autem genera ita declarat *Maimonides* (tract. De heterogeneis I. c. 8 ap. *Bochart*) : « Semina (זרעונים) dividuntur in tres species. Prima est eorum, quae vocantur proventus (seu fruges). Eorum sunt quinque species : triticum, spelta, hordeum, avena (spica vulpis), secale. Secunda eorum quae legumina vocant, id est omnia semina, quae ab homine comeduntur, ut fabae, pisa, panicum, oryza, sesamum, papaver, cicercula et similia. Tertia eorum quae vocantur hortensia semina, quae quidem ipsa non sunt apta ad esum, sed quod ab iis provenit, ab homine comeditur, ut caepe, allia, porri, nigella, rapa et similia ».

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon P. II. l. 1, c. 7 (*ed. Rosenmüller* II. 587 s.); *Chr. Clewberg*, De variis frumentorum et leguminum speciebus in S. Codice V. T. memoratis, Upsalae 1760; *K. Th. Menke*, De leguminibus veterum I., Goettingae 1814; *V. Hehn*, Kulturpflanzen und Haustiere, *ed.* 7, p. 210-220; *A. de Candolle*, L'origine des plantes cultivées, Paris 1883, passim.

L. FONCK.

LEHEMAN (לַחְמָם, Μαχές, A Λαμάς) urbs in campestribus Iuda, in secunda provincia Sephelae (Ios. 15,40). In codicibus hebraicis etiam scribitur לחמום, item in codicibus Vulgatae Lehemas, Leemas. Agnoscitur *Khirbet el-Laḥm* ab Eleutheropoli (*Beit Djibrîn*) meridiem versus (*Survey of West. Pal.* Mem. III. 261; *Legendre*, Carte de la Palestine).

LEHETH (יַחַת, Ἰέθ), filius Semei de stirpe Gerson (1 Par. 23,10. 11).

LENS hebraice עֲדָשִׁים (tantum in plur. occurrens) vocatur. Inter legumina et frumenta in agris ab Israelitis communiter colebatur (2 Reg. 23,11; cf. 1 Par. 11,13) et in cibum (Gen. 25,34; 2 Reg. 17,28) atque in panem adhibebatur (Ez. 4,9). Pariter ab antiquis scriptoribus profanis frequenter commemoratur (*Theophr.* Hist. pl. I. 4,2 etc.; *Vergil.* Georg. 1,228; *Columella* II. 10, 15; *Dioscur.* Nat. med. 2,129; *Plin.* XVIII. 12,123; *Athen.* 4,158 etc.), atque etiam Aegyptiis accepta erat, qui lentes *arshana* appellarunt, fortasse confundentes litteras hebraicas *d* et *r*. *Coctio rufa* dicitur lentis edulium ab Esau (Gen. 25, 30), quia fortasse iam tunc lentes folliculis et cortice detractis coquebantur, qui mos etiam hodie penes Aegyptios viget (*Regnier* ap. *A. de Candolle*); sed etiam color fuscus naturalis huius leguminis אֲדֹם appellari potuit quod alii de nomine cibi seu obsonii explicant, collato arabico *idām*.

De cultura lentis (*Ervum lens* Linné = *Lens esculenta* Moench = *Cicer lens* Willdenow, fam. *Leguminosae;* arab. *'adis*) cf. *O. Heer*, Pflanzen der Pfahlbauten, Zürich 1865, 23 (et fig. 19); *E. Boissier*, Flora orient. II. 598; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3 II. 2, 125; *V. Hehn*, Kulturpfl. u. Hausthiere *ed.* 7,210-20. *A. de Candolle*, Origine des plantes cultivées 257 s.; *Fr. Woenig*, Pflanzen im alt. Aeg. 214 s.; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, n. 156; *G. Buschan* im Ausland 1891, 293; *G. F. Post*, Flora of Syria 290. — Praeterea cf. *L. H. Ursinus*, Arb. bibl. Cont. II. 95 s.;

M. Hiller, Hierophyt. II. 124-8; *O. Celsius,* Hierobot. II. 103-6; *E. F. K. Rosenmüller,* Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1,88-90; *I. H. Balfour,* Plants of the Bible, ed. nova, 167-9; *P. Cultrera,* Flora bibl. 215-9; *H. B. Tristram,* Nat. Hist. *ed.* 8, 416 s.; *W. H. Groser,* Trees and Plants ment. in the Bible, *ed.* 2, 151-3.

L. FONCK.

LEO. 1. *Nomina.* Leonis mentio frequentissima in S. Scriptura occurrit; si textus, in quibus saepius de eis sermo est, pro una mentione computemus, manent supra centum varii loci librorum sacrorum principem inter bestias agri respicientes. In Vulgata praeter nomina communia *leonis, leaenae* et *leunculi* seu *catuli leonis* vix alia appellatio invenitur et similiter usus textus graeci V. et N. T. constans est in appellationibus consuetis λέων, λέαινα, σκύμνος λέοντος. In textu hebraico autem imprimis nomen genericum invenimus אַרְיֵה vel אַרְיֵה, quod pariter in lingua assyriaca (*arū*), aramaica aliisque semiticis occurrit. Catulus generatim dicitur גּוּר, si adoleverit, כְּפִיר. Aliud nomen, item linguis assyriacae et arabicae atque etiam aegyptiacae et copticae commune, triplici forma occurrit : לָבִיא, לָבִיא, לָבוּא, quarum ultima in solo textu Ez. 19,2 (pro *leaena*) adhibetur. Praeterea poetice leo appellatur לִישׁ (cf. ass. *nēshu*), fortasse ab insigni robore, et שַׁחַל a rugitu. Varias denominationes coniunctas habes v. g. Gen. 49,9 vel Iob 4,10 s. vel Ez. 19,2 s. — Multo maior est numerus nominum leonis in lingua arabica, in qua ex variis praesertim attributis quadringentis fere appellationibus designatur.

Cf. de nominibus leonis *Sam. Bochart,* Hierozoicon P. II. l. 3, c. 1 (*ed. Rosenmüller* II. p. 1-15); *C. Pauli,* Die Benennung des Löwen bei den Indogermanen, Münden 1873; *F. Hommel,* Die Namen der Säugethiere bei den südsemit. Völkern, Leipzig 1879, 287-294. — De singulis nominibus v. *Gesenius* et alia lexica.

2. *Frequentia leonum in regionibus biblicis.* Leones in Palaestina aliisque terris biblicis olim abundasse, tum ex numero nominum variorum, tum ex frequenti in sacris libris mentione facile colligitur. In Philisthaea, Iudaea, Samaria, in montibus Libani et Antilibani, in saltibus et silvis et praesertim in dumeto Iordanis leonum habitacula fuisse, plurimi Scripturae textus nobis testantur; cf. Iud. 14,5; 1 Reg. 17,34; 2 Reg. 23,20; 3 Reg. 13,24; 4 Reg. 17,25; Cant. 4,8; Ier. 5,6; 12,8; 25,38; 49,19; Am. 3,4 etc.

Idem nobis testantur etiam pro aliis regionibus orientalibus monumenta et inscriptiones Aegyptiorum et Assyriorum. Pariter auctores profani graeci et latini aliique praesentiam leonum non modo in toto oriente anteriore, verum etiam in Graecia, Macedonia et Thracia tamquam factum notorium supponunt. Paulatim vero et pedetentim bestiae ex illis regionibus recessere, ita ut nunc tum ex Europa, tum ex Asia minore, Syria, Palaestina prorsus disparuerint et in Arabiae interioris ac Mesopotamiae et Indiae partes atque in Africam sese receperint. Ultimi scriptores, qui de praesentia leonum in Palaestina nobis testimonium reliquerunt, videntur esse ex saeculo duodecimo, scil. *Daniel,* hegumenus rossus c. a. 1107 (Itin. c. 75. Itinéraires russes trad. *B. de Khitrowo,* Genève 1889, p. 59) et *Joannes Phocas* c. a. 1177 (Descriptio terrae sanctae c. 23. *M.* P. G. 133,952 s.).

De Aegyptiis cf. *Wilkinson-Birch,* Manners and customs II. 87 s. 97; III. 292 s.; *Ed. Meyer,* Gesch. d. alten Aeg. p. 116 s. 242 s.; *Ad. Erman,* Aegypten p. 510. 612; *F. Chabas* in Aegypt. Zeitschrift VI. 1868, 106; *R. Hartmann,* ap. *J. Dümichen,* Resultate I. 28 s. (ad tab. VIII et IX); *J. Dümichen* ap. *A. E. Brehm,* Tierleben *ed.* 3, I. 459 s. — De Assyriis cf. *H. Layard,* Monuments of Nineveh I. 9. 10. 31. 45,2. 46, 1. 48,2. 49,1 et 3. 50,1. 52,2 et 4. 53. 96; II. 2. 60. 64. 65; *G. Rawlinson,* Five great monarchies I. 39 s. 220 s. 224 s. 355. 358. 359. 360. 505-512. 515; *W. Houghton* in Transact. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 322-326. — De Hethitis cf. *Humann-Puchstein,* Reisen in Kleinasien und Nordsyrien, Berlin 1890, Atlas tab. 46; *H. V. Hilprecht,* Recent research in Bible Lands, Philadelphia 1897, p. 160. — Textus plurimos scriptorum graecorum et latinorum collectos habes ap.

H. O. Lenz, Zoologie der alten Griechen und Römer, Gotha 1856, p. 126-140. Quam frequens fuerit imago leonum in antiquis nummis et gemmis, ostendunt exempla ap. *Imhoof-Blumer* et *O. Keller*, Tier- und Pflanzenbilder I. 1-19; II. 34; IX. 27. 36; XIV. 5-30. 32-58; XV. 1-4. 7; XVI. 26. 68; XVII. 22. 30. 42. 48; XVIII. 30. 59; XIX. 33. 34; XX. 39. 58; XXII. 35; XXV. 30 etc.; cf. p. 3-6.

De historia naturali leonum cf. *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, I. 443-461; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. der Thiere I. 1 p. 191-198; *Leunis-Ludwig*, Synopsis *ed.* 3, I. 1 p. 182 s.; *H. B. Tristram*, The Fauna and Flora of Palestine p. 17 s. — Ex recentiorum opinione eadem est in variis regionibus species leonis (*Felis leo* L.), cuius diversae varietates tantummodo agnoscuntur.

3. ***Varii textus sacri de natura et habitibus leonis.*** Imprimis robur leonis celebratur, « fortissimi bestiarum, ad nullius pavens occursum » (Prov. 30, 30). Eius rugitus valde terribilis describitur : « Leo rugiet : quis non timebit? » (Am. 3,8). Modum, quo praedam suam capiat, varii textus respiciunt. Insidiatur praedae suae in dumeto, in specubus et antris (Ps. 9,9; 16,12; Iob 38,40), insilit in eam (Is. 5,29; Mich. 5,8), rugit super eam nec a voce pastorum formidat nec a multitudine eorum pavet (Is. 31,4) et dentibus suis fortissimis eam conterit (Is. 38,13; cf. Iob 4,10; Ps. 57,7; Ioel 1,6; Eccli. 21,3; Apoc. 9,8).

Leones foveis vel etiam retibus esse captos, colligitur ex Ez. 19,4 (hebr. 8); a regibus Babyloniorum et Assyriorum in caveis et lacubus esse servatos et humanis quoque carnibus pastos, tum ex monumentis assyriacis, tum ex Dan. 6,7 ss. et 14,31 ss.; vide s. v. LACUS.

4. ***Comparationes biblicae ex leonibus desumptae.*** Frequens imprimis laus heroibus tribuitur comparatione cum « fortissimo bestiarum ». Ita Dan dicitur catulus leonis (Deut. 33,22) et David laudat Saul et Ionathan aquilis velociores, leonibus fortiores (2 Reg. 1, 23); cor fortissimi cuiusque quasi cor leonis dicitur (2 Reg. 17,10) et duo bellatores duo leones Moab vocantur (2 Reg. 23,20; cf. 1 Par. 11,22) faciesque bellatorum describitur quasi facies leonum (1 Par. 12,8). Pariter iustus perhibetur quasi leo confidens sine timore (Prov. 28,1; cf. Nah. 2,11; 1 Mach. 3,4; 2 Mach. 11,11 etc.).

Quia leo cum fortitudine maiestatem quamdam coniungit, quaedam aliae comparationes ex eo desumuntur, quae regiam quamdam dignitatem produnt. Ita Gen. 49,9 de Iuda : « Catulus leonis Iuda; ad praedam, fili mi ascendisti; requiescens accubuisti ut leo, et quasi leaena : quis suscitabit eum? » Pariter Num. 23,24; 24,9; Mich. 5,8 et praesertim Apoc. 5,5 : « Vicit leo de tribu Iuda ».

Etiam rugitus leonis in comparationem terroris adhibetur : « Sicut fremitus leonis, ita et regis ira » (Prov. 19, 12); « sicut rugitus leonis, ita et terror regis » (Prov. 20,2), ac praesertim leo fremens et rapiens ac discerpens imago est tyrannidis vel furoris : « Leo rugiens et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem » (Prov. 28,15); « noli esse sicut leo in domo tua evertens domesticos et opprimens subiectos tibi » (Eccli. 4,35); « venatio leonis onager in eremo : sic et pascua divitum sunt pauperes » (13,23); « commorari leoni et draconi placebit [magis] quam habitare cum muliere nequam » (Eccli. 25, 23; cf. Ier. 2,30 etc.). Sed Dominus quoque eadem comparatione se terribilem hostibus fore declarat : « Quomodo si rugiat leo et catulus leonis super praedam, et cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit et a multitudine eorum non pavebit : sic descendet Dominus exercituum, ut praelietur super montem Sion » (Is. 31, 4; cf. Os. 5,14).

5. ***Leones sculpti.*** Imagines et figurae leonum ornamenti loco exprimebantur in basibus, de quibus sermo est 3 Reg. 7,27-29 (sed 1 Par. 28,17 pro כְּפִיר « leunculus », quod S. Hieronymus videtur legisse, alia habetur lectio כְּכוֹר « scyphus »). Item in throno Salomonis duo leones stabant iuxta brachiola et duodecim leunculi in sex gradibus, quibus ad thronum ascendebatur, hinc inde dispositi (3 Reg. 10,19; 2 Par. 9,18). Similes sculpturae leonum in mo-

numentis Aegyptiorum et Assyriorum frequentes occurrunt.

Cf. praeter auctores citatos *S. Bochart* l. c. cap. 1-6 p. 1-99; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Altert. IV. 2, 111-133; *id.*, Das alte und neue Morgenland IV. 379-381; *L. Lewysohn*, Die Zoologie des Talmuds p. 68-70; *H. B. Tristram*, Nat. hist. of the Bible, *ed.* 9, p. 115-120; *P. Cultrera*, Fauna biblica p. 165-190; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 10, p. 56-60; *J. G. Wood*, Bible animals, new edit. p. 18-28; *G. Lorela*, La zoologia nella Bibbia p. 354-358 et saepius; *F. Vigouroux*, Dict. IV. 267-280; *J. M. Casanowicz* et *S. Schechler* in The Jewish Encyclopaedia VIII. 94 s.

L. FONCK.

LEPRA. Distinguitur Lev. 13. 14 lepra hominum, lepra vestium, lepra domorum. Et quidem Lev. 13,1-43 traduntur regulae ad lepram humanam dignoscendam; dein 13, 44-46 praecipiuntur quae a leproso observanda sunt; 14,1-20 traditur modus eum qui leprosus fuerat ab immunditia legali liberandi; si de paupere agitur minora quaedam requiruntur (14,21-32). De lepra vestium agitur 13,47-59, et de lepra domorum 14, 33-53.

Leprae plagam, uti hodie in oriente, ita olim frequentem fuisse apud Iudaeos, libris utriusque testamenti constat (cf. Num. 5,2; 2 Reg. 3,29; 4 Reg. 7,3; 15,5; Matth. 8,2; 10,8; 11,5; Luc. 4,27; 17, 12 etc.). Continetur maculis albis nitentibus quae per totum corpus extenduntur. Distinguitur in lege lepra quae prorumpat in parte cutis capillata et lepra in parte cutis non capillata. Quae quidem lepra eadem est eiusque indicia indubia assignantur tria : plaga seu scabies in cute apparens, pili ea in cutis parte albescentes, scabies non in cute intumescens, sed in illam demissa. Si vero solus candor in cute apparet, nulla autem observatur cutis depressio vel pilorum mutatio, talis non est declarandus leprosus, sed recludendus per septem dies et si ille candor obscurior est factus neque creverit, ille est declarandus mundus; si contrarium contigerit, est ut leprosus habendus (Lev. 13, 1-8). Habetur quoque lepra, quando praeter squamam albam et pilos albescentes apparet cruda caro; sed ubi albedo super totum corpus extenditur, id sanitatis restituendae indicium est (13,9-17). Lepra quoque oriri potest in cute ulcere sanato, si nascitur squama alba vel subrufa, demissior et albescunt pili; eo in casu forte dubio diutius observari oportet (13,18-23); idem observetur in adusta cute (13,24-28). In lepra carnis capillatae indicia sunt eadem; at crinium color mutatur in flavum (13, 29-37).

Ii qui leprosi declarati sunt, iubentur seorsim habitare et alios externo habitu a se arcere (14,44-46). Si sanatio a lepra contigerit, debet praecedere sanati a sacerdote examinatio, lustratio et ablutio; dein post dies septem sanatus radet capillos et lavabit corpus et vestimenta et die octavo offeret sacrificia, quae pro paupere minoris pretii sunt (14,1-32).

Quando sermo fit de lepra vestium, clarum est non lepram intellegi, sed agi de maculis quibusdam ortis ex putrefactione vel ex lana animalium aegrotorum. Indicium petitur, creveritne an non macula; si creverit, vestis est immunda et debet comburi; quodsi non creverit quidem, attamen manserit macula, etiam comburetur. Si autem post lotionem macula obscurior facta est, pars illa a veste est abscindenda (13, 47-59).

Lepra domorum tunc haberi videtur, quando nitron e muris efflorescit, humorem absorbet, specie a lepra humana haud absimili; est haec nitrificatio alba, sed etiam subviridis, subrufa; facile obtinet, ubi murus in putida humo exstructus est. Domus ita infecta claudatur; si post septem dies lepra creverit, lapides infecti removeantur, restituantur integri, reliquus murus radatur et liniatur. Quodsi postea rursus apparuerint infectiones illae et maculae, domus debet destrui et lapides ac ligna dirutae domus abiicienda sunt in locum immundum (14,33-53).

Cf. *F. de Hummelauer*, Comm. in Lev. 13. 14. De hodierna leprae in Palaestina conditione vide Zeitschr. d. D. Pal.-Ver. XVI. 1893 p. 247; XVIII. 1895 p. 34. 41; *F. Pruner*, Die Krankheiten des Orients,

1847 p. 163; *Trusen*, Die Sitten, Gebräuche u. Krankheiten der alten Hebräer 1833.

LEPUS. 1. Lepus in sacris libris in solo catalogo animalium immundorum commemoratur (Lev. 11,6; Deut. 14,7). De significatione nominis hebraici אַרְנֶבֶת quod pariter in linguis cognatis arabica, aramaica, assyriaca (*annabu*) invenitur et in versione graeca δασύπους redditur, nullum dubium exsistit. Quattuor huius animalis species in Palaestina inveniuntur (*Lepus syriacus, L. sinaiticus, L. aegyptius, L. isabellinus*), quibus alii quintam addunt (*L. Iudaeae*); in habitu externo pleraeque lepori nostrarum regionum (*Lepus timidus* L.) satis similes sunt. Etiam in monumentis veterum Aegyptiorum et Assyriorum atque in nummis et gemmis graecis et romanis imago leporis frequens occurrit.

Cf. *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 83. 86. 89. 90. 92; III. 294 s.; *H. Layard*, Monuments of Nineveh II. 9. 32. 62; *G. Rawlinson*, Five great Monarchies *ed.* 4, I. 222. 225 s. 522 s.; *W. Houghton* in Transact. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 379; *F. Hommel*, Namen der Säugethiere p. 321 s. 364. 384; *H. O. Lenz*, Zoologie der alten Griechen und Römer p. 36. 156-159; *Imhoof-Blumer* et *O. Keller*, Tier- und Pflanzenbilder I. 23. 40; II. 10. 11; IV. 29; VII. 36. 39; VIII. 35; XV. 40. 41. 43-45. 50; XVI. 22. 25-33; XX. 42. 45. 46. 50; XXIII. 31; cf. p. 11 s. 95. 99-101; *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3, II. 621-629; *Ph. L. Martin*, Naturgesch. der Thiere I. 1, 371-373.

2. Esus carnis leporinae a nonnullis incolis regionum orientalium respuitur, ab aliis vero adamatur. In lege prohibitus erat, quia lepus « ruminat, sed ungulam non dividit ». Unde notissima illa difficultas de lepore ruminante contra veracitatem scriptoris inspirati exsurgit, de qua iam in articulo de choerogryllo pauca adnotavimus (vol. I. col. 879). Constat utique, leporem non esse ruminantem, cum simplicem tantum stomachum habeat nec cibos ex stomacho in os reducat. Constat pariter, expressionem hebraicam eam classem animalium designare, quae proprie ac stricte ruminent. Sed quaerenti, undenam talis classificatio a legislatore populi Israel desumenda fuerit, manifeste respondendum est, non ex signis scientificis ruminationem proprie dictam constituentibus, sed ex signis apparentibus populo notis eam necessario desumendam fuisse, ut ab hominibus, quos lex respiciebat, intellegi posset. Signa autem haec apparentia ruminationis populo notissima sunt motus illi characteristici labiorum et maxillarum, quos in bobus, ovibus, capris, camelis aliisque quotidie observare licet et semper licebat. Iam vero lepus motibus omnino similibus labiorum et maxillarum animalia ruminantia imitatur ideoque secundum externam speciem, quam Moyses populo legem statuens respiciebat, ab omnibus hominibus ad classem ruminantium pertinere diceretur. Unde ipse celeberrimus rerum naturalium investigator *Carolus Linné* eodem modo de lepore loquitur : Victitat *ruminans* ramulis fruticum et cortice arborum » (ap. *Rosenmüller*).

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon P. II. l. 3, c. 32 (*ed. Rosenmüller* II. p. 400-409); *Chr. Fr. Paullini*, Lagographia curiosa seu leporis descriptio, Augustae Vind. 1691; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Altert. IV, 2, 211-213; *L. Lewysohn*, Zoologie des Talmuds p. 109; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 218 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 9, p. 98 s.; *id.*, Fauna and Flora of Pal. p. 8 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 10, p. 46 s.; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia p. 101-107; *J. G. Wood*, Bible Animals, new edit. p. 96-100; *G. E. Post*. ap. *Hastings*, Dict. II. 303; *H. Lesêtre* ap. *Vigouroux*, Dict. IV. 250-252.

L. FONCK.

LEPUSCULUS v. CHOEROGRYLLUS.

LESA (לֶשַׁע, in pausa לֹשַׁע, Λασά), urbs quae Chanaan proprie dictam seu cisiordanicam inter meridiem et orientem terminat (Gen. 10,19); ducitur enim a Sidone linea prior usque Gazam, altera usque Lesa, ut Chanaanitis seu regio inter Sidonem et mare Mortuum describatur. Targum Hieros. et S. Hieronymus (Quaest. in Gen. 10,19) intellegunt Callirrhoen in *Wādi Zerqā Ma'īn* ad orientem maris Mortui sitam, thermis celeberrimam (*Flav. Ios.* Ant. XVII.

6,5; Bell. iud. I. 33,5; *Plin.* V. 16,72; *Ptolem.* V. 16,9 [*ed. Müller-Fischer* 15,6]). Assentiunt recentiores (*Keil, Delitzsch*); *Dillmann* autem dubium movet ex eo, quod Callirrhoe nimium aquilonem versus absit a termino Chanaan meridionali atque insuper ab oriente maris Mortui sit, dum contextus aliquem terminum ab occidente maris Mortui exigere videatur; simul tamen notat illam terminorum definitionem ad antiquissima tempora (cf. Gen. 19,29) esse referendam. — Urbis quidem vestigium apud Callirrhoën nullum superest neque ruinae balneorum; attamen traditionis testimonium non reiiciendum videtur. Cf. *Ritter*, Erdkunde XV. p. 94 et 572 s. — E contra *Wellhausen* interpretatus est Lais-Dan et terminum Chanaan septentrionalem, quam coniecturam emendatione vocis לֶשַׁע in לֵשָׁה vel לֵשֶׁם commendare conatur. In hac suppositione utique quattuor termini terrae Chanaan Gen. 10,19 indicantur: Sidon, Gaza, Pentapolis, Lais-Dan.

LESEM v. DAN 3.

LEVI (לֵוִי, Λευεί). **1.** Filius Iacob ex Lia, quem ei genuit tertium post Ruben et Simeon. Nomen explicatur a Lia: nunc quoque copulabitur mihi maritus... et idcirco vocavit nomen eius Levi (cf. ילוה copulabitur). Postmodum cum fratres Aaron de tribu Levi sacerdotibus tamquam ministri adiungerentur, iterum eodem modo alluditur ad nomen (Num. 18,2. 4 ילוו). Cum eius soror Dina a filio principis Hevaei oppressa esset, Simeon et Levi pessimo dolo vindictam capientes contra pactum initum multas commiserunt caedes (Gen. 34,1-31), quod facinus Iacob pater detestatus iis in poenam praedixit: dividam eos in Jacob, dispergam eos in Israel (Gen. 19, 5-7). Verum cum filii Levi in apostasia populi pro Domino zelantes gladiis rebelles interfecissent, a Moyse maledictio patris vertitur in benedictionem (Deut. 33,8. 9) et ipsa illa dispersio iam non est poena; sed cum eorum pars sit Dominus, non accipiunt in terra certam regionem, sed inter omnes tribus eis assignantur civitates 48 ad habitandum (vide s. v. LEVITAE). Mortuus est Levi annos natus 137 (Ex. 6,16); filii eius erant Gerson, Caath, Merari, ex quibus variae familiae ortae sunt; cf. Ex. 6,17-19. Quale pactum Deus inierit cum tribu Levi, per Malachiam malis sacerdotibus in memoriam revocatur (Mal. 2,5-7), quo loco vera sacerdotis forma describitur.

2. Filius Alphaei, quem sedentem ad telonium Iesus vocavit (Marc. 2,14; Luc. 5,27. 29); vide s. v. MATTHAEUS.

3. Levi nomen occurrit bis in genealogia Ioseph (Luc. 3,24. 29).

LEVIATHAN. 1. *Nomen.* Vox hebraica לִוְיָתָן in tribus textibus a Vulgata retinetur (Iob 3,8; 40,20 [hebr. 25]; Is. 27,1); in Psalmis vero bis cum graeca versione, a qua immediate fluxit latina, *draco* explicatur, id quod LXX etiam Is. 27,1 habent (Ps. 73[74],14; 103 [104], 26; gr. δράκων). Etymologice nomen videtur derivandum a radice לוה, cui etiam Arabes sensum *flectendi* vel *torquendi* tribuunt (*Bochart, Gunkel, Gesenius-Buhl* etc.); unde explicatio illa prophetae « super Leviathan, serpentem tortuosum » (Is. 27,1) etiam a recentissimis criticis tamquam vera etymologica explicatio comprobatur. Atque ita recte dicitur synonymum vocis תַּנִּין, de qua v. supra col. 114 s. v. DRACO.

Prima igitur significatio nominis est *belua immanis* atque hoc sensu videtur sumendum Is. 27,1 (v. *I. Knabenbauer* in h. l.) et Ps. 103 [104], 26. Potissimum vero adhibetur de *crocodilo*, maxime Iob 40,20 [25] et probabiliter etiam Iob 3,8 et Ps. 73 [74],14, ubi in ultimo textu est figura Pharaonis. Similiter תַּנִּין eodem sensu de crocodilo nilotico tamquam figura Aegypti occurrit Ps. 73 [74],13; Is. 51,9; Ez. 29,3; 32,2.

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon P. II. l. 5, c. 16 (*ed. Rosenmüller* III. 737 s.; *Theod. Hasaeus*, Disquisitio de Leviathane Iobi et ceto Ionae, Bremae 1723 (falso supponit esse *orcam* Plinii, scil. Physeterem vel Delphinum); *J. D. Michaelis*, Supplem. ad lex. hebr. p. 1427-1430; *H. Gunkel*, Schöpfung und Chaos, Göttingen 1895, p. 45 s.; mythologicas speculationes huius auctoris aliorum-

que criticorum de Leviathan hic neglegere possumus, cum in libris sacris praeter nomen beluae nullum mythologiae vestigium appareat.

2. *Crocodili descriptio in libro Iob.* Ad ostendendam infirmitatem hominis et Dei potentiam auctor libri Iob in ultimo magno sermone, quem Domino attribuit, postquam de Behemoth locutus est, magnificam de Leviathan descriptionem addit, quae a recentioribus unanimiter et merito de crocodilo nilotico intellegitur (Iob 40,20 [25]-41,25 [26]).

Poeta inspiratus imprimis illustrat infirmitatem humanam et potentiam Creatoris describendo generatim robur beluae fortissimae, contra quam homo neque vi neque persuasione quidquam potest efficere (40,20-41,2). Ad particularia deinde descendendo per singulas corporis partes robur membrorum et pulchritudinem animalis describere pergit (41,3-15) et terrorem eius virtutemque invictam celebrando sermonem concludit (41,16-25).

Omnia et singula in hac pulcherrima descriptione accuratissime crocodilo nilotico convenire in commentariis ostenditur. Cf. *Bochart* l. c. c. 16 s. p. 737-768; *S. Oedmann,* Vermischte Sammlungen III. 1-25; VI. 53-68; commentarios *Corn. a Lapide, I. Knabenbauer, A. Dillmann, K. Budde e. a.*

3. *Crocodilus in Aegypto et Palaestina.* Animal in libro Iob descriptum antiquitus tum in Aegypto tum in Palaestina vivebat atque etiam hodie ibidem invenitur. Atque in Aegypto quidem tota usque ad recentiorem aetatem abundabat, sed paulatim in superiores provincias se recepit, ita ut hodie in sola Aegypto superiore usque ad urbem Thebas ac praeterea in reliquis Africae orientalis et australis partibus inveniatur. Etiam in monumentis Aegyptiorum et in auctoribus antiquis saepe occurrit. Ab Aegyptiis praesertim in nomo arsinoitico, ubi urbs Arsinoe (prope hodiernam *Medînet el-Fayûm*) etiam nomen *Crocodilopolis* habebat sicut alia urbs Aegypti superioris prope colles *Gebelēn*, inter deos colebatur et post mortem bene conditus honoritice sepeliebatur.

In Palaestina vero in sola ora maritima inter montem Carmelum et Caesaream in paludibus iuxta *Nahr el-Zerqā* parvo numero vivit. Factum hoc, quod iam scriptores antiqui *Strabo* (XVI, p. 758) et *Plinius* (V. 17,19 n. 75) memorata urbe et flumine Crocodilon in ora Phoenices testantur, a recentioribus extra dubium videtur positum esse.

De Aegyptiis cf. Description de l'Égypte *ed. C. L. F. Panckoucke,* XXIV. (Paris 1829) 401-571 (*Étienne* et *Isidore Geoffroy Saint-Hilaire*); *Wilkinson-Birch,* Manners and Customs II. 130-135; III. 152-154. 329-334; *F. Chabas* in Aegypt. Zeitschr. VI. 1868, 99-106; *id.*, Études sur l'antiquité historique, Paris 1873, p. 401 s. (immerito negat, Leviathan esse crocodilum); *A. Erman*, Aegypten I. 327 s.; *K. Baedeker*, Aegypten *ed.* 5 p. CXII s. 179 s. 215. 310. 327. — Textus auctorum antiquorum collegit *H. O. Lenz*, Zoologie der alten Griechen und Römer p. 418-427. De imaginibus crocodili in nummis et gemmis antiquis cf. *Imhoof-Blumer* et *O. Keller*, Thier- und Pflanzenbilder VI. 29-31; XIV. 1; XV. 4; XXII. 46-48.

De crocodilis palaestinensibus cf. *H. Reland*, Palaestina III s. v. Caesarea p. 676 (Norimbergae 1716 p. 503), qui citat ex medio aevo Johannem [Iacobum] de Vitriaco, Hist. hierosol. c. 86 et, *Marinum Sanutum*, Secret. fidel. cruc. p. 152. Addere potuisset praeter alios itinerarium anonymum gallicum ex anno c. 1231 (Les Pelerinaiges por aler en Jherusalem, in Itin. de Jérusalem franç. *ed. H. Michelant* et *G. Raynaud,* Genève 1882, p. 91. Ex recentioribus cf. *Rich. Pococke*, Beschreibung des Morgenlandes, *ed.* 2, Erlangen 1771, II. 84 s.; *Osk. Böttcher* in Berichte der Senckenbergischen naturforsch. Gesellschaft 1879-1880, p. 199-206; *H. B. Tristram*, Fauna and Flora of Palestine p. 155; *id.*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 9 p. 257-262; *C. R. Conder* in Pal. Expl. Fund, Quart. Stat. 1888, 166; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 10 p. 127-136.

De historia naturali crocodili cf. *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 VII. 502-521; *Ph. L. Martin,* Naturgesch. der Thiere II. 1, p. 37-42; *Leunis-Ludwig*, Synopsis *ed.* 3. I. 1, p. 543 s. — Praeterea cf. *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alterth. IV. 2, 244-254; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 325-336; *J. G. Wood*, Bible Animals, new edit. p. 514-528; *G. Loreta*, La zoologia nella Bibbia p. 320-

336. — Fabulas talmudisticas rabbinorum de Leviathan collectas habes apud *J. A. Eisenmenger*, Entdecktes Judenthum II. 872-875; *L. Lewysohn*, Zoologie des Talmuds p. 155-158. 271; *Isaac Broydé* et *Kaufmann Kohler* in The Jewish Encyclopaedia VIII. 37-39.

L. FONCK.

LEVITAE, ii ex tribu Levi, qui sacerdotibus tamquam ministri adiuncti erant. Eorum munera generatim describuntur Num. 3,6 ss.; ubi Dominus ad Moysen loquitur : « applica tribum Levi et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei et excubent et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio eius; dabisque dono levitas Aaron et filiis eius ». Praeterea levitae Domino consecrati erant pro primogenitis populi. Cum enim Dominus in Aegypto percussis primogenitis Aegyptiorum redemisset ex servitute Israelitas, sibi voluit sanctificari omne primogenitum; sed ne singulae familiae obligarentur tradere primogenitum ad ministerium sanctuarii, « ego tuli levitas a filiis Israel pro omni primogenito » (Num. 3,12). Quare numerum et levitarum (ab uno mense et supra) et primogenitorum populi computari iussit. Inventi sunt levitae 22000, et primogeniti populi 22 273; isti qui excedebant numerum levitarum, singuli 5 siclis erant redimendi (Num. 3,15. 39 ss.). Levitae autem sacris ritibus, impositione manuum, sacrificiis oblatis ad munera sua initiabantur (Num. 8,6-15). Tribus cognationibus seu familiis distinguebantur : Gerson, Caath, Merari: singulis familiis assignabat Moyses et certum castrametandi locum prope tabernaculum et certa officia portandi vasa sacra et res sanctuarii, quando castra erant movenda. A trigesimo anno et supra usque ad annum quinquagesimum singuli levitae officia sua obibant (cf. Num. 3,17-38; 4,1-33). Cum numerus horum recenseretur in deserto (ab anno 30. usque ad annum 50.), inventi sunt 8580 (Num. 4,48). Pro itinere accurate describuntur levitarum officia; alias solum generatim iubentur ministrare sacerdotibus, excubias agere, praesto esse ad cuncta opera tabernaculi; prohibentur accedere ad vasa sanctuarii et ad altare (Num. 8,3-5). Nullus eo tempore commemoratur vestitus eorum peculiaris. Alio in loco iam a viginti quinque annis iubentur ministrare in tabernaculo foederis (Num. 8,24) scil. obire officia illa leviora, dum ad portandum non assumebantur nisi annos nati 30 et supra (Num. 4,47). Levitis autem dantur in possessionem omnes decimae populi; ipsi vero decimas decimarum dabunt sacerdotibus (Num. 18,21-24; cf. Lev. 27, 30). Pars quaedam praedae ac spoliorum etiam levitis separabatur (Num. 31,30), quamvis ipsi inter pugnatores non numerarentur (Num. 2,33). Ad habitandum assignantur iis urbes 48 cum pascuis (Num. 35,1-8; Ios. 21,2 ss.).

De officiis levitarum varia instituit et ordinavit David. Cum arca transferretur de domo Obededom et cum collocaretur in tabernaculo quod tetenderat David, levitae alii portabant arcam, alii erant cantores in organis musicorum, nablis, lyris, cymbalis; et uti David, ita levitae quoque induti erant stolis byssinis (1 Par. 15,2-27). Cum David senex recenseret levitas a 30 annis et supra, inventa sunt triginta octo millia virorum; ex his viginti quattuor millia distributa sunt in ministerium domus Domini; praepositorum et iudicum sex millia; ianitorum quattuor millia et totidem psaltae canentes Domino in organis. Officia autem obire debebant ab annis viginti et « erant sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, et in exedris, et in loco purificationis et in sanctuario et in universis operibus ministerii templi Domini... et stent mane ad confitendum et canendum Domino, similiterque ad vesperam, tam in oblatione holocaustorum, quam in sabbatis et calendis et sollemnitatibus reliquis » (1 Par. 23,28. 30. 31). Porro ad musicam sacram destinavit David filios Asaph et Heman et Idithun, qui numero ducenti octoginta octo in viginti quattuor classes dividebantur et in citharis et psalteriis et cymbalis Domino canebant (1 Par. 25,1-31);

in universum quattuor millia musicorum et cantorum recensentur (1 Par. 23,5). In ministerium sacerdotum designabantur aliae levitarum familiae (1 Par. 24,20-31); ordines et familiae ianitorum numerantur 1 Par. 26,1-19 (vide s. v. IANITORES). Porro aliae familiae constituebantur super thesauros domus Dei et vasa sacra (1 Par. 26,20-28); aliis munus scribarum et iudicum deputatum erat (1 Par. 26,29).

Praeter haec officia inveniuntur levitae etiam occupati in docendo populo; eos enim misit Iosaphat rex (2 Par. 17, 8); in instauratione templi sub Iosia levitae constituebantur praepositi operantium (2 Par. 34,12); eodem modo post exsilium levitae a viginti annis et supra ad urgendum opus Domini adhibebantur (Esd. 3,8); mittebantur quoque per regiones ad colligendas pecunias pro reparatione templi (cf. 2 Par. 24,5. 6). Cum sub Ezechia rege plurima offerrentur, ita ut necesse esset praeparare horrea in domo Domini, praefecti eorum instituebantur levitae (2 Par. 31,12).

In lege deuteronomica populo valde commendatur, ne neglegant levitis necessaria lubenter suppeditare (Deut. 12, 19; 14, 27 etc.). Cum Ieroboam in regno Israel cultum idololatricum induceret, eiecit sacerdotes et levitas, qui migrarunt in Iudam et Ierusalem (2 Par. 11, 13. 14; 13,9; cf. 3 Reg. 12,31). Secundum verba apud Ezechielem (44,10-14) sacerdotes illi stirpis leviticae qui ad idololatriam declinaverant, redigendi erant in ordinem levitarum, ut essent aeditui, ianitores, ministri templi ad mactanda holocausta et victimas, ad ministerium offerentium parati.

Etiam post exsilium commemorantur tres ordines : levitae, cantores, ianitores (Esd. 5,70; Neh. 7,73; 12,46); qui levitae simpliciter dicuntur, obibant munera levitica in templo et in sacrificiis, « opera quae erant forinsecus in domo Dei » (Neh. 11,16), quae 1 Par. 9,28-32 quoque describuntur : credita habebant utensilia sanctuarii, praeerant similae, vino, oleo, thuri, aromatibus, iis quae in sartagine frigebantur, et curam habebant panum propositionis. Ex exsilio cum Zorobabel redierunt in Iudaeam levitae 74, cantores 128, ianitores 139 (Esd. 2,41. 42; Neh. 7,45. 46 cantores 148, ianitores 138). Numerus sat exiguus, si consideraveris rediisse eo tempore sacerdotes numero 4.289 (Esd. 2,36-39).

Postea cum Esdras cum aliis iter in Iudaeam instituens comites recenseret, ne unus quidem levita inventus est (8, 15) et nuntio misso et adhortatione facta solum levitae 38 ad reditum se accinxerunt (8,18. 19). Inter eos qui mulieres alienigenas duxerant, erant et sacerdotes et levitae (Esd. 9,1; 10,5. 23). In reaedificanda urbe levitae quoque suas agebant partes (Neh. 3,17).

LEX. Nomine legis in libris novi foederis saepius Pentateuchus vel lex mosaica designatur v. g. Matth. 12,5; Luc. 2,22 ss.; 10,26; Ioan. 7,19; Act. 7,53; 23,15; Rom. 2,17 etc.; quare esse sub lege conditionem dicit hominum veteris foederis, vel esse in lege; cf. Rom. 3,19; 6,14. Dein omnes libri Veteris Testamenti compendiosa quasi formula dici solent lex et prophetae; cf. Matth. 5,12; 11,3; Luc. 16,16; immo nomine legis etiam totum Vetus Testamentum nominari solet, cum loci afferantur tamquam in lege scripti, qui in psalmis vel apud prophetas leguntur; ita Ioan. 10,34 : nonne scriptum est in lege vestra : ego dixi : dii estis i. e. Ps. 81,6; Ioan. 12,34 cf. Ps. 109,4 et Dan. 2,44; Ioan. 15,25 cf. Ps. 24,19; 1 Cor. 14,21 cf. Is. 28,11. Quae sit habitudo Christi ad legem, ipse declarat : nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere sed adimplere Matth. 5,17. Lex autem adimpletur vario modo secundum varia quae praescribuntur. Quatenus doctrina fidei morumque in ea continetur, adimpletur a Christo quia doctrina haec explicatur magis et redditur perfectior (cf. Matth. 5, 20 ss.); lex vero caerimonialis qua talis utique cessat; at quod ea lege continetur et praecipitur i. e. cultus Dei modo quodam longe sublimiore exhibetur institutione Christi; proin illa quoque lex ratione habita eorum quae significantur modo multo perfectiore impletur. Lex quoque iudicialis qua respublica Iudaeo-

rum regebatur cessat quidem quatenus ad indolem veteris theocratiae erat adaptata; verum haec quoque lex in ordinem altiorem evecta est, dum Christus regimen sacrum instituit. Quae enim lege caerimoniali et iudiciali proponuntur, considerentur oportet, sicut Vetus Testamentum in universum, tamquam figurae et typi; iam figurae et typi implentur ipsa re praefigurata; quare figurae ac typi adimpletione ipsa abrogantur et cessant; at notiones quae illis subsunt in ipsa impletione manent, immo perfectius exprimuntur. Unde quoque patet, cur Christus dicat : amen quippe dico vobis, donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant (Matth. 5,18); ad quod declarandum, exempla habentur 1 Cor. 9,9; Gal. 4,29. 30; Hebr. 11,2 ss. etc.

Legem veterem apostolus vocat litteram, ministrationem mortis, virtutem peccati, quatenus lex per se solum praecipit, docet peccata esse vitanda, et ipsis hisce praeceptis cognitionem peccati tribuit, concupiscentiam excitat ac stimulat, vim autem et virtutem ad peccata vitanda per se non largitur. Unde littera occidere dicitur (2 Cor. 3, 6), nam : cum venisset mandatum, peccatum revixit (Rom. 7,9); per legem quippe cognitio peccati (Rom. 3,20). Huic legi veteri, quam eadem ex causa appellat legem peccati et mortis (Rom. 8,2), opponit legem spiritus vitae in Christo Iesu; legem enim veterem quippe quae infirmaretur per carnem non potuisse hominem ad impletionem legis perducere; id autem fieri per Spiritum; si enim spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis (Rom. 8,13).

Mandata dein particularia frequenter legis nomine appellantur. Ita saepe hebr. חֹק redditur; cf. Lev. 10,15; 18,5; 19,19; 20,22; 26,15; Num. 27,11; 30, 17 etc.; ponitur quoque pro מִשְׁפָּט : locutus est Samuel ad populum legem regni i. e. ius vel iura quae regis erunt (1 Reg. 10,25) et 2 Par. 35,13; etiam pro דָּבָר, quia verbum Domini legem constituit; ita Num. 36,6; Ps. 118,57; pro תּוּשִׁיָּה Prov. 3,21.

Cum lex dicat et praescribat normam agendi, facili translatione usurpatur sensu quodam latiore; ita si Paulus loquitur de lege mentis, de lege in membris nostris, qua dictione id indicat quod mente approbatur, praecipitur, quod membris vel concupiscentia appetitur et quasi praescribitur etc.

De legislatione mosaica vide commentarios huius Cursus S. Scripturae in Pentateuchum, praesertim Prolegomena in Ex. Lev. Deut., quibuscum confer alium concipiendi modum apud *R. Cornely*, Introd. II. num. 1 ss. — Praeterea vide *I. H. Hottinger*, Iuris Hebr. leges; *I. Selden*, De iure nat. et gent. iuxta disciplinam Hebr.; *Spencer*, De legibus Hebr. ritualibus et eorum rationibus; *H. Reland*, Antiquitates sacrae vet. Hebr.; *Iken*, Antiquitates hebr.; *J. D. Michaelis*, Mosaisches Recht; *Bähr*, Symbolik des mosaischen Rechtes; *I. L. Saalschütz*, Das mosaische Recht; *Haneberg*, Gesch. d. bibl. Offenbarung; *P. Scholz*, Die hl. Altert. des Volkes Israel; *P. Schegg*, Bibl. Archäologie.

LIA (לֵאָה, Λεία), soror maior Laban, quam is per fraudem prius Iacobo uxorem dedit. Erat Lia lippis oculis, Rachel vero decora facie et venusto aspectu (Gen. 29,16. 17). Unde Iacob multo magis diligebat Rachel. Verum cum Dominus videret Liam esse odio habitam (hebr. Gen. 28,31) « aperuit vulvam eius sorore sterili manente ». Peperit Lia filios : Ruben, Simeon, Levi, Iuda; dein putans se desiisse parere, dedit pro se marito ancillam suam, Zelpham, quae peperit Gad et Aser; dein denuo peperit Lia Issachar, Zabulon, et filiam Dinam. Ipsa filiis indidit nomina, quibus suam in Deum pietatem et animum gratum significat (Gen. 29,32-30,21). Liam postea quoque fuisse uxorem minus dilectam, etiam colligitur ex ordine quo Iacob timens furorem et vindictam Esau filios et uxores collocat : in initio agminis quod maximo exponitur periculo posuit ancillam utramque earumque filios, loco secundo Liam eiusque filios; ultimo loco eoque tutiore Rachel et eius filium Ioseph (Gen. 33,2); idem elucet ex praedilectione quam habuit pro filiis Rachel, Ioseph et Beniamin. Deus autem filios Liae maiore dignitate orna-

vit : ex Iuda futuri erant reges et Messias (Gen. 49,8-12); ex tribu Levi sacerdotes Domini et Moyses et Aaron. Liam sepelivit Iacob in sepulcro Abraham et Sarae et Isaac et Rebeccae (Gen. 49,31). Mortua est itaque ante ingressum in Aegyptum. De sepulcris trium patriarcharum eorumque uxorum Sarae, Rebeccae et Liae vide s. v. HEBRON 3.

LIBAMEN, LIBATIO. In sacrificiis simul cum ferto saepius praescribitur libatio vini. Quae libatio dicitur consummatio (συντέλεια) sacrificii et ornamentum oblationis (κοσμῆσαι Eccli. 50, 14. 15). De ritu libationis nihil aliud in libris sacris traditur nisi quod habetur Eccli. l. c. : effudit (sacerdos) in fundamento altaris (εἰς θεμέλια) odorem divinum excelso principi (ὀσμὴν εὐωδίας ὑψίστῳ παμβασιλεῖ). Praescribitur libatio vini in iugi sacrificio quod singulis diebus mane et vespere offerebatur, pariter in holocaustis calendarum, dierum paschalium, diei expiationis, dierum festi tabernaculi (Num. 28. 29; cf. Ex. 29,40), pariter in sacrificio pentecostes, de quo Lev. 23,18 et in holocausto pro ignorantia multitudinis, de quo Num. 15,24; pariter in sacrificiis quae quis sponte offert Num. 15,4-14 et in hostia pacifica nasiraei Num. 6,17. Quantum vini ad libationem requiratur accurate praescribitur : ad sacrificium agni quarta pars hin (Num. 28,7); ad sacrificium arietis tertia pars hin; ad sacrificium vituli (iuvenci) media pars hin; cf. Num. 15,7; 28,14 (hin autem sexta pars est mensurae bath). Cum Lev. 23,18 holocaustum et fertum et libatio dicatur sacrificium (אִשֶּׁה) in odorem suavissimum Domino (cf. Ex. 29,41; Num. 15,7-10; 28,8), aliqui putabant de vino quoque aliquid igni altaris esse iniectum (cf. *Paul Scholz*, Die heiligen Alterthümer II. p. 207; *Schegg*, Biblische Archaeologie p. 506-7), quod tamen ex ea appellatione colligi non posse videtur; et esset sane mirum, si in illa tam accurata caerimoniarum descriptione hoc unum esset silentio praetermissum. Vinum effundebatur totum; sacerdotes enim sacris fungentes a vino abstinere iubentur (Lev. 10,9). Phialae autem vel cyathi ad libandum vinum ex auro conficiebantur (Ex. 25,29; 37,16) et libatio solum ad altare holocautomatum, neutiquam ad altare thymiamatis fiebat (Ex. 30,9).

In Vulgata legitur quandoque libamentum, ubi in hebr. non habetur; cf. Lev. 6,14 (hebr. 6,7); 7,29; saepius ponitur notione generali oblationis pro מִנְחָה Lev. 9,17; 14,20. 31; 23,13; Num. 7,87; 8,8; 28,31; 29,14; Iud. 13,19. 23; ponitur quoque pro קֹטֶר Ier. 18,15; 19, 14; pro תְּרוּמָה Ez. 44,30; Neh. 10,37; 12,43.

Libatio alterius generis habetur Gen. 35,14; Iacob oleo infuso lapidem consecravit in memoriam apparitionis Domini; item Gen. 28,18. Effusio aquae ad significandam poenitentiam refertur 1 Reg. 7,6 et David dicitur libasse Domino aquam quam cum vitae periculo ei viri tres attulerant de cisterna Bethlehem 2 Reg. 23,16. 17.

LIBANUS (לְבָנוֹן, in prosa semper cum articulo הַלְּבָנוֹן i. e. albus; Λίβανος; apud Phoenices לבנן; assyr. *labnānu* cf. *Delitzsch, Schrader-Whitehouse;* aegypt. fortasse *ramanan* cf. *W. M. Müller*), mons altissimus a septemtrione Palaestinae iuxta Phoenicem protensus et in Vet. Test. frequenter laudatus (Deut. 1, 7; 3,25; 11,24; Ios. 1,4; 9,1; 13,5. 6; Iud. 3,3; 3 Reg. 9,19; 2 Par. 8,6; Iudith 1,7; Ps. 28[29],6; 71[72],16; Cant. 4,8. 15; 5,15; 7,4). De cedris Libani v. CEDRUS. Isaias propheta frequenter oracula sua montis Libani comparationibus illustrat : Libanus Assyriorum potentiam et pompam repraesentans ad nutum potentioris corruens depingitur (Is. 10,34); ablato iugo babylonico arbores Libani inter se gratulantur : iam quiete degimus (14,8); populi exaltatio ita describitur, ut Libanus in campum frugiferum vertatur i. e. ut fructum afferat, quod sterile videbatur (29,17); confusus est Libanus ab Assyriis vastatus (33,9); salus messianica in eo cernitur, quod desertum iam gloria Libani, decore Carmeli et Saron exornatum sit (35,2); expeditio Assyriorum in Palaestinam describitur velut ascensus in Li-

banum, deiectio principum velut succisio cedrorum (37,24); Dei maiestas tanta esse dicitur, ut ad eam digne celebrandam Libanus nobilissimus lignis pretiosis ac feris omnibus ad holocaustum missis non sufficiat (40,16); nova Sion prae vetere ita praecellit, ut ei iam tota gloria et magnificentia Libani detur (60,13). Apud Ieremiam contumaces arguuntur ex similitudine insensibilium, quae ordinem a Deo statutum servant, sicut nix Libani non deficit de solo petroso Libani (Ier. 18,14); arx regia in monte Sion posita dicitur caput Libani (22,6); admonetur urbs Ierusalem, ut ascendat Libanum et lugubri clamore omnibus gentibus in circuitu annuntiet cladem suam ex prostratione sociorum (22,20); describitur Ierusalem cum maiestate et securitate sedens in Libano et nidificans in cedris (22,23). Eadem imagine praesupposita apud Ezechielem Nabuchonosor velut aquila rapax post suum per alias terras volatum ad Libanum i. e. Ierusalem accessit et cedri summitatem, ramum celsiorem abstulit (Ez. 17,3); Assur quoque est quasi cedrus in Libano (Ez. 31,3), ob cuius ruinam Libanus luctum induit (31,15) aliaeque arbores Libani aquam potantes i. e. alii reges devicti iam libentius clades suas ferunt visa ignominia Assur (31,16). Plantatio Dei describitur radices agens ut Libanus (Os. 14, 6), odorifera ut Libanus (14,7), cuius memoriale ut vinum Libani (14,8). Coram Dei potentia flos Libani elanguit (Nah. 1,4). Violentia in Libanum commissa Chaldaeis exprobratur (Hab. 2, 17). Dispersorum reditu etiam regiones Libani implebuntur (Zach. 10,10); sin autem populus contumax est, iam iubetur Libanus apertis portis suis recipere hostes et ignem (11,1).

Libanus hodie vocatur *Djebel Libnān*. Extenditur a *Nahr el-Qāsimīye* (Lita) supra Tyrum usque ad *Nahr el-Qebīr* supra Tripolim. Eius altissima cacumina sunt in parte septemtrionali *Dhahr el-Qoḍīb* (3063 m), *Djebel Makmal* (3052 m), *Djebel Tizmārūn* etc. Ad radices occidentales *Dhahr el-Qoḍīb* cernitur celeberrima silva cedrorum prope vicum *Bsherre*, quae indicatur 4 Reg. 19,23: saltus Carmeli eius (Libani) i. e. silva eius horto similis.

Libanum a iugis montium oppositis seu Antilibano separat vallis frugifera *el-Beqāʿa*, planities Massyas seu Marsyas veterum (*Polyb.* V. 45. 46. 61; *Strabo* XVI. 2,10. 18), Coele Syria sensu artiore. Prope *Baʿalbek* originem habent duo fluvii, quorum alter Orontes (*Nahr el-ʿAṣi*) septemtrionem petit et prope Antiochiam tandem in mare effunditur, alter Lita (*Nahr el-Līṭānī*) meridiem versus fluit et infra Libanum cursu fere rectiangule flexo ad mare tendit, novo nomine *Nahr el-Qāsimīye* vocatus.

Mons a Libano valle *el-Beqāʿa* separatus apud Graecos vocabatur Antilibanus (Ἀντιλίβανος), apud Flavium Iosephum mons Coelen Syriam disterminans (Ant. XIV. 3,2) vel etiam Libanus (V. 1,22; 3, 1), hodie *Djebel el-Sherqi*. In S. Scriptura Antilibanus ipse non memoratur, sed eius pars extrema meridionalis vel potius continuatio, mons Hermon, et Antilibani pars septemtrionalis, Sanir (v. s. v. HERMON). De capite Amana Cant. 4, 8 v. ABANA.

Cf. *Delitzsch*, Paradies p. 103 ss.; *Schrader-Whitehouse*, Cuneif. Inscr. and Old Test. I. 172 ss.; *W. M. Müller*, Asien und Europa nach altaegypt. Denkmälern 1893, p. 197 ss. — De Libano generatim v. *Reland*, Palaestina I. 311 ss.; *I. L. Burckhardt*, Reisen in Syrien, Palaestina, *ed. Gesenius* 1823 p. 37 ss.; 213 ss.; *O. Fraas*, Drei Monate im Libanon, Stuttgart 1876; *Baedeker-Benzinger*, Palaestina und Syrien *ed.* 5 p. XLIV. 320 ss. 366 ss.; *F. Buhl*, Alt. Pal. 1896 p. 110 ss.; *J. Dötler*, Geogr. u. ethnogr. Studien zum III. u. IV. Buche d. Könige 1904 p. 116-118.

LIBANUS (λίβανος; cf. hebr. לְבֹנָה) ponitur in Vulgata Eccli. 24,21 et 39,18 notione thuris, dum aliis in locis vox graeca λίβανος latino vocabulo thuris redditur; ita Eccli. 50,8. 9; Bar. 1,10. Libanus non incisus intellegitur resina, thus, id quod ex arbore ita effluit vel evaporatur, ut incisione non sit opus; eiusmodi censetur esse optimum; ei itaque Eccli. 24,21 sapientia comparatur; graece ὡς λιβάνου ἀτμίς. Ceterum v. THUS.

LIBATORIUM, graece σπονδεῖον, vas quo vinum in sacrificiis libabatur; quod vas ex auro erat conficiendum Ex. 25, 29; 37,16. Vox solum legitur 1 Mach. 1, 23; nam Eccli. 50,16 σπονδεῖον vertitur voce libationis : extendit manum suam in libatione (ἐπὶ σπονδείου).

LIBELLUS REPUDII (סֵפֶר כְּרִיתֻת, βιβλίον ἀποστασίου), cuius lex habetur Deut. 24,1 ss. Si scil. vir uxorem voluit dimittere, debebat ei dare scriptum, quo scil. constaret eam esse legitime dimissam et proinde posse nubere licite alii viro. Ratio ob quam dimissio fieri poterat assignatur : si vir invenerit in ea aliquam foeditatem (ערות דבר, LXX ἄσχημον πρᾶγμα). Locutio haec adhibetur quoque Deut. 23,15 ibique refertur ad pollutionem nocturnam et excrementa humana; unde significat generatim ea quae pudenda sunt et foeda. In scholis rabbinorum de causa dimissionis disceptabatur. In tractatu mishnico proponitur causa dimissionis mala uxoris fama, eius sterilitas, votum quod invito marito vel inscio fecit; demum affertur scholam Hillelis dicere uxorem repudiari posse, si combusserit decoctum viri, et rabbi Akibam, si aliam invenerit vir pulchriorem; scholam autem Schammai, non posse repudiari nisi invenerit in ea דבר ערוה aliquid inhonesti (cf. *Surenhusius* III. p. 336. 337. 358). Invaluisse modum laxiorem dimittendi colligitur iam ex Eccli. 7,21 et Mal. 2, 14 et praesertim quia Pharisaei interrogant tentantes Christum : si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa (Matth. 19,3). Libellus repudii Iudaeis permittebatur ob duritiem cordis eorum (Matth. 19,8); verum ipsa confectione scripti eiusmodi et causa sola rei turpis assignata praecavebatur, ne impetu furoris statim neve ad libitum posset dimitti. Utique frenum hoc alterum, rem turpem neque aliam, doctores legis et mores corrupti mox removebant. Vir uxorem dimissam iam non poterat ducere. Christus libellum repudii abolevit, matrimonium ad institutionem primaevam reduxit, ita ut sola morte matrimonium consummatum solvatur; eum tamen permittere ob fornicationem uxoris separationem ab ea i. e. eius dimissionem manente vinculo, et ex eius verbis Matth. 19,9 (5,32) et ex doctrina apostoli 1 Cor. 7,10. 11 habetur. Cum foedus Dei cum populo consideretur quasi sacrum quoddam connubium, eiectio populi in exsilium, qua a terra Domini eiusque foedere separabatur, designatur tamquam dimissio et traditio libelli repudii; cf. Ier. 3,8; at cum Deus foederi suo ac promissis omnino stet neque populum suum plane abiiciat neque eum a suo cultu dimittat, ex altera parte etiam negatur eum dedisse librum repudii populo exsuli Is. 50,1.

LIBER. Uti ex Ier. 36,2. 23 colligi potest, materia librorum apud Iudaeos papyro constabat; non pellibus ad scribendum praeparatis, uti etiam putatum est. Nam incredibile est regem folia ex pellibus vel corio iniecisse in ignem et coram se combussisse, quorum fumus esset satis molestus. Libros in formam voluminum esse effectos ipsa voce מְגִלָּה satis indicatur; plura scil. folia ita inter se consuebantur, ut continuatum quasi folium constituerent; ex altera tantum parte conscribebantur et uno terete baculo circumvolvebantur et complicabantur in formam cylindri. Qui modus hodiedum adhuc in voluminibus pro usu synagogarum adhibitis servatur; membrana scil. illa ex pluribus inter se consutis continuata illigatur duobus teretibus baculis qui capulos habent quos manu tenens qui legit potest evolvere vel convolvere librum. Quare bene dicitur Luc. 4,17 : et traditus est illi liber Isaiae prophetae et ut *revolvit* librum (ἀναπτύξας in compluribus codd.).

Ceterum apud Hebraeos liber סֵפֶר dicitur scriptum quantumvis breve sit; ita 2 Sam. 11,14; 3[1] Reg. 21,8 (hebr.); 4[2] Reg. 5,5 (hebr.), ubi in Vulgata epistula, litterae habentur; Is. 37,14; 39,1; Ier. 32,12 liber emptionis; simili modo Matth. 1,1 liber generationis i. e. liber originis, catalogus progenitorum; ea quippe dictione ipsa genealogia designatur; cf. Neh. 7,5 liber census, i. e. tabulae quibus inscripti erant qui ascenderant primum in urbem Ierusalem.

Laudatur Num. 21,14 liber bellorum Domini, de quo praeter nomen et verba illuc laudata nihil constat; idem dicendum de libro Iustorum Ios. 10,13 et 2 Reg. 1,18 (סֵפֶר הַיָּשָׁר); liber verborum dierum Salomonis et liber verborum dierum regum Iuda, regum Israel, qui saepe laudantur (2 Reg. 11,41; 3 Reg. 14,20 etc.), res gestas regum continebant; erant itaque annales regni, ex quibus ea quae in sacris litteris referuntur de regibus deprompta videntur. — Ceterum vide de libris deperditis utriusque Testamenti *Cornely*, Introd. *ed.* 2 I. n. 83 p. 246 ss. II. 1 p. 296 ss.

Apud Dominum repositus censetur liber vitae, quasi catalogus eorum qui vivunt, qui inter Dei amicos recensentur, qui vitae aeternae heredes erunt. Significatio non esse eadem in omnibus locis videtur. Si Moyses dicit ad Dominum Ex. 32,32 : si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti, videtur petere, ut ipse potius moriatur quam ut Deus populum idololatria commissa deleat; nam petitio eius ad minas Dei Ex. 32,10 referri debet. Qui sensus quoque cernitur Ps. 68,29 : deleantur de libro viventium et cum iustis non scribantur; et Ps. 138, 16 videtur dici Dei scientia comprehendi omnes : in libro tuo omnes scribentur. — Post laudem sapientiae Eccli. 24,23 additur : ταῦτα πάντα βίβλος διαθήκης θεοῦ ὑψίστου; in Vulgata v. 32 : haec omnia liber vitae et testamentum Altissimi; i. e. qui sapientiae studet, habet doctrinam vitae. Si vero apostolus scribit : quorum nomina sunt in libro vitae Phil. 4,3, eos intellegit qui regno Dei adscripti sunt heredes bonorum caelestium; nam qui bestiam adorant, eorum nomina non sunt scripta in libro vitae Agni (Apoc. 13,8) et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis (Apoc. 20,15); verum qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis et non delebo nomen eius de libro vitae (Apoc. 3,5). Apud Deum quasi in tabulas vel in album referri qui eius sint, iam Ps. 86, 6 quoque indicatur. Quod in sacra liturgia habetur : liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus iudicetur, efformatum est secundum illud apud Danielem 7,10 : iudicium sedit et libri aperti sunt.

LIBER, Διόνυσος, Bacchus, quem mythologi inventorem vini faciunt; festum in eius honorem celebratum, Bacchanalia, Διονύσια, commemorantur 2 Mach. 6,7, in quibus cogebantur hedera coronati Libero circuire (πομπεύειν). Nicanor minatus est se templum hierosolymitanum consecraturum esse Libero patri (ἱερὸν ἐνταῦθα τῷ Διονύσῳ ἐπιφανὲς ἀναστήσω, 2 Mach. 14,33)

LIBERI vide s. v. EDUCATIO.

LIBERTINUS Act. 6,9 : surrexerunt autem quidam de synagoga quae appellatur Libertinorum (τῶν λεγομένων Λιβερτίνων, ita *Tischendorf*; τῆς λεγομένης *Westcott*, et codd. longe plerique). Libertinus is dicitur qui ex servo liber factus est. Libertini ideoque ii ex Iudaeis nominabantur qui cum bello capti essent a Romanis postea libertate donati sunt. Ex quo tempore enim Pompeius Palaestinam invaserat, multi Iudaeorum bello capti Romam adducebantur, ex quibus haud pauci postmodum libertate donati Romae habitabant (cf. *Philo*, Legat. ad Cai. 23); alios in urbem patriam rediisse probabile est. Iis eorumque posteris mansit nomen libertinorum, quo a Iudaeis ingenuis distinguerentur. Alii putabant eo nomine designari servos romanos manumissos, qui Iudaeorum sacris addicti synagogam in urbe habuissent (cf. *Tacitus*, Annal. 2,85, quattuor millia libertinorum superstitione iudaica infectorum missa esse in Sardiniam). Cum Act. 6,9 praeter hoc nomen reliqua urbes vel regiones significent (Cyrenenses, Alexandrini, Cilicia, Asia), etiam in eo urbem vel regionem esse quaerendam ab aliquibus existimatum est. Ita in armena versione synagoga Libyorum legitur, Suidas quoque ὄνομα ἔθνους esse vult; at urbs Libertum haud innotuit, neque ex eo quod in synodo carthaginiensi anno 411 facta episcopus libertinensis nominatur, appellatio Λιβερτῖνοι explicari potest. Quare cum longe plerisque interpretationi quam iam habet S. Chrysostomus acquiescendum erit : οἱ Ῥωμαίων ἀπελεύθεροι.

LIBRA (λίτρα) pondus est unciarum duodecim (Ioan. 12,3; 19,39).

LIBRARII. Legitur in Vulgata Esth. 8,9 : accitisque scribis et librariis regis... scriptae sunt epistulae. De solis scribis regis mentio fit in textu hebraico (LXX ἐκλήθησαν δὲ οἱ γραμματεῖς).

LIBUM. Ea voce Num. 28,30 redditur in Vulgata מִנְחָה. Vide LIBAMEN, LIBATIO.

LIBYA, LIBYES. 1. Populus Aegyptiis et Aethiopibus vicinus hebr. לוּבִים, LXX Λίβυες. In exercitu Sesac regis Aegypti contra Roboam proficiscentis erant Libyes et Troglodytae et Aethiopes (2 Par. 12,3); in exercitu Zara regis Aegypti et Aethiopiae contra Asa pugnabant Libyes (16,8). Nahum propheta (3,9) urbem No-Amon alloquitur : Aphrica (פוּט) et Libyes fuerunt in auxilio tuo. Secundum Danielis prophetiam (11,43) in exercitu Antiochi IV. Epiphanis militabunt Libya et Aethiopia. Tempore pentecostes etiam ex Libyae partibus (τὰ μέρη τῆς Λιβύης), quae est circa Cyrenen, Iudaei aderant Hierosolymis (Act. 2,10). — Libya Aegyptiis est desertum, quod iuxta latus occidentale Aegypti a mari Mediterraneo usque ad Aethiopiam extenditur.

Cf. Knobel, Voelkertafel p. 282-5; *Ebers*, Aegypten u. d. Bücher Mose's 1868 p. 104-6.

2. Populus a tertio filio Cham descendens, qui Gen. 10,6; 1 Par. 1,8 Phuth audit, appellatur in Vulgata Ier. 46,9; Ez. 27,10; 38,5 Libyes et Ez. 30,5 Libya ponitur pro regione פוּט; LXX Λίβυες. Vide PHUTH.

3. Libya in Vulgata Iudith 3,1 ex opinione nonnullorum (*O. Wolff*, Das Buch Iudith 1861 p. 109; *De Moor*, Le livre de Judith 1895 p. 55) est mendosa lectio pro Libano (לְבָנוֹן, chald. לִבְנָן) seu pro regione Libani et Antilibani.

LICTORES. Ita vertit S. Hieronymus 1 Reg. 19,20 מַלְאָכִים : misit ergo Saul lictores (hebr. nuntios) ut raperent David; LXX ἀγγέλους. Lictores, ῥαβδοῦχοι i. e. virgas, fasces ferentes nominantur Act. 16,35. 38. Erant scil. lictores ministri publici qui magistratibus fasces et alia dignitatis insignia praeferebant; eligebantur vel ex infima plebe vel ex libertinis. Ministri eiusmodi addebantur dictatoribus, consulibus, praetoribus; eorum erat turbam summovere, ut magistratus sine ullo impedimento ingredi possent, animadvertere, ut omnes iis debitam exhiberent reverentiam, poenas in reos exsequi.

LIGNUM. Cum hebr. עֵץ et arborem et lignum significet, factum est ut in Vulgata quoque saepe lignum de arbore usurpetur, quae significatio alias Latinis est rarissima. Ita lignum pomiferum, lignum faciens fructum Gen. 1,11. 12 et ex omni ligno paradisi comede Gen. 2,16; lignum vitae, cuius fructibus id esset effectum, ut viribus corporis repetita comestione redintegratis homo evaderet mortis expers, donec a Deo ad caelestem patriam transferretur (Gen. 2,9; 3,22). De Arbore scientiae boni et mali, vide s. v. Ad aedificia adhibebantur ligna arboris sycomori; in templo ligna cedrina et abiegna (cypressina); pariter ad palatium regium regis laquearia cedrina, uti Ieremias regi exprobrat 22,14; ex lignis olivarum cherubim in templo et ostiola et postes erant (3 Reg. 5,10; 6,23. 31. 33; 10,27; Is. 9,10). In deserto reperiebantur ligna setim; unde illa ad tabernaculum conficiendum adhibebantur. Gradus in templo et in palatio fecit Salomon de lignis thyinis (2 Par. 9,11 i. e. lignis santalinis), quae asportabantur de Ophir (3 Reg. 10,11. 12). Quibus lignis usi sint Phoenices ad naves instruendas, exponitur Ez. 27,5. 6. Quandoque poena mortis lapidatione vel gladio inflicta ad maiorem ignominiam evehebatur, ita ut cadaver appenderetur in patibulo : maledictus a Deo est qui pendet in ligno (Deut. 21,23). In textu graeco, in versionibus inde derivatis, in Vulgata legitur Ier. 11,19 mittamus lignum in panem eius; lignum explicant de ligno venenoso; ita plerique; alii : loco panis pascamus eum ligno i. e. fuste, cruce. Sed textum hebr. verte : perdamus arborem cum fructu suo; id quod modo

proverbiali dicitur cum allusione ad Ier. 11,16.

LIGNUM MOYSI OSTENSUM. Circa naturam ligni quod Dominus Moysi ostendit quodque in aquas amaras in loco Mara iniectum eas in dulcedinem vertit (Ex. 15,25; cf. Eccli. 38,5), tum Rabbini, tum Rationalistae, tum alii homines docti multum, sed frustra laborarunt. Ex placito Rabbinorum lignum erat fruticis Rhododendron seu Oleandrum dicti (*Nerium Oleander* Linné), cuius lignum et folia alias pecoribus noxia, contrariam prorsus virtutem salutarem eximio Dei miraculo obtinuisse fingunt. Rationalistae e contra, ut omne miraculum tollant naturali ligni alicuius virtuti totam mutationem attribuunt; atque tale lignum beneficum plures cum *Burckhardt* sibi videntur invenisse statuentes, Moysen baccas fruticis *Nitraria tridentata* Desfontaines ac simul succum malogranatorum in aquas amaras immisisse; at undenam quantitas sufficiens huius *ligni* Moysi suppetierit, non satis explicant. Alii cum *C. Sprengel* fortasse *Ceratoniam siliquam* Linné tantam habuisse virtutem suspicantur, ut aquas in dulcedinem verteret, cum vel ipse *Avicenna* hanc vim charrubo tribuat. At re vera lignum hoc felicissimum tali virtute naturali praeditum inventum esse nemo sane concedet.

Cf. praeter commentatores in textum Exodi citatum *M. Hiller*, Hierophyticon l. 101; *P. Cultrera*, Flora biblica 437-40; *M. Jullien*, Sinai et Syrie, Lille 1893, 61 s.; *G. E. Post*, Flora of Syria 186.

L. FONCK.

LIGNUM PULCHERRIMUM semel vocatur a S. Hieronymo arbor עֵץ שֶׁמֶן dicta (Neh. 8,15), quam alibi (3 Reg. 6,23. 31. 32; Is. 41,19) *olivam* appellat. Probabiliter haec « arbor pinguedinis » sive « arbor olei », quae in citato textu libri Nehemiae una cum olea (זַיִת) tamquam ab ea distincta recensetur, non est oliva neque etiam oleaster veri nominis, sed *Elaeagnus angustifolia* Linné (= *Elaeagnus hortensis* Marschall von Bieberstein, fam. *Elaeagnaceae*), arabice *zaizafūn* nominata, quae in tota Palaestina et culta et spontanea crescit, quaeque et ramos pulchros aspectumque iucundum et lignum ad constructiones varias aptum praebet. V. OLEA.

De elaeagno cf. *E. Boissier*, Flora orient. IV. 1056; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3 II. 2 p. 197; *G. E. Post*, Flora of Syria 710 s.

L. FONCK.

LIGURIUS in sola descriptione pectoralis summi sacerdotis commemoratur, in quo primum locum tertii ordinis gemmarum occupat (Ex. 28,19; 39,12). Hebraice לֶשֶׁם et graece λιγύριον audit. Cum nomine hebraico conferunt aegyptiacum *nšm*, quod lapidem pretiosum flavi coloris videtur designare. Atque huic indicio explicatio de *sucino* (germ. *Bernstein*, gall. *ambre jaune*) satis est conformis. Alii potius *hyacinthum* intellegunt (cf. Apoc. 21,20). Sed quae a variis auctoribus de significatione nominis proferuntur, maxima ex parte vim coniecturae non excedunt.

Cf. *Joh. Braunius*, Vestitus sacerdotum hebraeorum II. c. 14 (Amstelodami 1680, II. 692-703); *Joh. Joach. Bellermann*, Die Urim und Thummim, Berlin 1824, p. 49-52; *E. F. K. Rosenmüller*, Bibl. Alt. IV. 1,37 s.; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 10 p. 336; *Riehm-Baethgen*, Handwörterbuch d. bibl. Alt. *ed.* 2 I, 336 a.

L. FONCK.

LILIUM. 1. *Nomen.* Lilium in Vulgata redditur imprimis hebr. פֶּרַח, quod generatim *flores* designat (Ex. 25, 31. 33 s.; 37,17. 19 s.; 3 Reg. 7,49; gr. ubique κρίνον). Praeterea in textu Is. 35,1 latinus interpres vocem חֲבַצֶּלֶת lilium explicat sicut graecus κρίνον; at potius de variis aliis floribus ac praesertim de *Colchico* et *Narcisso* nomen hoc videtur intellegendum. In libro autem Judith 10,3 inter ornamenta muliebria etiam lilia in textu latino commemorantur, ubi primigenius textus graecus nihil simile habet.

His itaque textibus omissis nomen latinum in reliquis locis librorum sacrorum voci hebraicae שׁוּשָׁן (שׁוֹשַׁנָּה, שׁוּשָׁן) et graecae κρίνον respondet. Idem no-

men hebraicum in titulis quattuor psalmorum (hebr. 45,1; 60,1; 69,1; 80,1) occurrit, ubi a Vulgata *pro iis qui commutabuntur* (vel *immutabuntur* Ps. 59,1) explicatur nec facile sensus accuratius determinari poterit.

Nomen hebraicum, quod etiam in linguis aramaica et arabica adhibetur, videtur desumptum esse ex lingua aegyptiaca, in qua *s(sh)shn,* coptice *shōshen* (i. e. lotus) audit.

2. *Notae floris ex textibus S. Scripturae.* Pro sensu huius nominis determinando haec fere ex variis textibus S. Scripturae deduci possunt : 1) Flos eo nomine designatus crescit in vallibus (Cant. 2,1) et collibus (ib. 4,5; cf. 4 Esdr. 2,19), in pascuis gregum (ib. 2,16) et iuxta fontes aquarum (Eccli. 50,8 gr.) ac generatim in agris et campis sub divo (Matth. 6,28; Luc. 12,27). Speciatim commemorantur spinae, inter quas flos ille quaerendus est (Cant. 2,2), qui tamen etiam honorabiliorem invenit locum in horto regio (ib. 6,1; cf. 5,13 et 4 Esdr. 5,24). Neque neglegendum videtur, tum in Osee (14,6-8) tum in variis locis Cantici (4,8. 14. 15; 5,15; 7,4) tum in Evangelio S. Matthaei (6, 28; cf. 4,25) montes Libani et regiones vicinas saltem indirecte tamquam patriam liliorum cum aliqua probabilitate indicari. — 2) Quod qualitates floris significati attinet, in omnibus fere textibus supponitur esse planta pulchritudine et quadam ut ita dicam regia maiestate insignis et praecellens (cf. maxime verba Christi Matth. 6,28; Luc. 12,27), quae ad sufficientem magnitudinem excrescat (Os., Matth., Luc. ll. cc.) et arefacta aptam ad comburendum materiam praebeat (Matth., Luc. ll. cc.). Praesertim deinde notandum, in plurimis textibus florem supponi odore excellentem, ita ut cum thuris odore comparetur et in horto regio in areolis aromatum locum insignem inveniat (Cant. 5,13; 6,1; Eccli. 39,19; 50,8; Os. 14,6 s.). — 3) Frequentia floris videtur indicari in verbis Cantici de acervo tritici vallato liliis (Cant. 7,2). Forma vero talis innuitur, ut ornamenta in capitellis columnarum et labium maris aenei in similitudinem calicis aperti cum ea apte comparari possit (3 Reg. 7,19. 22. 26; 2 Par. 4,5).

Immerito autem ex textu Cant. 5,13 : « Genae illius sicut areolae aromatum consitae a pigmentariis; labia eius lilia distillantia myrrham primam » aliqui auctores colorem rubrum floris deducere volunt. Nam non in colore, sed in odore suavi (distillantia myrrham primam) tertium comparationis quaerendum est.

3. *Significatio nominis.* Auctores, qui ad dictas notas floris in textibus sacris non satis attendebant, in determinanda significatione nominis in diversissimas et oppositas sententias abierunt. Ita rosa, nymphaea, lotus, anemone, viola, convallaria, tulipa, fritillaria, narcissus, gladiolus, iris, lilium chalcedonicum, variae species liliacearum in genere atque alii etiam candidati suos inveniunt auctores.

Quibus omissis honor lilii biblici maxima cum probabilitate tribuendus videtur illi speciei liliacearum, cui nomen *Lilium candidum* a Linnaeo tributum est. Ratio est, quia omnibus notis supra ex Scriptura indicatis omnino videtur satisfacere. Quod cum alibi data opera probatum fuerit, assentientibus auctoribus in rerum naturalium scientia gravissimis, ad illos libros mox citandos lectorem studiosum relegare liceat.

Cf. *L. Fonck,* Streifzüge durch die biblische Flora, Freiburg 1900, p. 53-76 (eadem fere in « Stimmen aus M.-Laach » LIV. 1898, I. 151-168). Maximam variorum auctorum copiam ibi citatam invenies, praesertim p. 75 s.

L. FONCK.

LINGUA. Dicitur lingua uti hebr. לָשׁוֹן primum de membro, ut instrumento sermonis; dein de ipso sermone seu modo loquendi, v. g. Iob 15,5 : imitaris linguam blasphemantium; pariter de genere sermonis alicui populo peculiari, v. g. Gen. 10, 5 : unusquisque secundum linguam suam, Dan. 1, 4 : ut doceret eos linguam Chaldaeorum, et etiam de populis Is. 66,18 : ut congregem cum omnibus gentibus et linguis. Applicatur quoque ad res inanimatas, quae aliquam cum lingua similitudinem

prae se ferunt; lingua ignis i. e. flamma Is. 5,24; lingua maris i. e. sinus maris Ios. 15,2. 5; 18,19; Is. 11,15. Et cum Spiritus S. redderet apostolos disertos eosque et discipulos doceret variis linguis eloqui mysteria et magnalia Dei, ipse adventum gratiamque suam apparitione linguarum ignearum manifestavit die pentecostes Act. 2,3.

De confusione linguarum agitur Gen. 11,1-9. Divisio linguarum neque primum neque unice dicenda est illo eventu esse effecta; neque opus erit assumere homines usque ad illud tempus locutos esse lingua primitiva. Ipsam vero linguarum divisionem apud homines quae Babylone in turrim aedificandam conspirarunt effectam esse alii dicunt subito ac miraculose, alii paulatim et sine miraculo. Immo sententia proposita est, ibi si verba bene perpendantur non esse mentionem de confusione linguarum, verum de confusione sermonum seu consiliorum, ob quam opus sit intermissum. Et ratio eius interpretationis inde repetitur, quod Gen. 11,1-9 in textu hebr. et samaritano constanter adhibeatur vox שפה labium, dum 10,5. 20. 31 (quibus locis indubie de lingua sermo est) semper dicatur לשון; unde ostendere conantur שפה de sermone, consilio etiam aliis in locis explicari neque unquam accurate *linguam* designare. Ceterum cf. *Kaulen*, Die Sprachverwirrung zu Babel, Mainz 1861; *Schoepfer*, Geschichte des alten Testamentes; *F. de Hummelauer*, Comm. in Gen. p. 302 ss.; *Brunengo*, L'impero di Babilonia e di Ninive I. p. 158 ss.

De dono linguarum v. CHARISMATA III. in vol. I. col. 848 ss.

LINUM, hebr. פֵּשֶׁת et פִּשְׁתָּה et graece λίνον, dicitur imprimis de planta in agris culta, dein de filamento huius plantae et de vestimentis aliisque rebus ex eo confectis. Planta, scilicet genus *Linum* ex familia *Linearum*, multis speciebus diversis in Oriente spontanee crescens invenitur; *G. E. Post* in sua Flora palaestinensi quattuordecim enumerat (p. 181-4). At in S. Scriptura non nisi de planta culta sermo est, eaque praesertim in agris Aegypti crevisse et cum tempore verno iam folliculos germinasset, grandine laesa esse refertur (Ex. 9, 31; cf. Is. 19,9). In Aegypto autem antiquitus atque etiam hodie species *Linum humile* Miller, non vero *L. angustifolium* Hudson neque etiam *L. usitatissimum* Linné, colebatur et colitur. Eadem probabiliter eodem tempore etiam in Palaestina colebatur, ubi Rahab illa hierichuntina *stipulas lini* (פִּשְׁתֵּי הָעֵץ, אֶד λινοκαλάμη) in solario domus suae narratur habuisse, siccandas ardore solis (Ios. 2,6).

De lino eiusque cultura cf. *O. Heer*, Die Pflanzen der Pfahlbauten, Zürich 1865, 35; *id.* Ueber den Flachs u. die Flachskultur im Alterthum, *ib.* 1872; *V. Hehn*, Kulturpflanzen u. Hausthiere, *ed.* 7, 162-88; *Leunis-Frank*, Synopsis *ed.* 3, II. 2 p. 431-6; *A. de Candolle*, L'origine des plantes cultivées, Paris 1883, 95-103. — De cultura lini apud Aegyptios cf. *I. Rosellini*, Monumenti, parte II. (Mon. civ.), tomo I., Pisa 1834, 333-41; *A. Braun* in Zeitschr. f. Ethn. IX. 1877, 289-81; *Wilkinson-Birch*, Manners and Customs II. 157-75; *Fr. Woenig*, Die Pflanzen im alten Aeg. 181-9; *V. Loret*, Flore pharaonique *ed.* 2, n. 177; *A. Erman*, Aegypten 594-7.

Ex lino praesertim muliebri artificio (Ios. 2,6; Prov. 31,13; Os. 2,5) vestimenta (Lev. 13,47. 59; 1 Reg. 2,18 etc.), cingula ac lumbaria (Ier. 13,1), funiculi (Iud. 15,13 s.; Ez. 40,3), ellychnia (Is. 42, 3; 43,17; Matth. 12,20), linteamina (Luc. 24,12; Io. 19,40) contexebantur. Vestimenta autem linea praesertim sacerdotibus et levitis (Ex. 28,42; 29,5. 8; 39, 27; Lev. 6,10; 8,13 etc; 1 Reg. 2,18; 22, 18; 2 Reg. 6,14 etc.) atque angelis et sanctis tribuuntur (Ez. 9,2. 3. 11; 10,2. 6. 7; Dan. 10,5; 12,6. 7; Apoc. 15,6 etc.), atque idem usus sacer apud veteres Aegyptios vigebat, penes quos sacerdotes lineis tantum vestimentis induti erant et mortuorum corpora lineis involucris ligabantur. Quamquam in uno vel altero sepulcro etiam vittae gossypinae inventae sunt, plerumque tamen linum tantum in cura mortuorum adhibitum esse constat.

Contra oppositam opinionem, quam tuebatur v. gr. *Rosellini* op. c. 346-61, cf. *J. Thomson*, Memoir on the Mummy Cloth of Egypt, in Annals of Philosophy, London

1834 (June) et in Philosoph. Magazine, ib. 1834, ser. III., vol. V. p. 29 (Novembre) et saepius; *Yates*, Textrinum antiquorum, London 1843, 254 ss.; *R. Hartmann* in Zeitschr. f. Ethnol. III. 1871, 107 s.; *P. Ascherson* in Verhandl. d. Ges. f. Anthrop. 1875, 58; *Wilkinson-Birch* op. c. II. 158 etc.

Ex quo etiam confirmatur sententia eorum qui byssum antiquorum praesertim de lino exponunt (v. BYSSUS). In textu hebraico praeter פֵּשֶׁת et פִּשְׁתָּה (Plur. פִּשְׁתִּים) etiam בַּד pro lino saepe adhibetur; stupa vero, quae in operando lino a filamento bono separatur, hebraice נְעוֹרֶת audit (Iud. 16,9; Is. 1,31). Linum crudum, i. e. non tostum, graece ὁμόλινον dicitur et tamquam vestis pauperum describitur Eccli. 40,4. Semel etiam תַּשְׁבֵּץ in Vulgata (tunica) linea stricta redditur (Ex. 28,4), quam vocem (tunicam) tesselate textam explicant (*gewirktes Zeug*). Quandoque in Vulgata *linea* additur, ubi in hebraeo non habetur, v. gr. Ex. 28,40; 29,5. 8; Lev. 8,7. 13; 10,5.

Cf. *I. H. Ursinus*, Arboreti bibl. Cont. 172; *M. Hiller*, Hierophyt. II. 130-41; *O. Celsius*, Hierobot. II. 283-312; *E. F. K. Rosenmüller*, Handb. d. bibl. Alterth. IV. 1, 172-4; *J. H. Balfour*, Plants of the Bible, ed. nova, 149-53; *H. O. Lenz*, Botanik d. alt. Griechen u. Römer 672-6; *P. Cultrera*, Flora bibl. 206-15; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. *ed.* 8, 445-7; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 9,183 s.; *F. Hamilton*, Botanique de la Bible 58-60; *J. Smith*, Bible Plants 241-5; *I. Löw*, Aram. Pflanzennamen n. 172 et p. 406 n. 44; *P. Schegg*, Bibl. Archaeol. 162-5; *W. H. Groser*, Trees and plants ment. in the Bible 176-9.

L. FONCK.

LINUS (Λίνος, al. Λῖνος) 2 Tim. 4,21: salutant te Eubulus et Pudens et Linus et Claudia et fratres omnes. Ex traditione Linus postea erat primus post Petrum episcopus romanus (cf. *S. Iren.* Adv. haer. IV. 3,3; *Euseb.* Hist. eccl. 3,4).

LITHOSTROTOS vide s. v. GABBATHA.

LITTERATURA Ps. 70,15 hebr. סִפְרוֹת: os meum annuntiabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum, quoniam non novi litteraturam; explicant: quia non novi numeros i. e. modos quibus Deus iustitiam et salutare suum manifestet numerari non posse, excedere humanam cognitionem. Quod LXX (γραμματείας, al. πραγματείας) et Vulgata praebent, facile cernitur esse serviliter expressum ex hebr.

LOBNA v. LEBNA.

LOBNI (לִבְנִי, Λοβενί). **1.** Idem ac Lebni (v. s. v.).

2. Filius Moholi filii Merari (1 Par. 6, 29[14]).

LOCULUS. Ioseph mortuus repositus est in loculo בָּאָרוֹן in arca (Gen. 50,25). Apud Aegyptios corpora mortuorum loculis, arcis, sarcophagis condi solebant; Iosephum more aegyptiaco aromatibus conditum et in arca clausa esse repositum satis constat Gen. 50,25. Sat multi sarcophagi Aegyptiorum publice iam in musaeis spectantur. Apud Hebraeos vero corpora sepeliebantur in loculis minime inclusa. Efferebantur in feretro iacentia, uti 2 Reg. 3,31 feretrum bene habetur in Vulgata (hebr. מִטָּה, κλίνη) et de eiusmodi feretro seu lectica, in qua mortuus iacebat linteo tectus, etiam intellege loculum Luc. 7,14; nam cum Iesus dixisset: adolescens, tibi dico, surge, resedit qui erat mortuus. Atque hodie quoque morem iis in regionibus obtinere dicunt, ut mortui efferantur feretro aperto, lorica ne delabantur circumdato. Cadavera olim non esse loculis inclusa elucet quoque ex 4 Reg. 13,21; nam cadaver in Elisei sepulcrum proiectum tetigit ossa prophetae.

Loculus Ioan. 12,6 et 13,29 ponitur idem quod γλωσσόκομον i. e. marsupium, in quo pecunia reconditur.

LOCUSTA. 1. *Nomina.* Locustae in sacris libris sive secundum varias species, sive secundum varios modos nocendi novem nominibus hebraicis designantur, quibus septem latina et sex graeca nomina respondent. In Vulgata sequentia invenimus, quibus hebraicam et graecam expressionem addimus:

1) *Aerugo*, proprie morbus frumenti (v. FRUMENTUM n. 6 supra, col. 317 s.),

in Ps. 77 (78), 46 pro חָסִיל; graece ἐρυσίβη. 2) *Attacus,* solummodo Lev. 11, 22 pro סְלְעָם, ὁ ἀττάκης. 3) *Bruchus* frequentius pro יֶלֶק, sed etiam pro אַרְבֶּה (Lev. 11,22) et חָסִיל (2 Par. 6,28; Is. 33,4); graece βροῦχος. 4) *Eruca,* proprie aliud animal (germ. *Raupe,* gall. *chenille*), sed Ioel 1,4; 2,25; Am. 4,9 pro גָּזָם, ἡ κάμπη. 5) *Locusta* frequentius pro אַרְבֶּה et gr. ἡ ἀκρίς; saepe etiam pro חָגָב, raro pro גּוֹב (solum Nah. 3,17) et גּוֹבַי (ib. et Am. 7,1). 6) *Ophiomachus* in solo textu Lev. 11,25 pro חַרְגֹּל, ὁ ὀφιομάχης. 7) *Rubigo,* proprie morbus frumenti (uredo segetum; v. FRUMENTUM supra, col. 317 s.), designat locustam Deut. 28,42 pro צְרָצַל et 3 Reg. 8,37; Ioel 1,4 et 2,25 pro חָסִיל; gr. ἐρυσίβη. — Praeterea occurrit Is. 33,4 גֵּבִים (a גֵּב = גּוֹבַי), quod in Vulgata omittitur.

Quaenam species locustarum singulis nominibus designentur, vix ac ne vix quidem potest determinari; immo aliqua, uti ea quae Ioel 1,4 praeter generalem appellationem אַרְבֶּה adhibet, haud improbabiliter tamquam synonyma poetica pro illo nomine communi considerantur, quae ex vario modo nocendi desumpta sint; scil. גָּזָם videtur designare locustam *abscindentem,* יֶלֶק *lingentem,* חָסִיל *consumentem* (cf. *I. Knabenbauer* in h. l.).

De nominibus locustarum et aliis eruditissime more suo agit *Sam. Bochart,* Hierozoicon p. II, l. 4, c. 1-8 (*ed. Rosenmüller* III. 251-340). Cf. praeterea *Sam. Oedmann,* Vermischte Sammlungen II. 76-149; III. 84-90; VI. 74-78; *E. F. K. Rosenmüller,* Bibl. Alterth. IV. 2, 386-418.

2. ***Textus Scripturae.*** Tria potissimum de locustis in sacris libris commemorantur: 1) Devastant agros comedendo sementem et omnes herbas. Ita Deus propter contumaciam Pharaonis plagam locustarum in terram Aegyptiorum immisit (Ex. 10,4-13) similemque poenam transgressoribus legis minatur (Deut. 28,38; cf. 3 Reg. 8,37; 2 Par. 7,13; Am. 7,1). Eiusmodi plagam praesertim describit Ioel 1,4-12. Quantam vastitatem locustae efficiant, optima comparatione declaratur: « Quasi hortus voluptatis terra coram eo [antequam venerit] et post eum solitudo deserti » (Ioel 2,3). Ideo etiam supplicia in apostatas singulari quodam locustarum symbolo proponuntur (Apoc. 9,3-11).

2) Ad descriptionem locustae pertinet, quod sunt animalcula parva et despecta, et ita ad rem parvam et contemptibilem declarandam comparatione inserviunt (Num. 13,34; Is. 40,22). Ingenti multitudine migrare solent, ita ut quasi nube quadam densa sol obscuretur; unde ad turbam magnam designandam comparatione adhibentur (Iud. 6, 5; 7,12; Iudith 2,11; Ier. 46,23; Nah. 3,15). Ita vero migrat in turmis suis, ut in Proverbiis merito in exemplum sapientiae adducatur: « Quattuor sunt minima terrae et ipsa sunt sapientiora sapientibus :... Regem locusta non habet et egreditur universa per turmas suas » (Prov. 30,24. 27). Quod autem Eccl. 12,5 habetur in descriptione aetatis senilis « impinguabitur locusta », ex hebraico ita est intellegendum, ut similitudo in motu tardo et gravi inveniatur (locusta moleste se attollit vel ingravescit, scil. prorepens e terra et carens alis; cf. *Gietmann* in h. l.).

3) Etiam in cibum variae locustarum species aptae sunt atque in lege mosaica inter ea genera animalium recensentur, quibus Iudaeis vesci licebat (Lev. 11,21 s.). Atque S. Ioannes Baptista tali cibo pauperum usus est (Matth. 3,4; Marc. 1,6) qui etiam hodie penes quasdam tribus orientales adhibetur. Necantur scilicet locustae et saliuntur vel etiam siccatae et in fasciculos collectae servantur et igne leviter tostae vel butyro assatae comeduntur (cf. *I. Knabenbauer* in Matth. 3,4).

3. ***Variae species locustarum in Palaestina.*** Supra quadraginta species palaestinenses familiae *Orthoptera,* ad quam pertinent locustae notae sunt, ex quibus communiores et magis noxiae sementi et herbis sunt *Acridium lineola, Acridium peregrinum* et *Oedipoda migratoria* (Tristram).

Cf. praeter auctores citatos *H. O. Lenz*, Zoologie der alten Griechen und Römer p. 542-546; *L. Lewysohn*, Zoologie des Talmuds p. 285-297; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 9 p. 306-318; *H. J. van Lennep*, Bible Lands I. 313-319; *A. Kinzler*, Bibl. Naturgesch. *ed.* 10 p. 159-165; *J. G. Wood*, Bible animals, new ed. p. 596-604; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 422-429; *G. Lorela*, La zoologia nella Bibbia p. 79-81. 484-496. — De historia naturali locustarum cf. *A. E. Brehm*, Tierleben *ed.* 3 IX. 586-597. *Ph. L. Martin*, Naturgesch. der Thiere II. 2,228-230 c. a.

L. FONCK.

LOD (לֹד; ἡ Λώδ, per fusionem cum nomine sequenti Hadid Λοδαδί, Λοδαδίδ, Neh. 11,34 Λυδάδ), urbs in Sephela superiore sita, a Samad de tribu Beniamin aedificata (1 Par. 8,12). Urbium Lod, Hadid, Ono viri 725(721) duce Zorobabel e captivitate redierunt (Esdr. 2,33; Neh. 7,37); post captivitatem Lod a Beniaminitis habitabatur (Neh. 11,34). Eadem 1 Mach. 11,34 vocatur Lyda (Λύδα); est una ex tribus toparchiis, quas reges Syriae Demetrius I. et Demetrius II. a Samaria seiunctas Iudaeae adiecerunt et Ionathae Machabaeo tradiderunt. Ex Act. 9,32-38 discimus Lyddae fuisse ecclesiam christianorum; ibi S. Petrus Aeneam paralyticum miraculo sanavit.

Reliqua urbis fata ex Flavio Iosepho breviter enarramus. A Cassio incolae Lyddae venumdati sunt, cum tributa solvere non possent (Ant. XIV. 11,2; Bell. iud. I. 11,1-2), ab Antonio autem libertati redditi (Ant. XIV. 12,2 s.). A Cestio duce romano combusta (Bell. iud. II. 19,1), mox tamen restituta est et inter undecim toparchias Iudaeae recensetur (III. 3,5; IV. 8,1). Erat sedes praecipua scholarum rabbinicarum (*Otho*, Lex. rabb. p. 400; *Lightfoot*, Centur. chorogr. Matthaeo praemissa c. 16). Aetate romana appellabatur Diospolis (urbs Iovis) et hoc nomine frequenter commemoratur in Onom. Eusebii et S. Hieronymi ad situm aliarum urbium determinandum, etsi in ipso catalogo Onomastici locum non habeat. Erat sedes episcopalis; in Actis Conciliorum ambo urbis nomina sine discrimine leguntur et nominibus subscriptis modo additur : Lyddensis episcopus, modo Diospolitanus. Praevalnit tamen antiquum nomen (sicut etiam Bethsan = Scythopolis = *Beisān* et Accho = Ptolemais = *ʿAkkā*); hodie vocatur *el-Ludd*, vicus vel parva urbs 4000 incolarum, in via quae a Ioppe Ierusalem versus ducit, de qua hodie quoque valet illud Flavii Iosephi : Lydda vicus civitati magnitudine non cedens (Ant. XX. 6,2). Celebris est urbs propter ruinas basilicae S. Georgii, qui ibi natus ac sepultus esse traditur.

Cf. *Reland*, Palaestina p. 877 s.; *Robinson*, Palaestina III. 263 ss.; *id.* Neuere bibl. Forschungen 186; *Guérin*, Judée I. 322-334; *Neubauer*, Géogr. du Talmud p. 76 ss.; *Schürer*, Gesch. des jüd. Volkes *ed.* 3 II. p. 183. 366; *Survey of West. Pal.* Mem. II. 252. 267; *Buhl*, Alt. Pal. p. 197; *Zanecchia*, La Palestine d'aujourd'hui 1899 I. 94-7.

LODABAR (לֹא דְבָר et לוֹ דְבָר; Λοδάβαρ, Λωδαβάρ), patria Machir filii Ammiel, in cuius domo Miphiboseth filius Ionathae filii Saul morabatur, cum David rex eum ad se vocaret eique agros Saul redderet (2 Reg. 9,4-5; 17,27). Fortasse Lodabar est ille terminus Dabir in confinibus Gad et Manasse orientem versus a Mahanaim, de quo s. v. DABIR 3.

LOGOS, Λόγος. Ea voce utitur S. Ioannes ad designandum Filium Dei; ita Ioan. 1,1 ss., pariter in prima epistula : Verbum vitae (1,1) et Apoc. 19,13 vocatur nomen eius : Verbum Dei. Cum S. Ioannes sine ulla explicatione scribat initio libri : in principio erat Verbum ὁ Λόγος, vocem eiusque notionem iis quibus scribit iam notam esse supponit. Quare dubium non est quin S. Ioannes in praedicatione sua solitus sit ea uti voce. Cum autem solus ipse, quantum ex libris Novi Testamenti colligi potest, eam vocem adhibuerit ad Filium Dei designandum, quaeri solet, unde et cur ad eam notionem devenerit. Notio Verbi iam aliquo modo in Vetere Testamento proponitur. Ita creatio rerum refertur ad locutionem Dei (Gen. 1), ita in psalmis quoque : verbo Domini caeli firmati sunt; misit verbum suum et sanavit eos, velociter currit sermo eius (Ps. 32,6; 106,20; 147,15); similiter Is.

55,11. Quibus in locis utique non de verbo Dei tamquam de altera persona divina sermo est neque ex eis haec potest doctrina colligi. Attamen ipso hoc loquendi modo per personificationis figuram ansa praeberi potuit, ut doctrina de Filio Dei per quem conditus sit mundus semel proposita ipse Filius Dei nomine Verbi Dei, Verbi, designaretur. Ad quam appellationem etiam eo facilius deveniri poterat, quia apud Iudaeos iam in usu erat plurima quae in sacris litteris Deus facere dicitur adscribere Verbo Domini (Memra, מֵימְרָא) et Verbum haud obscure ut personam designare. Ita persaepe in Targum ad Pentateuchum et ad prophetas. Etsi hae paraphrases chaldaicae, uti ad nos perlatae sunt, saeculo tandem tertio vel quarto p. Chr. absolutae sunt, tamen inter omnes constat eas referre antiquiorum temporum sententias et opiniones atque in iis esse consignata quae ex pluribus saeculis a rabbinis docebantur (cf. *Schürer,* l. c. I. p. 150 ss.). Iam in Targum ad Pentateuchum legitur v. g. ad Gen. 3,8. 9 : audierunt vocem Verbi Iahwe Dei et Gen. 9,12 Iahwe loquitur : pactum meum erit inter Verbum meum et vos et Gen. 22,16 Iahwe dicit : iuravi per Verbum meum etc. Qui loquendi modus de Verbo (Memra) eo magis attentione dignus est, quia in Targum alias locutio, mandatum Dei vel verbum quod mittit per prophetas exprimitur non Memra, sed alia voce פתגמא, uti v. g. ad Deut. 18,19 : et erit, vir qui non acceperit mandatum meum (verbum meum, "ב) quod loquetur (propheta) in nomine meo, Verbum meum exquiret ab eo. Quare in aperto est initia quaedam et quasi vestigia eius appellationis iam apud Iudaeos reperiri. Alia est quaestio, sintne haec explicanda tamquam orta ex solo loquendi modo sacrarum litterarum an tamquam ex parte saltem efformata etiam ex iis quae in philosophia alexandrina et praesertim a Philone de Λόγῳ disputabantur. De qua quaestione in utramque partem disceptatur. Id unum hoc loco adnotare sufficiat λόγον de quo Philo agit multis nominibus plane diversum esse a Memra. Nam Philo λόγον explicat virtutem Dei vel rationem divinam operatricem, notionem eam quae omnes notiones in se contineat, vim in qua vires omnes sint conclusae, summam totius mundi spiritualis; eum esse neque ingenitum ut Deum neque genitum ut nos; esse umbram Dei quo quasi instrumento usus Deus mundum effecerit; λόγον porro appellat ipsam notionem spiritus, conscientiam, hominem ad Dei imaginem factum, gratiam caelitus animo infusam, rationem qua bonum ac verum cognoscatur etc. (cf. *Gfrörer*, Philo und die alexandr. Theosophie I. p. 298 ss.; *Zeller,* Philosophie der Griechen III. 2 p. 371; *Schürer* l. c. III. p. 555 ss.). Unde simul etiam magis patet Λόγον quem S. Ioannes nobis describit nihil habere commune cum illo Philonis nisi nomen.

Si autem quaeritur, cur eo nomine usus sit S. Ioannes, posset responderi eam appellationem deberi revelationi quae ei facta sit Apoc. 19,13; est enim Apocalypsis conscripta ante evangelium. Sed potest dubitari num eo loco revera revelatio contineatur. Unde dicendum erit eum usum esse eo nomine ut doceret quis tandem esset vere Memra, per quem Deus se manifestaret nobis et ut falsis haereticorum de Λόγῳ opinionibus obviam iret. Nam, ut iam Irenaeus diserte tradit, Ioannes voluit evangelio suo auferre errorem Cerinthi et Nicolaitarum, qui dicant alterum quidem fabricatorem, alterum autem Patrem Domini, et alterum quidem fabricatoris filium, alterum vero de superioribus Christum; et initium quidem esse Monogenem, Logon autem verum filium Unigeniti et creaturam non a Deo factam, sed a virtute quadam valde deorsum subiecta; « omnia igitur talia e medio tollere volens discipulus Domini et regulam veritatis constituere in Ecclesia, quia est unus Deus omnipotens qui per Verbum suum fecit omnia... inchoavit: in principio erat Verbum » (adv. haer. 3,11; *M.* 7,879 ss.).

Veteres λόγον etiam sermonem, rationem transtulerunt (cf. *Tertull.* Prax. 5). Aptissime vero dici Verbum, iam ipsa voce Memra suadetur. Intellegi verbum

mentis et oris Dei, ideoque et Sapientiae notionem includi et designari, de qua Prov. 8,22 ss.; Eccli. 1,1-10; 24,8; Sap. 7,22-30 multa praedicantur, simulque connotari notione Verbi mentis, qua ratione generatio Filii sit concipienda, haec aliaque apud theologos explicantur.

I. KNABENBAUER.

LOIS (Λωΐς) laudatur 2 Tim. 1,5 de fide non ficta, quae in ea constanter infuerit. Erat matrona christiana et avia (μάμμη) Timothei. Atque μάμμην l. c. non adhiberi notione antiquiore matris, sed iuniore aviae patet, quia eo loco statim mentio fit matris Timothei, cui nomen erat Eunice.

LOOMIM, LAOMIM (לְאֻמִּים, Λοωμείμ), tribus arabica, quae ab Abraham et Cetura originem duxit per Iecsan eiusque filium Dadan (Gen. 25,3 et in Vulgata 1 Par. 1,32). Nominantur una cum Assurim et Latusim (vide s. vv.). Aliquam coniecturam vide in Zeitschr. d. D. Morg. Ges. XX. 1866 p. 175; XXIII. 1869 p. 298.

LOT (לוֹט, Λώτ), filius Aran fratris Abram (Gen. 11,27. 31) et, uti ex 11,29 colligunt, frater Sarai. Cf. Gen. 12-19. Simul cum Abram egressus est in Haran primum, inde in Chanaanitiden. Cum haberent utrique plurimos greges essentque frequentes pastorum rixae, Abram Lot optionem concessit, in quam regionis partem malet ipse solus secedere. Lot, non fide actus sed amoenitate captus arvorum, tractum sibi elegit circa Iordanem moxque in finibus Sodomae sedem fixit. Quare Pentapolitarum etiam cladi implicabatur, abductus a Chodorlahomor cum omni substantia. Sed ab Abram est liberatus. Angelos humana forma adventantes excipiens animum pandit hospitalem. Exiguam vero fidem prodit tardo pede angelos secutus et civitatis *parvae* tantummodo pro favore a Deo sibi salutem postulans. Eripitur igitur angelis ducibus de incendio Sodomae. Uxor oculum reflectens iusto portento e vivis tollitur. Filiae vero, quod ab omnibus circum hominibus habendae essent Deo exosae tamquam Sodomae reliquiae, posteritatis tamen nanciscendae percupidae, patrem inebriant primum ac dein cum ipso coeunt. E quo incestu ortum duxerunt Ammonitae et Moabitae, qui filii Lot dicuntur Deut. 2,9. 19; Ps. 82[83],9. — Cf. etiam Eccli. 16,9; Luc. 17,28 s.; 2 Petr. 2,7.

LOTAN (לוֹטָן, Λωτάν) recensetur primus inter filios Seir Horraei et inter duces seu tribus Horraeorum (Gen. 36, 20. 22. 29; 1 Par. 1,38. 39).

LORICA. Lorica qua usus est Goliath dicitur lorica squamata (lorica קַשְׂקַשִּׂים squamarum, LXX ἁλυσιδωτὸς θώραξ lorica serta, conserta hamis) i. e. lorica cataphractes, squamis aereis vel ferreis conserta, quibus squamis loricae quoque e corio factae munibantur. Quia lorica Goliath pondus habebat quinque millium siclorum aeris, tota ex aere confecta censeri debebit (1 Reg. 17,5; de lorica Saul regis qua David uti non poterat, nihil aliud commemoratur v. 38). Achab rex sagitta percussus est quae penetravit inter הַדְּבָקִים et loricam (hebr. 3 Reg. 22,34; 2 Par. 18,33; LXX ἀνὰ μέσον τοῦ πνεύμονος; Vulgata : inter pulmonem et stomachum, inter cervicem et scapulas). Vocem hebr. recentiores plerumque explicant de iunctura, compactura, compagibus; legitur vox etiam Is. 41,7, ubi explicant : dicens *de ferrumine* (vel de ferruminatione) : bonum est. Ibi ergo sagitta percussit regem Achab, ubi lorica vel partes loricae non erant satis bene conferruminatae. De loricis Aegyptiorum mentio est Ier. 46,4 : induite vos loricis. Loricae Aegyptiorum confectae erant ex corio vel ita ut inter partes corii oblongas inscererentur ligamina aenea. Eiusmodi loricas etiam supponere licet 2 Par. 26,14 et Neh. 4,16; Ez. 23,24; 38,4; 1 Mach. 3,3 etc.; de loricis ferreis mentio fit Apoc. 9,9; de vario loricarum colore Apoc. 9,17. Cum lorica praebeat munimentum et tutamen militemque ad hostes vincendos reddat aptum, facile declaratur usus vocis metaphoricus. Ita sensu translato iubemur induere loricam fidei (Eph. 6,14; 1 Thess. 5,8);

Deus quoque tamquam bellator indutus est iustitia ut lorica i. e. sanctitate quasi lorica indutus hostes suos debellabit (Is. 59,17). Glacies quoque qua propter frigus aquae constringuntur dicitur lorica aquarum (Eccli. 43,20 graece ὡς θώρακα ἐνδάσεται τὸ ὕδωρ).

LORUM. Ea voce 3 Reg. 7,29 redditum est in Vulgata hebr. לוֹת; verbum hoc hebr. legitur quoque in v. 30. 36; verum ibi interpres Vulgatae aliter legit. Vocem hebr. explicant de coronis, de corollis pensilibus.

LUCAS (Λουκᾶς, nomen contractum pro *Lucanus*) medicus, neque tamen genere Iudaeus, quod utrumque ex Col. 4,11. 14 elucet. Erat Pauli comes, itinerum socius, adiutor. Prima mentio eius fit, cum Paulus in secundo itinere apostolico Troade versaretur; ibi enim, uti ex modo narrationis Act. 16,9 s. patet, Lucas se ei adiunxit et cum eo in Macedoniam profectus est et Philippis cum eo commorabatur. Ibi a Paulo relictus est. Verum postea, in tertio itinere apostolico Pauli, cum is a Macedonia in Ierusalem proficisceretur, Lucas a Philippis iterum eius erat socius itineris (Act. 20,6-21,18) et in urbe cum ipso erat. Caesareae quoque Paulo adstitit, uti ex Act. 24,23 et 27,2 consequitur et cum eo romanum illud iter instituit, quod adeo perspicue in Act. 27.2 s. describit; Romae quoque eum Paulo captivo non defuisse, patet ex epistulis quas apostolus in priore sua captivitate romana scripsit Col. 4,14 et Philem. v. 24 Lucas enumeratur inter adiutores apostoli. In altera quoque captivitate romana Paulum non reliquit : Lucas est mecum solus, scribit apostolus 2 Tim. 4,11. Hisce adde quae ipse de se dicit in prooemio evangelii 1,1-4. Haec sunt quae certo de eo innotescunt. Reliqua incerta, quae vide apud *Cornely*, Introd. III. p. 120 s. et *Knabenbauer*, Comm. in Lucam p. 3 s.; ibi quoque probatur Lucam scripsisse evangelium; de Actibus v. *Cornely* l. c. p. 320 s. et *Knabenbauer*, Comm. in Act. p. 1 ss. Eum Pauli socium fuisse satis etiam proditur indole libri evangelici; magna enim intercedit similitudo generis dicendi et doctrinae inter eius librum et epistulas paulinas; unde veteres etiam ea consideratione adhibita merito dixisse censendi sunt Lucam scripsisse evangelium quod Paulus praedicasset, Paulum fuisse illuminatorem Lucae (cf. *Iren.* Adv. haer. 3, 1. 14; *Tertull.* c. Marc. 4,2. 5), et recentiores evangelium Lucae « paulinum » nominare solent. Lucam fuisse virum satis eruditum, pariter ex ratione scribendi pura et saepius eleganti conficitur. Si enim scriptorem epistulae ad Hebraeos exceperis, dicere debebis Lucam prae reliquis Novi Testamenti scriptoribus maxime accedere ad modum optimorum scriptorum profanorum et in usu verborum et in constructione sententiarum quae ad syntaxin pertinet (cf. *Noesgen* in Studien und Kritiken 1877 p. 477; *Keil*, Commentar p. 172).

LUCERNA. In candelabro aureo septem erant lucernae, i. e. vascula pro oleo et lino, quae vascula ponebantur in summa parte scapi et sex calamorum candelabri (cf. Ex. 25,31. 32. 37). Lucernae istae quovis mane debebant purgari (Ex. 30,7) et quovis vespere oleo de arboribus olivarum purissimo impleri, ut usque mane luceant coram Domino (Ex. 27,20. 21; 30,7; Lev. 24, 1-4) et 2 Par. 13,11 lucernas vespere accendi dicitur. Unde certum est lucernas fuisse accensas per noctem. Utrum per diem quoque necne, non clare dicitur. Potest fortasse inde concludi quod sacerdotes quovis mane debebant lucernas purgare (hebr. bonas facere); et cum sacerdotes etiam interdiu in aliquibus sacrificiis ingredi deberent sanctum ibique sanguinem aspergere contra velum sanctuarii et ponere de eo super cornua altaris thymiamatis (Lev. 4,6. 7. 17. 18), certe sanctum luce carere non potuit. Unde per diem quoque lucernas fuisse accensas probabile est. Atque Iosephus quidem refert tres lucernas super sacrum candelabrum Deo lucere debuisse tota die, reliquas sub vesperam esse accensas (Ant. III. 8,3). Quomodo collocandae sint exponitur Num. 8,2; quomodo candelabrum cum lucernis debeat transpor-

tari, praecipitur Num. 4,9. Aureas lucernas pro candelabris decem Salomon quoque fecit (3 Reg. 7,49; 2 Par. 4,20) pro quibus David iam aurum paraverat (1 Par. 28,15). Inter peccata maiorum etiam enumeratur quod exstinxerunt lucernas (2 Par. 29,7). In honorem quoque idolorum multas accendi lucernas dicitur in epistula quam Ieremias ad captivos misit (Bar. 6,18). Cum tempore Machabaeorum cultus Dei iterum instauraretur, lucernas esse accensas inter alia commemoratur (1 Mach. 4,50; 2 Mach. 1,8; 10,3).

Ex luce lucernae facile sequitur usus vocis translatus; ita lex Dei dicitur lucerna pedibus nostris (Ps. 118,105), cum lege Domini qua ratione vita sit instituenda doceatur i. e. ex modo loquendi S. Scripturae, qua ratione sit ambulandum coram Domino. Uti lux symbolum est felicitatis, ita lucerna quoque quatenus scil. luce sua eam felicitatem effundere ac significare concipitur; ita Iob 29,3 prosperitatem suam pristinam quam Deus largitus erat describit : splendebat lucerna eius (Dei) super caput meum et ad lumen eius ambulabam; et ad res adversas designandas : quoties lucerna impiorum exstinguetur (Iob 21,17; cf. 18,6); quare Deus compellatur largitor bonorum : tu illuminas lucernam meam (Ps. 17,29) et : tu lucerna mea Domine (2 Reg. 22,29). Etiam hominis vita et intellectio dicitur lucerna Domini i. e. donum Dei et magnum pro homine beneficium (Prov. 20,27); cum impii felicitatem quaerant in peccatis, dicitur : lucerna impiorum peccatum (Prov. 21, 4). Cum itaque lux et lucerna lucens prosperitatem significet et vitam felicem, eadem metaphora etiam vita felix ac perdurans alicuius stirpis vel familiae exprimitur. Ita saepius dicitur : ut remaneat lucerna David, dedit ei Dominus lucernam in Ierusalem, ut daret illi (Davidi) lucernam etc. i. e. Deus posteros David non regno privavit, sed domum et familiam eius conservatam voluit; cf. 3 Reg. 11,36; 15,4; 4 Reg. 8,19 etc.; e contrario lucerna impiorum exstinguitur etiam ita, ut genus eorum et familia deleatur; cf. Prov. 13,9; 20, 20; 24,20.

Lucernae vel lampades usui domestico inservientes in S. Scriptura non describuntur. Herodotus lampades in Aegypto usitatas describit (Hist. 2,62) : « Cum in Sain oppidum sollemnis sacrificii causa conveniunt, certa quadam nocte lucernas accendunt omnes sub dio circum domos suas. Sunt autem hae lucernae vascula sale repleta et oleo; superne est ellychnium, quod per totam noctem ardet; appellantque festum illud Accensionem lucernarum. Alii autem Aegyptii, qui conventui non intersunt, observantes noctem sacrificii lucernas et ipsi accendunt omnes; ita fit ut non solum in Sai oppido, sed per totam Aegyptum lucernae ardeant ». Ab ea autem forma, quam Herodotus his verbis describit, non multum differunt lampades antiquissimae Christianorum in Palaestina ac Syria repertae et ex *terra colta* confectae.

Cf. *Pal. Expl. Fund*, Quart. Stat. 1893 p. 14; *Bliss*, Mound of Many Cities p. 87; *Clermont-Ganneau* in Revue bibl. VII. 1898 p. 484-490; *idem*, Recueil d'Archéologie orientale I. p. 171; II. p. 89-91.

LUCIFER v. STELLAE.

LUCIUS. 1. Lucius consul Romanorum (Λεύκιος ὕπατος Ῥωμαίων), qui epistulam ex senatusconsulto regibus et regionibus in favorem Iudaeorum mittendam scripto exaravit illisque communicandam curavit (1 Mach. 15,16; cf. 14,24; 15,15-24). Circa tempus istius magni conventus sacerdotum populique iudaici, quo Simon declaratus est summus sacerdos, dux et princeps Iudaeorum (v. SIMON 3), is legatos duce Numenio Romam misit, qui foedus, quod iam Iudas Mach. cum Romanis pepigerat, renovarent. Senatus integritatem territorii iudaici a Romanis protectum iri promisit et epistulam in favorem Iudaeorum transmisit Ptolemaeo VII. (Physcon) regi Aegypti, Demetrio II. regi Syriae, Attalo regi Pergami, Ariarathi regi Cappadociae, Arsaci regi Parthiae et praeterea multis minoribus civitatibus et insulis Graeciae et Asiae minoris. Quam accurate enumeratio harum civitatum cum historia istius temporis concordet, ex eo elucet quod historio-

graphi aliunde confirmant singulas illas civitates minores illo tempore neque Romanis neque regibus Aegypti, Syriae, Pergami, Cappadociae, Parthiae subiectas fuisse; cf. *Marquardt,* Römische Staatsverwaltung I. *ed.* 2, 1881, p. 333 ss. et alibi; *Brandis* apud *Pauly-Wissowa,* Real-Encycl. d. klass. Altert. II. 1540 s. (s. v. Asia). Legati Iudaeorum Roma redierunt anno 174 aer. Seleuc. seu 139/138 a. Chr. (1 Mach. 15,10. 15). Senatusconsultum igitur anno 139 a. Chr. adscribendum est. Iam vero illo anno alter consulum erat L. Calpurnius Piso, cui nomen praefixum erat *Lucius*, non vero *Cneius*, ut genuina lectio apud *Valerium Maximum* I. 3,2 evincit. Cf. *Schürer*, Gesch. des jüd. Volkes *ed.* 3, I. p. 250 ss., qui varia, quae a recentioribus de Lucio consule scripta sunt, recenset.

Praeter hanc explicationem *Schürer* l. c. aliam opinionem exponit idem esse senatusconsultum, quod Flavius Iosephus (Ant. XIV. 8,5) refert, sed tempori Hyrcani II. (63-40 a. Chr.) adscribit : « Lucius Valerius Lucii filius Praetor retulit ad senatum idibus Decembribus etc. »; multi recentiores putant, quae Iosephus narrat de tempore Hyrcani, referenda esse ad tempus Simonis Machabaei et Lucium consulem in textum irrepsisse pro Lucio Valerio praetore; quae corruptio tituli facile fieri poterat, quoniam epistula Lucii primum in textum hebraicum 1 Mach. ac deinde ex hebraico in nostrum textum graecum vertenda erat. Fundamentum autem huius opinionis in eo cernitur, quod eadem fere narrantur apud Iosephum l. c. quae 1 Mach. 14,24 et 15,15-24 : legati Iudaeorum, quorum unus erat Numenius, Romam veniunt, clypeum aureum dono offerunt, foedus renovari petunt, litteras a senatu accipiunt ad reges et liberas civitates, ut Iudaeorum securitati provideatur.

Quidquid est de hac altera opinione, in utraque nomen Lucii (consulis vel praetoris) ex documentis historicis eruitur et ad interpretationem 1 Mach. 15,16 inservit. Facilior tamen et probabilior nobis videtur prior explicatio in textu nostro designari Lucium Calpurnium Pisonem consulem anni 139.

2. Lucius (Λούκιος) Cyrenensis recenseitur inter prophetas et doctores ecclesiae antiochenae Act. 13,1. Idem fortasse est ac Lucius cognatus et socius S. Pauli (Rom. 16,21), sed hoc certo affirmari nequit. Fuerunt qui Lucium et S. Lucam eundem esse putarent (*Origenes, Wetzstein* et alii), sed perperam; etenim neque S. Lucas Act. 13,1 semetipsum inter prophetas et doctores nominasse censendus est neque S. Paulus eundem modo Lucium modo Lucam appellasset. In Constit. Apost. VII. 46,2 legimus Lucium a S. Paulo institutum esse episcopum Cenchrearum.

LUCTUS. Uti natura comparatum, ut gaudium signis externis, in facie, in habitu totius corporis, in tripudio, in vocibus exsultationis, in ornatu, in conviviis etc. prodatur et manifestetur, ita plurima quoque documenta luctus et dolor habet eaque praeprimis apud orientales. Quemadmodum κόπτεσθαι, plangere apud Graecos et Latinos ipsa notione vocis luctum tunsione quadam exprimi et declarari ostendit, ita apud Hebraeos quoque ספד eandem prae se ferre notionem tunsionis videtur, uti colligi potest Is. 32,12 : super ubera plangite. Maxima luctus signa edebantur, cum quis ex familia mortuus esset. Voces lamentationis et eiulationes audiebantur, lamentatrices advocabantur, naeniae canebantur (cf. 3 Reg. 13,30 : heu, heu, mi frater; Ier. 22,18 vae domine, vae inclyte; 34,5), ad quas tibicines accersebantur (Matth. 9,23); vestes scindebantur i. e. in superiore parte vestimenti scissura fiebat; ieiunia quoque ad luctum demonstrandum inserviebant (cf. 2 Reg. 1,11; 13,31; 12,16), quare dicitur lugenti panem esse frangendum ad consolationem (Ier. 16,7) et : date siceram moerentibus et vinum his qui amaro sunt animo (Prov. 31,6) et propheta monet : decalvare et tondere super filios deliciarum tuarum, dilata calvitium tuum (Mich. 1,16); pectus tundebatur, femora percutiebantur, manus super caput ponebantur, vultus obvelabatur; humi sedebant, cinere, pulvere capita spargebant, sacco, ciliciis se induebant

(cf. 2 Reg. 3,31; 13,19; 15,30; Is. 20,2; 61,3; Ier. 30,6; 31,19; Lam. 1,17; 2,10; Ez. 24,17. 22. 23; Am. 8,10; Ion. 3,7; 1 Mach. 2,14 etc.). Ita Thamar iniuriam passa quattuor signa luctus et doloris prodit, aspergens capiti suo cinerem, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum ibat ingrediens et clamans (2 Reg. 13,19 et vide Gen. 37,38; 44,13; Lev. 10,6; Num. 14,6; Iud. 11,35; Is. 47,1; Ier. 2,37 etc.). Quemadmodum fletibus, lamentationibus, ululatu (cf. Num. 14,1; Ps. 6,7; Os. 7,14) aliquod quasi levamen doloris et luctus simul cum eius manifestatione vehementi externa capi solet, ita cetera quoque signa et documenta apta sunt ad animi affectionem demonstrandam, et ipsa demonstratione fit, ut facilius luctus et dolor ferri possit; exhalatur enim quasi luctus et ex afflicto pectore effunditur in illa exteriora. Et natura fere duce, qui se sentit tristem et deiectum, habitum quoque externum tristem et deiectum seligit. Unde explica : caput cinere conspergere, sordidis indui vestibus, humi sedere, in pulvere iacere etc. (cf. Ios. 7,6; 1 Reg. 4,12; Iob 2,12; Ier. 6,26; Ez. 27,30 etc.). Modi aliqui apud gentiles usitati Iudaeis interdicebantur; ita Lev. 19,28 : et super mortuo non incidetis carnem vestram neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis (hebr. scripturam inustam, LXX γράμματα στικτά); quae tamen quandoque facta esse, indicari videtur Ier. 16,6 : et morientur grandes et parvi in terra ista; non sepelientur neque plangentur et non se incident neque calvitium fiet pro eis i. e. ad summam miseriam declarandam dicitur mortuis ne consueta quidem luctus documenta praeberi posse (cf. Ez. 24,22-24). Sacerdotibus quoque interdicitur : non radent caput nec barbam, neque in carnibus suis faciant incisuras; et pontifici praeterea praescribitur : caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet (Lev. 21,5. 10; cf. 10,6; Ez. 44,20).

Tempus luctus pro mortuo erat dierum septem (Gen. 50,10; Eccli. 22,13; Iudith 16,29); post mortem autem Aaronis et Moysis instituebatur per dies triginta (Num. 20,30; Deut. 34,8). Dicitur quidem Eccli. 22,10 super mortuum plora (cf. 38,16), sed simul praecipitur, ne luctus fiat nimius : modicum plora supra mortuum (22,11), multos enim occidit tristitia et non est utilitas in illa (30,25; 38,21); saeculi quippe tristitia mortem operatur (2 Cor. 7,10) et Thessalonicenses docet apostolus, « ut non contristemini (de mortuis) sicut et ceteri qui spem non habent » (1 Thess. 4,12).

Ceterum omnino commendatur ut vicem luctumque aliorum doleamus; ita Iob se dicit moerentium consolatorem (29,25) et Eccli. 7,38 : non desis plorantibus in consolatione et cum lugentibus ambula et apostolus vult nos flere cum flentibus (Rom. 12,15). Christus immo lugentes et flentes dicit beatos, quia consolationem et gaudium obtinebunt (Matth. 5,5; Luc. 6,21); lugentes scil. eos dicit, de quibus Is. 61,2 et Soph. 3,18 (hebr.), lugentes propter aerumnas populo Dei illatas et gementes super cunctis abominationibus quae fiunt, uti Ez. 9,4 dicitur, lugentes propter huius vitae pericula, tentationes, lugentes amore et desiderio caelestium, a quibus cum absint tristitia quadam sancta afficiuntur; hic scil. est gemitus sanctorum : cupio dissolvi et esse cum Christo; prae quo desiderio illis terra evadit tristis et gravis.

LUCUS. Uti iam apud LXX אֲשֵׁרָה etc. redditur ἄλση, ita S. Hieronymus quoque vocem expressit. Ashera explicatur felix, fortunam afferens, ergo dea Fortuna, si scil. vocem ex hebraeo derivare et interpretari licet. Dubium non est quin Ashera in aliquibus locis tamquam dea et socia Baal designetur. Ita si sermo est de quadringentis prophetis eius (lucorum, Vulg. 3 Reg. 18,19), de supellectile sacra eius (vasa facta in luco, Vulg. 4 Reg. 23,4), si dicitur servire ei (servire lucis, 2 Par. 34,18). Item ubi sermo est de simulacro eius (idolum luci, 4 Reg. 21,3) et 3 Reg. 15,13 et 2 Par. 15,16, quibus locis Maacha fecisse dicitur in hebr. simulacrum abominabile pro Ashera (לאשרה). Si itaque iis in locis Ashera deam dicit, tamen in plerisque nomen adhibetur pro eius symbolo. Quale id fuerit, colligi potest

ex eo quod dicitur plantare asheram (lucum, Vulg.) Deut. 16,21; statuere העמיד 2 Par. 33,19; aedificare בנה 3 Reg. 14,23; erigere vel ponere נצב 4 Reg. 17,10; facere עשה 3 Reg. 14, 15; 16,33; 21,3; 4 Reg. 17,16; 2 Par. 33,3. Deinde destructio asherae exprimitur verbis : succidere גדע Deut. 7,5; 2 Par. 31,1; exscindere כרת Ex. 34,13; Iud. 6,28; 4 Reg. 18,4; 23,4; comburere שרף Deut. 12,3; 4 Reg. 13,15; similiter בער 2 Par. 19,3; conterere et comminuere, confringere כתת 2 Par. 34,7; שבר, הדק 2 Par. 34,4; exstirpare נתש Mich. 5,13. Iam ex hisce facile colligitur veteres, cum ἄλση, lucum, lucos interpretarentur, haud multum a vero recessisse. Utique non possumus ubique intellegere lucum, verum saepius solum arborem vel palum tamquam symbolum in eius honorem erectum. Atque ea notione quandoque videtur S. Hieronymus etiam *lucum* accepisse; nam 4 Reg. 23,6 legimus : et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ierusalem. Ashera, assyriace Asrat, quae vox signum divinitatis prae se fert, etiam legitur in inscriptione assyriaca ex saeculo 15 a. Chr.; quare quod multi negabant Asheram esse deae nomen, iam ex ipsis monumentis refutatur; neque opus est dubitare quin Ashera et Astarte unum idemque numen dicant; de qua re cf. *Schrader* in Zeitschrift für Assyriologie 1888 p. 362-364. Simul cum Baal cultus Asherae exercebatur impudicitiis satis refertus, id quod 3 Reg. 14,23; 15,12-14; 4 Reg. 23,7 (hebr). indicatur; quare S. Hieronymus sensum rite reddidit loquens de sacris Priapi et de simulacro turpissimo et de luco eius et de simulacro Priapi (3 Reg. 15,13; 2 Par. 15,16; vide *Knabenbauer*, Comm. in Proph. min. I. p. 451).

LUD (לוד, Λοὺδ), gens semitica Gen. 10,22; 1 Par. 1,17; plerique Lydos intellegunt. Secundum Herodotum Lydi gloriabantur regibus ex Belo, deo Assyriorum, prognatis (1,7); Lydorum sacra semitica esse asserit *Lenormant* (Bérose, p. 146 ss.). Ceterum vide *F. de Hummelauer*, Comm. in Genesin p. 330.

LUDIM (לודים, Λουδιείμ, 1 Par. 1,11 cod. A Λωδιείμ), gens chamitica a Mesraim descendens (Gen. 10,13; 1 Par. 1,11). Ludim esse eosdem atque in monumentis hieroglyphicis *Rutu* seu *Ludu* i. e. homines κατ' ἐξοχήν, ipsos Aegyptios defendit *G. Ebers*, Aegypten u. d. Bücher Mose's 1868 p. 93. 94.

LUITH (לוחית, Λουείθ), ascensus quidam in Moab (Is. 15,5; Ier. 48,5). Secundum Onomasticon (*ed. Lag.* 276,43; 136,23) « est usque hodie vicus inter Areopolin et Zoaram » i. e. inter Ar Moab seu Rabbath Moab et Segor.

LUMBARE (אֵזוֹר, περίζωμα) Ier. 13,1 ss.; iubetur vates per aliquod tempus lumbare lineum portare; dein illud abscondere ad Euphraten in foramine petrae, ubi computrescit; sic quippe Deus putrescere faciet superbiam populi. Quid actione ea symbolica praefiguretur, facile patet. In ipso lumbari exprimitur quam arte Deus populum sibi adiunxerit : sicut enim adhaeret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi omnem domum Israel et omnem domum Iuda, ut essent mihi in populum et in nomen et in laudem et in gloriam (13,11). Verum populus iniquitate et defectione quasi computruit; quare in exsilium ad Euphraten i. e. in Babyloniam abducetur, uti Ieremias lumbare sordidum abscondere iubetur in foramine petrae ad Euphraten. Cum orientalibus cingulum sit inter praecipua ornamenta, symbolum hoc omnino aptum est, ut ostendatur quo loco Deus populum suum habere voluerit, dummodo dicto audiens fuisset.

LUMEN, LUX. Uti tenebrae notione translata dicuntur de rebus adversis, de ignorantia, de peccatis, ita lumen de felicitate, cognitione, sanctitate. Quare Deus qui summe est beatus, omniscius, sanctissimus, dicitur lucem inhabitare inaccessibilem (1 Tim. 6,16), et : Deus est lux et tenebrae in eo non sunt ullae (1 Ioan. 1,5); ita Iesus Christus, qui beatitatem, cognitionem rerum divinarum, sanctitatem mundo affert, dicit : ego sum lux mundi (Ioan. 8,12) et haec lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt (Ioan. 1,5; 3,19). Vel lux proponitur ad maiestatem Dei decla-

randam veluti vestimentum eius : amictus lumine sicut vestimento (Ps. 103,2); et cum Deus sit lux et lumine quasi vestiatur, etiam sapientia ab eo procedens describitur tamquam emanatio claritatis eius et candor lucis aeternae (Sap. 7,25. 26), quare Deus quoque pater luminum vocatur (Iac. 1,17), et uti Ps. 35,10 : in lumine tuo videbimus lumen i. e. in benigno Dei favore quo mentes nostras illuminat nobisque prosperitatem concedit nos fruemur felicitate; quare beati dicuntur qui in lumine vultus Dei ambulant i. e. eius favore et illustratione potiuntur. Si angelus lucis opponitur satanae (2 Cor. 11,14), lucis nomine sanctitas intellegitur, qua angelus lucis salutaria homines docet. Ad illuminationem intellectus refertur, si verbum Domini vocatur lumen semitis meis (Ps. 118, 105); item si monemur : diligite lumen sapientiae (Sap. 6,23); item si fides luci comparatur : Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei (2 Cor. 4,6); et fideles dicuntur illuminati (Hebr. 6,4), dicuntur lux in Domino, filii lucis (Eph. 5,8; 1 Thess. 5,5), quatenus quae fide didicerint etiam moribus exprimere debent, proinde ut filii lucis, in cognitione et sanctitate, ambulare debent et uti armis lucis (Rom. 13,12), fide scil. et sanctitate vitae obsistendum est hostibus salutis; unde fructus lucis (fidei scil.) est in omni bonitate et iustitia et veritate (Eph. 5,9). Iudaei cum habeant veram Dei cognitionem se iactant « lumen eorum qui in tenebris sunt » (Rom. 2,19) et apostolus suam ad gentes missionem ita describit, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum (Act. 26,18) et S. Petrus eodem modo dicit fideles vocatos esse de tenebris in admirabile lumen Dei, in lumen scil. quod Deus auctor misit, largitur, quo suos beat; quare esse in luce idem est atque constitutum esse in vera fide, in Dei gratia et favore (cf. 1 Ioan. 2,9). — Alias lux solum prosperitatem designat, uti Iob 18,5 nonne lux impii exstinguetur; v. 18 expellet eum de luce in tenebras, 36,26 praestolabar lucem et eruperunt tenebrae. Ceterum vide s. v. LUCERNA.

LUNA, luminare minus, quod praeest nocti (Gen. 1,16); a luna signum diei festi (Eccli. 43,7), quia initium mensis determinatur novilunio, quare omnes dies festi paschatis, pentecostes, tabernaculorum ad lunam referri possunt; unde Ps. 103,19 : fecit lunam in tempora. Inter opera Dei quae hominis admirationem et laudem provocant luna quoque reputatur (Ps. 18,4; 135,9), a qua etiam comparatio pulchritudinis infertur : pulchra ut luna (Cant. 6,9) est sponsa et Simon, sacerdos magnus, inter alia laudatur : quasi luna plena in diebus suis lucet (Eccli. 50,6). Quod dicitur Ps. 120,6 : per diem sol non uret te neque luna per noctem, intellegi potest vel de frigore, quod noctu nubibus remotis acrius esse solet, vel ex opinione populari de noxio quodam lunae fulgentis in homines effectu. Ad prius vide Gen. 31,40 : diu noctuque aestu urebar et gelu. Simul cum sole et militia caeli luna quoque cultu idololatrico ne colatur praecipitur (cf. Deut. 4,19; 17,3), a quo cultu Iob profitetur sese servasse immunem 31,26; sed Iudaei eum saepe exercebant (4 Reg. 23,5; Ier. 8,2) et probabiliter quoties de cultu reginae caeli sermo est, luna tamquam symbolum deae (Astarthes) intellegi potest. In annuntiatione iudicii Dei universalis signa in luna quoque fieri exhibetur Is. 13,10; 24,23; Ez. 32,7; Ioel 2,10. 31; Matth. 24,29; Marc. 13,24; Act. 2,20, quibus luna obscurari, non dare lumen, erubescere, in sanguinem converti dicitur. Verum si creatura liberabitur a servitute corruptionis tempore gloriae filiorum Dei (Rom. 8,21), tum luna quoque splendidior evadet : erit lux lunae sicut lux solis (Is. 30,26); cum enim natura nobis insitum sit, ut gloriam Dei et beatorum immensa quadam lucis et splendoris claritate nobis mente effingamus, aptior modus quo creaturae glorificatio oculis subiiciatur excogitari nequit quam quem hoc loco adhiberi videmus, ut scil. lumine multoties aucto tota creatura caelesti quodam splendore vestita ac sublimiore

gloria praedita repraesentetur (*Knabenbauer* ad Is. l. c.). Neque cum eo Isaiae loco pugnat (quod aliqui opinantur) 60, 19 : nec splendor lunae illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem; nam hic solum comparatione effertur, quanta luminis ac gloriae abundantia Dominus oriturus sit super Ierusalem, tanta scil. ut sol et luna quasi evanescere neque iam splendere videantur, cum eorum splendor longissime superetur atque adeo absorbeatur splendore Domini gloriae (cf. Apoc. 21,3).

Quia luna varias vicissitudines obire aspicientibus videatur, etiam inconstantiae quasi symbolum proponitur : homo sanctus in sapientia manet sicut sol, nam stultus sicut luna mutatur Eccli. 27,12.

LUNATICUS (σεληνιαζόμενος Matth. 4,24; 17,14), is qui morbo comitiali, epilepsi, laborat, qui morbus luna crescente augeri putatur, ita ut quadam etiam mentis abalienatione vel furore homo agitetur. Puer ille (Matth. 17,14) non solum morbo illo erat affectus qui luna crescente maiore vi erumpere et ita quasi a luna regi videbatur, verum etiam a daemone muto erat possessus (cf. Marc. 9,16).

LUNULA. Inter ornamenta mulierum Is. 3,18 שַׁהֲרֹנִים, μηνίσκοι, lunulae recensentur. Erant genus ornamenti circa collum forma lunari, vel figura falcata ad formam lunae crescentis seu cornutae, uti aliqui volunt. Eadem vox hebr. etiam legitur Iud. 8,21 (*bullas* ibi vertit Vulgata, LXX autem μηνίσκους), ubi ornamentum collo camelorum appensum nominatur.

LUPANAR; ita vertit S. Hieronymus Num. 25,8 קֻבָּה secundum sensum; eam vocem explicant de tabernaculo, cubili, vel quovis aedificio camerato, de fornice, thalo. Eodem modo vertit Ez. 16,24. 31. 39 גֹּב, LXX pariter οἴκημα πορνικόν, πορνεῖον; notio eatenus e re est quia idololatria tamquam fornicatio et adulterium consideratur. Ceterum significatio vocis alias est gibbus, dorsum, et in membro parallelo habetur רִבּוּה; quare proprie dici videtur excelsum, vel altare erectum ad idololatriam. Quod in Vulgata legitur 2 Mach. 4,12 : ausus est (Iason) optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere, graece habetur ὑποτάσσων ὑπὸ πέτασον ἤγεν; petasus pileus est latos habens margines, quo pileorum genere ephebi uti solebant; unde explicant Iasonem iuvenes ex disciplina et moribus Graecorum educandos et instituendos curasse.

LUPUS hebraice dicitur זְאֵב et graece λύκος neque de significatione nominis semiticis linguis communis ullum dubium haberi potest. Nomine scientifico *Canis lupus* L. audit et in tota Palaestina etiam hodie invenitur.

In sacris libris maxime in variis comparationibus memoratur, ex quibus eius indoles ad vivum depicta elucet. Ita imprimis ovibus prae ceteris inimicus exhibetur (Eccli. 13,21; Matth. 10,16; Luc. 10,3; Io. 10,12); quare in imaginem summae pacis dicitur habitare cum agno (Is. 11,6) et pasci simul cum agno (Is. 65,25). Cum natura sua sit rapax et violentus, viri audaces et turbulenti nomine lupi designantur (Gen. 49,27 Beniamin, lupus rapax). Interdiu latens in fruteto vel inter saxa, vespere fame rabidus ad praedam capiendam egreditur; unde lupus ad vesperam, lupi vespertini dicuntur comparatione de magno hostium impetu (Ier. 5,6; Hab. 1,8; Soph. 3,3). Etiam insidiatores et persecutores (Matth. 10,16) ac falsi prophetae (Matth. 7,15; Act. 20,29) lupis comparantur.

Cf. *Sam. Bochart*, Hierozoicon p. II. l. 3, c. 10 (*ed. Rosenmüller* II. 150-163); *Sam. Oedmann*, Vermischte Sammlungen V. 11-20; *H. O. Lenz*, Zoologie der alten Griechen und Römer p. 109-116; *L. Lewysohn*, Zoologie des Talmuds p. 81 s.; *H. B. Tristram*, Nat. Hist. of the Bible *ed.* 9 p. 152-155; *R. Hartmann* in Zeitschrift für Ethnol. III. 1871, 231-235; *W. Houghton* in Transact. Soc. Bibl. Arch. V. 1877, 328; *Wilkinson-Birch*, Manners and customs II. 96 s. III. 276-279; *P. Cultrera*, Fauna bibl. p. 203-7; *J. G. Wood*, Bible animals, new ed. p. 50-55.

L. FONCK.

LUSTRATIONIS AQUA vocatur in Vulgata aqua peccati Num. 8,7 i. e. aqua ad auferendum peccatum et Num.

19,20 aqua immunditiei i. e. ad tollendam immunditiem. Quomodo prior aqua sit ad usum illum sacrata nescitur, quia eo solum loco reperitur nomen. Putant quandoque esse aquam ex labro aeneo (Ex. 30,18) haustam; alii esse aquam modo simili, uti Lev. 14,5, sacratam. Altera aqua, quae in Vulgata etiam aqua aspersionis, expiationis dicitur (Num. 19,9. 13 מֵי נִדָּה) quomodo conficienda sit ad usum illum sacrum describitur Num. 19,1-9.

LUTER. Ea voce designatur in Vulgata 3 Reg. 7,26; 4 Reg. 16,17 mare aeneum (vide s. v.). Sed luteres 3 Reg. 7,38. 43 seu conchae 2 Par. 4,6. 16 erant lavacra aenea quina ad utrumque altaris latus posita, quorum quodvis 40 bath capiebat et quattuor cubita dimetiebatur; in iis lavabantur omnia quae in holocaustum oblaturi erant. Haec lavacra insidebant totidem basibus aeneis. Hae bases quadratae erant, longae lataeque quattuor cubita, tria altae, quarum latera figuris leonum, iumentorum, cherubim et sertis dependentibus erant exornata. Basibus suppositae erant rotae quaternae altitudinis cubiti et semis, ut scil. lavacra moveri facile possent quo opus esset (3 Reg. 7,27 ss.).

LUZA. **1**. Nomen primitivum urbis Bethel; v. BETHEL in vol. I. col. 638-641.

2. Luza (לוּז, Λουζά), urbs in terra Hetthim, quam aedificavit ille vir, qui Israelitis introitum in Bethel (Luza) ostenderat ab iisque incolumis dimissus est (Iud. 1,26).

LYCAONIA (Λυκαονία), regio Asiae minoris a Tauro monte septemtrionem versus inter Ciliciam, Pisidiam, Phrygiam, Galatiam, Cappadociam sita (Act. 14,6 s.). Urbes praecipuae erant Lystra, Derbe, Iconium (vide s. vv.). De dialecto lycaonica (Act. 14,10) nihil constat; *Lassen* (Zeitschr. d. D. Morg. Ges. X. 1856 p. 378 ss.) eam censet similem linguae Cappadocum, quam ad indogermanicam familiam, maxime ad partem iranicam pertinere opinatur.

Secundum *Strabonem* XII. 6,1 « Lycaonum planities montanae sunt frigidae et nudae et asinis silvestribus compascuae; aquarum ibi magna penuria atque ubi invenitur aqua, profundissimi omnium sunt putei..... et tamen ista regio, quantumvis aqua carens, mirum in modum oves nutrit lanae asperae, e quibus quidam amplissimas sunt consecuti opes; et Amyntas ultra trecentos greges iis in locis habuit »; et 6,2 « Lycaoniae etiam est Isaurica regio ad ipsum Taurum ». Anno 36 a. Chr. Lycaonia a Marco Antonio data est Amyntae ultimo regi Galatiae (*Dio Cass.* 49,32; 51,3), quo mortuo provinciae romanae Galatiae attributa est (*Dio Cass.* 53,26) anno 25 a. Chr.

LYCIA (Λυκία), regio Asiae minoris, peninsula montana, quae inter Pamphyliam et Cariam in mare Mediterraneum procurrit. Recensetur inter regiones, quibus ex senatusconsulto missa est epistula Lucii consulis in favorem Iudaeorum 1 Mach. 15,23; quo loco etiam Phaselis (v. s. v.) urbs Lyciae memoratur. S. Paulus ex tertio itinere apostolico rediens Pataram et fortasse etiam Myram, urbes Lyciae, attigit (cf. Act, 21, 1); in itinere romano Myrae ex navi adrumetina in navem alexandrinam conscendit (Act. 27,5; pro Lystra legi oportet Myra); v. MYRA et PATARA.

LYDA, LYDDA v. LOD.

LYDI, LYDII. **1**. Lydii (לוּדִים, Λυδοί) recensentur Ier. 46,9 in exercitu aegyptiaco ut milites arripientes et iacientes sagittas (hebr. arripientes [et] calcantes arcum). Cum eo loco agatur de copiis auxiliaribus e variis regionibus accersitis, Lydii non erunt gens chamitica Ludim (Gen. 10,13; 1 Par. 1,11) seu ipsi Aegyptii (v. LUDIM), sed Lydi asiani; idque eo probabilius est, quia Nechao rex Aegypti multum adhibuit milites conducticios alienigenas (cf. *A. Wiedemann*, Aegypt. Gesch. p. 625). Idem dicendum erit de Lydiis Ez. 27,10, de Lydis Ez. 30,5, de Lydia Is. 66,19 (hebr. his locis לוּד, LXX Λυδοί, Is. 66,19 Λούδ). Lydi autem asiani a plerisque censentur esse gens semitica Lud Gen. 10, 22; 1 Par. 1,17.

2. Lydi (Λυδία) 1 Mach. 8,8. Designatur Lydia, provincia Asiae minoris ad

mare Aegaeum inter Cariam, Phrygiam et Mysiam sita.

3. In versione graeca Iudith 2,23 nominatur Λούδ inter regiones ab Holoferne devictas, quam regionem interpretes censent esse Lydiam in Asia minore. Cf. *De Moor*, Le livre de Judith 1895 p. 40. 41; *Vigouroux*, La Bible et les déc. mod. *ed.* 6 IV. p. 114.

LYDIA in Vulgata Is. 66,19 v. LYDI 1.

LYDIA (Λυδία), mulier Thyatiris oriunda, πορφυρόπωλις, quae purpuram, textilia purpureo colore tincta vendidit (Act. 16,14. 40). Erat cultrix Dei, proinde proselyta; audivit Paulum Philippis concionantem, fidem et baptismum suscepit ipsa et domus eius, Paulum, Silam, Timotheum et Lucam hospitio accipere deprecata est « et coegit nos » blanda quadam vi.

LYRA vide s. v. MUSICA.

LYSANIAS (Λυσανίας) tetrarcha Abilinae anno decimo quinto Tiberii Caesaris, quo tempore Ioannes Baptista in regionem Iordanis venit praedicans baptismum poenitentiae (Luc. 3,1). De Lysania I. rege Ituraeae, qui erat aequalis Antonii et Cleopatrae (40-36 a Chr.), diximus s. v. ITURAEA. Alter Lysanias usque ad nostrum saeculum ex fontibus profanis non innotescebat. Unde quia Flavius Iosephus saepius loquitur de Abilina tetrarchia Lysaniae, concludebant critici non pauci hanc tetrarchiam nomen traxisse ab isto Lysania I. et S. Lucam per errorem ex nomine *tetrarchia Lysaniae* aliquem Lysaniam tetrarcham effinxisse. Sed obstat quod iste Lysanias I. erat rex totius Ituraeae, quae Abilinam includebat; ab eo igitur Abilina certe non poterat nuncupari tetrarchia Lysaniae. Ex hac sola consideratione iam probabilissimum efficitur, post illud tempus quo Ituraeae regnum in varia territoria discissum est, Abilinam quoque ab aliis partibus separatam et a Lysania quodam iuniore administratam esse. Sed etiam directe comprobatur, iuniorem quendam Lysaniam tetrarcham Abilinae fuisse, scil. ex inscriptione prope Abilam inventa (Corp. Inscript. Graec. n. 4521; cf. t. III. p. 1174 Addenda ad n. 4521), quae saltem quinquaginta annis post Lysaniam I. composita est et narrat Nymphaeum libertinum Lysaniae tetrarchae viam ac templum condidisse. Haec autem vix de libertino Lysaniae I. vera esse probantur; unde merito in hac inscriptione communiter agnoscitur iunior quidam Lysanias tetrarcha. Inania igitur sunt, quae de errore Luc. 3,1 proferebantur. Cf. *Schürer*, Gesch. des jüd. Volkes *ed.* 3 I. p. 718-720.

His addamus reliqua, quae de tetrarchia Lysaniae apud Flavium Iosephum traduntur. A Caligula imperatore (87 p. Chr.) Agrippa I. praeter tetrarchiam Philippi etiam tetrarchiam Lysaniae accepit (Ant. XVIII. 6,10). Claudius imperator factus (41 p. Chr.) hanc donationem confirmavit et auxit (Ant. XIX. 5,1 : Ἄβιλαν τὴν Λυσανίου et cf. Bell. iud. II. 11,5 : βασιλείαν τὴν Λυσανίου καλουμένην). Mortuo Agrippa I. (44 p. Chr.) romani procuratores eius regnum administrabant. Sed anno 53 p. Chr. seu anno decimo tertio Claudii imperatoris Agrippa II. tetrarchiam Philippi una cum Abila tetrarchia Lysaniae adeptus est (Ant. XX. 7,1; cf. Bell. iud. II. 12,8), quo mortuo (100 p. Chr.) eius regnum provinciae Syriae attributum esse censendum est. Nomen Lysaniae etiam diutius cum Abila coniunctum permansit; apud Ptolemaeum Abila vocatur Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου (*ed. Nobbe* V. 15,22; *ed. Müller-Fischer* V. 14,18 : Ἄβιλα ἐπικαλουμένη Λυσανίου).

LYSIAS (Λυσίας). **1.** Dux Syrorum tempore Antiochi IV. Epiphanis et Antiochi V. Eupatoris, homo nobilis de genere regali. Vide quae de Antiocho IV., Antiocho V. et Iuda Machabaeo diximus s. vv. ANTIOCHUS 3 et 4, IUDAS 1. Brevis conspectus gestorum Lysiae hic sufficiet. Antiochus IV. dum ipse in Persiden proficiscitur a. 165 a. Chr., Lysiam tutorem filii et procuratorem regni constituit eique mandavit, ut Iudaeos debellaret (1 Mach. 3,27-37). Duces a Lysia missi (Ptolemaeus, Nicanor, Gorgias, Bacchides, Thimotheus) a Iudaeis devicti sunt (1 Mach. 3,38-4,27; 2 Mach. 8,8-36). Autumno anni 165 a. Chr. Lysias ipse prope Bethsuram (Vulgata : Bethoron) a Iuda Machabaeo fugatus est (1 Mach. 4,28-35). Non multo post Ly-

sias novo exercitu in Iudaeam irruens prope Bethsuram iterum devictus est; sed comperta morte Antiochi IV. Epiphanis, qui moribundus Philippum totius regni procuratorem et Antiochi V. tutorem declaraverat, Lysias cum Iuda Machabaeo de pace componenda convenit, Antiochiam rediit, nomine Antiochi V. Eupatoris regnum administrandum in se suscepit et pacem, de qua convenerat, cum Iuda Mach. composuit (2 Mach. 11,1-38; 1 Mach. 6,14-17; cf. 2 Mach. 10,11). Nova belli occasione exorta (1 Mach. 6,18-27) Eupator et Lysias magno cum exercitu profecti Hierosolyma obsederunt, sed quia Philippus thronum occupare conabatur, Iudaeis pacem concedere coacti sunt (1 Mach. 6,28-63; 2 Mach. 13). Philippus, qui Antiochiam occupaverat, a Lysia devictus in Aegyptum aufugit (1 Mach. 6,63; 2 Mach. 9,29). Verum brevi post Lysias et Eupator a Demetrio I. Sotere superati et interfecti sunt (1 Mach. 7,1-4; 2 Mach. 14,1. 2).

2. Claudius Lysias, tribunus cohortis romanae, qui Hierosolymis S. Paulum e manibus Iudaeorum eripuit et Caesaream ad Felicem praesidem provinciae misit (Act. 21,30-23,35; 24,7. 22).

LYSIMACHUS (Λυσίμαχος). **1.** Filius Ptolemaei, qui (Lysimachus) in Ierusalem epistulam plurim graece interpretatus est, quam interpretationem Dosithens eiusque filius Ptolemaeus in Aegyptum attulerunt (Esth. 11,1 Vulgata, LXX in fine cap. 10).

2. Frater Menelai pontificis. Secundum textum graecum 2 Mach. 4,29 Menelaus, cum ad regem Antiochum Epiphanem evocaretur ob pecuniam quam Iason promiserat non solutam (cf. 2 Mach. 4,8), reliquit fratrem suum Lysimachum, qui vices pontificis interea ageret (ἀπέλιπε τῆς ἀρχιερωσύνης διάδοχον Λυσίμαχον); secundum Vulgatam Menelaus amotus est a sacerdotio succedente Lysimacho. Suadente Menelao Lysimachus res sacras aurumque de templo surripuit multum; quo facinore indignatio populi est excitata et Lysimachus illa seditione est interfectus; cf. 2 Mach. 4,39-42.

LYSTRA (Λύστρα), urbs Lycaoniae, fere in confinibus Lycaoniae et Isauriae, ab Iconio meridiem versus sita. Eam in urbem Paulus apostolus primo suo itinere apostolico ab Iconio venit et ea in regione praedicavit. Cum ea in urbe virum a nativitate claudum sanasset, ipse et Barnabas ab imperita turba dii sunt habiti et vix prohibere poterant ne sibi fierent sacrificia. Verum mox plebs mobilis alios in Paulum animos induit. Supervenerunt enim Iudaei ab Antiochia et Iconio et adeo turbis imposuerunt, ut Paulus lapidaretur et veluti iam mortuus ex urbe traheretur (Act. 14,6-20). In altero itinere apostolico Lystris Paulus sibi adiunxit Timotheum (Act. 16,1). Quae autem Lystris passus est, apostolus etiam ultimo vitae suo tempore adhuc recordatur et Timotheo ad consolationem, qui similia sit expertus, in memoriam revocat 2 Tim. 3,11.

Pro Lystra, quae est Lyciae, Act. 27,5 legendum est : Myram, quae est Lyciae (v. MYRA).

CORRIGENDA ET ADDENDA

Col. 326 ad GABAA 1. Non solum Gabaa 1 Par. 2,49 sed etiam Gabaa Ios. 15,57 videtur componi posse cum *Djebā'a* haud procul a Bethlehem inter austrum et occidentem. Cf. quae de tertia provincia montis Iuda dicit *F. de Hummelauer* (Comm. in Ios. p. 361) : « Situs et ambitus huius provinciae obscurior. Habebat ea loca quaedam ad austrum Hebronis... alia loca habebat eadem provincia ad aquilonem... crediderim provinciam ab austro Hebronis transiisse per urbis orientem ad eiusdem aquilonem. Ceterum neque illud mordicus defendendum esse censeo, singularum provinciarum omnium fines fuisse continuos ».

Col. 329 lin. 10 ab infra lege : Geba de qua diximus num. 2 (non num. 1).

Col. 332 lin. 7 lege : ut diximus sub GABAA 1 (non 2).

Col. 494 lin. 11 lege : **HERES** ascensus v. HARES.

PARIS (VIe)
P. LETHIELLEUX, Libraire-Éditeur
10, RUE CASSETTE, 10

SCRIPTURAE SACRAE CURSUS

Auctoribus R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER, aliisque e Soc. Iesu presbyteris

S. S. PIUS X, *ut Sanctitati Suae opus hoc dedicaretur benigne concessit*

Volumes grand in-8 raisin, imprimés avec le plus grand soin

TOTIUS OPERIS ADUMBRATIO

I. — TEXTUS SACRI (CIRCA 10 vol.)

II. — LIBRI INTRODUCTORII (CIRCA 9 vol.)

III. — COMMENTARII

a) — VETUS TESTAMENTUM

1° LIBRI HISTORICI (8 vol.)
2° LIBRI DIDACTICI (CIRCA 8 vol.)
3° LIBRI PROPHETICI (5 vol.)

b) — NOVUM TESTAMENTUM

1° LIBRI HISTORICI (4 vol.)
2° LIBRI DIDACTICI (CIRCA 6 vol.)
3° LIBER PROPHETICUS (1 vol.)

EX " CURSU SCRIPTURAE SACRAE " EXCERPTA

Auctore R. CORNELY, S. I.

Synopses omnium librorum sacrorum Utriusque Testamenti ex « Introductione speciali in Vetus et Novum Testamentum » excerptae, retractatae, completae. In-8 carré. . . **6** »

Synopses Psalmorum separatim edit. In-18. . . . . **0.80**

Commentariolus de inspiratione (*Ex Compendio Introductionis*). In 8 . **0.30**

Historicae et criticae introductionis in Utriusque Testamenti libros sacros Compendium Sacrae theologiae auditoribus accommodatum. In-8 carré. Edit 5a. . . . . **8** »

Analyses librorum sacrorum Novi Testamenti quas ex sua « Introductione speciali in Novum Testamentum » excerpsit et complevit auctor. In-8 écu . . . . . **2** »

Envoi d'un Prospectus spécial donnant l'état exact de la Publication

PARIS (VIe)
P. LETHIELLEUX, Libraire-Éditeur
10, RUE CASSETTE, 10

BIBLIA SACRA

VULGATAE EDITIONIS SIXTI V ET CLEMENTIS VIII, PONTT. MAXX. JUSSU
RECOGNITA ATQUE EDITA ET AB AUCTORITATE ORDINARII CANONICE PERMISSA
EDITIO CURA ET STUDIO **Caroli VERCELLONE**
AN. 1861 DATA, SCRUPULOSIUS INTENTA

2 vol. in-8 raisin **8.00**

PRIX DES RELIURES EN PLUS :

1° **L'ouvrage relié en deux volumes :**

N° 1. — *Toile, biseaux, tr. rouges, par vol. net.* 1.60
N° 2. — *Demi-chagrin, plats toile, tr. jaspées, par vol. net* . . . 2.50
N° 3. — *Demi-chagrin, plats toile, tr. rouges, par vol. net.* . . . 3.25

2° **L'ouvrage relié en un volume :**

N° 4. — *Demi-chagrin, plats toile, tr. jaspées, net.* 3.75
N° 5. — *Demi-chagrin, plats toile, tr. rouges, net.* 4.50

NOVUM JESU CHRISTI TESTAMENTUM

VULGATAE EDITIONIS SIXTI V ET CLEMENTIS VIII, PONTT. MAXX.

(*EXTRACTUM E BIBLIA SACRA*)

1 vol. in-4°, grands caractères et grandes marges. **4.00**

CONCORDANTIARUM

UNIVERSAE SCRIPTURAE SACRAE

THESAURUS

EA METHODO QUA P. DE RAZE DISPOSUIT SUUM CONCORDANTIARUM
SACRÆ SCRIPTURÆ MANUALE ADORNATUS ET TABULIS SYNOPTICIS LOCUPLETATUS

AUCTORIBUS

PP. PEULTIER, ÉTIENNE ET GANTOIS

ALIISQUE

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS

In-quarto (30 × 20 XVI-1238 pp. complectens). **25 00**
Le même ouvrage, en reliure demi-chagrin. **30.00**

BS
440.
.H26
v.2

HAGEN, MARTIN, ED.

BS
440.
.H26
v.2

Lexicon Biblicum.

PONTIFICAL INSTITUTE
OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK
TORONTO 5, CANADA